1070.
14508
8293.
XLVII. D. 11.
1835
BIBLIOTEKA
Zakł. Nar. im. Ossolińskich
XVII 4051

PRÆCO
DIVINI VERBI
B. ALBERTVS MAGNVS
Per R. P. F. SIMONEM OKOLSKI
AMPLIATVS.

Ex Libris Stanislai Josephi Huminski

PRÆCO
DIVINI VERBI
B. ALBERTVS MAGNVS
Epiſcopus Ratiſponenſis ex Ordine Prædicatorum aſſumptus.

Diuerſis nunc S. Scripturæ EXPOSITIONIBVS HISTORIIS, *Eccleſiaſticis & Secularibus*, HIEROGLIPHICIS, PROBLEMATIBVS, SYMBOLIS & EXEMPLIS.

Per Reuerendum Patrem
SIMONEM OKOLSKI S. Theol: Profeſſorem Prouincialē Ruſſiæ Ord: Prædicatorum.

AMPLIATVS.

PARS PRIMA
DE DOMINICIS.

CRACOVIÆ,
Apud LVCAM KVPISZ S. R. M. Typogr:
Anno Domini 1649.
Cum Gratia & Priuilegio S. R. M.

11.438

Doctrinæ
B. ALBERTI MAGNI

Ex Flaminio Scripturæ Vitæ ipſius excerptæ.

SInceritati mentis ſtudeas.
Orationi frequenter vaces.
Labori nulli in ſtudijs parces.
Cæleſtia arcana magis precibus & oratione penetra quàm ſtudio.
Scire nihil facit aut parum ad virtutem velle autem & operari multum.
Studiorum finis, ad Deum omnia referre.
Quæ præcipis alijs, ipſe diligentiſſimè ſerua.
Quanto propiores Deo, tanto minus ſibi arroga.

INSTYTUT OSSOLINSKIEGO

XVII - 4057 -

REVERENDISSIMO PATRI

GENERALI

Ordinis Prædicatorum.

P.F. THOMÆ TVRCHIO

Humilem Subiectionem & Filialem reuerentiam.

NAtura comparatum eſt, vt inferiora altioribus ſubſeruire non deſiſtant. Qui enim ordo cœleſtibus inditus manet in impartiendo lumine corporibus inferioribus à corpore ſuperiori, eundem quoq; in ſublunaribus omnibus obſeruari perneceſſum erit. Aulum Gelium dictantem ſæpius repeto. Cum Diogenes ex libertate in ſeruitutem venderetur, perconctatus ab eo qui ipſum emere voluerat quid nam ſeruitutis ſciſſet, reſpondit. Noui inquit hominibus liberis imperare. Nil aduerſatus emptor, ſed di-

dictum magni ponderans, empto, filios ſuos tradidit dicens. Accipe liberos meos quibus imperes. Docuerunt vterquè inferiorem animo à ſuperiore gubernari & moderari proficuum eſſe. Reuerendiſſimam P. veſtram quam Diuina Maieſtas in Magiſtrum Sacro Ordini Prædicatorum ac deuotum parentem Filijs S. Dominici inſtituere & eligere dignata eſt, vt nobis Reuerendiſſima P. veſtra imperet, & imperando inſtruat, & inſtruendo tàm in via morum quam præaltæ contemplationis promoueat, omnes filij totis medijs & viribus exoptamus ac reuerenti honore obligamur. Et cum infrigidiſſimis partibus Religionem ſacram Prouincia Ruſſiæ ſub Reuerendiſſima P. veſtra auſpicijs promouere haud neglexerit, me infimum de ſuo gremio vt commentarium atq; annotationes ad Sermones B. Alberti Magni adiungerem, elegerat atque ſub patrocinio Reuerend: P. veſtræ publicare demandâuerat. Modicum quidem & ignaue opus, at tanti viri nomine illuſtre, & conſpectui Reuerendiſſimæ P. veſtræ qui opera B. Alberti Magni prælo committere diſpoſuiſti, per iocundum & amænum erit. Recipiat igitur Reuerend: P. veſtra à fi-

lio

ſio ſuo amoris inſigne & à Prouincia Ruſſiæ donum reminiſcentiæ, & eam ſingulari amore his medijs in calamitatibus conſolare dignetur. Cracouiæ 4. Decembris 1648.

Reue: P.V.

Humilimus Filius

& Exor: ator perpetuus

F. SIMON OKOLSKI
Mag: Prouincialis Ruſſiæ
Manu prop:

EPI-

EPISTOLA.

D. HVMBERTI MAGISTRI,

Generalis Ordinis Prædicat: ad B. Albertum Magnum Nominatum Epiſcopum Ratiſponenſem.

Chariſſimo in Chriſto Fratri Alberto Lectori Colonienſi Frater Humbertus Ordin: Prædicat: Seruus inutilis æternam in cælo Salutem & in terris radiare glorioſis meritis & exemplis.

Rumor per quaſdam literas nuper euolans à Romana Curia noſtrum attingens auditum, & noſtri cordis viſcera penetrans, nos in direptionem interminabilem funditus proſtrauiſſet, niſi fiducia Sancta, & firma, quam de vobis in omni bono gerimus reſtitiſſet. Siquidem accepimus in prædicta Romana Curia, vobis mandatum, vt ad quandam Pontificalem dignitatem accedatis. Quod quidem ex parte Curiæ non immeritò credibile ſit, attamen quod vos conſentire poſſitis & incredibilè ſit ijs qui vos nouerint. quis enim credere poſſet, vt in vltimo vitæ veſtræ poſt tantam gloriam veſtram, & Ordinis, quem vos glorioſum feciſtis, iſtiuſmodi notam ferre velletis? Quis quæſo frater chariſſime, & amantiſſime non ſolum de veſtris, ſed de omni religionis gen re pauperis poſt hac reſiliet. Si vos in his ſuccumbitis? & non potius cæteris excuſando vos, & onus deprecando non ſcandelizetur? & quilibet alius profeſſionis huius hoc audiens credat nos amare paupertatem, & non potius exiſtimet, eam vos ſuſtinere tam diu, donec effugere poſſimus? Non moueant vos obſecrò conſilia, & preces Dominorum noſtrorum de Curia quidem emanantia, in qua citò & facilè in ſibilum, atq; deriſum talia verti ſolent. Non frangant vos aliquæ moleſtiæ Ordinis, qui vniuerſaliter omnes diligit, & honorat, & de vobis ſpecialiter in Domino gloriatur, quæ ſi grauiores etiam eſſent, quam vnquam fuerint, aut futuræ ſint, etiam ſi alios fatigârent, atq; deijcerent, veſtros tamen giganteos humeros hilariter portare quantum vos deceat non ignoratis. Nec flectant vos præcepta Papalia, quæ neminem eficaciter reſiſtere volentem cogere conſueuerunt. Nec Sancta huiuſmodi ad tempus in obedientia hominis famam, lædere, ſed potius augere ſolet. Conſideret circumſpectio veſtra; quid acciderit illis qui ad ſimilia ſe trahi per-

miſerint

miſerint, quæ fama eorum ſecuta ſit, qui fructus, qui ſtatus, quis deniq; finis. Occurat vobis, quam difficile ſit in regimine Eccleſiarum Germaniæ vel offenſam Dei, vel hominum declinare. Deniq; quomodo pati poterit anima veſtra tota die terrenis implicari negotijs, & in periculis peccatorum verſari, quæ adeò vehementer Sanctas Scripturas, & conſcientiæ puritatem dilexit? Quod ſi fructus animarum à vobis quæritur, attendite quæſo quomodo per huiuſmodi ſtatus mutationem & animarum fructus innumerabilis, quem non ſolum in Germania, ſed ferè per totum orbem indubitanter facitis fama, exemplo, atq; ſcribendo, penitùs peribit. Quem autem in Epiſcopatu facturi ſitis incertum eſt. Videtis etiam dilectiſſime frater, quod totus Ordo noſter de tribulationibus maximè erutus, maxima demùm conſolatione repletus eſt. Sed quid eſſet, ſi in aliquem profundiorem mærorem iterum ex aliquo veſtro facto reduceretur? vtinam dilectum fratrem meum potius audiam in pheretro, quam in Cathedra ſublimari, ne ſic amiſſa ſpe firmitatis atq; conſtantiæ in talibus alijs cum mærore de hoc ſæculo noſtri recedant, Flexis ergò genibus cordis, per intemeratæ Virginis, & eiuſdem Filij humanitatem vos adiuro, ne ſtatum humilitatis veſtræ dimittatis, & quod hoſtis ſublimitas in plurimorum damnum, & Scandalum procurauit, in eius caput vertatur, atq; redundet ad noſtram & veſtram duplicem gloriam & honorem. Reſcribite, conſolatoria quæ nos, & alios Fratres noſtros, & veſtros dilectiſſimos conſolentur & eruant à mærore. Orate pro nobis, Gratiâ Domini noſtri IESV Chriſti ſit vobiſcum. Amen.

VErum Vrbanus IV Pontifex Maximus victus precibus Eccleſiæ Ratiſponenſis petentibus vt illis paſtorem quem putaret optimum conſtitueret, Alb: Magn: tunc præſentem Romæ reluctantem, flentem, & onus retractantem coëgit eâ coäctione & iuſſu quem tranſgredi fas non erat. Subijt igitur onus Epiſcopale gemens cum ingenti ſuo & ſuorum dolore, poſt elapſos aliquot annos, à Clemente IV. Pontifice Maximo impetrauit ſuſcipi reſignationem, & redijt ad Monaſterium Colonien: vbi 77. Calen: Decembr: ætatis 86. Anno obijt. Inuentum corpus eius poſt multos dies in ſepulchro per modum crucis (ſicut in Oratione faciebat) diſtentum, & poſt annos vltra ducentos integrum in ſepulchro repertum, dum ſubleuaretur à priori ſepulchro. In quo ſit gloria altiſſimo.

APPROBATIONES.

SErmones hos Alberti cognomento Magni, per R. P. F. SIMONEM OKOLSKI, S. T. Magiſtrum, Ordinis Prædic: auctiores ac locupletiores factos, in lucem prodire, atq; ad communem vſum Præconum Verbi DEI deduci, dignum planè exiſtimo. Ego F. Modeſtus Cremenecius S. Th. M. Regens Studij, Leop: Ord: Prædic:

LIbrum hunc cui titulus (Præco Diuini Verbi) in ſupplementum Sermonum Magni illius. Sanctitate & ſcientia in toto Orbe & ordine Prædicatorum. Beati ALBERTI Epiſcopi Ratiſponenſis. Summo labore, induſtria ac pietate Adm̃. R. Patris Magiſtri. Sacræ Theologiæ Fratris SIMONIS OKOLSKI Ordinis Prædicatorum compoſitum, cum ſumma animæ ac ſpiritus dulcedine legi: in eoque nihil quod cuiquam obeſſe poſſit, reperi. Imò omnia ad aptandos bonos mores, deuotionem augendam, & cultum Diuinum promouendum iuxta conſtitutiones & ordinationes. Sanctæ Matris Eccleſiæ Catholicæ prodeſſe vidi. Quapropter. vt & communi omnium vtilitati proficiat, & authoris pia lucubratio in omnem poſterorum memoriam conſecretur, dignum cenſeo vt Typis mandetur. In quorum fidem Datum Leopoli in Conuentu. SS. Corporis Chriſti die 15. Decembris. Anno Domini. 1647.

Fr: Ioſephus Szłomowski S. Theol: & Studij Generalis Prouinc: Ruſsiæ Baccalaureus Ord: Prædic:

ANnotationes in Sermones Dominicales Beati Alberti Magni Epiſc: Ratiſponen: ex commiſſione A R. P. Prouincialis Ruſſiæ Ord: Prædic: perlegi. Et quoniam ſummè proficuas Prædicantibus Verbum DEI iudicaui, nec aliquid Authoritati S. Rom: Eccleſiæ & moribus bonis contrarium in illis conſpexi, mandandas prælo meritò exiſtimaui. Quocirca vt honor religionis & meritum ex laboribus apud Dominum authori excreſcat, fauorabilem ſubſcribo. Datum Ieſupoli vltima Auguſti. 1648.

Fr: Petrus Chlaſczeuius Magiſter Vicarius Sniatinenſis Ord: Prædic: Manu prop:

AD LE-

APPROBATIONES.

FIdei propagationem & incrementa virtutum, religionis amor & obſeruatio ex cumulo meritorum ad præmium æuiternum deducit. At quia Verbi Diuini prædicatio horum omnium incentiua ſpiritualia conſtruit, meritò plurimis in Eccleſia Dei exantlatis laboribus B. ALBERTVS MAGNVS Archiep: Ratiſponenſis de Ordine Sacro Prædicatorum aſſumptus, ſuis in prædicationibus extollendus, quibus & virtutem radicare in cordibus fidelium non ceſſat, & vitia potenter expugnat. Cuius Sermones cum A R. P. Mag: in Theolog: F. SIMON OKOLSKI Prior Ieſupol: Prouinciæ noſtræ Ruſſiæ ſummopere ampliauerit vt recipiat meritorum ſuorum Patrocinio tanti Doctoris præmium exopto, atq; laborem illius prælo concedendum exiſtimo Ego Fr. Ioannes Dominicus Rozniatovvski S. T. Mag: Prior Leopolienſis SS. Corporis Christi Vicarius contratæ Ruſſiæ Ord: Prædic: Leopol: 20. Iulij 1648.

IAcobus Vſtienſis S Theol: & I. V. Doctor, Ordr: in Diœceſi Cracou: Librorum Cenſor Præconem Diuini Verbi D. ALBERTI MAGNI S. Ordinis Prædicatorum à R. P. F. eiuſdem Ordinis Simonè Okolski Theologo in lucem editum & doctiſs: notis dilatatum Concionatoribus perquam vtilem Typis excudendum cenſet atq; pro iure ſuo permittit.

AD

AD LECTOREM BENIGNVM.

PRima Pars SERMONVM B. ALBERTI MAGNI de DOMINICIS, iam Diuinâ fauente gratiâ lucem aſpexit, & tuam animi ſententiam cum benignitate vultus, non abhorret. Expoſtulat verò, vt alteram partem SERMONVM quæ eſt de SANCTIS labori & contemplationi admitterem. Quod equidem iam perfeciſsem, niſi calamitas ſuperueniens in Ducatum Ruſſiæ per rebelles ruſticorum gladios, ferrè totam Prouinciam diuerſas in partes diſperſam, exules & ipſo in interegno, effeciſſet. At cum fauente cælo & Deo, iam & SERENISSIMVM REGEM ELECTVM CASIMIRVM IV. nobis gratulamur & ſpem exoptatam pacis pollicemur, tempore & loco reſumptis, operi manum & animum conſecrabimus. Te optimè & virtutibus ornate Lector, cum votis noſtris conſeruari ab alto gratulamur & optamus, reciprocam beneuolentiam à te promittimus & precamur.

DO-

DOMINICA I. ADVENTVS

Aduerte lector benigne, quod B. Albertus Magnus inſtituit ſermonem in hac Dominica de Rege veniente ſuper aſinam & pullum, quod Euang. nunc legitur in Eccleſia, Dominica palmarun idcircò ibidem dilucidabimus prædictum ſermonem, volumus enim iuxta modernum vſum Eccleſiæ Euangelia accommodare Dominicis diebus.

Tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cum poteſtate magna & maieſtate. *Luc. 21.*

Antequam diſponemus ſermonem. Notandum quod hoc thema habet B. Albertus Mag. in Domin. II. Aduentus. Notat ibi quadruplicem aduentum. 1. In vterum Virginis. 2. In mundum. 3. In cor humanum. 4. In Iudicium. Omiſſis tribus, de aduentu in mundum ſeu redēptione generis humani in ſermone tractat.

Quod ſignum ad iſtam redemptionem concurrerit.

Sol Chriſtus. MVltiplex ſignum, de quibus in Euang. *Erunt ſigna in ſole & lunâ & ſtellis, &c.* Per ſolē, filius Dei intelligitur. Matth. 4. Sol iuſtitiæ dicitur. *Signum apparuit magnum,* quia obſcuratus fuit. Ioël 2. *Sol conuertetur in tenebras.* Cùm enim velatus percuſſus fuit. *Prophetiza quis eſt qui te percuſſit,* & cum per ſputa ſolis huius vultûs oblitus fuit, in tenebras conuerſus erat. Iſa. 53. *Non erat ei ſpecies neque decor.*

Luna B. V. Maria. Per lunam B. V. Maria ſignificatur. Quidam S. de illa. *Tu pulchra vt luna diceris, eique non immeritò compararis. Illa enim aſtrorum omnium ſola ſoli ſimillima, & candore venuſta argenteo, cæteris in cælo præmicat ſideribus. Tu veri ſolis imago expreſſiſſima inter millia Angelorū Deo aſſiſtentium, virginali puritate in excelſis glorioſa refulges.* Signum in ea, quia conuerſa ſanguinē: vt Ioël 2. dicitur. Quod tūc fuit, quando intellexit dulciſſimum filium traditum, captum, conſputū, & ad crucis martyrium poſtulatum. Facta verò ſanguis, quando aſſiſtens cruci, vidit eum cruentatum, laceratum. Cùm verò vidit perforari manus, latus, pedes, quis explicabit,

bit, quos dolores B. Virgo paſſa fuit.

Per ſtellas intelliguntur Apoſtoli. *Stellæ Apoſtoli* Sicut enim ſtellæ affixę firmamento, ita Apoſtoli adhæſerunt Chriſto. Signum apparuit cùm à firmamento ceciderunt. Marc. 14. *Relicto eo fugerunt.* Et Petrus conſtantior territus ad vocem ancillæ, negauit cum iuramento. Marc. 13. *Stellæ cœli erunt decidentes.*

Terra mulieres bonæ. Per terras intelliguntur bonæ mulieres, quæ Dominū ſequentes plangebant. Luc. 23. Sicut enim terra alit homines per fructus quos producit: ita illæ paſcebant Chriſtum per terram euntem. Lucæ 8. Maria Magdalena & Ioanna & Suſanna, & aliæ multæ, quæ miniſtrabāt ei: Magnas preſſuras dolorum in cordibus paſſæ fuerunt.

Tunc etiam homines areſcebant, circà quos Chriſtus miracula operatus fuerat. Timebant ne impeterentur à Iudæis, quia curabantur Sabbato.

Mare, Iudęorum maiores & ſacerdotes. Per fluctus Scribæ & Phariſęi figurantur. Exterminare enim volebant Iesv memoriam. Chriſtus vniuerſus orbis appellatur, quia in eo viuimus, mouemur & ſumus.

Virtutes cœlorum mouebuntur. Sol enim, luna & ſtellæ, retraxerunt ſplendorem ſuum, & factę ſunt tenebræ ſuper terram.

ADNOTATIONES.

Dicitur Eccleſiaſt. 43. *Sol vas admirabile in opus excelſi.* Sol enim iſte admirabilis curſu loco, lumine, calore, opus excelſi, qui in terra & ſub terra conſeruat creaturam rationalem, per orbem ſolis, exprimit, nempè Dei. Verùm ſi filium Dei per ſolem intelligemus, dum naturā humanam ille adiunxit ad perſonalitatem verbi, factus eſt vas admirabile in opus excelſi Patris ſui, qui illum redemptorem & liberatorē naturæ humanæ miſit & dedit. In tali enim vaſe, omnis homo ſanctificatus, regnum Dei per adoptionis gratiam obtinuit. Et ſicut ſol eſt pater omnium generabiliū vt dicunt Philoſophi, ita Chriſtus eſt caput omnīū regeneratorum; & ſicut ſolis motus in decliui circulo cauſa eſt generationis & corruptionis: ita Chriſtus in fine & decliuio mundi, erit cauſa per judicium generale & juſtitiam vniuerſalē, retributionis gloriæ pro meritis, & condemnationis æternæ pro demeritis. Quantum & quale vas fuerit Chriſtus, oſtendit Ambroſ. in quodam ſermone. *Omnia habemus in Chriſto. Si à vulnere curari deſideras, medicus eſt: ſi febribus æſtuas, fons eſt: ſi grauaris iniquitate, iuſtitia eſt: ſi indiges auxilio, virtus eſt: ſi mortem times, vita eſt: ſi tenebras fugis, lux eſt: ſi cœlum deſideras, via eſt: ſi cibum quæris, alimentum eſt.*

Sol iſte Chriſt⁹ ſigna quatuor aduentûs ſui in mundum habuit. Sol etenim ſigna quatuor in ſe demonſtraſſe legitur in ſcripturis. Obſcurationem. Apoc. 6. *Sol factus eſt niger quaſi ſaccus cilicinus.* Stationem. Ioſ. 10. *Sol contra Gabaon ne mouearis.* Percuſsionē, ſeu impeditionē. Apoc. 8. *Percuſſa eſt tertia pars ſolis,* puta per ecilpſationem. Retroceſſionē. Iſa. 28. *Reuerſus*

verſus eſt ſol decem lineis per gradus quos deſcenderat. Ita Sol Chriſtus ſignum obſcurationis veniẽdo in mundum ſuſcepit, dum Verbum abbreuiatum ſtetit, & factum eſt Caro. Stationẽ, dum 33. annos nobiſcum conuerſatus eſt. Percuſſionem, dum in cruce ſuſpenſus mortuus eſt. Retroceſſionem, dum redijt anima ad corpus, & Filius redijt per aſcenſionem ad Patrem, ſedetq; ad dexteram eius.

Luna quæ ſignificat B. V. Mariam. Nota. Luna eſt omnium generabilium genitura, quia in humido dominatur. ſic enim augentur vegetabilia & ſenſitiua, cæteraque immutantur corpora. Profectò B. V. M. quæ nobis genuit Deum & hominẽ, omnium generabilium in Chriſto & per Chriſtum, facta eſt genitura. Niſi enim genuiſſet nobis Saluatorem, nullus regeneratꝰ ex nobis eſſet. Lunam, reginam cœli aliqui ex Aſtrologis, ob ſubminiſtratum augmentũ è terra genitis rebus, vocauêre. Sed B. V. Maria fortiùs regina cœli ob generationem regis dicetur.

Signum in luna ſanguinis Ioel. 2. Eſaiæ 24. *Erubeſcet luna cùm regnauerit Dominus exercituum.* Regnauit Chriſtus in cruce, nam dixit *Conſummatum eſt*, id eſt, conſummata eſt pœna, ſuccesſit iam gloria, & tu latro, hodie mecum eris in paradiſo. Habac. 3. *Sol & luna ſteterunt in habitaculo ſuo.* Dicunt Aſtrologi. Sol in leone curſum incepit & luna in cancro, ita cùm curſus ceſſabit eorum, in leone ſol ceſſabit, & luna in cancro. Cùm Chriſtus reſurrexit à mortuis vt leo, ceſſauit ipſius peregrinationis curſꝰ in leone: & B. V. Maria, cùm vidit filium poſt reſurrectionem, ceſſauit erubeſcere de filio. Mors enim filij cancer erat B. V. Mariæ. Neſciebat greſſum mouere, vt cancer dum mortuum vidit, ſed ceſſauit illius gradus cancri, dum reſuſcitatum ſuſcepit.

Stellæ quæ ſignificant Apoſtolos. Aſtronomi referunt quod ſtellæ ſunt cauſæ figurationis corporum & virtutum eorum in organis. *Apoſt. & ſtellæ* Certè Apoſtoli Domini Verbum Incarnatum per omnes partes orbis prædicando & Eccleſiam legis nouæ congregando, erant cauſæ figurationis corporis Eccleſiæ & virtutis ipſius in cordibus fidelium. Signa in Apoſtolis Incarnati Verbi Dei hæc erant, quia in nomine IESV Chriſti miracula faciebant, dæmones eijciebant, contra obduratos Iudæos verbis Chriſti pugnabant. Stellæ manentes in ordine & curſu ſuo, contra Siſaram pugnauerunt. Iud. 5. De cœlo dimicatum eſt contra hirundinem videntes id eſt Siſaram, hoc eſt, contra eos qui non intendebant niſi carni, liberis, poſſeſſioni; ſpiritualia verò & cœleſtia detrectebant & manentes Apoſtoli in ordine, quem conſtituit illis IESVS ad curſum prædicationis, fæliciter pugnauerunt, cùm Euangelium toti mundo illuſtrârũt. Tanta namque promptitudine & Zelo verbum Dei prædicârunt, vt ſine fructu audientium non diſcederent. Apocal. 6. *Stellæ de cœlo ceciderunt ſuper terram, ſicut ficus emittit groſſos ſuos cùm à*

 vento

vento mouetur. Qualis eſt quęſo comparatio hæc ſtellarũ ad ficum, caſus è cœlo ad groſſos? Senſus eſt, Apoſtolos ad prædicandum currentes; ceu ſtellas ardentes in terram cecidiſſe videres, & quibus prædicabãt, verbis illorum ceu vento moti, fructum pænitentiæ & fidei incipiebãt, ceu incipit ficus emittere groſſos ſuos mota à vento.

Preſſura gentium. Jn terra preſſura gentium. Sap. 6. *Omnis creatura ab initio ad ſuum genus refigurabatur deſeruiẽs tuis præceptis vt pueri tui cuſtodirẽtur illæſi.* Per omnem creaturam intelligitur homo. Habet enim aliquid homo omnis creaturæ, habet vegetationem cum plantis & arboribus, habet ſentire cum animalibus, habet intelligere cum Angelis. Homo ergò ab initio ſui refigurabatur ad ſuum genus. Genus hominis eſt DEVS, qui eum creauit ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, deſeruire Dei præceptis debuit, ſi in innocentia puerili permanere cuſtodiret. Verùm eiectus è paradiſo preſſuram paſſus eſt homo in terra, donec Chriſtus natus eſſet. Sed cùm incarnatum Verbum hanc in terra preſſuram gentium ſenſit, vt ad audiendum verbum illius populus turmatim concurreret, vt preſſus à gentibus ſecedere in montes & mare debuerit, homo redijt ad DEVM, & refiguratus, reddit gloriã DEO nato. Signum ergò Verbi Incarnati preſſura in terris à gentibus audientibus verbum illius.

A quibus, & per quæ, homo redemptus extiterit.

Filius Dei redeptor & redeptio. FIlius DEI nos ab iniquitatibus noſtris redemit in cruce. Pſ. 129. *Et ipſe redimet Iſrael ex omnibus, iniquitatibus ſuis.* 1. Corint. 1. *Qui factus eſt nobis redemptio.* Eſt ergo Filius Dei redemptor quia in propria perſona nos redemit; eſt redemptio, quia in ſemetipſo hoc accepit per quod nos redemit, ſcil. pretioſum ſanguinem ſuum qui erat in gremio cordis ſui. Ad Ephes. 1. *Deus Pater gratificauit nos in dilecto filio ſuo, in quo habemus redemptionem per ſanguinem eius.* Filius enim ab æterno aſtitit vultui patris, quaſi paratus carnem aſſumere & genus humanum redimere, quando hoc patri placeret. Et redemit in cruce ab omnibus iniquitatibus quas originaliter cõtraxeramus à primis parentibus. Erant verò ſex iniquitates ad minus primorum parentum. 1. Similitudinem Dei ſuperbè petierũt. *Eritis ſicut Dij.* 2. Scientiam boni & mali indebitè ſitierunt. 3. Fructum Domini ſine licentia ſua rapuerunt. 4. quia id quod inhibitum fuit guloſè comederunt. Gen. 4. *Vidit quod bonum lignum ad veſcendum pulchrum oculis, tulit, comedit, dedit viro.* 5. Quia cum elatione ſe excuſauerunt, quaſi culpam retorquentes in Deum. *Mulier dedit mihi & comedi.* Si non dediſſes illam ſociam non comediſſem. Illa verò in ſerpentem culpam poſuit. Quaſi diceret. Niſi tu creaſſes aſtutum ſerpentem, non fuiſſem decepta. 6. Quia creatori ſuo inobedientes extiterunt! Quod peccatum radix & finis peccatorum. Redemit nos ab his iniquitatibus. 1. Aſſimi-

Iniquitates primorum parentum ſex.

ſimilari voluit ſceleratiſſimis. Puta Barrabæ. Mar. 15. *Et cum impijs deputatus eſt.* 2. Quaſi impotens perſiſtit in tormentis. Matth. 27. *Alios ſaluos fecit. Deſcendat de cruce.* Iſa. 53. *In ſcientia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit.* Ad mandatum enim patris ſeruiuit nobis. 3. Præda impiorum factus, qui etiam veſtes ei abſtulerunt. 4. Acetum, fel & abſynthium bibit cum amaritudine. 5. Nolebat ſe excuſare Ieſus accuſantibus. Pilatus dicebat. *Non audis quanta aduerſus te dicunt teſtimonia.* 6. Obediens fuit Patri vſque ad mortem. Et ita ſex iniquitates, ſex medijs ſuſtulit.

ADNOTATIO.

Filius Dei ad crucem ducitur. Expalmatur, qui eſt vera palma victoriæ: ſpinis coronatur, qui peccatorum ſpinas venit confringere; ligatur, qui ſoluit compeditos: ligno ſuſpenditur, qui erigit eliſos: aceto potatur, fons vitæ: diſciplina, cæditur: ſalus vulneratur: vita, moritur. Occidit ad tempus vitam mors, vt in perpetuum à vita occideretur mors. Aug. in lib. de 8. virt. charit. Ad eundem ſenſum Iſid. de Summ. lib. 1. cap. 16. Chriſtus ſicut peccatum quod pœna dignum eſt non admiſit, ita pœnam peccati noſtri ſuſcepit: vt per indebitam pœnam ſuam, debitam ablueret culpam noſtram: vt per hoc amitteret diabolus quos reos tenebat, dum vnum interfecit qui nihil peccati admiſerat. Ideoq; quos quaſi iuſtè tenuit, amiſit; quia iniuſtè redemptorem noſtrum occidit. Quantam miſericordiam in genus humanum Verbum incarnatum effuderit, quis dignè explicare poterit? Superauit enim omnem affectum quorumcunq; hominum miſericordium; quia Dominus pro ſeruo, amicus pro inimico, beneuolus pro ingrato, ſanctus pro ſummo peccatore paſſus eſt. Scio magnam cōpaſſionem ſerui in Dominum apud Val. Max. lib 6. cap. 6. Antius Reſtio proſcriptus à Triumuiris, dum vidit in prædam bona ſua rapi, & vitam periculo ſubeſſe à ſatellitibus miſſis aduerſum ſe, à ſeruo ſuo quem iniuſtè vinculis dederat, multisq; afflixerat pœnis, conſeruatus fuit. Adiunxerat enim ſe fugienti Domino voluntarius Comes, & in locum ſecurum deduxit. Cum verò aduolabat miles, rogum conſtruxit & quendam egentem ſenem occiſum ſuperiecit. Interrogatus vero à militibus vbi nam eſſet Antius, manum rogo intendens, ibi illum crudelitatis piaculis vri reſpondit. Habita eſt voci veriſimilia loquenti fides, & Antius quærendæ incolumitatis occaſionem aſſecutus eſt. Magna charitas & miſericordia ſerui: ſed quid hoc in comparatione ad Chriſtum. Nos quantis conuitijs, blaſphemijs, periurijs, criminibus affecimus Deum, attamen ille quaſi iniuriarum oblitus, factus eſt nobis miſericordiarum Pater, & quos punire, condemnare, debuit; miſericorditer ſuſcepit, gratia fouit, ſanguine lauit, cohæredes elegit. Paſſionem Domini diem belli quidam diffini-

Seruus in Dominum pius.

Paßio Chriſti bellum. diffinierunt. Et meritò, nos etenim pugnauimus peccatis contra Deum, pugnamus nunc ingratitudine, & diffidentia contra ipſum, & quouſq; ſtabit mundus, pugna inter hominem & Deum durabit, & ſemper ipſo homine bellum inchoante & proſequente. Sed victor erit Chriſtus Deus & homo. Et qui victo diabolo infernorum clauſtra diſrupit, captiuos liberauit, etiam homines ad vnam caulam & ouile reducet, atq; hoc medio, pacem inter Deum & homines conſtituet.

Quid Redemptionem in cruce factam, ſecutum fuerit.

DVo. 1. Tunc viderunt dæmones animam filij hominis venientem in nubibus. 1. Comitatu angelorum cum poteſtate magna innocentiæ, & maieſtate diuinæ gloriæ. 2. Tunc etiam animæ iuſtorum quæ erant in limbo, reſpexerunt lucem ſuperuenientem, & cum ingenti gaudio capita ſua à mærore leuauerunt, quoniam illorum venit redemptio.

ADNOTATIO.

CHriſtus dū expirabat voce magnâ clamabat. Vt Matth. inquit. Quid cauſæ? Prima. Vt per hoc omnibus notum ſit, quia non purus homo, ſed Deus homo moriebatur: Hier. Cum ima voce, imò ſine voce nos morimur qui de terra ſumus. ille verò qui de cælo deſcendit, exultando expirauit. Secunda. Quia Dominus moriebatur: Theoph. Et qui morti dominatur & præcepit, ſicut Dominus poteſtatiuè expirat. Addo tertiam rationem clamoris, vt dæmones in aëre tunc exiſtentes, cognoſcant ſanctam ipſius animam ad inferos deſcenſuram, omni tartareæ poteſtati denunciaturam, maieſtatem Dei debellantem inferos. Quare Theophil. Quid clamauerit, inquit Lucas. *In manus tuas commendo ſpiritum meum.* Per hoc enim nobis voluit declarare, quòd Sāctorum animæ in manus Dei aſcendunt. Nā prius ab inferis animæ omnium tenebantur, donec venit qui prædicauit captiuis remiſſionem. Ezechiel 37. *Ecce ego aperiam tumulos veſtros, & educam vos de ſepulchris veſtris, populus meus, & inducam vos in terram Iſraël:* Iſidorus de Summ. libro primo. cap. 29. *Inchoatio pacis Sanctorum eſt in hac vita non perfectio. Tunc autem erit plenitudo pacis, dum ad Dei contemplationem abſorptâ carnis infirmitate conualuerint.* Recitat Surius die 7. Aug. Cùm B. Albertus de Ordine Carmelitarum ſanctiſſimè obijt, facta fuit concertatio inter clerū & fratres, num in ſepultura ipſius dicendum eſſet ſacrum de defunctis an verò de vno confeſſore, & ecce in aëræ duo Angeli ſpecie puerorum venuſtorum amicti ſtolis albis auro intertextis, *Os iuſti meditabitur ſapientiam,* cantandum eſſe denunciârunt. Me hercule, cognitâ manu & gratiâ Saluatoris mundi in limbo à patribus, iucunditatis cantum & laudis inchoârunt. *Ecce aduenit Dominator Dominus & regnum eius & imperium. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. &c.*

B. Albertus Carm.

DOMI-

DOMINICA II. ADVENTVS.

Tu es qui venturus es. *Matth. 11.*

Dominus enim venit tripliciter. Venit ſecundùm tempus præteritum, per carnis noſtræ aſſumptionem. Venit ſecundùm præſens tempus, per gratiæ infuſionem. Veniet ſecundùm futurum tempus, per judicij diſtrictionem. Ad præſens aduentum per gratiæ infuſionem tangemus. Nam collecta de hoc. Vt mentis noſtræ tenebras gratiâ ſuæ viſitationis illuſtret, *& Euang. de Ioanne, qui interpretatur gratia, ſeu in quo eſt gratia.*

Quid Dominus in homine per gratiam veniens operetur.

Chriſtꝰ cæcitatem animæ tollit.

Res Sex. De quibus in Euang. dum de cæco, ſurdo, claudo &c. dicitur. 1. Cæcos illuminat. Quos enim ſuperbia excæcauerat, per humilitatem illuminat. Superbia enim & gloria vana, eſt quaſi fulmen excæcans oculos animæ. Sicut enim fulmen quandam breuem claritatem habet, ſed tamen teneris creaturis valdè nociuam, ita qui in ſæculo lucere volunt per elatam ſuperbiam, pauperes incendunt. Pſal. 9. *Dum ſuperbit impius incenditur pauper.* Quos ergò cæcauerat elatio, Dominus per humilitatem videre fecit. Humilitas enim eſt oculus animæ, per quam homo conditionem ſuam ac ſtatum veriſſimè recognoſcit. Bern. *Humilitas eſt virtus, quâ homo veriſſimâ ſui cognitione ſibi ipſi vileſcit.*

2. Claudis reſtituit greſſum. Auaritia enim claudos facit, charitas greſſum recuperat. 2. Reg. 4. Ionathas filius Saul, habuit quinquennẽ filium Miphiboſeth, qui cecidit ex brachijs nutricis ad terram, & claudus factus vtroque pede. Ionathas interpretatur columba veniens, ſignificat Iesvm Chrisstvm qui veniens in hunc mundum ramum virentis oliuæ pacem & miſericordiam portauit in hunc mundum. De pace: *Pacem relinquo vobis* Ioan: 14. & *Miſericordiã* Luc: 9. Cùm Samaritani Iesvm noluerunt ſuſcipere in hoſpitium, Iacobus & Ioannes dixerunt: Domine vis dicemus vt ignis deſcẽdat de cælo & conſumat illos? Et conuerſus increpauit illos & dixit: Neſcitis cuius ſpiritus eſtis. Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſaluare. Chriſti ergò filius noſtri Jonathæ, eſt quilibet Chriſtianus, ex brachijs nutricis, id eſt, diuinæ prouidentiæ, dum cadit, diffiden-

ſidendo, claudus efficitur, vt ſi non perueniat ad DEVM & cælum, vel quando circà terrena conquirenda, nimis ſolliciti ſumus, quia tunc affectum in Deum & proximum amittimus. Auarus autem nec Deum nec proximum diligit. Talis claudus vocatur Miphiboſeth, quod interpretatur os confuſum. Tales enim confundentur auari in die judicij. Dicet eis: *Eſuriui & non dediſtis mihi manducare.* 2. Matth: 25. Quos ergò auaritia claudos fecerat, Dominus per charitatē animæ greſſus recuperat; charitas etiam facit Deum diligere, contemnere temporalia, appetere ſempiterna. Vnde Proſper: *Charitas eſt vt mihi videtur, recta voluntas ab omnibus terrenis & præſentibus prorſus auerſa, iuncta Deo inſeparabiliter & vnita.*

3. Leproſos curat: Luxuria lepro ſam, fætidā, immūdam facit animā; & ille per caſtitatem eam purificat & emundat. Vnde medici: Lepra eſt membrorū corruptio ex humoribꝯ putrefactioni habilibus effecta. *Lepra 4plex.* Eſt autē quadruplex ſpecies lepræ, in cute, in capillis, in veſte & domo. Primam mulieres habent, quæ cutem deliniunt, Hieron: ad Furiā: *Quid facit in facie purpuriſſimum & ceruſſa?* quorum alterū luborē mentitur genarum & labiorum, alterum candorem oris & colli. Ornatus iſte non Domini eſt: velamen iſtud Antichriſti eſt. Quâ fiduciâ erigit ad cælum vultus quos conditor non agnoſcit. In crinibus lepra apud viros & mulieres: Hier: Capillis alienis verticem & occiput ſtruunt, & quæ crines ſuos forſitan canos citrino ſeu croceo colore colorānt, quæ etiam crinibus ſuis aureas zonas intorquēt 1. Petri 3. *Mulierum non ſit extrinſecus capillatura, aut circumdatio auri.* Et ad Tim: 2. *Non ornēt ſe mulieres intortis crinibus aut margaritis.* In veſtibus lepra apud viros & mulieres, puta ſuperfluitates nodorum aureorum, argenteorum & qui habitus non congruit pænitentiæ, propter quam filios Adæ poſuit in mundo Deus, & veſtiuit parentes eijciendo de paradiſo Geneſ: 3. *Tunicas pelliceas.* Domi lepra, in thalamis vbi laſciuas depingunt imagines, ſeſe amplexantes &c. Eos igitur Dominus per caſtitatem à libidine emundat.

4. Surdi animæ auditum reſtituit. Surdos mundi vanitas fecit, reſtituit per cognitionem veram inſtabilitatis mundi. Vnde non poterant audire verbum Dei. Iſa: 42. *Quis ſurdus, niſi ad quem miſi nuntios meos prædicare & eos audire recuſat.*

5. Deſperatos de venia, reſuſcitat per ſpē miſericordię. Sicut æger eſt in periculo à medicis deſperatus; ita deſperatio veniæ, periculoſa eſt animæ. 2. Regum 2. dicit Abner ad Ioab. An ingnoras quam periculoſa eſt deſperatio? Tanta miſericordia eſt DEI, vt peccata reſpectu ipſius ſint vna gutta reſpectu maris, vel ſcintilla in medio mari.

6. Pauperes euangelizare facit. Confidentia vitæ longæ pauperem fecit animam, ſed per memoriam & metum mortis, & deſiderium regni cæleſtis ad inquirendum ſtudium bono-

bonorum opérum admonet & confortat. Eccleſ. 9. *Quodcunque poteſt manus tua facere, inſtanter operare; quia nec opus nec ratio apud inferos eſt quò tu properas.*

ADNOTATIONES.

PRo primo bono. Auguſt. ſuper Gen. ad lit. *Omnis anima aut Chriſti ſponſa, aut diaboli adultera eſt.* Equidem animæ patria DEVS ipſe eſt, ſicut idem in Solliloq. ait, ſed recedendo à DEO per ſuperbiam, fit adultera diaboli. Non enim datur medium inter ſummũ bonum quale eſt DEVS, & inter ſummum malum, qualis eſt per ſuam obſtinationem & hoſtilitatem in hominem, diabolus. Vnde ſi ab vno anima recedit, ad alterum accedit. Prou. 6. *Homo apoſtata vir inutilis graditur ore peruerſo, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum, & omni tempore iurgia ſeminat.* Reparat ergò animã in quam intrauerit verbum DEI, & dicit: *Noli intrare in Ægyptum*: Ier. 42. *ſalua animam tuam, & noli reſpicere poſt tergum, nec ſtes in omni circa regione, ſed in monte ſaluum te fac, ne tu ſimul pereas*. Gen. 19. Auguſt. de doctr. Chriſt. O anima Chriſtiana euigila, & Domini tui imitare veſtigia. Conſidera quot millia Martyrum tritam tibi fecerunt viam: tranſierunt Virgines, tranſierunt Martyres, tranſierunt pueri & puellæ. Docet te ille, qui eſt Via, Veritas, & Vita. Via non errans, vita non deficiens, veritas non fallens: vita non deficiens, via in exemplo, veritas in promiſſo, & vita in præmio. Profectò à cæcitate mentis nemo reducere poteſt, niſi DEVS, qui dedit mentem. Pharao ad verba Moyſi perorantis ad ipſum pro populo à DEO, tam ſuperbè cæcus factus reſpondebat. *Quis eſt DEVS veſter vt audiam illum? DEVM veſtrum neſcio; & populum non dimittam.* Cùm verò multis plagis attritus fuiſſet cum regno, ad humilitatem redijt & dixit. *Peccaui coram Domino DEO veſtro, verumtamen rogate vt mihi indulgeat.* Pſ. 77. *Cùm occiderent eos quærebant eum.* Quò non vertit ſuperbia linguam, oculos, manum! M. Druſum Tribunum Val. Max. lib. 9. cap. 5. deſcribit. Vocatus erat à ſenatu ob crimen vt compareret, & ille, quare non potiùs ipſe in Hoſtiliam propinquam Roſtris ad me venit! Imperium ſenatus deſpexit Tribunus. Talem igitur ſuperbiam & cæcitatem mentis Verbum in cor hominis veniens curat. Erit ergò medicina animæ, credere Chriſto.

Pro. 2. bono. Eccl. 10. *Auaro nihil eſt ſceleſtius.* Vultis rationem? Vnam dat idem Salom: Prou. 15. *Conturbat Domum ſuam qui ſectatur auaritiam.* Quem ille non conturbabit, ſi Domum ſuam conturbat? Qui ſibi nequam, cui bonus? Alteram dat Jer. 22. *Tui oculi ad auaritiam?* Vis ſcire conſequentiam? addit ille. *Et ad innocentem ſanguinem fundendum, & calumniam & cauſam mali operis.* Aug. de lib. arb. Cùm auaritia alicui dominatur, ſubjectus malis omnibus demonſtratur, quia de auaritia omnia mala oriuntur, & peccatorum omnium ſpinæ producuntur. Cùm Iero- *Auaritia.*

Ieroboam fecit ſe Regem Iſraël 3. Reg. 12. Statim prohibuit, ne populus deſcenderet in Hieruſalem ad adorandum in templo DEVM, ſed fecit fieri duos vitulos aureos, quos præbuit adorandos dicens. Hi ſunt dij tui Iſraël, qui te eduxerunt de Ægypto, hos adorabitis. Quæ obſecro cauſa prohibitionis & vitulorum? Auaritia. Timebat enim regnum ſuum minui, ſi populus aſcendiſſet in Hieruſalem. Verè claudus erat ad DEVM adorandum venire. Curat igitur verbum veniens in animam à tali claudicatate. Greg. homil. 33. ſuper Euang. *Bonorum autori aliter inhærere non poſſumus niſi cupiditatem à nobis quæ omnium malorum radix eſt, abſcindamus.* Innocentius de vilitate conditionis humanæ. *Auarus offendit Deũ, proximum, & ſeipſum.* Nam Deo detinet debita, proximo denegat neceſſaria, ſibi ſubtrahit opportuna: Deo ingratus, proximo impius, ſibi crudelis. Curat igitur Chriſtus tantam clauditatem, per auaritiam charitate. *Auaritia nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos* Epheſ. 5. *Nam auari regnũ Dei non poſſidebunt.* 1. Corinth. 6.

Pro 3. bono. Auguſt. de doctrina Chriſtiana. *Luxuria eſt inimica Deo, inimica virtutibus.* Declarat hoc Gregorius in Moralibus. *Ex quo luxuria ſemel mentem alicuius occupauerit, vix eum bona cogitare permittit.* Sunt enim deſideria viſcoſa, quia ex ſuggeſtione oritur cogitatio, ex cogitatione affectio, ex affectione delectatio, ex delectatione conſenſus, ex conſenſu operatio, ex operatione conſuetudo, ex conſuetudinẽ deſperatio, ex deſperatione peccati defenſio, ex defenſione gloriatio, ex gloriatione damnatio. Gen. 15. *Cùm occubuiſſet ſol, facta eſt tenebroſa caligo, & apparuit clibanus fumans & lampas ignis tranſiens per diuiſiones cadauerum.* Vbi ex anima ſol Chriſtus recedit, caligo occupat rationem, fumant carnis deſideria, accenditur caro, moritur fitque cadauer per libidinẽ & luxuriam. Fætet Deo Angelis & iuſtis fœdiùs quàm lepra, homo luxurioſus. A tali lepra curat ipſe Chriſtus. Nam facilior eſt tranſitus de virtute ad luxuriam, quàm à luxuria ad virtutem. Idcircò operâ Dei opus eſt. Præcipuè, quia extrema eſt libidinis turpitudo, quæ non ſolùm mentem effæminat, ſed corpus eneruat, maculat animam, fœdat perſonam. Quod etiam Val. Max. in Annibale conſcripſit lib. 9. Quid his fœdius! quid damnoſius? quibus virtus atteritur, victoriæ languescunt, ſopita gloria in infamiam conuertitur, animi pariter & corporis vires expugnantur. Pernicioſius ne ab ijs quàm ab hoſtibus capi, tu intellige.

Luxuria Deo inimica.

Pro 4. bono. Amico ſine veſte dictum *Quomodo huc intraſti?* vbi veſtis nuptialis? *Ligatis manibus & pedibus mittite in tenebras exteriores.* Cuius ſunt verba in hac parabola? Dico, ipſe effectus, demonſtrat quod ſunt mundi. Mundus enim clamat in hominem iam iam morientem. *Quomodo huc intraſti?* vbi veſtis nuptialis? Ligatis manibus & pedibus mittite ſub terram in tenebras. Dicet & Deus

Mundi præmium quale.

eadem

eadem verba mundano homini, vanitatē amplectenti. *Hinc Euſeb. Emiſſ. ſerm. de Aſcen.* Cum humilitatis magiſtro, non aſcendit ſuperbia; cum bonitatis auctore, malitia; cum pacis amico, diſcordia; cum filio Virginis, libido & luxuria. Chriſtus te reuocat ab hac vanitate. *Cypr. de Aſcenſione.* Jn eo quod nos filij ſumus, DEVS nos poſſidet: in eo quod noſter eſt DEVS, ipſum cuius proprij ſumus, propriè poſſidemus. Ergò homo cuius eſt DEVS, quid ampliùs quæris? ſi ſufficis tu DEO, DEVS ſufficiet tibi. Bonorum tuorum DEVS non indiget, nec conferre ei potes quidpiam, nec auferre. Te ſolum bonitate non neceſſitate deſiderat. Gen. 25. *Abraham dedit munera filijs concubinarum.* Cur tantum malum filiorum non tacuit Scriptura? Quia myſterium non erat tacendum. Abraham enim ſignificat Chriſtum, munera promittit filijs concubinarum huius mundi, ſi recedent à mundo, dabit eis hæreditatē Iſaac. Matthæi 7. *Vos eſtis gaudium meum.* Si enim conſiderabimus quanto odio contempſerunt mundum, & amauerunt cœlum Sancti, dicemus liberè. Nemo amatorum huius ſæculi, ita pendent in res huius ſęculi, ita mundum hunc deperit, tanta pro voluptatibus, diuitijs, & honoribus eius paſſus eſt, quanta fecerunt & paſſi ſunt illi pro cœleſtibus.

DEVS poſſeſſor.

Pro 5. bono. Gen. 4. Dixit Cain ad Dominum. *Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear.* Abhorre Cain, & cum Ezech. 36. lege. *Tu ergò fili hominis dic ad domum Iſrael, Sic locuti eſtis dicentes: Iniquitates noſtræ & peccata noſtra ſuper nos ſunt, & in ipſis tabeſcimus. Quomodo ergò viuere poterimus?* Audi Chriſtum dicentem: *Ego ſum Via, Veritas, & Vita.* Ad Epheſ. 1. *Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius & plenitudo eius.* Auguſt. in Pſ. 50. *Nemo diffidat, nemo veterum conſcius peccatorum præmia diuina deſperet; nouit Dominus mutare ſententiam, ſi tu noueris emendare delictum.* Et in lib. de vtilit. pœnit. *Nemo deſperet, Iudam traditorem non tam ſcelus quod commiſit, quàm indulgentiæ deſperatio, fecit penitus interire Cain, cùm occiſus fuit à ſagitta Lamech, non verò ab alio!* Dicam: Medicinam deſperatis porrexit Dominus, nam in tanto peccato, non ad deſperationem Cain, ſed ad pœnitentiam conuerti debuit. Vnde à Lamech, ceu doctore cæleſti inſtructus deſperatus de venia. Lamech enim interpretatur pauper & humilis, ſi per peccatum ſpoliatus es, & factus es pauper in diuitijs animæ, recurre ad humilitatem. Aliàs in te deſperantē emittet ſagittas. Pſ. 109. *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi, ad linguam doloſam,* quaſi ſcilicet dixiſti: *Maior eſt iniquitas mea?* Sagittæ potentis acutæ apponentur tibi. Curat ergò reſuſcitando à morte deſperationis, reuocando in memoriam miſericordiam.

Non deſperandum in Deo.

Pro. 6. bono. Prou. 1. *Quia vocaui & renuiſtis, extendi manum meam & non fuit qui aſpiceret, ego quoq; in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo cum vobis id quod timebatis aduenerit.* Iſidorus: Qui vult de peccatorum remiſſione ſecurus eſſe in hora mortis, faciat pœnitentiam cum ſanus eſt, & tunc iniquitatem

Differre pœnitentiā malum

tatem ſuam plangat. Sed qui malè vixit & pœnitentiam in hora mortis agit, certum eſt quod in ſummo verſatur periculo. Quemadmodum enim eius damnatio eſt incerta, ſic ſalus eius eſt dubia. Ita profectò. Nam Matth. 25. Virginibus fatuis pulſantibus, Domine aperi nobis, dictum, *Neſcio vos.* Caietanus, Caueamus nobis, ne ob id ſolúm quod pænitentia quæ ad mortem vſq; prorogatur, non ſit ſecura. Hugo de S. Victore lib. 2. de ſacram. *Difficile eſt vt in articulo mortis vera ſit pænitentia quando tam ſera venit.* Quando enim cruciatus membra ligat, & dolor ſenſum opprimit, vix homo aliud cogitare poteſt. Valde ſuſpecta debet eſſe pænitentia, quæ coacta videtur eſſe. Si non facis dum potes, manifeſte oſtendis quod non vis. Hîc filij Iſraël in lib. Exodi ducti eſſe dicuntur in terram promiſſionis, ſed poſtquam irent per viam maris rubri, & tranſierunt de loco in locum per deſertum ignis. Ita in terram promiſſionis gloriam æternam ducet nos Ioſue noſter IESVS, vbi pænitentiam cum pudore peccatorum & lachrymarum amaritudine vt mare, de annis, ad annos vſq; ad diem mortis, traduxerimus. Sic igitur adueniens verbum in animam curat pauperes, vt euangeliſare poſſint.

Quod eſt ſignum, quod homo Dominum receperit per gratiam.

PRimum. Quando homo non agitatur vento vt arundo. *Quid exiſtis videre? Arundinem vento agitatam?* Arundineus eſt homo, quando vento proſperitatis cedit ad dextram, aduerſitatis ad ſiniſtram: Num. 20. *Obſecramus vt nobis tranſire liceat per terram tuam, non ibimus per agros, vineas, non bibemus aquam de puteis tuis ſed gradiemur viâ publicâ, nec ad dexteram nec ad ſiniſtram declinantes.* Mundum quia à Diabolo multiformiter trucidatus eſt, tranſire debet, nec per immoderatam lætitiam, nec per deſperatam triſtitiam. Arundo exterius ſolida, interius vacua. Corporis certè pulchritudo, membrorum fortitudo, linguæ facundia, ſæculi ſapientia, & cætera quibus raro merentur; ſæpius demerentur, gratiæ ſunt hominis arundineæ contra quod Apoſt. 1. Cor. 6. *Hortamur vos ne in vacuum gratiam DEI recipiatis.*

2. Signum ſi mollibus non veſtiatur. Talis eſt qui molliter non viuit, ſed qui carnem ſuam crucifigit cum vitijs & concupiſcentijs, ad Gal. 2. *Chriſto confixus ſum cruci: Viuo ego, jàm non ego.* Non abijcio gratiam Dei. Abijcerem ſi mollibus veſtirer. *Mollibus veſtiri* Vnde de Ioanne Chriſtus, ille in quo eſt gratia non eſt mollibus veſtitus, ſed habuit veſtimentum de pilis camelorum Matth. 3. Anima intùs molli debet veſtiri veſtitura, caro vero duris laboribus operiri. Vnde & tabernaculum intrinſecus veſtiebatur precioſis; extrinſecus vilibus & aſperis.

3. Signum. Quod ſit propheta. Talem enim vocauit Chriſtus Ioannem. Et ſi recepit homo gratiam

Pro-

Propheta homo. Propheta eſt. Nam animæ ſuæ prædicie ac prænunciat aduentum Domini ad iudicium. 1. Cor. 4. *Nolite ante tempus iudicare, quoadusq; veniet Dominus qui illuminat abſcondita tenebrarum, & manifeſtat conſilia cordium, & tunc laus erit vnicuiq; à DEO.* Ibi enim bona collaudabuntur, mala vituperabuntur.

4. Signum. Quòd ſit plùs quàm Propheta. Talis eſt qui prædicit animæ ſuæ quod conſolationem inueniet in futuro ſæculo, ſed qui jam recipit etiam in præſenti Pſ. *ſecundùm multitudinem dolorum, conſolationes in corde lætificant animam meam.*

ANNOTATIONES.

PRo primo ſigno. Greg. hom. 6. *Arundo, ille animus eſt, qui fauore & detractione tangitur, & mox in partem quamlibet inclinatur.* Sed Ioannem à ſtatûs ſui rectitudine nulla rerum varietas inflectebat. Signum ergò quòd homo receperit gratiam, cùm immobilem in Deo amorẽ, affectum, voluntatem, & memoriam retinet. Vnde Iſid: De ſumm. lib. 3. c. 17. *Sancti viri funditus ſeculo renuntiantes*, ita huic mundo moriuntur, vt ſoli Deo viuere delectentur, quantoq; ab huius ſæculi conuerſatione ſe ſubtrahunt, tantò internæ mentis acie præſentiam Dei & angelicæ ſocietatis frequentiam contemplantur. Sed licet ratione ſanctitatis perfectionis & perſeuerantiæ piè viuentium in ſæculo clarum ſit, quod arundo vel calamus aquaticus non ſint, veruntamen lectorem Eccl. 1. aggrauare legitur. Quis ſcit, ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſi ſpiritus jumentorum deſcendat deorſum? Non quidem eſt ſermo de jumentis ipſa anima ſenſitiua præditis, ſed de homine vitam animalem tantùm agente, ſicut Pſa. loquitur. *Comparatus eſt iumentis & ſimilis factus eſt illis.* Eſt igitur ſenſus Eccl. quis ſcit ſi rectè & piè viuentes in ſæculo Chriſtiani aſcendent in cœlum, & inuirtuosè infideliterq; viuentes deſcendant ad inferos? O Devm, judicijs ſuis abſconditum, Tua eſt Prophetia, tuus ſermo. Poteſt hoc ſecundùm occultum & particulare judicium tuum nonnunquam hic ordo inuerti, vt ſanctè viuentes deſcendant deorſum, & ſpiritus vt iumenta viuentes, aſcendant ſurſum. Secura tamen & generalis doctrina eſt; benè viuentem, mortem habiturum beatam. Dicebat Samuel ad Iſa. 1. Reg. 16. Ego non corporis pulchritudinem, apicem facio regalem, ſed animi virtutem. Vndè meritò generalis regula ex ore loquentis ad Prophetam Samuelem Dei deducitur. Beatè viuentem, vita beata ſpectat.

Pro ſecundo ſigno. Inter Politicos Gnomon eſt. Veſtis teſtis, quantùm eſtis. Hominis quidem ſpiritualis & ſecularis, diuitis & pauperis, viri & mulieris, ſapientis & ſtulti, teſtis veſtis eſt, quantùmq; eſt teſtatur. Eadem veſtis in ſacris ſcripturis teſtatur quantùm quis eſt. Aug. in Regula. *Hinc vos probate quantùm vobis deſit in interiori habitu, ſi pro habitu corporis litigatis.* Pſ. 108. *Induit maledictionem*

[library stamp]

ctionem ſicut veſtimentum. Comparando maledictionem cum veſtimento, docuit veſtimentum quandoq; maledictionem eſſe. Auguſt. lib. 3. de confid. Veſtrum curioſitas, deformitas mentium & morum indicium. Nec aliud Greg. in Regiſt. *Habitus exterior clarus, cum mentis prauitate eſt accipiendus.* Quocirca D. Ioan. veſtitus pilis cameli & in zona pellicea, non verò in clara & curioſa veſte legitur in Euangelio. Quo circa ſi Ioan. gratia interpretatur, ille qui parat animum ad recipiendam gratiam, non mollibus veſtiri debet. Vnde Dominus Moyſi. *Veniam ad te in caligine nubis.* Non claritas requiritur in eo qui Chriſtum per gratiam ſuſcipere debet, nam claritas ipſius etiam conſcientiæ hominis, donum Dei iuſtificantis eſt, quare propriè homo in tam clarâ veſte, ceu ſuæ, obuiare venienti Deo ad ſe, non poteſt; ſed requiritur vt in humilitate & contemptu ſui, ſuſcipiat Devm. Vnde dicit. *Veniam ad te*, ſed conditio ſine qua non, ſi fueris non in ſplendoribus, ſed in caligine humilitatis. *Ad quem aſpiciam niſi ad pauperculum & trementem ſermones meos.* Vnde D. Petrus. *Humiliamini ſub potenti manu DEI vt vos exaltet in die tribulationis.* D. Adalbertum Gneſnen. Archiep. in Regno Polon. aliquando dicentem plurimi maturè ponderarunt. *Facilè eſt geſtare pedum, ſed difficile eſt reddere rationem.*

Pro tertio ſigno. Licet Prophetarum ora os Dei ſunt, non tamen omninò indè ſequitur, quòd gratia Dei ſit omnibus in prophetis iuſtificans. Dicitur enim. *Multi dicent in illa die; nonne in nomine tuo prophetauimus?* Et audient. *Non noui vos.* Vnde Greg. 26. Mor. Non omnes prophetæ ſanctitatis metam attingunt. Sed Ioannes adhuc in vtero matris ad vocem B. V. Mariæ Eliſabetam ſalutantis gratiam iuſtificantem ſibi eſſe collatam, & dono prophetiæ cumulatam, exultatione de Aduentu filij Dei in carne ſignificauit, cuius vtriuſq; excellentiâ, poſteà & Ioannis vita auſtera humilitate admiranda, vitiorum conſtanti & libera, reprehenſione & ad præparandam viam Domino efficaci exhortatione oculos hominum in ſe conuertit & corda ſtupore impleuit. Iſta ſunt ſigna prophetiæ cum gratiâ juſtificante coniunctæ.

Pro 4. ſigno. Prophetia plus eſt quàm ſignum inquit Chriſ. Nam licet ſignum poteſt ſignificare præſens, vt coronæ expoſitæ ad vinum; præteritum, vt monumentorum ſtatuæ & vexilla; futurum, vt memorialia; attamen fortius & plus mouet prophetia, quàm ſignum. Gratiæ ergo licet ſit in homine ſignum prophetia, plus tamen prophetia in verè ſancto homine erit ſignum gratiæ, quia cum gratia iuſtificante gratia gratis data prophetiæ eſt coniuncta. Vnde dicitur de S. Ioan. *Eſt pluſquam Propheta*, quia non ſolùm prædixit Chriſtum, ſed digito demonſtrauit. Erit ergo gratiæ exiſtentis præſentialiter in homine plus quàm ſignum prophetia, quia præſentem Devm in homine

per gratiam & verbi, & facti, demonſtrat, & futurum promittit. Hinc Iſid. Qualem quis conſcientiam tulerit, talem & iudicem habebit, erit mitis electis, terribilis reprobis. Hoc igitur ſibi prænuntiant illi qui in ſe habent gratiam Dei, quod in iudicio erit illis Chriſtus plus quam mitis, erit vt erat ad occiſionem ductus, ouis; reprobis vero erit, Leo.

DOMINICA III. ADVENTVS.

Medius veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis, cuius non ſum dignus corigiam calceamenti ſoluere. Ioan 1.

Quis ſit ille, quem Ioannes medium ſtare perhibet & affirmat.

RESP. Eſt filius Dei. Gloſ. Medius ſtetit. Id eſt, præſens vobis apparet corpore. Addit. Euang. Ioan. Altera die vidit Ioan: IESVM venientem ad ſe; & ait. Ecce agnus DEI, ecce qui tollit peccata mundi. Hic eſt de quo dixi; poſt me venit vir, qui ante me factus eſt.

NOTATIO.

Medius Chriſto tripliciter. DE Chriſto ſermo, qui medius eſt tripliciter, vt doctor, mediator, conſolator. Erat medius inter Phariſæos, vt doctor. Nam quibus viſibilis erat corpore, erat inuiſibilis maieſtate & cognitione. Phariſæi enim ſe ſcire ſcripturas putabant, ſed eas non intelligebant. In quantum ergo prænunciabatur Dominus in ſcripturis quas ſciebant, erat medius in eis; in quantum ſcripturas non intelligebant, neſciebant eum. Erat ergo medius inter eos vt Doctor & Magiſter per ſacras ſcripturas. Medius vt mediator inter DEVM & homines, volebat enim Chriſtus Phariſæos DEO conjungere, inquit Theop. ſed ipſi neſciebant eum. Quia expectantes Chriſti aduentum nihil tam arduum de illo contemplabantur, ſed ſolum hominem ſanctum eſſe exiſtimabant. De tali mediatione, 1 Tim. 2. *Mediator DEI & hominum, homo Chriſtus IESVS.* Medius vt conſolator. Cor enim quod in medio corporis humani inſitum eſt, tenet in medio verbum DEI, quod illos conſolatur, ſanctificat, ipſis cooperatur. Gen. 2. lignum vitæ poſitum in medio paradiſi. In corde enim iuſti Chriſtus conſtitutus, non prohibet vſum ligni vt in terreſtri paradiſo prohibitum erat, ſed ſe dat in vſum. Hinc D. Thom. *Se naſcens dedit ſocium. Conueſcens in edulium, ſe moriens*

riens in pretium, ſe regnans dat in præmium. Addidit quidam ad florem qui ſolem ſequitur. lemma. Hoc me ſibi temperat aſtrum, ſi ſolem licet dicere aſtrum, eo quod aſtris ſubminiſtrat lucem, certè à nobiliori Chriſtus qui dicitur Sol, aſtrum vocabitur, quod in medio noſtri exiſtens ſociat nos ſibi, *Tunc mei eritis diſcipuli, ſi dilectionem adinuicem habueritis*, Et Io. *Manete in me & ego in vobis*.

Stare Ieſum cur dictum eſt!

Iacere inter iumenta. QVia variè deſcribitur IESVS. 1. IESVS jacuit in medio iumentorum. *Reclinauit eum in præſepio.* Abacuc 3. cap. *In medio duorum animalium cognoſceris.* In quo humilitas notatur Saluatoris. Induit diuina maieſtas corpus, & vagit in ſtabulo. Prou. 29. Superbum ſequitur humilitas, & humiles ſpiritu ſuſcipiet gloria. *Qui ſe humiliat exaltabitur, & qui ſe exaltat humiliabitur.* Vidi impium exaltatum, tranſiui & non erat, nec locus inuentus eſt eius.

2. Sedit in medio Doctorum, per hoc inuitauit nos ad ſtudium veræ ſapientiæ, ſcilicet Timorem DEI. Eccl. 1. *Plenitudo ſapientiæ timor Domini.* Diſcenda hæc ſapientia, tum quia qui timent dominum cuſtodiunt mandata eius, tum quia timenti Dominum bene erit, & in diebus conſolationis illius benedicetur. Ad adiſcendam vero hanc ſapientiam debemus fugere tabernas, & Eccleſias frequentare, Eccl. 6. In multitudine proborum prudentium ſta, & ſapientiæ illorum ex corde coniungere, vt tu narrationem DEI poſſis audire.

3. Stetit in medio latronum. Ioan. 19. *Alios hinc & hinc, medium autem IESVM* Lucas. Inter nequam latrones, quaſi nequam ſceleratior illis. Docet patientiam, dum nos verbis, factis aliqui indebitè grauant. Aliâs delicati milites erimus, ſi regnare cum Chriſto volumus, & nihil pati.

4. *Stetit in medio diſcipulorum ſuorum* Io. 20. Inuitat ad charitatem & pacem. Charitas enim mater eſt pacis, Luc. 22. *Ego in medio veſtrum ſum ſicut qui miniſtrat.* Io. 13. *Si ego laui veſtros pedes* &c. vnde Apoſt. 2. ad Tim. 2. *Sectare charitatem & pacem cum his qui inuocant DEVM de corde puro.*

5. Ambulat IESVS in medio ſeptem candelabrorum aureorum. Apoc. 1. *Vidi in medio candelabrorum aureorum ſimilem filio hominis veſtitum podere, & præcinctum ad mamillas zonâ aureâ, & facies eius ſicut ſol lucet in virtute ſua.* Addit. cap. 2. *Scio opera tua & laborem & patientiam tuam.* Septem candelabra ſunt ſeptem Eccleſiæ, id eſt, ſeptem congregationes beatorum, Angeli, Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, Confeſſores. Nam ſicut candelabra tenent candelas, ita hi lumen gloriæ à S. Trinitate receperunt, & per totum palatium cæleſte relucent. Inter ea ambulat filius DEI podere, humanitate puta veſtitus, zonâ id eſt charitate præcinctus, lucet vt ſol in ſua virtute lumine diuinitatis, ambulat inter ea, admini-

miniſtrans electis iucunditatem & exultationem, iucunditatem ob dotem animæ jam collatam, exultationem ob dotem corpori promiſſam. Ecl. 15. *Iucunditatem & exultationem theſauriſabit ſuper eum.* Conſolabitur ſic. Scio opera tua quæ in meo ſeruitio expedíſti, ſcio laborem quo proximis tuis deſeruiſti, ſcio patientiam, per quam aduerſa mundi ſuſtinuiſti.

NOTATIONES.

PRima, pro ſtabulo, Pſal. 10. *Dominus in templo ſancto ſuo. Dominus in cœlo ſedes eius.* Cur cœlum præſepio per mutauit? cur relicto templo habitat in ſtabulo, & inter duo animalia? Nota homines deuotos in extaſim raptos & alienos à ſenſibus fieri. Ceu extaticus factus DEVS homo ob nimium humanæ naturæ amorem, & humilitatis ſuæ immenſæ contemplationem. Gen. 9. Noë poſt diluuium bibit de vino & mente captus, nudatus iacuit, & à filio irriſus fuit. Ridiculum certè multis hominibus talis DEI natiuitas, præſepe & ſtabulum; ſed captus amore DEVS, vt quandam inſaniam ipſius diceres, ſpeculando quæ pro homine fecit. Hinc Philoſophi mundi, prædicationem Euangelij eſſe furorem & inſaniam quandam, hominum fanaticorum exiſtimabant. Guerricus Abb: ſer. 3. de nat. Dom. *Quàm felix, quàm amabilis natiuitas tua puer IESV? quæ natiuitatem omnium emendat, conditionem reformat, præjudicium ſoluit, chirographum damnatæ naturæ reſcindit, vt ſi quem pigeat damnabiliter eſſe natum, poſſit fœliciſſimè renaſci.* O ſtabulum glorioſius omnium regum palatijs, in quo Chriſtus primam cœleſtis Philoſophiæ cathedram fundauit, vbi verbum DEI tantò altiùs clamat, quantò nos ſecretius admonet. Dominator Domine DEVS miſericors & clemens, patiens & multæ miſerationis, Exo. 34. Attonitus Moyſes figuram videns naſcituri domini dixit hæc. quid modo diceret, ſi in ſtabulo poſitum cerneret? 3. Reg. 19. Helias tranſeuntem vidit DEVM, & operuit vultum ſuum. Quid ſi non in maieſtate ſed in hac humilitate iacentem in ſtabulo vidiſſet, feciſſet ille? Non operiret vultum præ timore, ſed eleuaret palpebras oculorum vt videret, præ amore. Dauid rex vt vidit vnctum Salomonem, poſuit ſuper mulam eum & clamare juſſit. Viuat Rex Salomon. Vnctus eſt Chriſtus, in ſtabulo ſuper mulam ſedit naturæ humanæ quam ad ſuam diuinam perſonalitatem aſſumpſit, clamemus toto corde. Viuat rex Chriſtus verus Salomon.

2. Pro ſeſſione inter doctores. Omnia ſunt in proprio loco quærenda, piſces non in aëre, aues non in aquis, homines non in igne, ſed in loco ſibi conſtituto viuunt. Terram enim dedit filijs hominum. Vnde B: V. M. cùm poſt triſtitias amiſſi filij inuenit in templo ſedentem & diſputantem IESVM, inuenit eum in loco ſuo, nam templum eſt proprius locus DEI, vbi enim oratio auditur, ibi DEVS eſt. Hinc dicit. *Neſciebatis quòd in his quæ patris mei ſunt, oportet me*

 eſſe:

eſſe! ſicut triplici amore ſuperabat omnes B. V. M. naturæ, gratiæ, & juſtitiæ; ita dum amiſſim inuenit, & inuenit intemplo, & inter Doctores, & reſpondentem & quærentem iuuenit, lætitiâ ſummâ occupauit cor matris erga filium & filij erga matrem, auditores verò impleuit admiratio. Vidit Daniel pugnare quatuor ventos in mari magno. Dan. 7. & poſt vidit de mari exeuntes beſtias, ſicut leænam, ſicut vrſum, ſicut pardû, & quartum animal diſſimile his, cuius nomen ignorabatur, profectò qui auidierunt quærentem & reſpondentem Iesvm in illo tunc templo, plurimi admirando dicebant quis iſte! cuius filius! quæ patria! quæ cognatio! quomodo multa in tam paruo tempore didicit? obſtupeſcebant & dicebant: Eſt leo id eſt rex doctorum; eſt vrſus deſtruens vitia; eſt pardus variarum ſcientiarum: eſt animal inſcrutabile inter animalia rationalia omnes ſcientias & intellectus comminuens. Nam ſi annus duodecimus ipſius frangit intellectum intelligantium legem, qualis erit in anno altiori dum adoleſcentiam ſuperabit, dum virum repræſentabit: Dicebat Rex Iſrael Dauidi. *Non potes pugnare cum illo cùm puer ſis.* Cui Dauid, occidi leonem & vrſum, cùm vellent oues patris mei quas cuſtodiebam rapere. Puer erat Iesvs docens in templo ſcribas Phariſæos & legis peritos, ſed occidebat ex illis vrſum & leonem rapientem & diſcerpentem animas non ſano ab illis intellectu ſcripturarum obrutas. At magis eiuſmodi tam ſeuera animalia, ſignificabunt & exprimentn affectum Iudæorum audientium diſputantem puerum, & conuincentem eos: nam ſenes, judices, & legum tutores, confundendo, aliqui corde, aliqui ore leænam ferocem in puerum facile effremuerunt, aliqui vrſum minacem & iracundum expreſſerunt, alij pardo ſimiles, diuerſas machinationes contra ipſum ſuſtulerunt, alij dentes, confuſionem, blaſphemiam, rabiem, meditati fuerunt. At Iesvs, non perſonas nec malitiam conſpexit, ſed Dei patris mandatum cum humilitate amplexatus eſt. Hinc Iſid. lib. 3. cap. 41. Benè alieni peccati curanda vitia ſuſcipit, qui hoc ex cordis dilectione & humili conſcientia facit. Cæterum qui delinquentem ſuperbo vel odioſo animo corripit, non emendat, ſed percutit. Quidquid enim proteruus vel indignatus animus protulerit, obiurgantis furor eſt, non dilectio corrigentis.

Tertio de medio inter latrones nota. Dicitur Iſaiæ 4. *In die illa erit germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ in ſublimitate & decore.* Variam habet expoſitionem iſte locus ſcripturæ, ſed placuit de Chriſto inter latrones pendente intelligere. Illa enim crucifixionis hora, dies eſt qua eleuatus à terra, aëra purgauit à dæmonio, angelos ad ſe vocauit, latroni cælum donauit, legis veteris obligationem clauſit, & vt paucis dicam, germen domini Dominorum

ſe, hoc

ſe, hoc eſt filium Dei declarauit dicens, *Pater in manus tuas commendo* &c. & in magnificentia & gloria, cum ſol obſcuratur, petræ ſciſſæ, terra commota eſt. Tunc etiam fructus terræ de virgine aſſumptæ, in ſublimitate ſtando crucis, docorem aſſumpſit, dum ab eo fructu, nunquam diuinitas abſceſſit. *Benedictum eſt lignum per quod fit iuſtitia.* Aſſignauit enim præmium bonis ex eo, & decreuit pænam malis. Lex imperatorum Conſtantinopolitanorum erat, vt priuilegia & jura rubeo charactere notarentur. Signficabant, quod contrauientor jurium capite damnandus eſſet. Nouum ius conſtituebat inter latrones pendens Chriſtus, matri ſuæ reddebat filium Ioannem, & Ioanni matrem, ſitim extinguere, Myrrhato vino docebat, conſumationem rerum indicabat, morientibus peccata condonabat. Vitam interminatam inchoabat aliaq; plura legum decernebat, quocirca ſanguine, in manibus & pectore atq; in toto ſuo corpore indulta exarabat. Auguſt. Ipſa crux ſi attendas tribunal fuit; in medio enim iudice conſtituto, vnus latro qui credidit liberatus; alter qui inſultauit damnatus eſt, jam ſignificabat quid facturus eſſet de viuis & mortuis, alios poſiturus ad dextram, alios ad ſiniſtram.

Rubro priuilegia ſcripta.

4. De medio inter diſcipulos nota. De medio, pulchras reliquunt doctrinas ſcriptores. Medium tenuêre beati. Medio tutiſſimus ibis. Medium principij & finis. Cum in medio diſcipulorum Chriſtus ſtetit, pietatis, bonitatis, doctrinæ eſt myſterium. Aggæ. 2. *Veniet deſideratus cunctis gentibus.* Venit quoq; deſideratus Apoſtolis, & in medio ſtetit. Primò. Vt ab omnibus in communi videretur, qui ab omnibus expectabatur. Tertiò, vt omnibus ſolatiũ ſuæ præſentiæ exhiberet, Iſ. 51. *Ego ipſe cõſolabor vos.* Tertiò, vt ſine perſonarũ acceptione æqualem curam omnibus impenderet. Sap. 6. *Puſillum & magnum ille fecit, & æqualiter eſt illi cura de omnibus.* Quartò. Vt doceret viam mediam eſſe ſecuram. Iſa. 30. *Audient verba poſt tergum monentis, hæc eſt via, ambulate in ea, & non declinetis neq; ad dexteram neq; ad ſiniſtram.* Deut. 1. Ita paruum vt magnum audietis, quia Domini eſt iudicium. Iac. 2. *Nolite in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri* IESV *Chriſti.* In his authoritatibus docet medium ſeruandum, rectitudinem videlicet actionis, non reſpectum perſonarum. Prou. 3. *In omnibus viis tuis cogita illum & ipſe diriget greſſus tuos.* Quod nedum de greſſu pedum, ſed etiam de greſſu affectuum, operum, virtutum, intelligendum eſt. Sed plurimi deuiant ab hoc recto & medio. Dicitur, Num. 22. Cùm Moyſes deduceret ad terram promiſſionis populum & veniſſet ad terram Galaad, filij Gad venerunt ad Moyſen dicentes. Si inuenimus gratiam in oculis tuis, da nobis hanc terram in poſſeſſionem, habemus animalia & pecora multa, & terra hæc habet bona paſcua. Tu verò duc fratres noſtros ad terram quam daturus es eis, & nos

Medius inter Apoſt. Chriſtus cur?

Via recta uia promiſſionis.

& nos dimitte. Quibus Moyſes turbatus dixit. Quare vultis frangere vires fratum veſtrorum ne vadant ad terram quam dominus eis promiſit? nunquid fecerunt iſta Patres veſtri? Audiant qui à recto tramite rationis, ob concupiſcentiam, iram, elationem, diuitias, diſcedunt. Audiant qui mandata Dei, ob politiem mundanam, reſpectum vanitatis, temporis præſentis æſtimationem, derelinquunt, frangunt & interrumpunt vires ſuas, ne ad terram promiſſam ſibi in cœlis, perueniant. Audiant, qui parentum ſuorum mores, facta, religionem, ſinceritatem, amoremq; virtutum derelinquunt, & odio habent. Medius Chriſtus ſtetit inter Apoſtolos, mediam quoque viam tenete. Ier. 31. *Dirige cor tuum in viam rectam.* Oſeæ 14. *Rectæ viæ Domini, & juſti ambulabunt in eis,* Prou. 4. *Viam ſapientiæ monſtraui tibi, & duxi te per ſemitas æquitatis, quas cùm ingreſſus fueris, non arctabuntur greſſus tui, & currens non habebis offendiculum.* Quocircà duo congregati in nomine Chriſti, medium habent Chriſtum.

Media uia tenenda.

Pro ſeptem candelabris inter quæ ambulat. Nota. Qui apparuit in medio candelabrorum, erat filius hominis non in perſona, ſed repræſentatione. Angelus enim apparuit in ſimilitudine Saluatoris Ioanni, Chriſtum referens. Nam vt Beda, Primaſius & Hugo dicunt. Chriſtus reſurrexit immortalis, vnde non iam ſimpliciter hominem qui naturam dicit paſſibilem, ſed ſimilem homini intelligendum, & Angelus ob maiorem authoritatem ſimilitudinem aſſumpſit filij hominis, vt ſe demõſtraret Ioanni. Ille ergò qui ſedet à dextris patris, non videbitur in carne ab homine niſi in iudicio. Iob. 39. *Cùm ſederem quaſi rex circumſtante exercitu, eram tamen mœrentium conſolator.* Ambulabat quoq; Iesvs in medio Eccleſiarum, in conſolationem Ioannis & Eccleſiarum. Virga tua & baculus ipſa me conſolata ſunt, Virga corripiendo, baculus ſuſtentando, donec perueniamus ad Chriſtum recepturi mercedem. Phocas Tyrãnus cùm ad Heraclium electũ Imper. deductus fuit, dixit illi Heraclius. Sicciné Rempub. adminiſtraſti? Cui Phocas: Tuum erit eam rectius adminiſtrare. *Baron. lib. 8.* Nemo poteſt Eccleſiam Dei, iuxta mentem cœli adminiſtrare, niſi ipſe Pater cœleſtis docuerit ipſum, ſic enim nullatenus errare poteſt. Cùm verò Chriſtus ambulat in medio Eccleſiæ, portæ inferi non præualebunt.

In medio Eccleſiæ Chriſtus.

Eccleſia cur errare non poteſt.

Chriſtus venturus eſt in die judicij, vt ſedeat in medio agnorum & hædorum.

De hoc Matth. 25. *Cùm venerit filius hominis in maieſtate, & omnes Angeli eius cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis, & ſtatuet oues à dextris, hædos à ſiniſtris.* Oues Chriſtiani dicuntur, quia ouis humile eſt animal & humiliter ſuum alimentum decerpit, ita Chriſtiani ſunt humiles, contenti ſuis laboribus & iuſtis redditibus enutrire.

Chriſtus iudex.

Oues Chriſtiani boni.

Hæ-

Hædus verò ſcandit rupes, arbores, ad cibum. Sic mali Chriſtiani per iniuſtitias diuites fiunt, ambiunt mundi honores. Sedet in medio ad iudicium, bonos ad regnum, malos ad ſupplicium tranſmittet. Quocircà Ioannes negauit, quòd ſit Chriſtus, Helias, Propheta; quia hæc tria in iudicio erit Chriſtus. Requiruntur autem in judice iuſto tria. 1. vt habeat authoritatem iudicandi à ſuperiore. 2. habeat fortitudinem, vt iniqui non obſtent. 3. vt ſit ſapiens & prudens, quo nocentes cognoſcat.

In iudice tria requ.

Propter primum Iesvs dicitur Chriſtus, vnctus: Pater vnxit eum Regem terræ, & iudicem viuorũ & mortuorum. Ioan. 5. *Pater non iudicat quenquã, ſed omne iudicium dedit filio ſuo, vt omnes honorificent filium, ſicut honorificant Patrem.* Propter ſecundum, Iesvs vocatur Helias, qui interpretatur, robuſtus Domini. Pſal. 23. *Rex gloriæ fortis eſt & potens.* Et tam fortis eſt, vt ad nutum eius vt puluis impij diſpergentur. De illo Iſa. 40. *Qui menſus eſt pugillo aquas, cœlos palmo ponderauit, appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes, & colles in ſtatera.* 3. vt ſit ſapiens, diſcernens. Et ideò dicitur Propheta Chriſtus. 1. Reg. 9. Qui Propheta hodie, olim videns dicebatur. Chriſtus videt cogitationes nedum opera. Eccleſ. 42. *Non præterit omnis cogitatus Dominum, & non abſcondet ſe ab eo omnis ſermo, & non eget alicuius conſilio.*

Chriſtus potens.

Chriſtus videt omnia.

Adnotatio.

Apoſt. 1. Corinth. 9. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat quiſque propria corporis prout geſſit, ſiue bonum ſiue malum.* Quid eſt propria corporis? Præmia, pro bonis quæ geſſit, recipiet gloriam in corpore redundantem ſcilicet ex beata ſua anima: pro malis, pœnam condemnatæ animæ conuenientem ex iuſtitia Dei. Hæc mente tenentes excitemus nos metipſos, priuſquàm obumbremur, priuſquàm veniat dies Domini magnus & appareat, de quo Propheta dicit: Malach. 3. *Ecce veniet & quis ſuſtinebit?* Conſidera quæ nobis duplicia dedit Devs, oculos duos, aures duas, manus duas, pedes duos, linguam verò vnam & animam vnam. Vis ſcire rationem? Vt ſi alterum horum lædatur, per alterum conſoletur, ſolidetur, iuuetur homo. Linguam verò vnam dedit & animã vnam: vt hæc duo in maxima cuſtodia ne quando lædantur, teneamus. Et linguam quidem natura ipſa labijs & dentibus cuſtodiẽdo circumſepiuit; animam verò, ratio & memoria, ſedulo cuſtodire debuit. Quòd ſi anima lęſa per peccatũ mortale fuerit, nullum auxilium reſtat, ſed mors æterna & iudicium ſeuerum expectabunt. Non iuuat tunc dicere ante iudicem. Pecuniæ me allexerunt; nam dicet iudex: Non audiſti? Quæ vtilitas ſi quis totũ mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Si dixeris, caro me ſeduxit. Dicet ille. Vtrumque igitur in ignem æternum ruetis. Si dices, Diabolus me decepit. Dicet ille. Quid profuit Euæ, quæ dixit, ſerpens me decepit? Chryſoſtomus hom. 21. ad pop. Antioch. Vt animam

mam tuam velut Dei habitaculum præpares, memento horrendi multumq; tremendi illius diei, in quo omnes Chriſti throno aſſiſtentes, rerũ hîc geſtarum rationes reddemus, ante omnium oculos peccata noſtra ponentur, ignorantibus oſtẽdentur, manifeſta oculta quæque legentur, nocturna & diurna quæ fecimus reuelabuntur. Matth. 12. *Amen dico vobis, de omni verbo otioſo quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij.* Apocal. 20. *Vidi thronum & ſedentẽ ſuper eum, à cuius conſpectu fugit cœlum & terra.* Non cœlum hoc, ſedes diuinæ reſidentiæ; ſed viri iuſti in quorum cordibus reſidebat Deus. Non terra hæc diuina virtute ſtabilita in aquis, ſed homo terrenus & peccator. Fugient à facie iudicis iuſti & peccatores, quia in die furoris pauebunt etiam iuſti. Quod ſi iuſtus vix ſaluabitur, impius & peccator vbi parebunt? Dicit S. Petrus 1. 4. Quare obſeruanda eſt doctrina B. Nili Epiſc. & Mart.

Ne decipiant te res illæ, quæ in hoc mundo celebres ac ſplendidæ videntur, omninò enim prætereunt & nihil ex apparentibus ſtabile eſt.

Semper mens Deo inhæreat, cœleſtisq; tua cogitatio fiat.

Oculos refrena; nam cùm haud aduertis, circumflectuntur.

Linguam coerce; ſæpius enim profert, quæ ſatiùs eſt celare.

Aures non cuiuis ſermoni præbe; malus enim ſermo malorum operum dux eſt.

Ventri quantum indiget; non quantum cupit impende.

Ieiunia armaturam, orationẽ muros, lachrymas balneum exiſtima.

Exitus nouiſſimi cum gemitu recorderis; hinc enim animæ compunctio oritur aſſidua.

Pauperes foueto, illi enim iudicẽ nobis placatum reddunt. Agathon Abbas tres dies ante mortem oculos apertos & immobiles habuit. Dicunt fratres. Vbi es? Ait. In conſpectu iudicij Dei ſto. Dicunt: Times. Et ille: Homo ſum: aliud eſt iudicium Dei, aliud hominum.

Quod eſt calceamentum cuius corrigiam ſe ſoluere indignũ Ioannes dicit.

RESP. Eſt humanitas Chriſti. Sicut pes tegitur calceamento, ita diuinitas latuit ſub humanitate. Pſal. 59. *In Idumæam extendam calceamentum meum.* Idumæa interpretatur terrena vel ſanguinea. Significat naturam humanam, quam primus homicida diabolus ad terreſtreitatem declinauerat & peccati ſanguine maculauerat. Ad hanc recuperandam filius Dei calceamentũ ſuum extendi permiſit in cruce, & ſic gentiles per fidem ſubditi ſunt illi. Tam violenter extentum in cruce, vt in quinque partibus fuerit diſruptum. Corpus enim quinquies perforatum.

Corrigia calceamenti, eſt gloria reſurrectionis; tunc enim corpus diſruptum, religatum fuit. Indignus eſt exponere gloriam reſurrectionis. Eſt aurea corrigia, per quam electi in faſciculo viuentium ſunt colligati.

De

De tali faſciculo dixit Abigail ad Dauid. 1. Reg. 25.

ANNOTATIO.

ORigines. Non ſum ego tanti, vt cauſa mei deſcendat à magnalibus ac carnem quaſi calceamentum ſuſcipiat. Tam humiliter de ſe exiſtimabat Ioannes, vt nec vltimum atque infimum eſſe ſeruitorem Chriſti, dignum ſe ſe reputabat. Leuitici 19. *Statera iuſta & æqua.* Puta dum vnum vas verſus terram deprimitur, alterum ſurſum eleuatur. Chriſtus Devs & homo, Ioannes purus homo. Illa à perſona de cœlo, iſta de terra natura. Quocirca indignum ſe corrigiam ſoluere Chriſti Ioannes dixit, Ioan. 4. *Ecce qui ſeruiunt ei non ſunt ſtabiles, & in angelis ſuis reperit prauitatem, quanto magis homo putredo & filius hominis vermis.* Moyſi dictum Exo. 3. *Solue calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Hominis decor, non eſſe pedibus nudum, attamen nuditas pedum, pœnitentibus & humiliatis, ſicut & nuditas capitis, aſſignatur. Solue ergò calceamentum de pedibus tuis, hoc eſt pœnitens & humilis accede. Vt Chriſti calceamentum ſoluas, hoc eſt fide & credendo percipias. *Calceamentum.*

DOMINICA IV. ADVENTVS.

Quoniam aliud Euang. modo legitur in Eccleſia quam tempore B. Magni Alberti legebatur, in ſupplementum addimus hunc ſermonem in præſens Euangelium.

Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem filium Zachariæ in deſerto, *Luc. 3.*

CVR FACTVM VERBVM DICITVR.

MAgnarum rerum magna fiunt proëmia. Dum ante dicta Euangeliſtæ *factum eſt verbum Domini,* præmiſit Annum & totius Iudeæ Gubernatores. *Anno 15. Tyberij Caeſ. imperij procurante Pilato Iudæam &c.* Magnum quid adnotare in ſequentibus voluit. Videlicet de verbo dicto ſit ſermo, non tamen dicere attentauit. Dixit Devs verbum Ioanni, aut mandauit, ſed fecit, imò factum eſt verbum. Factum autem dixit. Primò. Quia incipiebat Eccleſiam fundare nouam Devs per Ioannem vt inſtrumentum Chriſti, vnde ſicut de verbo Dei dicit. Ioan. *Et Verbum Caro factum eſt,* ita & hîc factum dixit verbum, per quod intelligitur, quod Eccleſia cæpit non ab homine ſed à verbo. Ambr. lib. 2. in Luc. de exordio prædicationis Ioannis. *Congregaturus Eccleſiam Dei filius, ante operatur in ſeruulo,* ſed benè additur. *Factum eſt verbum,* quia *Eccleſiæ fundandæ initiũ Ioan.*

quia Eccleſia non ab homine cœpit ſed à verbo.

2. Per factum Verbum, voluit Euangeliſta ſignificare Magnum fuiſſe virum Ioannem ſuper quem factum Verbum eſt. Aug. Tract. 2. In Ioan. Quia ſic erat homo Chriſtus, vt lateret in illo DEVS, miſſus eſt ante illum magnus homo. Verè magnus quia angelus quidam. Marcus incipiendo Euangelium IESV Chriſti filij DEI, vt addit, dixit. *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam*, de quali Angelo prophetauit Malachias. Angelum dixit, non naturâ, nam hominem Ioan. aſſerit. *Erat homo miſſus Ioannes à DEO.* Vbi Theoph. Fuit homo non angelus, vt ſuſpicio omnis tolleretur, homo addidit. Sed erat Angelus Ioannes officio. Chriſ. Nil de reliquo humanum exiſtimo ab eo illorum quæ dicuntur, non enim quæ eius ſunt, ſed quæ mittentis loquitur, ideò Angelus nuncupatus eſt. Angeli enim virtus eſt, nihil proprium dicere. Aut dicitur homo magnus, quia Propheta imò pluſquàm Propheta. *Ambr. Hom. 21. de Exord. prædicationis Ioan.* Factum verbum, vox ſecuta eſt. Verbum enim prius intùs operatur, & vox exprimit. *Greg. Niſſ* Ideò ad tantum diuinarum gratiarum eleuatus eſt apicem, vt pluſquàm Prophetis ſibi gratia infunderetur, quia mundum & expers cuiuslibet naturalis paſſionis deſiderium ſuum, à principio vſq; ad finem diuinis aſpectibus obtulit. Aut dicitur homo magnus, Ioannes, quia hominis magni IESV Chriſti factus eſt vox magna, toti regioni Iudeæ & Hieroſolimitis & habitatoribus circa Iordanem, imò vox ad omnem hominem, natum & naſciturum. Beda. Verbum enim DEI Patris, ſonando præibat; Conſtat autem quod prius vox ſonat, vt verbum poſt modum poſſit audiri.

Magnꝰ homo Ioan.

3. Per factum verbum intelligitur & inſinuatur, quòd inſtructiones fidei & morum plus ſunt in facto quàm in dicto. Ioannes verò accepit mandatum, vt prædicaret pœnitentiam agendam, non auditu ſed factis. Mandauit enim pœnitentiam filius DEI, non vt ſciatur, ſed executioni mandetur. Tria enim requiruntur ad bene viuere. Scire, velle, & operari: ſed vltimum ſummè neceſſarium ad beatam vitam. Iacob 1. *Eſtote factores verbi & non auditores tantùm fallentes vosmetipſos.* Et Actor. 19. Paulus perficitur ad facere. *Dicetur tibi quid te oporteat facere.* Gloſſa. Quale verbum illud quod factum eſt ſuper Ioannem? Eſt. *Vade, prædica baptiſmum.* An his ſyllabis prolatum non conſtat, ſed ſuffragatur Ioan. 1. *Qui miſit me baptiſare, ille mihi dixit. Super quem videris ſpiritum deſcendentem & manentem, ille eſt qui baptiſat.* Sed quicquid ſit de hoc. Sicut hîc exprimitur authoritas mittentis, ita exprimitur executio operis, Ioannes enim baptiſauit aquâ.

NOTATIONES.

AD 1. De Eccleſia, Salomon fecit thronum de ebore grandem & veſtiuit eum auro puriſſimo, 3. *Reg. 10.* Quæro, ipſe ne Salomon opifex & arti-

DEI ... intro... & ſum...

Dei coadiutores ſumus.

artifex throni, ipſené ſolus manibus ſuis hæc executus erat? Non, ſed per miniſtros. Ita ſedem æterni Regis ſanctam Eccleſiam vbi populus Chriſtianus pro ſuis cauſis conueniret, Ioannem in miniſtrum & præcurſorem præmiſit. Ioan. 3. *Quem enim miſit DEVS, verba DEI loquitur.* Eccleſia per Synagogam tranſit, ſed non permanſit. Greg. l. 18. Mor. Ad quem ſenſum 1. Cor. 3. *Secundùm gratiam quæ data eſt mihi, vt ſapiens architectus fundamentum poſui, alius autem ſuperædificat.* Vbiq; adminiſtros deſiderat DEVS, vbi hominis liberum arbitrium interceſſit.

Ad 2. Magno homine Nota. Ex operibus laus. *Et laudent eum in portis opera eius.* Antiquitus enim iudicia in turribus portarum fiebant, & præmia laudis aſſignabantur, & nominibus illorum apponebantur litteræ maiuſculæ M. quæ Magnum ſignificabat, vt Magnus Cato. Hinc Theodorus quidam cum adulatoribus ſeptem linguas abſcidiſſet, & affixiſſet in quodam palatio, dum quid egregij poſtmodum fecit, ſuſtulit linguam adulatoris, & factum delineauit, ſubſcripſitque. *Ex operibus laus.* Author rerum Burgenſium. Vt magnum virum demonſtraret, Apoſt. ad Rom. 2. dicit: *Vince malum in bono.* Hoc eſt, vince aliena vitia proprijs virtutibus. Ita Auguſtus Imper. factus eſt magnus, cùm Athenodori conſilium in vltimo diſceſſus ſui ab dicendo alphabeto Græco ſub iræ tempus datum obſeruaſſet.

Magni vnde.

Adulatorum linguæ.

Vincere malum.

Ad 3. De facto rerum Nota. 4. Reg. 14. *Caput meum doleo.* Initia rerum, capita dicuntur, ſi initium dolet rei, finis langueſcet, peribit. Paruus enim error in principio magnus eſt in fine, dixit Ariſt. in Meth. ſicut ergo non ita iuuat principium, (licet dimidium ſit facti qui bene cœpit) vt finis: ita Chriſtianum non verba ſed facta coronant. Verba enim & pſitacus habet. Vnde B. Nilus Ep. & Martyr in ſententijs Tropologicis opus laudat coniunctum alteri. Cum operi manum adhibes, lingua cantet, mens oret. DEVS enim à nobis vt ſui memores ſimus, exigit.

DOMINICA IN QVAM VIGILIA NAT. D. N. IESV CHRISTI INCIDIT.

Nota. Ponitur ſermo pro hac Dominica in ſupplementum, nihil enim de ea habet Alb. Magnus.

Cum eſſet deſponſata Mater Ieſu Maria Ioſeph. *Matth. 1.*

DESPONSATIO QVÆ SECVM FEREBAT.

REſp. Quatuor. Primo conſenſum. Deſponſata illa erat, quæ per conſenſum parentum & virginis, tradebatur ſponſo in ſponſam. Ecl. 7. *Trade filiam, & grande opus feceris, & homini ſenſato da illam.* Petrarcha de Remed. vtriuſq; fort. lib. 2. Dial. 17. Leuiùs eſt ſponſam amiſiſſe, quàm coniugem, in illa enim ſpes perditur, in hac res. Leuior autem eſt ſpei iactura, quàm rei. Varios deſponſandi modos habebant antiquitus gentes, de quibus Alex. ab Alex. lib. 1. Gen. c. 24. nulla honeſtior, quàm hæc, quæ confirmatur in Eccleſia Catholica. De quali etiam Nicoſt. apud: Stob. Non tam reſpicienda eſt nobilitas parentum, quàm ipſa vxor, multæ enim perquam honeſtis & bonis parentibus natæ, deprehenſæ ſunt malæ & impudicæ. Et ſic deſponſata fuit Ioſeph B.V.M. Et annulus illius quo deſponſata fuit, pretij admirandi, ſeruatur Peruſijs.

2. *Deſponſata ſeruabatur in domo ſponſi.*

Conſuetudo hæc veteribus erat, vt ſponſæ in domo parentum ſponſi ſeruarentur. Quocirca de Loth Sacra ſcriptura dicendo ait: *Et generi Loth intus cum ipſo erant.* Faciebant autem hoc ob maiorem decentiam & cuſtodiam caſtitatis ipſorum. Vnde Chryſ. hom. 1. in opere imperf. Ideò deſponſata domi habita, nam quemadmodum in ea quæ in domo viri concipit, intelligitur conceptio naturalis, ita in eâ quæ extra domum concipit, eſt ſuſpecta coniunctio. Seruabatur verò in domo mariti vſq; ad nuptias, vbi ſponſa traditur iam ſponſo. Etiam eo modo deſponſata fuit B. V. Maria Ioſeph ſanctiſſimo. Vnde Hier. *Ioſeph ſciens ipſius caſtitatem admirabatur quod euenerat.* Sciebat autem, quia in domo ipſius ſponſi permanebat.

3. *Deſponſatio fert ſecum nuptias.*

De his nuptijs Eurip. in Oreſt. Nuptiæ benè conſtitutæ vbi ſunt, ijs beata vita contigit, quibus verò non benè cedunt, domi foriſq; infælices ſunt. Et Plutar. Nuptiæ propter amicitiam contractæ meliores ſunt, aliter verò periculoſæ. *Et Amb. ſup. Ep. ad Cor.* Nuptiæ inuitæ malos ſolent habere euentus. Nuptiæ verò carnales à lætitia incipiunt, & in luctu terminantur. *Greg. Dial. 37.* Nuptiæ ſteriles iurgia habent. *Baſil.* Si B. V. M. conſiderabimus, ipſius deſponſatio nuptias continet & exprimit. Nam propter nuptias peractas vocatur ſponſa coniunx mariti. Et propter tales celebratas nuptias ab Angelo coniunx Ioſeph vocata fuit B. V. M. *Ioſeph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Ambr. lib. 1. circa finem ſup. Luc. *Non te moueat quod eam coniugem vocat, non enim virginitatis ereptio, ſed coniugij teſtificatio, nuptiarum celebratio declaratur.* Et Hier. contra Heluidium. *Non putandum ex eo quod vxor appellata ſponſa eſſe B. V. Maria deſijt, ſed ſacræ ſcripturæ conſue-*

conſuetudo ſponſos viros ſponſas vxores appellari. Deut. *Si quis virginem ſponſatam viro oppreſſerit.*

4. *Deſponſatio fert virginitatis amiſſionem.*

Et in hoc ſolennia matrimonij conſumantur. Sed hæc conditio deſponſationis non habet locum in Virgine. Vnde dicitur: *Antequam conuenirent.* Nunquam enim non erat virgo, nunquam non ſponſa. *Remig.* Antequam conuenirent, id eſt, antequam ritè ſolennia celebrarent. *Orig.* Deſponſata fuit quidem Ioſeph, non tamen in concupiſcentia iuncta. Mater eſt immaculata, mater incorrupta, mater intacta. Mater cuius? Mater vnigeniti DEI, Domini, Regis, omnium plaſmatoris & redemptoris cunctorum. *Auguſt. de Nat. Chri. ſerm. 6.* Fas non erat, vt virtus per voluptatem, caſtitas per luxuriam, per corruptionem incorruptio naſceretur.

NOTATIONES.

PRo primo Puncto. Val. Max. lib. 7. Socrates ab adoleſcentulo conſultus, vtrum vxorem duceret, an ſe omni matrimonio abſtineret. Reſpondit. Vtrum eorum feciſſet acturum pœnitentiam. Hinc te ſollicitudo, hinc orbitas, hinc grauis interitus, hinc hæres alienus excipiet. Et ſacer textus. *Tribulationem carnis eiuſmodi ſuſtinebunt.* Qui autem poteſt capere capiat. Sunt qui ſe propter regnum caſtrauerunt. Sequuntur agnum quocunq; ierit, virgines enim ſunt. *Iſid. de ſum. lib. 2. cap. 40.* Prælatam virginitatem eſſe nuptiarum coniugio. Illud enim bonum, hoc optimũ. Coniugium conceſſum eſt, virginitas admonita tantum, non iuſſa. Sed ideò admonita, quia nimis excelſa.

Pro 2. Puncto. Diſtinguunt aliqui ſecula. Ponunt ſeculum aureum, ferreum, plumbeum. Crediderim tunc fuiſſe nedum ſeculum aureum ſed ſeculum ſanctum, quando ſponſatæ in domo ſponſi commorabantur, at modò ſeculum eſt luteum, nec ſoror tuta à fratre, nec ſeruus à domina. Vis ſcire quid intelligatur dum dicitur: Virgines non habebant in vaſis oleum. *Docet Iſid. lib. 2. cap. 40.* Eſt non ſeruare intra conſcientiam boni operis teſtimonium, ſed in facie gloriari apud homines, non in corde apud DEVM.

Pro 3. Puncto Nota. Valer: Epiſc. in Epiſt. ad Ruf. *Amice det tibi DEVS omnipotens, omnipotentis fœminæ fallacia non falli.* Sol hominum Salomon, theſaurus deliciarum, ſapientiæ domini ſingulare domicilium, craſſo tenebrarum fuſcatus atramento, lucem animæ ſuæ, gloriam domus ſuæ, fæminarum facinore amiſit. Poſteà curuatus coram Baalim, ex Eccleſiaſte domini, mutatus eſt in membrum Zabuli. Ibi verò voluntates cautè & caſtè magis coniunguntur, quàm diuitijs, pulchritudine, libidine, ibi nuptiæ fælices.

Pro 4. Puncto. Nota. Val. Max. lib. 6. cap. 7. Sulpitia cum à matre Iulia cuſtodiretur, ne Lentulum virum ſuum proſcriptum à Triumuiris in Si-

In Siciliam proſequeretur, nihilominùs familiari veſte ſumpta, cùm duabus ancillis totidemq; ſeruis ad eum clandeſtinè fuga peruenit. Nec recuſauit ſeipſam proſcribere, vt ei fides ſua in coniuge proſcripto conſtaret. *Greg. 12. Mor.* Bonum eſt coniugium, ſed mala ſunt, quæ circa illud ex huius mundi cura ſuccreſcunt. Quod ſi ex cura mundi mala ſunt, quid ſi ex luxuria, infidelitate, inuidia mundi mala erunt! Dicet mulier, illa ornatior, hæc honoratior, procedit in publicum, ego in conuentu fæminarum miſera deſpicior. Dicet: cur aſpiciebas vicinam, quid cum ancilla loquebaris? Dicet. De foro venis! Quid attuliſti? Alterius amorem, ſuſpicantur ſui odium.

IN NATIVITATE D. N. IESV CHRISTI.

Ecce Euangelizo vobis gaudium magnum quod erit O. P. Luc. 2.

Quid ſit ille, per quem gaudium Euangelizatur.

RESP. Eſt verus Angelus Domini non Phantaſticus. *Ecce Angelus Domini ſtetit iuxta illos & claritas Domini circumfulſit illos.* Dicitur Domini, deſignando claritatem non fuiſſe phantaſticam in quam ſe Diabolus transfigurat. *1. ad Cor. 11.* Ipſe enim Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis. Creditur fuiſſe Angelus, Gabriel Archangelus, vt qui naſciturum Dominum B. V. M. nuntiarat, etiam natum paſtoribus nuntiauit.

NOTATIO.

AMbr. lib. 2. in Luc. Tit. de Nat. D. Videte quemadmodum diuina curia fidem aſtruat. Edocet Angelus, Mariam, Ioſeph, & Paſtores. Vnde colligitur Archang. Gabriel fuiſſe vbiq;, nec quando ſuſpicandum cum iniquis hominibus, quod Angelus non verus apparuiſſet illis paſtoribus. Quocirca Leo Papa Serm. 10. de Nat. Dom. Recedant procul atq; in tenebras ſuas eant hæreticarum monſtra opinionum, & inſanarum ſacrilegia falſitatum. Nos exultans in laudem DEI cæleſtium multitudo, & inſtructi ab angelis docuêre paſtores, vt cognitis vtriuſq; naturæ documentis, & Verbum in Chriſto homine, & Chriſtum hominem adoremus in Verbo. Nam ſi vt Apoſtolus ait. *Qui adhæret Domino vnus ſpiritus eſt.* quanto magis Verbum caro factum vnus eſt Chriſtus. Vbi nihil eſt alterius naturæ quod non ſit vtriuſque.

Chryſoſt. vero de angelo ait. Paſtoribus non in ſomnis ſed viſibiliter apparuit Angelus quaſi rudioribus, nec iuit Hieroſolymam nunciare Scribis

Scribis & Phariſæis, erant enim corrupti & præ inuidia cruciabantur, ſed paſtores erant ſinceri, antiquam conuerſationem Patriarcharum & Moyſi colentes. Eſt autem ſemita quædam ad Philoſophiam ſpiritualem perducens innocentia. Hinc verum Angelum, imò magnum nunciantem gaudium, Archangelum, credibile ex fide apparuiſſe paſtoribus.

Concludo verbis D. Greg. *Angeli ad miniſterium pro noſtra ſalute ſemper mittuntur.* Igitur vbi noſtra ſalus viſa eſt in terris, & magnum gaudium imò iubilus animæ quem nec verbis nec cogitatione exprimere valem⁹ nunciabatur, Archangelus nuncius venit. Incipiebant agere feſtum cum hominibus lætantes ſuper his, qui refugientes conſortia dæmonum per exercitia virtutum, angelicis feſtinant ſociare conſortijs. *Orig. hom.* 96.

Qui ſunt illi quibus gaudium anunciatur.

RESP. Paſtores. Qui ex tribus commendantur, quia vigilantes, de grege ſolliciti, & ideò iuſti. Paſtores, non milites; non ergò contemne ob paupertatem ſeruientes. Erant vigilantes, de grege ſolliciti, cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum. Suum, id eſt, non violenter ablatum, vel furto. Significant hominem, cui dominus animam ſuam paſcendam commiſit, quæ mille millibus ouium pretioſior, quia ſanguine filij DEI redempta. 1. Pet. 5. *Paſcite qui in vobis eſt gregem DEI.*

Tria verò requiruntur vt ſit bonus paſtor animæ ſuæ. 1. Vt ſit vigil. 1. Pet. 5. *Sobrij. eſtote & vigilate.* Ille vigilat qui ſemper creatorē, redemptorem, iudicem ſuum intuetur, nec quid agit quod oculos maieſtatis offendat. 2. Vt ſit de ſemetipſo ſollicitus, id eſt de anima. Si ſolliciti ſumus vt corpori de cibo, potu, veſte prouideamus, multò magis de anima vt mundam, ornatam repręſentemus. Cum ſollicitudine obſeruas, ſi horam mortis obſeruas. Mors enim noſtra, nox. Heu ſi contrarium ſit. *Eccl.* 10. Peccantem in animam ſuam quis iuſtificabit, & quis honorificabit exhonorantem animam ſuam: 3. Vt ſit ergà proximos ſuos iuſtus. Hoc eſt nihil alterius iniuſtè poſſideat & ex ſuis DEO offerrat. Tob. 2. Audiuit Thobias vocem balantis hædi, & dixit. *Videte ne fortè furtiuus ſit, quia non licet nobis ex furto aliquid edere vel contingere.* Quod verò ex his quæ ſua ſunt debeat DEO offerre & eleemoſynas dare. Prou. 3. *Honora Dominum de tua ſubſtantia & de primitiis frugum tuarum, da pauperibus & implebuntur horrea tua ſaturitate & vino torcularia redundabunt.*

NOTATIONES
Pro Principali.

GReg. Ecce paſtoribus angeli paſtorem præcipuum prædicant tanquam agnum in antro manifeſtatum & editum.

Orig. hom. 12. Cùm horum vnuſquiſq; ſuam cuſtodiam conſeruaret, veniſſe Angelum, nato Domino & anunci-

nunciaſſe paſtoribus quòd verus eſſet paſtor exortus.

Paſtores ſignificant rectores animarum. *Beda.* Se & ſuos à tentationibus cuſtodire non deſiſtant. Nato enim paſtore bono qui oues diſperſas ad vitæ paſcua reuocaret, alijs paſtoribus vigilia ſuper greges promulgatur. *Hugo de clauſtro animæ.* Tres ſunt paſtoris voces, ſuauis, dulcis, & alta. Suauis ad infirmum, dulcis ad morientem, alta ad ſurdum. Vndè bonis paſtoribus Angeli ſeſe ad videndum præbuerunt. S. Dominicus dùm Fauentiam viſitaret & Epiſcopus Loci vidiſſet, quòd mediâ nocte à duobus adoleſcentibus è Palatio ſuo vſq; ad Eccleſiam in vineis deduceretur, & portæ erant clauſæ, apertæ ad aduentum ipſius, petiit à ſancto. Qui ſunt iſti adoleſcentes & quæ ſunt lumina cum quibus exis in nocte de Palatio? Tacuit quidem Sanctus, at ægrè confeſſus eſt, angelos Dei eſſe. Dum hoc vidiſti, hoc ſcias. Et eo modo fratres Fauentiæ recepti, fundati, manent. Vide Maluendam & alios, de Lombardiæ conuentibus ſcriptores.

Pro vigilia Paſtorum Nota. *Iſid. lib. 3. cap. 46.* Bonorum ſtudia ſacerdotum multa diligentia etiam parua plebium facta perquirunt, vt dum in minimis ſubditorũ peccatis ſe acerrimos præſtant, de majoribus malis cautos ſubiectos & ſollicitos faciãt. 1. Reg. 7. Ita vigilabat Dauid quòd interfecerit leonem & vrſum, per quod audax fuit in Goliam, & inde obtinuit filiam regis in ſponſam & factus eſt Dux exercitus Domini. Hinc Apoc, 16. *Beatus qui vigilat.* Ita enim Heli quia non vigilauit in filios, & filios & Arcam amiſit, & ipſe ceruicem fregit. *Greg. hom. 11. ſuper Ezech.* Quiſquis populi ſpeculator ponitur, in alto debet ſtare per vitam, vt poſſit prodeſſe per prouidentiam.

Pro ſollicitudine Paſtorum Nota. *Greg.* Illi præ cæteris Deum ſublimem videre merentur, qui fidelibus gregibus præeſſe ſollicitè ſciunt. Dum ipſi ſuper gregem vigilant diuina, ſuper eos gratia largius corruſcat. Cùm verſum eſt totum pondus prælij in Saul, multis ſagittis vulneratus, irruit ſuper gladium ſuum & mortuus eſt. 1. *Reg. vlt.* Ita ſi non erit ſollicitus de ſe & de ſuis ſubditis eorumq; animabus paſtor, confixus ſagittis negligentiæ, corruet ſuper gladium authoritatis ſuæ, & morietur ad infernum. *Bern. in quadam Epiſt.* Miſiſti manum ad aratrum, opus eſt fortitudinis & conſtantiæ: ſpeculator factus es, opus eſt prudentiæ: debitor es ſapientibus & inſipientibus, opus eſt iuſtitiæ: prædicare debes, opus eſt temperantiæ.

Pro juſta Prælatorum vita. Nota. Prælatus tot mortibus dignus eſt quot malè viuendi exempla ad ſubditos tranſmittit. *Greg. in Mor. Et Bern. lib. de Conſiderat.* Nunc audi canticum meum minus ſuaue, ſed ſalutare. Monſtruoſa res, gradus ſummus & animus infimus: ſedes prima, & vita ima: lingua magniloqua, & manus

manus otioſa: ſermo multus, & fructus nullus: Vultus grauis & actus leuis: caput canum & cor vanum: facies rugoſa, & lingua nugoſa: ingens authoritas, & nutans ſtabilitas. Prou. 4. *Iuſtorum ſemita, quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit vſq; ad perfectum diem.* Quid ergò imaginandum erit de ſemita iuſti Paſtoris. *Qui fecerit & docuerit magnus vocabitur in regno cælorum.*

Propter quod omni populo gaudendum dicitur.

RESp. Quia natus eſt nobis hodie ſaluator qui eſt Chriſtus Dominus in ciuitate Dauid. Saluator dicitur propter humani generis redemptionem à dæmoniaca captiuitate. Exod. 3. *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto & clamorem eius audiui & ſciens dolorem eius deſcendi vt liberarem ipſum de manu Ægyptiorum & educerem de terra illa ad terram bonam & ſpatioſam, ad terram quæ fluit lacte & melle.* Liberauit enim nos Chriſtus de manu diaboli, & terram viuentium regnum ſcilicet cælorum, quæ fluit lacte Diuinæ humanitatis & melle humanæ diuinitatis. Vbi per lacteam humanitatem & melleam diuinitatem refocillat.

Saluator cur dicitur.

Chriſtus dicitur, propter ſuorum fidelium in via ſeculi conſolationem. Pſal. 61. *Spiritus domini ſuper me eo quod vnxerit me Dominus vt conſolarer omnes lugentes.* Quoniam tria merorem inferunt, ſuperbi dum conculcant, iniqui detrahunt, infirmitas vexatur. Conſolatur Dominus in primo, promittit coronam pro cinere, eo quod ſuperbi vt cinerem ſub pedibus habebant, coronabit in ſuo ſolio. In ſecundo, pro detractione, perpetuæ gloriæ claritatem. In tertio, pro infirmitate, promittit pallium laudis, vt gratias referamus. *Eccl.* 38. Vnguentarius faciet pigmenta ſuauitatis, & vnctiones conficiet ſanitatis. Multi vnguenta faciunt ad manus, pedes, ſed cor in tribulatione ipſe filius DEI ſanat.

Dominus dicitur, ob ſeruitij ab his quos redemit expoſtulationem. Ier. 13. *Ecce dies veniunt dicit Dominus, & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum:* id eſt, faciam naſci ex ſemine eius, & regnabit Rex: id eſt, ſceptrum crucis in humeris baiulando. *Sapiens erit.* Id eſt, Crucis tolerando cruciatus, & faciet iudicium. Id eſt Diabolū poteſtate iuſtè priuando, & iuſtitiam. Id eſt Animas detentas diu, liberando. *In diebus illis ſaluabitur Iuda*: id eſt. Quilibet laicus confitendo DEVM ſaluabitur, & Iſrael, id eſt, bonus religioſus per contēplationē videns, habitabit confidenter, id eſt, certus de gloria: & hoc eſt nomen; Id eſt, propter, quod hęc oīa, id eſt, laici & religioſi, vocabūt eum. *Dominus DEVS noſter.* Domino huic tenemur obſequium cordis, oris, operis. Vt cor ſit bonum ad DEVM. Vt ore ſeruiant, opere compleant. Lucæ 6. *Quid vocatis me, Domine Domine, & non facitis quæ dico.* Matth. 7. *Non omnis qui dicit mihi Domine Domine &c.* Ergò quod corde

Domino 3. tenemur.

corde propoſuiſti, ore confitearis, opere exequaris.

Dauid q.modo interp. In ciuit. Dauid dicitur Natus. Quia imitatur Dauid. Dauid interpretatur manu fortis, & vultu deſiderabilis. Vtrumq; IESVS habet per condemnationem reproborum & remunerationem electorum. De primo. *Sap. 11.* Non eſt impoſſibilis omnipotens manus tua quæ creauit orbem terrarum ex materia inuiſa, immittere peccatoribus multitudinem vrſorum, aut audaces leones, aut noui generis ira plenas & ignotas beſtias, aut vaporem igneum ſpirantes, aut odorem fumi proferentes, aut horrendas ab oculis ſcintillas mittentes, qnorum non ſolùm læſura poterat illos exterminare, ſed & aſpectus per timorem occidere. *Peccatoris flagell.* Hîc dæmones comparat vrſis: ſicut enim in motu ſemper eſt vrſus, ita infatigabiles illi ad cruciandum. *Dæmones beſtiæ.* Leonibus verò quia robuſtiſſimi, ita illi contra miſeros peccatores. Alijs beſtijs quia nedum ſunt fortiſſimi & paratiſſimi ad cruciandum, ſed etiam crudeliſſimi, cruciant multiplici pœnarum inflictione quaſi dentibus, vngulis, ſed terribili vultus oſtenſione. Etſi illis eſſet poſſibile mori, præ aſpectu morerentur. De ſecundo, quia vultu ſuo remunerat ſeruientes. Hic eſt enim Aſſuerus Rex, qui interpretatur beatitudo. Ab eo enim emanat beatitudo, ad quem Heſter regina, hoc eſt, fælix anima dicit. Valde mirabilis es domine, & facies tua plena gratiarum. In IESV ergò omne delectamentum & omnis ſaporis ſuauitas.

NOTATIONES.

PRo Saluatore. Salus à ſolo DEO eſt quibuſcunq; modis detur. *Aug. ſuper Pſ. 34.* Si de ſalute corporis hoc dictum, magis de ſalute animæ eſt intelligendum. Salus enim hæc in Christo poſita eſt. *Chryſ. ſup. Math. hom. 35.* Cardanus refert, quomodo ſerpentes ſuam ſanitatem conſeruant. Minores non ſibillant, ſed ſtrident, muſitant. Maiores ſemper ſilent, nec ſibillant clarè niſi in pugna, vel tempeſtate magnâ ingruente. Hoſtem conſpicati, non edunt vocem ſed ſilent, vnde vox illis non eſt exitio. Magnæ hæ obſeruationes ſalutis, ſed ſalutem homo à ſe non habet niſi à DEO & Saluatore, *Salus tua ego ſum.* Greg. in Reg. Nihil prodeſt ſanitas in ſuperficie corporis, ſi vulnus animæ intrinſecus latet. *Saluator.* Saluator hic neceſſarius. Audi Caſſ. Sicut ligat diabolus, qui peccato connectit, ita ſoluit Chriſtus, qui delicta dimittit. Dicebat quondam hoſtis animæ. *Quid nobis & tibi fili DEI? veniſti ante tempus perdere nos.* In quæ verba Iſid. lib. 1. cap. 16. Quamuis ordinem noſtræ liberationis neſcierit Diabolus, ſciuit tamen quod pro ſaluatione hominum Chriſtus aduenit. Sed quòd ſua idem nos morte redimeret, ignorauit, vndè & eum occidit. Nam ſi ille Chriſtum per mortem redimere humanum genus ſciſſet, non eum vtique peremiſſet. Quocirca D. Papa Leo ſermone illo

ſuo

ſuo aureo quē incipit de Nat. Dom. Saluator noſter dilectiſſimi natus gaudeamus; Ita ante medium habet. DEI filius ſecundùm plenitudinem temporis, quam diuini conſilij inſcrutabilis altitudo diſpoſuit, reconciliandam authori ſuo naturam generis aſſumpſit humani, vt inuentor mortis Diabolus, per ipſam quam vicerat, vinceretur. In quo conflictu pro nobis inito magno & mirabili æquitatis iure certatum eſt, dum omnipotens Dominus cum ſæuiſſimo hoſte, non in ſua maieſtate, ſed in noſtra congreditur humilitate, obijciens ei eandem formam, eandemque naturam, mortalitatis quidem noſtræ participem, ſed peccati totius expertem. Cedant igitur quicunq; ſaluatores, IESVS & Ioſue, ſaluatori noſtro vniuerſali. Chryſolog. Ser. 19. IESVS rectè dicitur ſalus, quia dedit rebus eſſe, & pereuntibus dat ſalutem.

Pro Chriſto Nota. Nomen Chriſti coniunctionem Verbi & hominis ſignificat. Ita enim in Symb. Athanaſij. *Sicut anima rationalis & caro vnus eſt homo, ita DEVS & homo vnus eſt Chriſtus.* Quocirca vnctus Domini, dictus eſt Chriſtus, & in conſolationem generi humano perdito datus. *Hier. ad Paulam.* Chriſtus ſanctificatio eſt, ſine qua nemo videbit faciem DEI. Chriſtus redemptio id eſt redemptor & pretium. Chriſtus omnia, vt qui omnia propter Chriſtum dimiſerit, vnum inueniat pro omnibus. Amplius verò Chriſtus quid ſignificet

Chriſtus quid ſignificat.

præter vnitatem perſonæ in duabus naturis. *Damaſ. ſuper Matth. 6. in verba Euang.* Tu es Chriſtus filius DEI viui. Exprimit dignitatem regiam & ſacerdotalem & gratiæ plenitudinem, propter vnctionis prærogatiuam. Vnde quæſitus à Pilato *Tu es Rex.* dixit. *Tu dixiſti, quia ſum Rex.* Et Pſ 109. De ſacerdotio. *Tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Et de gratia illius. *Vidimus eum plenum gratiæ.* Io. 1. Et *de plenitudine eius accepimus omnes.* Quod verò conſolator verus & fidelis non ſit niſi DEVS ipſe. Docuit nos Samuëlis Prophetæ mater, quæ ſterilitatem deflendo non inuenit conſolatorem niſi in templo DEVM. Omnes enim conſolationes humanæ inanes ſunt & futiles vt Socrates demonſtrauerat. Deduxerat enim grauiter mærentem in quandam veterem arcem, hortatuſq; eſt vt per omnes ſubiectorum ædificiorum partes oculos circumferret; quo facto, inquit. Cogita nunc tecum, quàm multi luctus ſub his tectis & olim fuerint, & hodie verſantur, & inſequentibus ſeculis ſint habituri. Mitte ergò mortalium incommoda tanquam propria deflere. O vanam conſolationem! IESVS Chriſtus conſolator noſter verus eſt, qui omnia noſtra mala ſcit conuertere in bona. *Vnde Bernard. in medit.* Ecce me miſerum multis mæroribus plenum, dum vitam meam timeo, dum peccata mea conſidero, dum iudicium tuum formido, dum horam mortis cogito, dumque hæc & alia mecum lachry-

Chriſt. conſolator.

mabiliter pertracto, conſolaturus a- des ſolitâ pietate, & inter has querelas nimioſq; ploratus, atq; profunda ſuſpiria cordis, aſſumis mæſtam atq; anxiam animam meam, & mentem ſuper alta montium deducens, locas inter paſcua paradyſi, quibus tum refocillatus diuitijs & miſeriarum oblitus in te verâ pace requieſco. *Chryſolog.* Chriſtus dicitur ab vnctione. IESVS à ſalute.

Pro Domino, Nota. Dicitur Saluator Dominus, ſed longè aliâ poteſtate quam mortalis homo. Ille enim Dominus ſimul eſt DEVS. Pſ. 94. Quoniam Dominus ipſe eſt DEVS, homo autem ſi Dominus dicitur, plus voce quàm re Dominus eſt. Ille Dominus vocat ea quæ non ſunt tanquam ſint, iſte amiſſis his bonis quæ habet, nil habet quod ſuum vocet. Cogita diuitem Iob, quid habet in ſterquilinio iacens. Talis eſt finis Dominij mundani. Stercus, fetor, vermis. De Chriſto Domino. Amos 5. *Quærite Dominum, & viuite.* Non mors, non malum, non ruina ſpectat ſeruientem DEO & Chriſto, ſed vita, benedictio, gaudium. Optimè Plato de Leg. Dial. 6. expreſſit humanum Dominium. Exiſtimare de omnibus hominibus id quiſq; debet, quod qui nunquam ſeruiuit, is laude dignus Dominus eſſe non poterit. Si enim correlatiua ſunt Dominus & ſeruus, rectè in ſubiecto vno inueniri debent reſpectu diuerſorum, ſeruus & Dominus. Vt enim melior eſt Dux ex milite & Rex magiſtro aſ- *Chriſt9 eſt Dominus.* ſumptus, quàm ſimpliciter creatus, ita Dominus, ex ſeruo, laudabilior fit. Saluator noſter vt Dominus fieret factus eſt ſeruus. Pulchrè de hoc Iſid. lib. 1. cap. 16. Chriſtus & in forma ſerui ſeruus, & in forma ſerui non ſeruus. In forma quippè ſerui Domini ſeruus, & in forma ſerui, hominum Dominus. Chriſtus in forma ſerui propter conceptionis excellentiam. Dominus eſt hominum, nam etſi ſuſcepit carnem, non tamen ex carnis libidinoſa contagione. Attamen ſaluator nedum ex iſta ratione dicitur dominus, ſed quia idem eſt DEVS, *ipſe qui fecit nos & non ipſi nos.* Et vltra, quia redemptor noſter eſt, Dominus eſt, & quia iudex noſter eſt, Dominus eſt, & quia glorificator noſter eſt, Dominus eſt. *Petrus Chryſol. in Pſ 99. ſermonem 6. faciendo dicit.* Intrate in conſpectu eius in exultatione, quia dominus DEVS eſt. Intrate, quia ille Dominus DEVS eſt, qui fuit in carne noſtra puſillus, qui fuit in cunabulis, dulcis in gremio, mitis in habitu, in noſtro contubernio blandus.

Pro fortitudine Saluatoris. Nota: *Hieronymus:* Fortitudo via regia eſt. Hinc regi regum maximè conuenit. *Chriſtus eſt fortitudo.* Exod. 15. *Fortitudo mea & laus mea Dominus.* Et Iſa. 12. *Factus eſt fortitudo pauperi,* fortitudo ægeno in tribulatione ſuâ, ſpes à turbine, vmbraculum ab æſtu. Magnum quid de fortitudine retulit Tull. in Rhet. Fortitudo eſt immobilis inter aduerſa glorioſa animi claritudo, res arduas pulchræ admi-

adminiſtrans, quæ nec aduerſis frangitur, nec proſperis eleuatur. Attamen de hac fortitudine, quis finis illius ſit, audi Petrarcham Dial. 73. lib. 1. Fortitudo pulcherrima virtus eſt: ſed comitata caſibus varijs; paratas lachrymas, & inſtructum feretrum habeto. Omnibus mors vicina, viris fortibus contigua eſt. Fortitudo Saluatoris, nec obicem nec metam habet. Ponamus aliquem ſimilem Achilli, Scipioni, Annibali, adhuc erit & illi ſimilis. Pulſis alijs citharis, reſonabunt aliæ. Sed Saluatoris fortitudini, nullus ſimilis. *Fortitudo mea & laus mea Dominus & factus eſt mihi in ſalutem.* Meta vltima & portus Chriſtianæ fortitudinis, ſalus æterna Chriſtus.

Pro vultu Saluatoris. Nota. *Salutare tuum expectabo Domine* dicebat Patriarcha proximus morti Iacob. Gen. 49. Tuum non Gedeonis filij Ioæ. Non Samſonis filij Manue ſed tuum fili Dauid. De quo Abac. 3. *Ego autem in Domino gaudebo & exultabo in* DEO IESV *meo Saluatore meo.* S. Bonauentura. Sit tibi nomen IESVS in huius vitæ incolatu & miſeria ſingulare. Saluet te à mundi vanitate quæ te impugnat, à dæmonis falſitate quæ te infeſtat, à carnali fragilitate quæ te cruciat. Saluet confortando debilem, adiuuando fragilem, conſolidando inſtabilem. O quàm fælix & beatum nomen, quod tantam meruit habere virtutem & efficaciam. Quod ſi dulce & ineffabile nomen eſt IESVS, quod ſignificat Saluatorem, quàm quæſo erit dulcis & ſuauis vultus eius, cuius nomen tam dulce & ſalutare? Pone hoc vt ſignaculum in corde tuo, in brachio tuo, & vultum ipſius cum Angelis inſpicies. Cùm arcam Domini in caſtris conſpexit Iſrael, tantum lætati ſunt & exultauerunt, vt hoſtes audito ſonitu dixerint. 1. Reg. 4. *Væ nobis non enim fuit tanta exultatio in caſtris Hebræorum heri & nudius tertius: Væ nobis.* Quanta exultatio erit videntium vultum eius quem Angeli deſiderant aſpicere? Dicet ille, cui manifeſtabitur in gloria.

Ieſu nomen. *Vultus Chriſti.*

Quo ſigno iſte qui natus eſt inueniendus aſſeratur.

RESp. Hoc vobis ſignum, inuenietis infantem pannis inuolutum poſitum in præſepio. Luc. 2. *Ecce poſitus eſt hic in ſignum.*

Nota: Chriſtus natus oſtendit nobis in ſeipſo ſignum quintuplex. Primum ſignum. Sanctæ taciturnitatis. *Inuenietis infantem*, id eſt, non fantem, ſed vagientem. Hoc deſtruit garrulitatem. Prou. 10. *In multiloquio non deerit peccatum.* Eccl. 19. *Qui multis vtitur verbis lædit animam ſuam.* Agathon Abbas per triennium portauit lapidem in ore donec taciturnitatem diſceret. Interrogatus etiam Philoſophus, quomodo placeret DEO & hominibus, reſpondit. Si optima quæq; egeris, & pauca locutus fueris.

Taciturnitas. *Placere Deo & hominib.*

Secundum ſignum. Beatæ paupertatis. *Pannis inuolutum*, non byſſo nec purpura, hoc ob paupertatem B. M. V. Et ſub onere paupertatis qui gemunt, reſpiciant pannoſum IESVM vt conſolentur. Iſa. 29. *Addent in Domino lætitiam, & pauperes homines in ſancto Iſrael.* Seneca. Paupertas expedita eſt, ſecura eſt, comparat inter ſe pauperum & diuitum vultus, ſæpius pauper & fidelius ridet.

3. Signum, puritatis precioſæ. Inuoluit eum B. V. pannis mundis, quia munda Virgo non maculatas habuit, vnde Eccleſia inſtituit vt pannus in quo corpus Chriſti Sacramentale inuoluitur ſit lineus, mundus Inuitat nos ad vitæ munditiam Iob 22. *Saluabitur innocens, munditia manuum ſuarum*, id eſt operum. Pro. 21. *Qui mundus eſt rectum eſt opus eius.*

4. Signum, humilitatis. Subiecit me ad inuoluendum B. V. & vt poneret vbi placeret. *Iſa.* 57 Excelſus & ſublimis habitat cum contrito & humili ſpiritu, & viuificabit cor contritorum.

5. Signum, Charitatis. Repoſuit ſe in præſepio, innuendo communem eſſe paſtoribus, regibus, & omnibus ſe cupientibus. Ier. 31. *In Charitate perpetua dilexi te ideò attraxi te miſerans.* Iacet ergò Chriſtus vt adamas trahens ad ſe per charitatem omnes, & paſtores laudes cecinerunt, Reges munera obtulerunt, iumenta fœnum pabulum ſuum, accommodauerunt. Fœnum mutare, eſt eleemoſynas erogare.

ANNOTATIONES.

PSal. 73. Deſperando de auxilio DEI in afflictione tempore Antiochi populus Iſraeliticus dicebat. *Signa noſtra non vidimus jam non eſt Propheta & nos non cognoſcet amplius*, Dominus puta. Dicunt igitur hodie Angelus & Euang. Lucas. *Hoc vobis ſignum* Iam certum habetis ſignum quod in afflictione reſpexerit vos Dominus, quia inuenietis pannis inuolutum in præſepio filium DEI Saluatorem veſtrum. Nec paruum ſignum puta aut commune puer vagiens recenter natus, ſequentia enim, (quia bos & aſinus cognouerunt Dominum, quia ſtella indicat natum, quia reges à longe veniunt ad præſepe Domini,) indicârunt ſignum altum & ſingulare fuiſſe. Pſ. 64. *Turbabuntur gentes & timebunt qui habitant terminos à ſignis tuis.* Turbatus eſt Herodes & Hieroſolyma, cùm audit Natum eſſe regem Iudæorum, timent autem reges ad terminos manentes Iudaici regni, ſigna in cælo videndo, procidendo, munera ferendo. Sed delectantur in timore, exitu ſtellæ matutino. *Vidimus ſtellam eius in oriente*, & delectatione veſpere, dum amiſſam ſtellam contemplati iterum viderunt.

Pro taciturnitate. Nota. Ambr. 1. de Off. Silendi patientia, opportunitas loquendi, & contemptus diuitiarum, ſunt maxima fundamenta virtutum. Conſentit Euripid, qui dicebat. Silentium corona eſt viri, loquacitas autem, nec iucundum aliquid *Taciturnitas.*

liquid habet, & mala eſt cónuerſationi, & inutilis ciuitati. Attamen ſilentium, licet multis hominibus eſt malorum pharmacum, ſi tamen perquiſitus taceat verum, incurrit crimen falſitatis, ſicut qui falſum dixerit. Quocirca taciturnitas non debet eſſe vltrò in malum & damnum proximi, nec indecorum Deo. Vnde Cato. *Virtutem primam eſſe puta compeſcere linguam.*

Proximus ille DEO qui ſcit ratione tacere. Hinc Petrar. lib. 2. de Remed. Dial. 103. Lingua eſt inſtrumentum mentiendi, fallendi, iniurandi & infamiæ quæredi. Nam ſi Cicero & Demoſth. Muti fuiſſent, diutius vixiſſent & leuius obiiſſent. Diu itaque ſtudendum eſt huic ſalutari lectioni. *Cuſtodiam vias meas, ne delinquam in lingua mea.* Pſalmo 38.

Pro paupertate. Nota. Inopia honeſta potior eſt opibus improbis *Euripides.* Nec abnuit *Aug. Sup Pſ.* 13. Pauper Dei eſt in animo, non in ſaculo. *De hac Chryſ. ſer. 18. ſuper Ep. ad Hebr.* Paupertas eſt manuductrix quædam in via quæ ducit ad cælum, vnctio athletica, exercitatio admirabilis, portus tranquillus. Nihil opulentius eſt eo qui paupertatem ſpontè diligit, & cum alacritate ſuſcipit. Quocirca & à Chriſto nato ſub natiuitatis initium vt grande quid re ipſa commendata fuit, dum non habet locum in diuerſorio, dum pannis, dum præſepio gaudet. *Anſel. in medit.* Tu Domine vniuerſorum, qui nullam habes indigentiam inter ipſa natiuitatis initia, non horruiſti abiectiſſimæ paupertatis guſtare incommoda. Gen. 21. Cùm Loth in montes fugiendo iram Domini punientis peſſimas ciuitates non poſſet aſcendere, quia debilis & antiquus dierum erat, rogauit Dominum vt in ciuitate parua quæ iuxta erat ſaluaretur. Et Dominus ſuſcepit preces eius. Parua ciuitas Paupertatem denotat, in qua ſaluantur. *Aug. in ſoliloq.* Ecce Domine pauperes filij tui ſumus, & puſillus grex tuus, aperi nobis ianuas & edent pauperes, & ſaturabuntur & laudabunt te. Scio Domine & fateor, quoniam ſoli illi qui cognoſcunt ſe pauperes ditabuntur à te.

Paupertas.

Pro puritate Nota. 1. Ioã 3. *Chariſſimi, ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad DEVM, & quicquid petierimus, accipiemus ab eo.* Vnde Greg. hom. 9. ſup. Ezech. In omni quod dicitur ſemper tacitè recurrere debemus ad mentem & interiorem teſtem & iudicem requirere. Quid enim prodeſt, ſi omnes te laudent, & conſcientia accuſat, aut poterit obeſſe ſi omnes derogent, & ſola conſcientia defendat! Cùm enim ſit codex conſcientia in quo peccata conſcribuntur, vbi purus & immaculatus fuerit, nil timebit, nil amittet, ſed in diuitiarum theſaurum conuertetur. Vnde Hugo de S. Victore. Conſcientia bona eſt titulus religionis, templum Salomonis, ager benedictionis, hortus deliciarum, gaudium Angelorum, arca fœderis, theſaurus

Conſcientiæ puritas.

ſaurus regis, aula DEI, habitaculum Spiritus ſancti. Ad quam mundandam docuit Dominus. Exod. 38. Dum in introitu tabernaculi voluit fieri labium æneum de ſpeculis mulierum, & iuxta templum piſcinam aquæ, vt introeuntes poſſint ſpeculari & lauari. Significabant hæc conſcientiam mundandam, vt Iob 10. dicitur *Dimitte me* Domine *vt plangam paululum dolorem meum antequam vadam ad terram tenebroſam.* Nota quod dicit. plangam dolorem. Dolebat prius quòd DEVM peccatis offenderit, & ad dolorem vberes lachrymas fundebat, & tamen orabat vt planctum faceret maiorem. Puritas conſcientiæ, requirit calidas lachrymas amoris, & ſalſas amaraſq; doloris.

Pro humilitate. Nota. B. Nilus Martyr. Humilitatem & ſi magnus exiſtas dilige: Vt in die iudicij exaltari quæras. At humilitas ad DEVM, cor contritum, amorem ſincerum DEI, & animi promptitudinem ad bonum requirit. Petrarcha de Remed. lib. 1. Dial. 10. Fundamentum veræ virtutis humilitas. Quocirca ſi domus fundamentum totam domum cum parietibus, tecto, edificiis continet. Humilitas omnes virtutes ſuſtentando, omnes quoq; in ſe continebit Apoc 3. Dixit Angelus Domini: *Ego dedi coram te oſtium apertum quod nemo claudere poteſt, eo quòd modicam habeas virtutem.* Dicite quæſo, ratio

Humilitas.

eſt an reſpectus! Non claudetur inquit oſtium, quia modicā habes virtutē Reſpondebo. Reſpectus. Cuius. Humilitatis. Hâc enim omnes inſidias Diaboli ſuperat pænitens. Modica virtus, dicitur hoc, vel quia deſpecta eſt & contemptibilis virtus, vel quia rara. Concludo cum Bern. in Epiſt. Vis capere celſitudinem DEI, cape humilitatem Chriſti.

Pro Charitate. Nota. *Auguſt. de laude charitatis.* Charitas eſt actio rectitudinis oculos ſemper habens ad DEVM, glutinum animarum, ſocietas fidelium, actio non frigida, actio non fracta, non fugax. Dicitur Canticorum, *Faſciculus myrrhæ dilectus meus.* Myrrha eſt amaritudinis nota. Cur ergò ad talem faſciculum dilectum accommodat! Erat quidem Chriſtus natus, miſeriarum & amaritudinum faſciculus ſi ipſum conſideraueris, ſed ſi naturam humanam, eius amaritudo, noſtra dilectio, noſtra ſaluatio, faſciculus gratiarum, congeries ambroſiarum. Eandem charitatem commendabat nobis naſcendo, quam Leuit. 6. inſtruebat. *Ignis ſemper in altari meo ardebit, quem nutriet ſacerdos, ſubiiciens ligna.* Altare eſt Cor, ſacerdos dans ſacra, eſt memoria, quæ ſubminiſtrabit ligna, præſepe, crucem, paſſionem *Iſid.* Charitas omnium virtutum obtinet principatum.

Charitas Dei in nobis.

IN

IN NATIVITATE CHRISTI SERMO II.

Verbum Caro factum eſt Ioan. 1.

Quid per hoc Verbum Caro factum eſt intelligitur.

REſp. Filius DEI dicitur Verbum quaſi verum bonum, verum autem bonum à tribus commendatur. 1. Ab omnis amaritudinis abſentia. Talis eſt filius DEI, ab eo enim manat omnis beatitudo, & in ipſo eſt æternitas indeficientiſſima. De primo. Sap. 8. *Propoſui ſapientiam adducere mihi ad conuiuendum, non enim habet amaritudinem, nec tædium ſed lætitiam & gaudium.* Secundò. Ab omnimoda ſufficientia. Pſ. 15. *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* Eccl. 24. Poſuit Dauid puero, excitare regem ex ipſo fortiſſimum in ſempiternum, qui adimplebit quaſi Euphrates ſenſum. 4. Reg. 3. Prius defecerunt vaſa quàm oleum ad Heliſei mandatum. Ita vaſa deſideriorum adimplebit. Pſ. 44. *Aperis tu manum tuam & imples omne animal benedictione.* 3. Ab æterna indeſinentia. Pſal. 101. *Tu autem Domine in æternum permanes, & memoriale eum in generatione & generationem. Tu ipſe es & anni tui non deficient.* Malach. 3. *Ego Dominus & non mutor.* E contrario bona huius mundi amaritudinibus permixta, ſunt vacua & nunquam replentia. Sunt inſtabilia. Eccl. 2. *Ego Eccleſiaſtes fui Rex in Ieruſalem ædificaui mihi domos, plantaui vineas, hortos, piſcinas, coaceruaui argentum, aurum, & reperi in omnibus vanitatem & afflictionem animi & nihil permanere ſub ſole.* Idem probatur. *Iſa* 36. Ægyptus eſt baculus arundineus, confractus; cui ſi innixus fuerit homo, intrabit manum eius, & perforabit eam. Et in Euang. *Spinæ quæ ſuffocant in homine ſemen gratiæ* DEI.

ANNOTATIONES.

PAucis verbis ſed luculentiſſimis in ſuo mellifluo hymno D. Bernardus. *Nil cogitatur dulcius quàm IESVS DEI filius.* Et iterum. *Dulcedo ineffabilis totus deſiderabilis.* Hinc ipſam dulcedinem, ipſam ambroſiam, ipſam lætitiam IESVM eſſe recogita nec quicquam amaritudinis habentem: De DEO eiuſq; dulcedine Aug. lib. 6. Confeſſ. dicit. O vera ſumma ſuauitas omni ſuauitate dulcior, ſed non carni & ſanguini: omni luce clarior, omni ſecreto interior, omni honore ſublimior, ſed non ſublimior in ſe. Hoc quod dicit de DEO, ſentiendum quoque de IESV Chriſto, in quo ſi ſuper hæc redemptorem ſpeculatus fueris, omni

omni dulcedine dulciſſimum, omni ſuauitate ſuauiſſimum, imò ipſam dulcedinem & ipſam ſuauitatem percipies & affirmabis. *Caſſiod. ſuper Pſal. Magnus Dominus, ad maiorem claritatem dulcedinis & ſuauitatis in DEO ait.* Eſt DEVS virtus inexplicabilis, pietas incomprehenſibilis, ſapientia ineffabilis, cuius diffinitio eſt, finem in ſanctis laudibus non habere. Et ſi Apoſtolus auditâ Corinthiorum conuerſione ita gauiſus ſit vt diceret 2. Cor. 7. *Repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra*, quanto non magis lætabitur, audito, quod IESVS eſt amor, cibus, potus, quies, refugium ipſius, optimè D. Bern. *IESVS mel in ore, melos in aure, iubilus in corde.* Sed hoc facilè percipitur ab illis, qui reguntur & illuſtrantur inſtinctu & lumine diuino, qui non expendunt res cœleſtes ratione & iudicio humano, ſed in omnibus ſequuntur lumen diuinum. Exo. 4. Ægyptij, intrantes aquas maris cooperti ſunt aquâ, Iſrael autem tranſiit ſicco pede. Ita ſcrutator maieſtatis opprimetur à gloria, humiles verò & corde ſuſcipientes & adorantes Verbum, ſaluabuntur.

Nota. Pro beatitudine & æternitate. *Aug. in illa verba Hæc eſt vita.* Infælix qui omnia nouit, & te neſcit: qui autem te & illa nouit, non propter illa beatus, ſed propter te ſolùm. Euripides inter beatitudinem & fælicitatem hanc ſtatuit differentiam. Qui diuitiis eſt affluentior altero, ille felicior eſt, ſed beatus non eſt, quia mortalium nemo eſt beatus. Vnde beatitudinem, in immortalitate & æternitate poſuit. De quo Aug. lib. 12. de Ciuit. inquit. Beatitudo vera non eſt, de cuius æternitate dubitatur. Hinc initiũ noſtræ beatitudinis SS. Patres in duobus poſuerũt. Aug. ſer. 6. de Temp. ponit in fide. Beatitudo poſita eſt in vera fide. Ambroſ. ponit in pura conſcientia. Beatũ nil niſi quod caret peccato. Sed quicquid ſit de initio beatitudinis noſtrę, ipſa beatitudo. Finalis noſtra DEVS eſt & indeficiens beatitudo. Pſ. 35. *In ebriabuntur ab vbertate dulcedinis domus tuæ.* Si talis dulcedo ab vbertate domus, qualis erit à viſione DEI? Domus illius vbertas, ſuperat in infinitũ Aſueri domum, de quo Heſter primò, quia ſuſtentabatur columnis argenteis, gemmas habuit inſtar ſyderũ firmamenti, lectuli aurei erant; quantò ergò Rex illius domus, deſiderabilis cunctis gentibus, in quẽ proſpicere Angeli ſẽper cupiunt licet eũ continuò videant ſuperabit millies millia Aſuerorũ, cum indeficiens & ſuperæternus exiſtens immortalitate & inſuperabili dulcedine reficiet donabitq; à ſe beatificatos? Contemplanda ſunt verba in ſacra pagina cum dicitur. *Ecce DEVS. Ecce Dominus.* Quaſi diceret. Nec erat, nec eſt, nec erit, tantæ maieſtatis DEVS & Dominus, licet magnificos ſibi veſana hominum mens ſtatuebat DEOS, ſicut eſt DEVS & Dominus noſter, Pater Filius & Spiritus S. Vnus trinuſq; DEVS. Vndè Iſidor. lib. 1. de ſumm. cap. 2.

Ecce DEVS Dominus. cap. 2. Cum dicitur. Ecce Devs, non quaſi viſibilem oſtendit, ſed vbique præſentem ſignificat. Cum dicitur Ecce Dominus. Oſtenditur quòd magnitudinem diuinitatis eius nullus poſſit ſenſus plene attingere creatus, nec Angelus puta, nec homo quomodocunq; illuminatus. Quocirca, eſt Devs beatitudo ſufficientiſſima, æternitas indeficientiſſima.

Quare Verbum caro factum.

Quare hoc verbum caro factum aſſeritur.

QVinq; ſunt cauſæ. Prima. Vt per illud in viam iuſtitiæ reuocemur. Adam quippe vt ouis errauerat, perierat & poſteritatem ad deuium inferni deduxerat. Sicut ouis *(Ouis homo.)* poſiti fuerunt in inferno. Sed agnus Dei ad Patriarcharum & Prophetarum preces, à regalibus ſedibus veniens, ouem centeſimam humanum genus queſiuit, & in viam iuſtitiæ ad Angelorum ſocietatem adduxit. 2. Reg. 14. ad Thecuitæ perſuaſionem Dauid Abſalon. *Vade reuoca puerum Abſalon, & adduxit Ioab Abſalon in Hieruſalem.* Abſalon interpretatur patris amaricatio. Significat Adam & peccatorem, quia per peccata amaricauerunt dulcem creatorem. Adam cum Eua ſpirituale fratricidium commiſerunt, nam gladio inobedientiæ ſpiritum ſuum qui eſt carnis quaſi frater, occiderunt. Sap. 16. *Peccator per malitiam occidit animam.* Ideò in Geſſur id eſt, dolorem, cum omni poſteritate expulſus, & fuerunt in doleribus & ærumnis infernalibus ad aduentum Filij Dei. Quod ſciens Thecuites. Id eſt, diuina miſericordia. Thecuites enim interpretatur, buccina eorum, acceſſit ad Devm Patrem, pro genere humano, ideò miſit Ioab qui interpretatur inimicus inimicitiæ, & ſignificat Filium Dei, qui peccatis inimicatur & virtutibus amicatur, qui reuocauit per ſanguinem ſuum & mortem in gratiam Dei patris.

(Margin: Agnus Chriſtus. — Abſalon quid ſign.)

Secunda cauſa. Vt per eius ſanguinem à peccatorum ſordibus lauaremur. Ad Hebr. 9. *Si ſanguis hircorum taurorum & cinis vitulæ inquinatos ſanctificat, quanto magis ſanguis Chriſti emundabit conſcientiam noſtram.* Et Apocal. 1. *Qui lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* Baptiſmus enim virtutem hanc quod peccata lauat accepit à ſanguine Chriſti. *Innocentius.* Per ſacramentum, baptiſmi ſanguine Chriſti rubricati culpa remittitur, vitatur periculum, & ad regnum cælorum peruenitur.

3. Ratio. Vt per eum in hac peregrinatione cibaremur. Hoc fit per Euchariſticam quod viaticum vocatur. Io. 6. *Caro mea verè eſt cibus & ſanguis meus verè eſt potus.* Cibus hic facit manere Devm in nobis & nos in Deo. Hinc voluit naſci in Bethleem quæ domus panis interpretatur. Voluit in præſepe poni, quia peregrinantium panis, non ſolùm diuitum ſed etiam pauperum. Ergò non ſolùm tranſeamus in Bethleem videre Verbum, ſed corde quoq; ſuma-

(Margin: Euchariſtia panis.)

ſumamus. Bethleem Eccleſiam v-tramq; ſignificat. Hanc vbi conficitur & ſumitur corpus Chriſti, ibi reuelatis oculis aſpicitur & à beatis fruitur.

Reſuſcitatio noſtra. 4. Ratio. Vt per eum in Chriſti iudicio reſuſcitaremur. Io. 6. *Hæc eſt voluntas patris mei, vt omnis qui videt filium & credit in eum habeat vitam æternam. Et ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* Qui videt oculis timoris & amoris, credit vera exhibitione operis, reſuſcitabitur ad poſſidendam vitam ſempiternam. Oſeæ 6. *Viuificabit nos poſt dies duos, & tertia die ſuſcitabit nos, & viuemus in conſpectu eius, ſciemus ſequemurq; vt cognoſcamus Dominum.* Dies id eſt, fatigationis in hac vita, 2. requietionis à labore. 3. Remunerationis per filium.

5. Ratio. Vt per eum in patria deificaremur. Primi enim parentes volebant eſſe vt dij, & facti ſunt vt iumenta. Chriſtus ergo iumentum pro nobis factus, ſtimulos pœnalitatum tollerauit, & crucem tulit, & ſic recuperauit dignitatem homo. Pſ. 81. *Ego dixi dixi*, id eſt laboribus meis effeci, *dij eſtis*, id eſt eritis & dicemini filij excelſi. Ad Rom. 8. *Erimus hæredes DEI & cohæredes Chriſti.*

ADNOTATIONES.

PRo prima ratione. Iſ. 45. *In Domino iuſtificabitur & laudabitur omne ſemen Iſrael.* Quis iſte Dominus, in quo iuſtificatio vera & laus in ſæcula ſæculorum ſeminis Iſraël permanſit & firmata eſt? Ille qui dixit: *Vos vocatis me Domine & magiſter, & benedicitis. Sum etenim.* In hoc enim Domino, gaudium annunciatum ab Angelo, *Natus eſt vobis Saluator* Chriſtus Dominus. Qui primùm miſſus fuit ob recuperationem Iſraëlis.: Sicut in Euangel. *Non licet dare panem filiorum canibus.* id e. gentilitati. Ille ergò nos reuocauit ad iuſtitiæ viam. Aug. l. de verit. rel. Tota vita Chriſti in terris per hominem quem geſſit, diſciplina morum fuit. Omnia enim bona mundi Chriſtus contempſit, quæ contemnenda docuit; & omnia mala ſuſtinuit, quæ ſuſtinenda præcepit: vt nec in illis quæreretur fælicitas, nec in iſtis infælicitas timeatur. *Iud.* 14. Samſon mel inuenit in ore leonis, quo comeſto percuſſit Philiſthæos. Leo eſt Chriſtus, Samſon, qui interprætatur nominis iteratio, ſignificat Chriſtianum à Chriſto, iteratur enim nomen Chriſti in Chriſti fidelib9, percuſſi Philiſthæi, hoc eſt, conſperſi cinere, ſic enim Philiſthæus interpretatur, quia in æternam obliuionem, omnis mæror dabitur, vbi mel Chriſti doctrina & ſacramenta obſeruabuntur, ſicut conſperſus cinere mortuus ante annos 100. & vltra, obliuiſcitur. Hinc *Ambr. in quodam ſermone:* Omnia habemus in Chriſto. Si à vulnere curari deſideras, Medicus eſt; Si febribus æſtuas, fons eſt: Si grauaris iniquitate, iuſtitia eſt: Si indiges auxilio, baculus eſt: ſi mortem times, vita eſt: ſi tenebras fugis, lux eſt: ſi cœlum deſideras, via eſt: ſi cibum quæris, alimentum eſt: Si his profana addere licebit, inquit Val.

Val. Max. l. 1. c. 1. Poſthumius Conſul tuto ſe committere Martio certamini non auſus fuit, ceremonijs Martis deſertis. Quis Chriſtianorum aſſerere poterit, quod ſine iuſtificatione impij, ſine ductore Chriſto, bellum cum inferis fælix fauſtūque quādo fuerit? *Act.* 3. Præco Chriſti quid loquatur accipe. Notum igitur ſit vobis, quia per hunc vobis remiſſio peccatorum annunciatur ab omnibus, quibus non potuiſtis in lege Moyſi juſtificari.

Pro 2. ratione. Nota. Nemo corrigere poteſt, quem Dominus contempſerit. Quare? quia peccauit contra Altiſſimum vermis; contra juſtum peccator. Iſaiæ 2. *Quis dedit in direptionem Iacob & Iſrael vaſtantibus? Nonné Deus ipſe cui peccauimus?* Quis igitur tantam turpitudinem, quis tantam abominationem ab anima peccatoris tollet, lauabit? vt Æthiops hic, ſuper niuem dealbaretur? Nullum tibi Medicum prudentia mundi demonſtrabit, nullum tale balneum ratio humana inueniet, ſed audi cæleſtem aquilam 1. Ioa. 2. dicentem: *Sanguis IESV Chriſti filij Dei emundat nos ab omni peccato. Si confiteamur peccata noſtra fidelis eſt & juſtus vt remittat nobis.* Bern. ſuper Cantica. Gemina dulcedo ſuauitatis exuberat in pectore Dñi JESV. Longaminitas in expectando, & facilitas in donando. Quid igitur deerit animæ vt ablui poſſit à ſordibus peccatorum? Nil aliud, niſi vt accedat ad abluentem, non aquâ, ſed ſanguine lauātem, non ſmigmate, ſed amore tergentem. *In charitate perpetuâ attraxi te miſerans.* Plato Philoſophus (inquit de illo Val. Max. l. 4. c. 1.) cùm aduerſus delictum ſerui vehementius exarſiſſet, amico caſtigationis arbitrium mādauit. Magnum indicium rectæ rationis. Sed velim conſideres ô homo Deum tuum. Poterat te peccantem ex iuſtitia Deus condemnare, pepercit tibi ex miſericordia, & vt totaliter ſis liber à macula peccati & pœna, cōmiſit te filio ſuo ceu arbitri, qui te lauare in ſanguine ſuo iuſſit. *Bern. in Cant.* Quis poſt illum non libenter atque alacriter currat, qui & ab errore liberat, & errata diſſimulat, qui deinde merita viuendo tradit, & præmia moriendo conquirit. Parua ſunt quæ de Chriſti in nos propenſione recitaſti. Quilibet peccator miſeriam ſuam conſiderando, & Chriſtum contemplando dicet cum regina Sabba. Credebam narrantibus mihi, ſed nunc vt video nō fuit mihi narrata medietas. 3. Reg. 10. *Lauabis me Domine, & ſuper niuem dealbabor.*

Deus mala in peccatores immittit.

IESVS à pecc. lib.

Sanguis Chriſti balneū animæ

Caſtigatio amic. commiſſa

Pro 3. ratione. Nota. Cibus ſum grandium, creſce & mānducabis me. Si de altitudine moli eſſet ſermo, nunquam Zachæo dictum eſſet. *Feſtinans deſcende, quia in domo tua oportet me manere,* erat enim paruæ ſtaturæ, ſed creſcere debet homo, vt poſſit cibari Corpore Chriſti fide, ſpe, charitate, cæteriſq; virtutibus. *Panis cor hominis confirmat.* Pſal. 103. Ipſumné cor? Totum profectò hominē panis quotidianus corroborat, vt patet in Helia laſſo, cui panis ſubcinericeus

Eucharistia panis.

riceus ab Angelo poſitꝰ erat. 3. Regum 19. Quare igitur dicitur cor confirmat? Fortè, quia cor in homine, primum & vltimum eſt viuẽs. Non, ſed innuebat eſſe alterum panem, cuius accidentia panis ſunt, at ſubſtantia panis non eſt, quali pane ſuperſubſtantiali paſcuntur Angeli, & ſub accidentibus panis corporalis, reficiuntur in anima homines. Ioan. 5. *Si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum.* De hoc pane in meditationibus B. Anſel. Ecce animus meus, fatigatus veniens de via cogitationum, ab ipſis per quas tranſierat vanitatibus, per multa diuiſus periculoſam patitur eſuriem. Non habeo quid ponam ante illum, pauper ſum & egenus. O diues omnium bonorum & dapum ſupernæ ſocietatis opulentiſſime largitor DEVS, da lapſo cibum, collige diſperſum, libera captiuum, reintegra ſciſſum, en ſtat ad oſtium & pulſat. Obſecro per viſcera miſericordiæ tuæ quibus viſitaſti nos oriens ex alto, iube pulſanti miſero aperiri, vt liberis greſſibus ingrediatur ad te, & requieſcat in te, & reficiatur à te cœleſti pane. Vt verò peccatis obrutus in hac viâ non deſperet, ſed recordetur Pſal. 49. qui dicit: *Intelligite hæc, qui obliuiſcimini DEVM, ne quando rapiam & non ſit qui eripiat,* ſicut in Hebræo legitur, confortat viatorem cui in via hic panis quàm pernecesſarius eſt his verbis Ambr. de Sacr. Si quotieſcunque effunditur ſanguis, in remiſſionem peccatorum funditur, debeo illum ſemper accipere, vt ſemper mihi peccata dimittantur. Qui ſemper pecco, ſemper debeo habere medicinam.

Medicina animæ Eucharist.

Pro 4ta. ratione. Nota. Plurima requiruntur ab homine ob intellectûs rationabilitatem, ſed inter cætera inquit Menander proſpicere futura debet. Nitere (inquit) homo cùm ſis, prouidere inpoſterũ. Si per poſterũ, ipſum tempus intelligit, nõ abs re eſt; ſed ſi æternitatem cogitat inſinuare, hoc non in poteſtate hominis. qui dum in terram ibit, reſurgere per ſe non valet. vnde Sap. 4. *Nos ex nihilo nati ſumus, & poſt hoc erimus quaſi non fuerimus.* Bene Alphonſus Aragonorum Rex ad tres Cyfras quæ nil per ſe in numero ponunt, addidit lemma. *Nihil fuimus, nihil ſumus, nihil erimus.* Verùm hominem ſic deſtitutum eſſe à natura dum conſidero, quòd nullus illi auxiliator ſit, cõcordentq; illi verba Pſ. 88. *Longè feciſti notos meos à me, poſuerunt me abominationem ſibi,* vbi me ſcilicet ſeparatum ab anima conſpexerunt; & ecce DEVS homo factus adiutor meus dicit. Refloreſcet caro tua, dabitur regreſſus à priuatione ad habitum. Scito, quia in carne hac quæ in cinerem conuertetur, iterum videbis DEVM, & oculi hi tui conſpecturi eũ ſunt, & non eris alius homo ab hoc qui modò es, ſed eris hic & nõ alius. Neq; dictis moleſtetur aliquis, nam qui nobis natus datuſq; eſt, ille quoque reſurrexit vt nos reſurgeremus. Quidam in ſymbolum poſuerat manum

Quomodo proſpiciend[...] futur[...]

Ciſt[...] vald[...] quid.

Chriſt[...] adiutor noſter.

Da & accipe. num è cælo cum ſyngraphe, *Da & accipe.* Reciprocũ quid eſſe videbitur, ſed ſi Deum Patrem Filium eius contemplabimur, eſt manus Dei & vox dicẽtis ad Filium. *Da & accipe.* Quicquid vis dare homini boni, ſalutiferi, æterni, cuius factus es auxiliator *Homo tria habet in Chriſto* redemptor. Da da vitã, temporalia, ſpiritum, incorruptionẽ, immortalitatem. Accipe pro illo omnẽ gratiã, æternitatẽ, adoptionem. Suauiter Caſſ. in Pſal. Eſt in Chriſto homine vniuſcuiuſq; noſtrũ caro ſanguis & portio, vbi ergò portio mea regnat, regnare me credam: vbi dominatur ſanguis meus, dominari me ſentio; vbi glorificatur caro mea, me glorioſum eſſe cognoſco. Num. 16. Virga Aaron vnâ nocte floruit & folijs dilatatis produxit amygdala. Multò minùs impoſſibile erit apud Deum verbum, quod credendum nobis per Apoſtolum ſuum propoſuit. *Credo carnis reſurrectionem.*

Retribuere Deo nõ poſſ. Pro 5. ratione. Nota. Pſ. 115. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi.* Cùm audis Chriſtum natum, vt homo per ipſum deificaretur, jam non ad diſcurſum ſed ad laudem & gratiarum actionem animum conuertas neceſſe eſt. Quid enim illi retribuere poteris pro multis tibi collatis beneficijs, ſi quicquid es & habes, non tua, ſed illius ſunt bona? Quid verò retribues pro omnibus? jam enim ſunt omnia tibi collata illius bona, ſi id quod eſt ab æterno cum natura habet vt ſit Deus, tibi conceſſit hoc per ſuam diſpenſationem, vt tu idem per adoptionem haberes, ſiſque deificatus & Dei filius. *Ioan.* 1. *Petitio p vulnera Chriſti.* Luſitaniæ Rex cognomento maximus donum Chriſti in cruce collatum ſibi & toti homini, dum meditaretur ex vulneribus & plagis, votum conſtituit concedendi cuilibet quicquid ijs interpoſitis obſecraretur. Accidit, vt quidam ex prima nobilitate adſtaret iã morienti, qui eum deprecabatur per vulnera Chriſti vt ipſius ægeſtatem reuelaret. Tum Rex, præter annuos reditus non mediocres, argenteam ſupellectilem vniuerſam homini donauit. Profectò pius Rex retribuebat Domino aliquid pro beneficio. Sed pro omnibus nobis collatis à Iesv, quis retribuere poterit? *Gratiarum actio retrib.* Ergò gratitudine repende, gratiarum actione recompenſa, laudibus ex corde retribue. Hinc Leo Papa ſerm. 1. de Nat: Dom. poſtquã docuit, quòd Deus factus eſt homo, vt homo fieret Deus, concludit. Agamus ergò dilectiſſimi gratias Deo Patri per filium eius in Spiritu ſancto, & agamus voce & opere. Deponamus veterem hominẽ cum actibus ſuis, & facti Diuinæ conſortes naturæ in veterem vilitatem nõ degeneremus, quia veritate te iudicabit, qui miſericordiâ te redemit.

Qualiter, & per quid hoc Verbum in nobis habitare dicatur?

Resp. Per quinque habitat. Primò, per fidei ſynceritatem. ad Epheſ. 3. *Flecto genua mea ad Patrem Domini*

mini noſtri IESV CHRISTI, *vt det habitare Chriſtum per fidem in cordibus noſtris.* Sed pauci talem fidem oſtendunt, præponunt ſtercora temporalia, dulci Christo.

2. Per corporis & animæ puritatem. 1. Cor. 5. *Neſcitis quia templum Dei eſtis vos & Spiritus Dei habitat in vobis. Templum enim Dei ſanctũ eſt, quod eſtis vos*, q. d. Si eſtis ſãcti, id eſt, mundi corpore & anima, tunc Deus habitat in vobis. *Domum* quippe *Domini decet ſanctitudo in longitudinem dierum.* Pſal. 92.

3. Per viſceroſam charitatem. 1 Ioan. 4. *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Charitas autem eſt Deum & proximum ex toto corde diligere. Quod eſt contra illos de quibus Ier. 12. *Propè es tu ori eorum, & longè à renibus eorum.* Et Ier: 9. *In ore ſuo pacem cum amico loquitur, & occultè ponit ei inſidias.*

4. Per glorioſam humilitatem. Iſa. 57. *Dominus excelſus habitat cum contrito & humili ſpiritu.* Vnde B. V. M. dicit: *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.*

5. Per timoris ſoliditatem. ad Coloſſ. 3. *Verbum Chriſti habitat in vobis abundanter in omni ſapientia.* Per omnem ſapientiam figuratur timor Domini. Nam Eccl. 1. dicitur: *Plenitudo ſapientiæ eſt timor Domini.* Habitat in timente eum, quia qui timet Dominum, nihil negligit voluntatis eius.

ANNOTATIONES.

PRO PRIMO. ad Gal. 2. *Omnes filij Dei eſtis per fidem quæ eſt in Chriſto Ieſu.* Quid clarius, quod per fidem Verbum in nobis inhabitat? Quomodo enim quis illuminabitur ſi lumen nõ habet, quomodo quis filius Dei erit ſi Deum in ſe non habebit? Per fidem, quæ eſt in Chriſto, vt noſtro magiſtro & doctore, & quæ eſt in nobis, vt diſcipulis, ſumꝰ filij Dei, & filius Dei habitat in nobis. *Cypr. l. 1. epiſt.* Fides eſt bonorum omnium fundamentum & animæ redẽptio. *Et Aug. lib. 22. de Ciuit: Dei cap. 29.* DEI viſio, fidei præmium eſt. Si ergò DEI viſio & animæ redemptio à fide eſt, quomodo verbum in corde hominis, à fide non erit? Quocircà Eccleſ. 45. de Moyſe dicit: *In fide & lenitate ſanctũ fecit illum Dominus.* Et quis ſanctus? niſi ſit DEVS cum eo, in eo, ad eum! *Aug. de Verb. Dom.* Nullæ maiores diuitiæ, nullius theſauri, nullius honoris huius mundi maiores ſubſtantia quam fides Catholica. Quæ enim maiores theſauri erunt fide hac, per quam filius DEI habitat in nobis? Gratus populus reginæ Cymbrorum refert Ludouicus Regionem erexerat epitaphium ad ſtatuam illius erectam ex vna parte Cytharam, ſub ſcribendo, *Cymbriæ Hilaritas*, ex altera facem accenſam, additis litteris, *Cymbriæ Serenitas.* Morem gentilitatis ſecuti ſunt, attamen aliquid boni ex lumine naturali procedentis in illa efformabant. Chriſtiana hilaritas & ſerenitas non eſt alia, niſi Fides, Spes, Charitas, Hæc enim tria, ſunt tres portæ ſpiritualis ædificij, vt Greg. ſup. Ezech. hom. 19. notauit, quæ non aliter vt reor ſunt diſpoſitæ, niſi vt per fidem eatur ad ſpem, & inde ad charitatis portam, quæ ad ipſius ſecre-

ſecretiſſimi palatij omnipotentis Dei eſt porta. Quam qui ingreſſus fuerit, videbit Deum & regnabit cum illo. Ceſſabunt etenim hæc duo, Fides, Spes, Charitas autem manebit in patria. Quod ſi per fidem Catholicam & Chriſti Verbum in corda hominum venit, cauendum eſt fideli, ne fidem ſuam operibus malis contaminet; Cui enim dubium eſt, quod inter tres peccatores, gentilem, hæreticum & Catholicum, multò maioribus pœnis dignus ille cenſetur, qui maioris fuerit dignitatis maiorisq; gratiæ. Pſ. 54. *Si inimicus meus maledixiſſet mihi ſuſtinuiſſem vtiq; ſed tu qui dulces mecum capiebas cibos* &c.

Chriſtianorum grauiſſ. pecc.

Pro 2. Nota. Vtraq; ponitur paritas, quia nihil prodeſt incorruptio carnis, vbi non eſt integritas mentis. Iſid. lib. 2. cap. 40. *Iudith 15. Confortatum eſt cor tuum, eo quod caſtitatem amaueris, & poſt virum tuum, alterum neſcieris, ideo eris benedicta in æternum.* Promittebat magna Iſaias caſtis. Hæc dicit Dominus Eunuchis. Dabo eis in domo mea & in muris meis locum & nomen melius à filiis & filiabus: Dabo eis nomen ſempiternum, quod non peribit. Subdit Iſid. lib. 2. cap. 40. Nec dubium quod qui caſti perſeuerant & virgines, Angelis Dei efficiuntur æquales. Verùm qui corpore & animo virgines ſunt, templum Spiritus ſancti & palatium Verbi Dei, erunt. Aduerte quid de caſtitate dicatur in collatione Neſtoratis: Maius miraculum eſt de carne propria fomitem eradicare luxuriæ, quam expellere immundos ſpiritus de corporibus alienis. De pudicitia verò quæ eſt puritas mentis audi Cypr. de abuſionibus loquentem. Pudicitia eſt ornamentum nobilium, exaltatio humilium, nobilitas ignobilium, pulchritudo vilium, ſolamen mærentium, augmentum omnis pulchritudinis, decus religionis, minoratio criminum, multiplicatio meritorum, creatoris omnium Dei amica. Quid igitur reſtabit addendum, niſi quod puritas mentis & corporis ſit tabernaculum filij Dei, Paradiſus Verbi incarnati. Habet Val. Max. lib. 4. cap. 3. Scipio deuicta Carthagine multos obſides in poteſtatem redegit. Cùm verò virginem formæ eximiæ victor annorum ſuorum viginti quatuor, & minoris ætatis puellam conſpexiſſet, & natam illuſtri loco inter Celtiberos cognouiſſet, imò viro magno iam deſponſatam audiſſet, arcerſitis parentibus & ſponſo illam inuiolatã reddidit, & aurum pro redemptione puellæ allatum, ſummæ dotis adiecit. Qua continentia & munificentia Indibilis ſponſus motus, Celtiberorum animos Romanis applicauit. Vide quid promeruit caſtitas Scipionis, & recenſe, quod caſtitas tua mentis & corporis, domicilium in corde tuo Chriſto nato, & regales delicias tibi in cœlo, conſtituet ſolidabitque.

Caſtitatis laus.

Pudicitiæ dignit.

Continentia Scipionis.

Pro 3 Nota. Media cuiuſcunq; rei debent eſſe proportionata principio

Charitas Dei & hominis. cipio & fini, inquit Philoſ. Quia verò Chriſtus filius Dei deſcendit in terram media ſummâ charitate erga hominem, requiritur etiam charitas eadem in homine vt deſcendat Verbum Dei in cor ipſius. Leuit. 26. *Ponam tabernaculum meum in medio veſtri, & non abiiciet vos anima mea.* Igitur & tua anima non abijciat eum ſed deſideret, ſuſpiret, ſuſcipiat in multa charitate & humilitate: Sic enim complebitur in nobis quod Iſa. 42. dicitur: *Non vocaberis vltra derelicta, & terra tua non vocabitur amplius deſolata, ſed vocaberis voluntas mea in ea & terra tua inhabitata.* Puta, terra humana à Diuinitate non derelinquetur, ſed habitabit in corde charitate pleno. Sanctus Capiſtranus dum ardenti charitate prædicabat Aquilæ Chriſtum, apparuit ſtella ſuper caput eius, vti etiam apparuerat ſuper prædicantē S. Bernardinū in illud Apoc. *Signum magnum apparuit in cœlo.* Et cùm tenderet Romam ad ſollicitandam Canoniſationem S. Bernardini, ſtella ſeſe ducem illi exhibuit; *Sedulius in vita Capiſtr.* Vide care lector, quod charitas in proximum & Devm in prædicatione declarata, ornauit verticem prædicatorum, ſtella. Quid non ornabit cor noſtrum Verbum Filius Dei, ſi charitatem veram habuerimus? Sicut adhæret lumbare ad lumbos viri, ſic agglutinaui mihi omnem domum Iſraël, id eſt. Præualentem Deo, puta charitate affectum carnis. *Greg. hom. 2 in Ezech.*

Stella ſuper caput Capiſtrani.

Perfe- Quem perfecta charitas abſorbuerit, ad terrena foris deſideria velut inſenſibilem reddit; neque ſanctus quilibet mori potuiſſet pro Domino in corpore, ſi prius à terrenis deſideriis mortuus non fuiſſet in mente. At ſupra id totum verbum filius Dei habitabit in nobis dum charitatem habuerimus. Leuit. 6. *Qui diligunt te ſicut ſol in ortu ſuo ſplendet, ita rutillent.*

Ha chi- ritatis homin-

Pro 4. Nota. Pſal. 135. *In humilitate noſtra memor fuit noſtri.* Vis cognoſcere rationem? *Quia ſuperbis reſiſtit, humilibus dat gratiam.* Aut, quia gloriam præcedit humilitas vt Prou. 15. dicitur. *Chryſoſt: in Policrat. lib 4.* Quiſquis quietem propriè celſitudinis amat, humilitatis culmen in moribus diligentiſſimè teneat. Nam qui ab humilitatis operibus recedit, à dignitatis faſtigio rumoris pondere cadit. Quocirca Nahum 3. dicitur. *Intra in lutum & calca.* Si cuiq; hominum præcipitur, ergo ſummus ſacerdos, Rex, Nobilis, &c. debent intrare lutum & calcare illud? Nullus virorum magnorum hoc expleuit. Quid igitur, vana erit hæc ſcriptura? Non, ſed myſticè non ad literam intelligenda. Intra lutum tuum ô homo ex quo formatus es, intra conſideratione, vide limum fætidum, cogita te maculoſam & luteam fuiſſe terram, calca & verſa, non reperies niſi maiorem turpitudinem, ſordidius lutum, quid igitur te ad humilitatem non animabit? Ergò ſta in hac tua humilitate, & ille qui formato luto inſpirauit in lutum ſpiraculum vitæ, in te deſcendet, & nouo lu-

Humi- litas.

Calca- re lutu- quid.

tio lumine, nouo ſpiritu, colluſtrabit humilitatem tuam, aptamq; ſuperis diſponet. Sume igitur pro humilitate Antidotum Baſilij in Hexam. Tria ſunt quæ radicata nutriunt humilitatem, ſcilicet, aſſiduitas ſubiectionis, conſideratio propriæ fragilitatis, & conſideratio rei melioris.

Pro 5. Nota. Eccl. 25. *Beatus homo cui donatum eſt habere timorem DEI. Semen enim eius honorabitur, nec occurrent ei mala*, quia timor Domini, gloria & gloriatio, & lætitia & corona exultationis. *Eccl. 1.* Bern. ſerm. 20. ſup. Cant. Devm time & mandata eius ſerua hoc eſt enim omnis homo: ergo ſi hoc eſt omnis homo, abſq; hoc nihil eſt homo. Lego in Hiſt. Neapolitana Coſti. Petrus Aragonius cùm de regno Neapol. cum Renato Andegauenſi armis contendebat, obſedit murum propè templum B. V. M. de Carmello, vt tormētis quateret. Monitus à fratre Alphonſo ne verſus Deiparæ templum tormenta dirigeret, ſed non obediuit. Fecit ille ictum verſus templum ex tormento maiori, & imago crucifixi ictum globi declinauit caput demittendo. Dum verò ex templo illo exploſerunt tormentum, percuſſus Petrus occubuit, & pila tertio ad terram illiſa, quarto ictu caput ei comminuit. Ergo ſcito, quod timere Devm eſt, nulla quæ facienda ſunt bona præterire. *Greg. in Moral.* In via Dei à timore Dei incipitur, vt ad fortitudinem veniatur. Nam ſicut in via ſeculi audacia gignit, ita in via Dei audacia debilitatem, timor fortitudinem generat. Dicitur Pſ. 24. *Firmamentum eſt Dominus timentibus eum.* Quaſi diceret nedum eſt fortitudo timentibus, ſed eſt firmamentum ipſorum, ſicut terra eſt firmamentum aquæ, aut ſicut eſt firmamentum cœli, omnium orbium & criſtallini cœli.

Humili- tatem nu- triunt. *Beatus ti- mens DEI.* *B. V. vindicat.* *plumbi vltrix.* *Crucifixi miraculum.* *Timor initium viæ Dei.* *Firmamentum timentibus Deo.*

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS DOMINI.

Ecce poſitus eſt hic in ruinam & in ſignum cui contradicetur. *Luc. 2.*

Nota. Hoc Euang. B Albertus Mag. tractat poſt Feſtum Circumciſionis Domini, at hic ponimus ob ordinem Dominicarum.

In cuiuſmodi ruinā Chriſtus poſitus eſſe dicatur?

Idolorum ruina per Ieſum.

RESP. In ruinam idolorum, Iſa. 9. *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur in Ægyptum, & mouebuntur ſimulachra Ægypti à facie eius.* Nubes ſunt brachia B. V. M. quando enim venit fugiens in Ægyptum (dicit Magiſter in hiſtoria) corruerunt tunc eorum idola. Et ſicut nulla domus ſine mortuo erat, dum inde diſcederet Iſrael, ita nulla erat ſine idoli euerſione. Ipſe enim ſolus eſt Deus, & non eſt alius præter ipſum.

Idola mundi 4.

Nota. Idola mundi principalia contrita ad aduentum IESV. Superbia, auaritia, luxuria, gula. De primis tribus 1. Ioan. 2. *Omne quod eſt in mundo, concupiſcētia carnis eſt, & concupiſcētia oculorū, & ſuperbia vitæ.* De 4. ad Phil. 3. *Multi ambulāt quos flens dico inimicos crucis Chriſti, quorū Deus venter eſt.* Prima tria idola, ſignata per idola Salomon: 3. Reg. 11. Cùm eſſet ſenex, deprauatum eſt cor eius per mulieres, vt ſequeretur Deos alienos, Aſtertem Deam Sidoniorum, & Chamos Deam Moabitarum, & Moloch idolum Ammonitarum.

Salomonis idola.

Aſtertem interpretatur factura ſuperflua, & ſignificat ſuperbiam, quam non Deus ſed Lucifer nequiſſimus inuenit. Chamos ſignificat auaritiam inſatiabilem, interpretatur enim Chamos congregans.

Moloch.

Moloch, interpretatur Rex, ſignificat luxuriam, quæ omnibus hominibus ſaltim per primos motꝰ dominatur. Quartum Idolum Bel. Dan: 14. Erat apud Babylonicos & impendebantur in eo per ſingulos dies ſimilæ artabeæ 12. oues 40. vini amphoræ 6. Artabea fuit menſura modiorum trium. Iuſtè gulam ſignificat. qui hæc idola non derelinquerit, conſumetur in igne. Iſa. 1. Confundentur enim ab idolis. Iſaiæ 11. *In die illa proijciet homo idola, & ingredietur ſciſſuras petrarum à facie formidinis Domini.*

ANNOTATIONES.

ORIGENES: In ruinam infidelium & in reſurrectionem credentium. Et ſic conſequenter in ruinam idolorum. In ruinam intellige in occaſionem ruinæ. Quæ quidem occaſio non erit ex puero, qui facit omnes reſurgere, nec poteſt eſſe cauſa ruinæ, nec aliqua occaſio, ſed ipſi impij cauſā ſunt & occaſio ſuæ ruinæ ſuā impietate.

Ruina non est Christus, ſed impietas.

Iſa. 8. In lapidem offenſionis & petrā ſcandali, in laqueum & in ruinam, & offendent & cadent, & conterentur, & irretientur & capientur. *Chryſoſt.* Quemadmodum lux etſi oculos debiles turbet, lux tamen eſt, ita etſi plurimi corruant, Saluator tamen eſt. Neque enim eius eſt officium deſtructio, ſed eorum veſaniæ. Quoniam enim Sol multùm radiat, viſum debilem perturbat, ita ſummā veritate ſuæ doctrinæ, falſitas infidelium & malè credentium ruinam accipiet. *Ruent ad veritatem ipſius.*

Pro ſuperbia Nota. Idolum ſuperbus,

Superbia idolum eſt.

perbus, quia deſiderat à multis imò ab omnibus adorari, honorari. *Vidi hominem eleuatum ſicut Cedrum Libani.* Sed quantò excelſiùs eleuatur, tantò profundiùs labitur. Nam qui per propriam ſuperbiam attollitur, per Dei iuſtitiam inclinatur. Vide ſtatuam Nabuchodonoſoris, quanta machina breuì comminuta fuit. Henricus Nauarræ Rex ad Caluariam ſerpente triplicato onuſtum addiderat ſcriptum TE NVNQVAM TIMVI. Idolum ſuperbiæ, coronam de ſerpente habet, illaq; non cupit alterum quàm hominem inſignire, fælix qui vicerit incentiua illius, dixeritque: *Te nunquam timui.* Talis erat S. Thomas Aquinas, de quo legimus in Hiſtoria. O munus Dei gratiæ, vincens quoduis miraculum, peſtiferæ ſuperbiæ nunquam perſenſit ſtimulum. Trabs in oculo grādis, & groſſa in mente ſuperbia eſt, quæ quaſi corpulentia ſui, vana non ſanat, tumida non ſolidat, oculorū mentis obſcurat, & veritatē obumbrat. Bernard. in ſerm. Audet dicere Saluſtius in bello Jugurt. Superbia commune eſt nobilitatis malum. Quod ſi ita eſt, cauendum ſummopere, ne quod ſuperbo & nobili angelo accidit, cùm de cælo detruſus eſt, vobis quoque accidat.

Te nunquam timui.

Caret ſuperb. D. T.

Superbia in nob.

Pro auaritia. Nota. Rectè ſuadebat quidam Comicus. Famam, opibus libenter anteponito. Qui, ſi cognouiſſet aliquando non mortalium famam, quæ caduca eſt, ſed gloriam Chriſtianis promiſſam pro ſpretis mundi diuitijs, quàm acriter in opes inſurrexiſſet? Opes quidem ex ſe nullum vitium generant, ſed animus, qui diuitiarum dominus fieri debuerat, cùm ſeruus illorum fit, in atrocem deuenit contumeliam. Ezech. 7. *Argentum eorum foris proijcietur, & aurum illorū ſterquilinium erit.* quod ſi hæc diuitijs illius acciderint, diuitem & idolatram diuitiarum, quæ ignominia manet? Admonebat auaros D. Paulus ad Eph. 4. *Auaritia nec nominetur in vobis.* Vide quantum fert ſecum auaritia malum, ſi etiam nominari prohibetur? Sed audi clarè pronuntiantem mala auarorū. *Auaro nihil ſceleſtiùs.* Eccl. 10. *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te, quæ autem paraſti cuius erunt?* Luc. 12. *Auari regnū Dei non poſſidebunt.* 1. Cor. 6. Quid cogitas nunc idolatra auaritiæ, qui congregatis tot Regū, Ducum, Jmperatorum in auro & argēto expreſſis figuris, illas quotidie luſtras, illiſque delectaris ceu tuis captiuis, quos tot ſeris in conclaui obſignaſti. Vtinam cogitares quia factus es ipſe nedum diuitiarum captiuus, ſed ipſiuſmet Luciferi ſceleſtis ludibrium. Rectè Iſidorus l. 2. c. 41. Secreto autem Dei iudicio fieri creditur, vt durius pereant hi, quorum cupiditatem effectꝰ ſtatim ſequitur actionis. Verùm vt miſeram conditionem etiam in vita auarorum percipias, intellige, quòd duplici vruntur omni horâ igne, intrinſeco & extrinſeco. Ignis intrinſecus eſt, ipſius ardens concupiſcentia, quæ cor vitam,

Fama præponenda opibus.

Opes vitiū generant.

Auari mala.

Auari in igne duplici vrūtur.

tam, animam vrit & deprauat. De quo ita Iſidorus: Nunquam ſatiari nouit cupiditas. Semper enim auarus eget: quantoq; magis acquirit, tantò amplius quærit: nec ſolùm deſiderio augendi excruciatur, ſed etiam amittendi metu afficitur. Ignis verò extrinſecus eſt, quem auaro Diabolus ſubminiſtrat. De hoc Num. 10. aſſignati capitis Iſidorus. Qui deſiderio cupiditatis exeſtuant, flatu Diabolicæ inſpirationis vruntur. Accendit enim mentem Euæ ſuperbia, vt de ligno vetito manducaret. Accendit Cain mentem inuidia, vt fratrem occideret. Accendit Salomonem luxuriæ facibus, vt per amorem libidinis idola adoraret. Accendit Achab cupiditate, vt homicidium auaritiæ annecteret. His ergò inſpirationibus Diabolus corda hominum occultis deprauat cupiditatibus.

Auarus non ſatiatur.

Pro luxuria. Nota. Improbum quem magis dicerem, non video, niſi luxurioſum. Laudare & infamare eundem, improbi eſt, dicit Menander. Vide velim luxurioſum. An ille non idem ſe infamat peccato, & non idem ſe laudat, gloriando de peccato? Quod ſi mage deſideras improbitatem Luxurioſi. Bern. ſcribentem ſuper Cantica audi. Luxuriæ currus quadriga voluitur vitiorum, ingluuie ventris, libidine coitus, mollitie veſtium, otij ſoporiſq; reſolutione. Trahitur equis æquè duobus, proſperitate vitæ, & rerum abundantia. Præſident his duo, ignauiæ torpor, & infida ſecuritas. Quanta farrago mali cum luxuria & luxurioſo ſuccreſcunt? Hinc altiſſimus iudex & ſcrutator cordium in luxurioſos tulit ab initio mundi ſemper horrendum decretum. *Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum quia caro eſt*, Gen. 8. Meritò deteſtatur carnem, nam amotis legibus legumque pœnis à carne, ad quæ flagitia non erit procliuis? Val. Max. lib. 9. c. 1. refert. Pub. Clodij iudicium, tantâ luxuriâ & libidine abundauit, vt inceſti crimine rei, abſoluerentur. Matronæ & adoleſcentulæ magnâ ſummâ emptæ mercedis loco iudicibus erogatæ fuerunt. Quid in tam tetro flagitio & multiplici prius deteſtabitur? Iuſtum iudicium. *Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum.* Meritò igitur lamentabatur Hieron. in quodam ſuo ſerm. O ignis infernalis luxuria, cuius materia, gula: cuius flamma, ſuperbia: cuius ſcintillæ, praua eloquia: cuius fumus, infamia: cuius cinis, inopia: cuius finis, gehenna.

Improbus eſt luxurioſus. *Luxuria quadriga, equi.* *Carnem deteſt. Deus.* *Iudicium luxurioſi.* *Luxuria carnis infernus.*

Pro gula. Nota. Petrarcha Dial. 18. Corporis atq; animi mors eſt, impletio ventris. Sed magis nota ſeueram iudicis ſententiam in guloſos latam. Deut. 6. *Filius veſter ſi comeſſationibus vacat, & luxuriæ atq; conuiuiis, lapidibus obruet eum populus.* Et quia malorum pœna incipit ad hue in ſeculo ſicut bonorum præmium, guloſi tetris ſunt ſemper dediti. Hinc B. Nilus Mart. in ſent. Tropol. Qui dedi-

Gulæ decretum. *Pœna in ſeculo incipit.*

dediti ſunt ebrietati & gulæ, illi ſomnium genuinum ſyncerumq; non capiunt, & terribilibus inſomnijs afficiuntur. Optima Iſidori cautella. Non ad luxuriam vel adſatietatem, ſed tantummodo vt corpus ſuſtentetur, æpulis eſt vtendum. Nam vt Philoſophi dixerunt, cibandus eſt venter vt contineat animam non vt corrumpat. Nec admiror Petrarcham qui tale vitium gulæ nobilibus adſcribit, nedum enim ille qui lippis eſt oculis idcernit, ſed & cæcus ſarcinam tanti mali nobilis detuliſſe, qui pro varietate gulæ varios cocos & diuerſos liquores conquirunt. Vndè meritò ita inuehitur Petrarcha. Nobilitati tribuitur, quod eſt gulæ. Ipſi qui bellorum Duces ac Philoſophi & Rectores vrbium ac Patres patriæ eſſe ſolent, gulæ dediti ſunt. Venatores aucupes, in ſiluis & fluctibus facti. Non contemnuntur conuiuia, quia ipſe Iesvs adfuit nuptijs in Cana Galileæ, nec retunduntur venationes, quia & Iacob Patriarcha venatorem habuit filiũ. Sed ſuperfluitas in his & ea quæ occaſionaliter accidunt inter ebrioſos & guloſos tolluntur. Quocirca Samſon in conuiuium adductus & à Philiſteis irriſus accelerauit conuiuantibus mortem. Iudic. 16. *Vnde Ambr. in lib. de Pœnitentia.* Ebrioſus cùm abſorbet vinum, abſorbetur à vino, abominatur à Deo, deſpicitur ab Angelis, deridetur ab hominibus, deſtituitur à virtutibus, confunditur à Dæmonibus, conculcatur ab omnibus, confundit naturam, amittit gratiam, perdit gloriam, in currit damnationem æternam.

Nob. vitium gulæ.

Quæ conuiuia & venationes vituperanda.

Ebrioſi mala.

In quorum reſurrectionē poſitus dicitur IESVS.

Resp. In Iſraël multorum, id eſt non omnium. Quæ reſurrectio fit per pœnitentiam & gratiam Spiritûs ſancti. Matth: 4. *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.* Natus ergò Dominus, vt cóoperante eius gratiâ, reſurgamus ad virtutes de peccatis. *Ego ſum reſurrectio & vita.* Nota. Homo per 7. cadit, & per 7. reſurgit. 1. Cadit per ſuperbiam, facit enim ſuperbia Deum deſpicere. Surgit per donum ſapientiæ. Confert enim verum, juſtum animæ, vt ſummum bonum appetat. 2. Cadit per iram, interius enim obtenebratur & ſui ipſius obliuiſcitur per iram. Surgit per donum intellectûs, quod reducit hominem ad cognitionem ſui. 3. Cadit per inuidiam, quæ diſſuadet ne aliquid boni proximo faciat. Surgit per donum concilij, quæ perſuadet vt proximum foueat tanquam ſeipſum. 4. Cadit per acediam & boni pigritiam, quæ debilitat hominem ne velit, valeat Deo ſeruire. Surgit per donum fortitudinis, quod roborat & ſubminiſtrat vires. 5. Cadit per auaritiam, quæ inſtigat vt multa congreget, tenaciter & impiè teneat. Surgit per donum ſcientiæ, quæ oſtendit inſtabilia bona, & reddenda ratio-

Cadit homo & resurgit per quid.

ratio de illis, vnde communicanda, quia in regno Dei erunt omnia com munia. 6. Cadit per gulam, quæ perſuadet pium eſſe & ſollicitũ circà corpus, impium & negligentem circà animam. Surgit per donum pietatis, quæ animam immortalem corpori præferrè ſuadet. Eò quòd *venter eſcis & eſca ventri. DEVS autem & hunc & hanc deſtruet.* 7. Cadit per luxuriam, quæ inſtigat vt timore Dei poſtpoſito totum ſe libidini immergat. Surgit per donum timoris, qui vt ſe immaculatum cõſeruet ad Dei vultum perſuadet. Et de his reſuſcitatis Ezech. 37. *Ingreſſus eſt in interfectos Spiritus, & vixerunt ſteteruntque ſuper pedes ſuos.* Sed multos non pudet cadere, pudet ſurgere, id eſt, agere pœnitentiam. Auguſt: *O incredibilis inſania, de vulnere non erubeſcis, de ligatura erubeſcis!*

ANNOTATIONES.

Iſrael quid ſign.

ISraël, qui interpretatur præualens Deo, nedum ſignificat Iſraëlem, qui præualuit contra Deum peccando ingratitudine, & volebant aliqui reuerti ad cępe & allia in Ægyptum, alij non cupierunt terram promiſsã, ſed vt dimittantur in aliam terram à Moyſe petierunt, alij Deos ſibi alios efformauerunt: ſed ſignificat etiam omnem peccatorem. Venit igitur Chriſtus in reſurrectionem Iſraëli principaliter. Matth. 15. *Non ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierunt domûs Iſraël.* Sed non omni Iſraëli. Quia licèt ſufficienter cauſauit reſurrectionem omnium, ſed efficienter, niſi fide & opere deuotorum. Illi ſoli reſurgent à culpa per gratiam, quia reſurrexit ad noſtram iuſtificationẽ, reſurget à pœna per gloriam. *Ne læteris Philiſthæa; quia cecidi, conſurgam.* Iſaiæ 14. Venit & propter reſurrectionem peccatorum. Si Chriſtus reſurrexit, & nos reſurgemus. *Chryſoſt.* Reſurrectio eſt conuerſio noſtra & conuerſatio noua. Cùm enim laſciuus caſtus efficitur, auarus miſericors, atrox manſueſcit, reſurrectio celebratur, mortuo quidẽ peccato, reſurgente verò juſtitiâ. *Greg. Nyſſ.* Reſurrectio promittitur credẽtibus, partim ceu ſub lege iacentibus, partim ceu conſepultis cum Chriſto & ei conſurgentibus.

Reſ... reſt... Spir... tualis

Radix mali Superbia ſtu...

Pro primo caſu. Nota. Radix cũcti mali & regina vitiorum eſt ſuperbia: *Initium omnis peccati ſuperbia.* Ex cuius virulentâ radice proferuntur. Inanis gloria, inuidia, ira, triſtitia, auaritia, ventris ingluuies, & luxuria. His nos diabolus tenuit, idcircò redemptor ſeptiformis gratiæ plenus contra illum venit. *Greg. in Moral.* Dono ſapientiæ reſurgit homo. Quia ille verè ſapit, qui rectè & ſecundùm Deum ſapit, donum ſapientiæ, non in ſpumeo verborum ambitu, nec in fuco eloquentiæ mundalis, vel in inflato ſermone, per ornatum ſtabit; ſed in ipſa veritate & iuſtitiâ. Incitat ad hanc ſapientiam D. Hier. Qui theſauros effodit, terram reijcit, foueam in altum facit, ſedulus inſiſtit, donec inueniat quod quærit: ſic qui theſauros ſapien-

Sapientia donum

pientiæ inuenire deſiderat, omne pondus terrenum à ſe reijciat, in ſe foſſam humilitatis faciat, nec quieſcat donec inueniat. Petijt Salomon à Deo non diuitias, non gloriã terrenam, ſed vt ſciret populum Dei regere & iudicare. Si hoc rector corporum petijt, multò magis hoc petere debet rector animarum. Sed homo præſtantiùs talem ſapientiam pro ſe & animâ ſuâ petere debet, de quâ rationem redditurus eſt, vt ſurgat à peccatis per donum ſapientiæ. *Seneca.* Rem maximam promittit tibi ſapientia, vt te reducat tibi. Sapientia autem perfecta duo requirit, cognitionem Dei & amorem, quocircà qui cecidit per ſuperbiam reſurgit per ſapientiam.

Sapientiam petijt Salom.

Sapientia perfecta.

Pro 2. caſu. Nota. Iob. 18. *Quid perdis animam tuam in furore tuo?* Greg. 6. Moral. Per iram juſtitia derelinquitur, ratio amittitur, concordia dirumpitur, lux veritatis amittitur. En furor animam perdit. Quàm rectè igitur dictum, quòd ſui obliuiſcitur homo iratus. Surgit verò per donum intellectus. pſ. 110. *Intellectus bonus facientibus eum, laudatio eius manet in ſæculum ſæculi.* Senſus eſt. Faciens quod intelligit faciendum, laudabitur à Deo vt ſeruus bonus & fidelis, & conſequenter laudabitur ab Angelis & ſanctis in æternum, & ab auditione malâ non timebit. Ad conſeruandum donum intellectûs, & cætera dona Spiritûs San. admonet Eccl. 11. *Mane ſemina ſemen tuum, & veſpere non ceſſet manus tua, quia neſcis vtrum hoc vel illud citiùs oriatur,* etſi vtrumque quod melius erit. Eruditur certè intellectus hominis ad cognitionem Dei & ſui, ita enim neceſſaria ſunt hæc duo homini, vt ſine his, vel beſtia erit homo, vel peior dæmone. Quocircà Solon Philoſ: docebat ſuos: Intellectum fac ducem. Niſi feceris, peribis. Intellectus enim cùm intenditur, hominis in Deum affectus ardentior aperitur. *Greg.* 20. *Moral.* Iob filij ſeptem & filiæ tres, cùm veſcebantur & bibebant in domo primogeniti, repente irruit vẽtus & concuſſit quatuor angulos, & oppreſſit illos, & mortui ſunt. *Iob. 1.* Ita intellectus bonus donum Spiritus ſancti, irruit cum timore Dei & fide in cor obliuiſcentis Deum, & opprimit cogitatum ipſius, & reuocat eũ ad Deum viuentem. Applicari poteſt dictum Ariſt: de bonâ fortunâ. inquit ille: Vbi plurima, intellectus & ratio, ibi minima fortuna. Ceſſat malitia hominis, dono intellectûs ſuperueniente.

Ira malum.

Intellectus bonus.

Intell. don. Sp. S.

Pro 3: caſu. Prov: 24. *Vir qui feſtinat ditari & alijs inuidet, ignorat quòd egeſtas ſuperueniet ei.* Inuidia tale peccatum eſt, vt per eam procuratus ſit lapſus mundi, & mors Chriſti. Inuidia cum mũdo & in paradiſo creuit: *Eritis ſicut Dij.* Cain inuidebat Abel proſperitati. Rachel Lyæ fæcũditati. Saul Dauid fælicitati. Diues lætæ mendicitati. Obuiauit huic malo hominis CHRISTVS per donum conſilij; & ita obuiauit, qualiter ratio humana non poterit. Ratio enim

Inuidia mag. pec.

tio enim hominis vt Ariſtot: fatetur: Retor 2. Conſilium neſcit dare de fine, ſed ſolùm de his quæ ſunt ad finem; ſed donum ſpiritûs conſilij dat homini inuido conſilium vt medium & finem: medium, ne inuideat finem, vt ſubueniat, & diligat proximum ſicut ſeipſum. *Geneſ. 49.* Dicit Patriarcha Iacob ad filium. Fiat Dan ſicut coluber in via, ceraſtes in ſemitis, mordens vngulam equi, vt cadat ſeſſor. Inuidus enim homo omnes, pares, impares & ſuperiores ſe mordet, nec bonis & juſtis parcit. Vnde meritò de inuidis dixit Iudas Apoſt. *Væ illis qui in viam Cain abierunt.* Obuiandum ergò illis erat magno conſilio. Quali? Audi Demoſth: In arduis conſultationibus, attentè cupidèq; audiendi ſunt, qui conſilium dare volunt. Vis ſcire conſilium? Conſultor eſt Spiritus Sanctus; inclina aurem mentis, & audies magnum conſilium. Dilige proximum tuum ſicut teipſum.

Conſilium de medio ad finem.

Inuidus mordet.

Pro 4. caſu. Nota. *De ſtercore boum lapidabitur piger & omnis qui tetigerit eum, manum excutiet.* Eccl. 12. Sordida corona ſordido in operibus adaptatur. Nec hoc ſufficit, ſed turpiora ſentiet, cùm arbor hæc quæ non facit fructum, excidetur per ſecurim mortis, & in ignem inferi proijcietur. Si enim Chriſtus pro amore tui tot tantoſque labores, ieiunia, opprobria, paſſionem, crucem portauit, cur tu pro anima tua & amore Chriſti parumper ſuſtinere aliquid grauaris & tædium ſumis! Si cæleſtes exercitus non ceſſant laudare Dominum: ſi, ſol, luna, ſtellæ, orbes in noſtram vtilitatē curſum obſeruant; ſi hérbæ, arbores laborant, formicæ ac apes, ſolo inſtinctu naturæ, otium fugiunt, te ô homo pudeat rationis capacem tantæ ignauiæ quam omnes creaturæ deteſtantur! Eſt quod te moueat lapide grauiorem, præcipuè cùm Numer. 12. clarè exprimatur.

Pigri corona.

Acedia vel tædium, homini eſt cauſa impatientiæ, & carnalis deſiderij & cauſa multiplicis mendacij. Sanat igitur hoc malum deſidiæ & debilitatis ad Devm Chriſtus dono fortitudinis. Moyſes cùm tenebat virgam in manu non fluxerunt aquæ de petra, ſed cùm fortiter iterum percuſſit effluxerunt abundanter. Petram duram acediæ, niſi dono fortitudinis mollificandum erat. *Iſid. de ſum. bono lib. 3. cap. 11.* Qui blando Verbo caſtigatus non corrigitur, acrius neceſſe eſt vt arguatur. Cum dolore enim ſunt abſcindenda, quæ leuiter ſanari non poſſunt. Iſa. 25. *Factus ſum fortitudo pauperi, fortitudo egeno, in tribulatione ſua.* Dic quæſo quæ maior paupertas & quæ maior tribulatio expectat hominem, quam dum non vult nec valet ſeruire ob pigritiam Deo: Ab hac ergò maledicta acedia releuauit Chriſtus per donum fortitudinis hominem, vt laudare cum Tobia poſſit Devm. *Benedictum eſt nomen tuum DEVS Patrum noſtrorum, qui cùm iratus fueris miſericordiam facies, & in tempore tribulationis peccata dimittis.*

Acedia malum.

Fortitudo donum.

Correctio.

Non ſeruire Deo tribulatio.

Pro caſu

Improbitatis metropolis.

Pro caſu 5. Nota. Quanta mala ſequantur auaritiam: Ieremias c. 6. quaſi in conſequentias collegit. Tui oculi & cor tuum ad auaritiam & ad innocentem ſanguinem fundendũ, & ad calumniam, & ad cauſam mali operis. Quocirca Democritus. Auaritia omnis improbitatis eſt metropolis. Tanto malo hominis ſuccurit Chriſtus gratiâ ſuâ, & dono ſcientiæ.

Donum ſcientiæ.

Mouit non ſolùm durum cor auari ceu mouet fluuius currens lapides. Eccl. 21. *Scientia ſapientis tanquam inundatio abundauit,* ſed etiam ornatam mentem & pretioſam conſcientiam ipſius firmauit, ornamentum aureum doctrina & quaſi brachiale in brachio dextro. B. Nilus Mart. in ſent. Tropol. ſemper in operibus bonis procedere cura, nam ſi quotidie minutũ minuto accumulaueris, breuì diuitias ab omnibus expetendas congregabis. De tali ſcientia D. Bernar. dicebat. Super Cant. ſerm. 36. Scientia ſine operibus, cibo indigeſto comparatur. & *Chryſoſt. ſuper Epiſt. ad Corynth. hom:* 20. Scientia ſine charitate demẽtia eſt, Donum igitur Spiritûs S. ſcientiæ, & auaritiam auari tollit, & ſcientiã illius vanam eradicat. Exo. 16. Mãna ſi ponebatur ad ſolem euaneſcebat; ſi ad ignem, ſapores varios habebat, dicit magiſter hiſt.

Mãna ad ignẽ.

Ad ignem charitatis docuit ſcientiæ donum cor auari apponere vt ſaporem habeat, non ad ſolem ſeu ſolum (Sol enim dicitur quia ſolus eſt,) ſi enim auarus, ad ſe ſolum apponebat cor ſuum, euaneſcebat cœleſtis ſapor.

Gula.

Pro caſu 6. Nota. Gula eſt appetitus inordinatꝰ cibi & potûs. A quâ cauẽdum monet ipſe Chriſtus. Luc. 21. *Attendite autem vobis ne forte grauentur corda veſtra in crapula & ebrietate & curis huius vitæ.* Pœna quæ guloſos maneat, referat. Petrus Rauen. ſerm. de Lazaro. Tu diues fulgens tunc purpura, nunc tegere fimo, pro coccino veſtire flammis, pro mollibus diſcubitis, ſuſtine dura tormenta, pro latis ferculis epulare pænis: Copias inopia compenſa: ebrietates ſiti dirige, pro odoribus aſpergere fætore, & cui aſtiterunt voluptatum obſequia, aſſiſtant nunc miniſteria pœnarum. Medetur Chriſtus tanto malo per donum pietatis.

Donum pietatis.

Si pius es in alium, cur inteipſum crudus? ſi cum paupere Lazaro lætaris, cur cum diuite epulone peris? Si tale vitium in altero diſplicet, cur tibi ipſi iniquè placet? Igitur non contradicas; væ enim qui contradicit factori ſuo teſta terræ, ſed reice gulam & donum Spiritus S. pietatem amplectere. *B. Nilus Mart.* Vitam propriam ne deſpice, nec præter legem quid inconſultè perage, vt non præter legem quoq; perniciem incurras. Leuit. 20. *Quicunq; dederit ſuo idolo Moloch, populus lapidabit illum, & ego ponam faciem meam contra illum.* Qui gulæ ſeruit, non ſemen ſuum ſed ſeipſum carnis idolo dedicat, propterea pius Dominus, dono pietatis à tanto malo ipſum reuocat, & animæ & rationi reddit.

Idololatria eſt gula.

Pone velim ante oculos: Ediſti, bibiſti anno prẹterito & lautius & abũdatius, dic

mihi quid tibi nunc ex iſtis voluptatibus ſupereſt, certè nihil niſi remorſus conſcientiæ, qui fortè cruciabit te in æternum.

Pro caſu 7. Nota. *B. Nilus Martyr.* Quantum vita ſordidior, tantum anima eſt beſtialior, Leuit. 2. *In omni oblatione offerres ſal.* Sal. prudentiam ſignificat. Vnde dicimus. *Hæc cum grano ſalis.* Cum caro eſt ſine ſale, inficitur citò, fætet, vermes generat. Verè luxurioſi ſunt ſine prudentia, conſilio, rubore; vndè niſi fætor, vermis, corruptio, eiectio illos manet. Abdiæ. Id eſt. *Sicut feciſti fiet tibi, retributionem tuam conuertam in caput tuum.* Leuat caſum talem Chriſtus dono timoris. *Time DEVM & mandata eius ſerua.* B. Nilus. Maligna ne ſemina, ver etenim propinquum cùm ſit, ſpinarum agricolam excipiet ignis, Gen. 1. Vt facta eſt lux, terra germinauit herbam virentem & ligna protulerunt fructum. Ita vbi lux timoris DEI fuerit, vireſcent omnia & fructum afferent. *Timenti DEVM benè erit in nouiſſimo,* Eccl. 35.

Anima beſtialis. *Sine ſale luxurioſus.* *Donum timoris* *Timor Dei lux.*

In quale ſignum poſitus credatur.

IN triplex ſignum. 1. Omnimodæ paupertatis, Pauper erat in præſepio, pauperior in ſæculo, pauperrimus in patibulo. Pſ. 85. *Quoniam inops & pauper ſum ego.* Gedeon accepit ſignum pugnæ contra Madianitas à Domino vellus madidum & ſiccum. *Indic. 6.* Non eſt inuentus in tota area mundi qui reciperet rorem Spiritus niſi Filius DEI, nec erat inuentus qui ſit ſiccus ab auaritia præter pauperem Chriſtum. Hier. 6. *A minore vſq; ad maiorem omnes auaritiæ ſtudent.* Bern. de paup. Chriſti. Bonorum omnium æterna in cœlis affluentia ſuppetebat, ſed paupertas non inueniebatur in eis. Hanc itaq; Filius DEI concupiſcens deſcendit vt eam eligeret ſibi, & nobis quoq; ſuâ æſtimatione faceret pretioſam.

Pauper tas.

2. In ſignum eximiæ humilitatis Exod. 4. Cùm mittebat nuncium Moyſen ad Pharaonem, petiit ſignum Moyſes. Et manus ex ſinu leproſa apparuit, & retracta ſimilis carni erat. Natus Chriſtus apparuit ſimilis peccatoribus. *Putauimus eum quaſi leproſum.* Iſa. 53. Quando reuerſus Filius DEI in ſinũ patris & in iudicium veniet, apparebit in gloria, ſine macula.

Humilitas.

3. Signum multiplicis acerbitatis. Ioſue 2. Exploratores Ioſue Raab. fœmina in Iericho abſcondit à nuntijs Regis & dimiſit eos per feneſtram per funiculum coccineum, & in ſignum ſuæ ſalutis funiculus ille alligatus feneſtræ erat. Raab Eccleſia, Chriſtus coccineus funiculus, feneſtra crux; Sicut colũba per feneſtram recepta in arcam, ita animæ electorum per ſignum crucis & fidem recipientur in gratiam & gloriã. Conſtat funiculus triplex ex diuinitate, corpore & anima. Acerbitas, quia multi contradicunt ei, pauci qui pati velint cum eo.

Acerbitas.

ANNO-

ANNOTATIONES.

PRæter enumerata ſigna, poſitus & in alia ſigna. In ſignum præcuſtoditionis. Pſ. 59. *Dediſti timentibus te ſignificationem vt fugiant à facie arcûs.* In ſignum conſignationis, quia per baptiſmum eius conſignamur Christo. In ſignum redéptionis, & exaltationis, amoris & dominationis, ſed hîc ſolùm conſiderantur ſigna quibus contradicitur. Hierem. 15. *Væ mihi mater mea quare me genuiſti virum rixæ, diſcordiæ, omnes maledicunt mihi.* Sed verificabitur, Pſal. 17. dictum. *Eripies me de contradictionibus populi, conſtitues me in caput gentium.* Tunc ſcilicet non ero quaſi ſignum ad ſagittam ſicut in cruce, ſed ero in ſignum contemplationis à gentibus. *Orig.* Omnia quæ de Chriſto narrat hiſtoria, ſignum ſunt cui contradicetur à non credentibus. *Baſil.* Signum propriæ contradictionis crux. *Greg. Niſſ.* Chriſtus ſignum ſupra naturam & ſignorum author. At tamen & hæc tria à B. Albert. Magno poſita ſunt Chriſtianis ſigna.

Signū Christo quomodo.

Pro paupertate. Nota. Matt: 19 *Qui reliquerit domum vel agrum, &c. Centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Aug. de verbis Dom. Quibus theſauris æquari poſſit, quod paupertati videmus indultum: vt ad regnū cælorum veniret diues, poſſeſſionē ſuâ obtinere non potuit. Nunc anteм cōtemptu peruenitur: ſed qualiter diuitiæ contemnendæ ſunt nota. Non ſufficit ad veram paupertatem diuitias non habere, vt quis pauper cenſeatur, ſed requiritur, vt nullatenus appetantur, vt quis pauper ſpiritu, quem Chriſtus nominat prædicetur. Petrarcha libro 2. de Rem. fort. Dial: 8. Foribus meis paupertas inſultat. ℞. Aperi oculos, antequàm vectes ſubitâ vi cōfringat atque oſtijs vulſis à cardine victrix introeat, vt enim reſiſtentibus permoleſta, ſic cedentibus periucunda eſt. *B. Nilus Mart.* Paupertatem incuſare noli, immobilem enim legis athletam conſtituit. Cùm B. Ioachim Seruita miniſtrando ſacerdoti ad altare, comitiali morbo oppreſſus ſubitò corruit, cereus quem ad eleuationem Euchariſtiæ tenebat, ſuſpenſus in aëre diuinitùs manſit, & Beatus declaratus.

Paupertas ſpiritu

Pro humilitate Nota. Qualis culpa, talis pœna. Superbiæ pœna infernus. Iſa. 57. *Super montem ſublimem poſuiſti cubile tuum, pepigiſti fœdus cum eis.* (id eſt cum dæmonibus) *& humiliata es vſque ad inferos.* Dicitur hoc animæ ſuperbæ. Et quia oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcunt, ponamus humilitatem ſuperbiæ oppoſitam, & colligemus, quod ſi infernus aſſignatur ſuperbiæ, aſſignabitur cœlū humilitati. *Orig:* Si humilis non fueris, non poteſt habitare in te gratia Spiritûs S. Ad quam humilitatem exemplum Oegniacenſis virginis, quæ cùm viro ſuo perpetuam virginitatem ſeruauit, nomine Mariæ inducere per iucundū erit. Hæc quãdoque intra 24. horas ſexcenties flectebat genua, tum ſtans Pſalterium inte-

Nil obeſt optimo pauperi ad cælum.

Humilitatis cælum.

Oegniacenſis Virgo.

integrũ legebat, & ad ſingulos pſalmos genibus flexis Angelicam ſalutationem recitabat, cum trecentis vicibus ad ſingulas genuflexiones virgâ ſe percutiebat, & tribus vltimis ictibus ſanguinem extrahebat, tandem quinquagies flexis genibus ſacrificium hoc conſumabat. Quo atque alijs deuotionibus, vt Angeli ad dextram & leuam ſuſtētarent illam, & peregrinanti lumina darent, promeruerat à Domino. Ecce quæ humilitas docuit.

Aduerſitas.

Pro afflictione & acerbitate. Nota. *Patientia pauperum non peribit in finem.* Pſal. 9. Quantò igitur perfectiùs referet præmium qui aliquid aduerſi pati pro amore DEI propoſuerit, aut paſſus fuerit? Apocal. 3. *Quoniam ſeruaſti verbum patientiæ meæ, & ego ſeruabo te ab hora tentationis, quæ ventura eſt in orbem vniuerſum.* Caſſiod. ſup. Pſ. Patientia eſt quæ omnia vincit aduerſa, non colluctando ſed ſufferendo, non murmurando, ſed gratias agendo, ipſa eſt quæ fæcem totius voluptatis abſtergit, ipſa eſt quæ limpidas animas Deo reddit.

Patientia.

Franciſcus Gonzaga, Dux Mantuæ, plurima ſibi & familiæ ob præclara geſta adſcribebat, vnde maiorum imaginibus & ſuis apponebat. AD NOS LAVDIS AMOR. Mehercule Ducib⁹ principaliter amor patriæ & laus ex amore tali conuenit. Parentabunt meritò perenniter laudi. Sed ſi cui adſcribenda erit gloria laudis cæleſtis, certè Duci patientiæ & aduerſitatis. *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.*

Laudis amor.

DE EADEM DOMINICA.

Tuam ipſius animam pertranſibit gladius. *Lucæ 2.*

Gladij ſex animas per recordationem tranſire debent.

PRimvs gladius acerbæ paſſionis Chriſti. *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Tantum enim tempore Paſſionis Chriſti paſſa eſt, ac ſi materialis gladius pertranſiret viſcera eius. Hieron. Plus omnibus dilexit eum, plus doluit mente, & martyr fuit. *Bern. in tract. de 5. verbis Domini.* Erat in anima ſua tempeſtas valida, concurrentibus procellis, & quaſi in ſartagine frixis medullis, ebulliebant amaritudines, quas excoquebat & coagulabat exacerbatio perſeuerans. Talis gladius compaſſionis cor noſtrum pertranſire debet. 1. Cor. 12. *Si quid patitur vnum membrũ, compatiuntur omnia membra.* CHRISTVS caput, nos membra, igitur compatiamur illi. *Hoc ſentite in vobis, quod & in CHRISTO IESV.*

Paſſio Chriſti

Secundus

Dilectio. Secundus gladius, ardor dilectionis. Matth. 10. *Non veni pacem mittere ſed gladium.* Intelligitur hoc de dilectione, quia ſequitur: *Qui amat patrem plusquam me, non eſt me dignus.* Per charitatis gladium Martyres corpora ſupplicijs expoſuerunt, Confeſſores temporalia contēpſerunt, Anachoritæ ſolitudinem elegerunt, Monachi obedientiæ colla ſubdiderunt, & Virgines cælibatum elegerunt.

3. Gladius, feruor cōtritionis. Dignum eſt, vt offenſor amariſſime cōteratur. Pſ. 36. *Gladium euaginauerunt peccatores, intenderunt arcum ſuum, gladius eorum conuertetur in corda ipſorum.* Orat vt in cor conuertatur, vt amariſſimè conteratur. Goliath interfectus à Dauid ipſius gladio. 1. Reg. 17. Contritio.

Mors. 4. Gladius, Mors corporalis. Macrob. in Somnio Scip. Mirabatur Dionyſij Philoſophi diſcipulus regales delicias, & beatos eſſe dicebat. Ille gladio appenſo ſuper filium iuſſit ſedere, & datis epulis comedere, ille noluit mortem timens; tunc Philoſ. Talis eſt iſta vita quam beatam putas. Mors gladius acutus, ſeparat animam à corpore. Vnde meditanda, Eccl. 7. *In omnibus operibus tuis memorare nouiſſima.*

Iudicium. 5. Sententia judicialis. Apoc. 19 *Vidi ſedentem ſuper equum, de cuius ore procedebat gladius acutus; vocabatur, fidelis & verax.* Pugnabit contra peccatores in judicio.

Infernus. 6. Pœna gehennalis. Job. 19. *Fugite à facie gladij, quoniam vltor iniquitatū gladius eſt.* Iſa. 27. *Viſitabit Dominus in gladio ſuo duro grandi & forti ſuper Leuiatan vectē & tortuoſum.* Durus quia licet mille annis erat in jnferno, ita dura erat illa hora ſicut prima, grandis per capacitatem ſpatioſam. Pro 3. Infernus inſatiabilis, & nunquam dicit, ſufficit. Fortis ob æternitatē. *Diſcedite maledicti in ignem æternum.* Leuiatan diabolus, qui præcludit ad cœlum viam aſtutijs. Cete ſuperbus quilibet.

NOTATIONES.

ORig. B. V. M. gladio non migrauit, vnde de gladio intelligendum. De quo dicitur Pſal. 58. *Et gladius in labijs eorum.* Puta de dolore animam tranſuerberante, quem in paſſione filij habuit. Tantus dolor quē in partu non ſenſit, ceu mater in morte filij exoluit, & matrem ſe ſenſit. *Dam. in Proſa.* Exoluit cum vſura gemitus quos natura paritura detinuit. Tempus nacta tunc natura, nunc repoſcit ſua iura, nunc dolores acuit. Aut tuam animam, id eſt filij, quem diligis, aut tuam animam pertranſibit gladius. Paſſus enim CHRISTVS etiam in anima dolores. Hinc, *Videte ſi eſt dolor, ſicut dolor meus.* Tren. 1. Magnus & inde B. V. M. gladius, quia myſticè repræſentabat Eccleſiam & ſciebat omnia. Verbū autem eſt gladius, Ita Ambr. Beda. Dum perforatur lanceâ ille tuus IESVS, omnium quidem, ſed ſpecialiter tuus, tuam ipſius animam gladius pertranſiuit. Quia iam ille expirauerat, vnde te pluſquam Martyrē prædicamus. Cùm Ioſeph petijt à Paſſio B. V. in morte Chriſti.

Pilato corpus Iesv Anſelmo B. reuelatum, quod tunc moriebatur præ dolore B. M. V. Vnde ad conſolationem eius petijt, vt ſepeliret eum.

Pro primo gladio. Pſal. 74. *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto.* Iſto calice omnibus ſaluandis præbibit, quem ad nos prouocandum pijſſimè inclinauit, partiatim potandum nobis præbens. *Simon Caſſian de geſtis Dom. lib. 13.* Guſtauit Chriſtus omnes paſſiones, ſed non abſorbuit, quia reliquerat ſequacibus poſteris. Bernardus verò guſtâſſe refert, vt lingua Dominica calici intincta dulceſceret ac ſapidus fieret, nobis omnibus facilè ſumendus. *Chryſoſt.* Participatione calicis Chriſti calix dulcior eſt. Accommoda ad illud Rom. 8. *Omnes qui piè volunt viuere in Chriſto, perſecutionem patientur cum Chriſto.* Alphonſus primus Caietæ Princeps fecerat ſymbolum, gladium euaginatum cum ramo oliuæ, & addidit: *VTROQVE CLARESCERE PVLCHRVM.* Intendebat fortè, quòd regnare debuit juſtitia & miſericordia. Sed tãtùm lemma conuenit Chriſtiano cõpatienti Christo. Pulchrum enim eſt illi & ſalutare ad Chriſti dolores & paſſionem addere ſuos dolores. Vtroq; ſi clareſcet in via, ex vtroq; coronabitur in patria.

Calix propinatus hominibus.

Vtroq; clareſcere.

Pro 2. gladio. Nota. *Amici mei & proximi mei aduerſum me appropinquauerunt & ſteterunt.* Pſ. 37. Quaſi diceret: Hi qui mihi debuerant ad ſolatium humanum, eo quod viderunt miracula, audiebant doctrinam, illis miſſus fueram, facti ſunt mihi ad cumulum dolorum, & qui iuxta me erant, à longe ſteterunt tanquam, hoſtes & aduerſarij. Tranſierunt illa, Mors enim vltra non dominabitur Chriſto, ſuccedat igitur amor, dilectio noſtra, in recompenſam odij, malitiæ, inſaniæ Iudæorum, & errorem diſcipulorum reparandum. Prou. 23. *Præbe fili mi cor tuum mihi & oculi tui vias meas cuſtodiant.* Duo ad dilectionem requiruntur, vnum ex parte diligentis, nempè cor. Incipit enim in homine ante membra cætera priùs viuere, & in vltimo moritur; alterum ex parte eius quem diligit. Et hoc eſt via eius, ſeu intentio & terminus mentis. Vult vt cor & animam illi præbeamus ad cor & animam eius, & vias noſtras ad vias eius. Si enim cor noſtrum non debet diſcordari à facie noſtra, vt docet S. Bern. Cant. Non habeas (inquit) faciẽ ſurſum & cor deorſum, multò minùs cor noſtrum à corde Dei diuerſum eſſe non debet. Vnde Apoſt. 1. Cor. 16. *Si quis non amat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſit anathema.* Ducis Vrbinatenſis Franciſci ad arma gentilitia additum fuit. *Non degener addam.* Inſinuabat, quod cùm nolit fieri degener à maioribus tam claris & illuſtribus, addere ad illorũ præclara facinora propria ſatagebat. Ita verus Chriſtianus qui à Chriſto talis nuncupatur, ſi deneger non eſt, ſi amorem ſui à Deo & Chriſto præmeditabitur, addet cor cordi, amorem amori ipſius. *Aug. in ſoliloq.* O ignis

Dilectio ſuccedat odio.

Fili præ[be] mih[i] cor [tu]um

No[n] dege-ner [ad]dam

ignis qui ſemper ardes & nunquam extingueris, O Amor qui ſemper ferues & nunquam tepeſcis. Vnde mihi verbum vt exprimam ſignum dilectionis tuæ erga me propter innumerabilia beneficia quibus ab initio educaſti me? *Iſid. lib. 2. de ſummo bono.* Valida eſt vt mors dilectio, quia ſicut mors animam violenter ſeparat à corpore, ita dilectio Dei violenter ſegregat hominem à mundo & carnali amore.

Amor vt mors.

Pro 3. Gladio. Iob 2. *Nemo loquebatur ei verbum, videbant enim dolorem eius eſſe vehementem.* Profectò contritus de peccato homo vehementer, non ſentit vocem carnis prouocantis, non Diaboli inflammantis, non animi repugnantis, at ipſe in ſe immerſus, inſtat ad Dominum miſericordiæ vt ignoſcat, & hic puniat, & det ſpatium pœnitentiæ. *Vadam ad montem myrrhæ & collem thuris,* Cant. 4. Vadit mente contritus ad montem Caluariæ, ad montem amaritudinis Chriſti, vadit ad collem thuris, ad oblationem & ſacrificium pro peccatis factam in cruce, & colligit faſciculos pro ſua anima myrrhæ, & colligit thus in ſanctificationem ſuam. Iob. 14. *Signaſti quaſi in ſacculo delicta mea, ſed curaſti iniquitatem meam,* Quaſi diceret, peccata mea tuâ medicinâ ſuſtuli. Malum meum, tuâ bonitate leuaui. *Docet B. Nilus Martyr.* Semper aliquid lucri ex ſanctorum ſpeculatione conſequi adnitere, formam quoq; & aſpectum eorum obſerua, ambo etenim prodeſſe ſolent. Si Sanctorum ſpeculatio facit aliquod in nobis emolumentũ, Chriſti facies, ſanguis & paſſio, quam in cor non immittent contritionem homini, ſi cor voluerit cum voluntate ſua conſecrare peccatorum ablutioni? Hinc dicebat Pſ. 56. *Clamabo ad Deum altiſſimum qui bene fecit mihi.* Magna confidentia, ſed etiam mirabilis clamor. Vbi nos legimus: *Deum altiſſimum.* Hebræi legunt: *Deum vltorem meum.* Verè mirabilis clamor, ſi ad vltorem ſuum clamat. Vbi verò nos legimus, qui benefecit mihi. Chaldæus legit: Qui præcepit araneæ vt ordiretur telum ad defenſionem meam. Quaſi diceret: qui ita mihi benefecit, vt telam araneam dederit mihi murum. Quis obſecro ſenſus, quòd Dauid peccator clamet ad Deum qui tantum ſibi beneficiũ præſtitit contra Saul in ſpecu, dum latitaret, quod tela aranea illi fuiſſet obumbratio, clametq; ad vltorem ſuum, & tamen confidenter clamat? Clamor hic, non ore eſt, ſed corde; eſt contritionis clamor, cui conceſſum eſt, vt homo contritus in vita, etiã ab vltore Deo poſſit miſericordiam impetrare. *Vocabis me, & ego reſpondebo tibi. Operi manuũ tuarum porriges dexteram.* Iob. 14. Igitur in corde cõtrito & humiliato ſeruiamus illi. Sicut Iudith 2. dicitur.

Contritus vere. *Mons Myrrhæ.* *Delicta in ſacculo* *Facies Sanctorum.* *clamare ad Deum altiſs.imum*

Pro 4. gladio. Commorietur homo, hæreditabit ſerpentes & beſtias & vermes. Non modica ratio meditationis mortis. Sed iniquorum mors, adhuc deteriorem hæreditabit mo-

Meditatio mortis.

bit modum. Vnde pſ. 33. *Mors peccatorum peſſima.* Meliùs eſſet vt natus nō fuiſſet. Meditanda igitur mors, ne ſit gladius animæ peccatrici, à malis. Meditanda à bonis, quia eſt introitus ad cœlum. 2. Corinth. 5. *Scimus quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quod ædificationem ex DEO habemus domum non manufactam ſed æternam in cœlis.* Nobili ex vtroq; parente quidam in laudem aſſcripſerat. EX VTROQVE PARENTE CIVIS. Inſinuabat. Quod Patriæ, conſilio & fortitudine, ab vtraq; linea generationis proficuus fuerit. Ita virum piè viuentem ac DEI præcepta ſeruantem, dicere poſſumus, *Ciuem ex vtraq; parente*, naturali ſcilicet & ſupernaturali DEO, nam & in Eccleſia militante eſt ciuis optimus Catholiciſſimus, & in Eccleſia triumphante erit DEO dante ciuis glorioſus. Quocirca nec mori timet, nec diu hîc viuere deſiderat, Iob 7. dicebat ad Dominum. *Nunquid mare ego ſum aut cetus quia circumdediſti me carcere.* Mare enim DEVS circumdedit aggeribus hoc eſt verbis ſuis. *Vſq; hûc venies & non procedes amplius.* Ita Cete concluſit DEVS in oceano ceu in carcere ne ad mare mediterraneum veniat. Dicit ergò Iob: Cur me carcere hoc carnis Domine circumdediſti, ceu mare & cete? Et D. Paul. *Cupio diſſolui.* Meditantur ergò boni & iuſti mortem, deſiderando vitam. Mali verò amplius meditari debent, quia mors malis gladius & infernus. Aman exaltatus erat ſuper omnes

Ciuis ex vtroq. parente.

Mare & cete in carcere.

Principes, flectebant ei genua & adorabant eum, nec multò poſt ſuſpenſus in patibulo cum filijs decem. Sic fiet & peius cum peccatoribus quantumuis exaltatis in mundo, & verificabitur illud Eccl. 10. Vere enim *mors peccatorum peſſima.* Bern: ſuper Memorare nouiſſima. Magna eſt beatitudo continua mortis memoria. Hanc ſecum homo ſemper circumferat, & nunquam peccabit. *Granatenſis in ſpeculo vitæ hum: cap 2.* Tunc forte miſera anima peccatoris in morte de corpore, maledicet corpori inquiens. O templum Diaboli corpus, tua opera me contaminârunt, O terra maledicta, O inhabitatio Satanæ, ſurge nunc & veni mecum, videbis locum tormentorum tibi præparatum in quo ego habito ad aduentum iudicis ſine te, tunc autem & tu venies & mecum cruciaberis in æternum. Maledicti oculi tui qui lucem veritatis & viam iuſtitiæ videre noluerunt, Maledictæ aures, quæ verba æternæ vitæ renuerunt audire. Maledictæ nares, quæ odorem virtutis dedignatæ ſunt. Maledicta labia, os, lingua, quæ nec guſtare gaudium gloriæ nec DEVM laudare voluerunt. Maledictæ manus, quæ eleemoſynas non erogârunt, viſcera quæ tot cogitationes malas, & conſilia pepererũt: maledicta membra, quæ tam crudelia tormenta meruerunt. Sophon. 1. *Scrutabor Ieruſalem in lucernis & viſitabo ſuper viros defixos in fecibus ſuis.*

Pro 5. gladio. Malach. 3. *Ecce venit dies*

Male dicet anima corp

nit dies & quis poterit cogitare diem aduentus eius, & quis ſtabit ad videndum eum? Admonet igitur nos per Ier. 13. *Date Domino DEO veſtro gloriam antequam contenebreſcant & antequam offendant pedes veſtri ad montes caliginoſos.* Expectabitis lucem & ponet eam in vmbram mortis & caliginem. Illi qui effodiunt theſaurum, gaudent vehementer cùm inuenerint ſepulchrum, dicitur Iob. 3. Sed qui tonitruum intuentur iudicis DEI, dicent montibus cóoperite nos, clamabunt in terram vt aperiret ſepulchra. Quis auderet dicere niſi Chriſtus dixiſſet? *Quod de omni verbo otioſo reddent rationem in die iudicij.* Quis Dominus de acicula rationem poſtularet? *Chryſoſt.* O miſeros nos quid poterimus ad noſtram excuſationem adducere die illa, cùm cælum, terra, ſol, luna, dies, nox cum omnibus quæ in mundo ſunt, accuſabunt & vindictam clamabunt, in teſtimonium malorum noſtrorum perhibentes. Imò ſi illi tacebunt, conſcientia noſtra accuſabit nos. *D. Ambr.* Væ mihi ſi peccata mea non defleuero, ſi non media nocte ad confitendum tibi ſurrexero. Væ ſi dolum proximo fecero, ſi locutus veritatem non fuero. Faciat nunc fructum qui poteſt gratiæ, qui debet pœnitentiæ, requiret hæc Dominus & viuificabit fæcundos, deprimet ſteriles. Cum ſynodus Chalcedonenſis finita fuerat, S. Leo Papa Epiſt. ad Theodor. diem illam ſecundam feſtiuitatem orbis poſt aduentum Domini, appellauit. Ita dicere quiſq; poterit, quòd qui in judicio Domini dignè ſteterit, feſtiuitatem Angelorum in corpore in æternum celebrare inchoabit. Ergò gladius judicij penetret corda noſtra, videamus Paradiſum apertum, videamus & os putei infernalis malis non ſeratum. Et ſi cum Chriſto viuere & Angelis ejus deſideramus, ex horreamus hic judicem; ſi verò puteus tenebrarum non horret, maledictionem inconſumabilem (O heu ſententia DEI terribilis,) comminabitur. Igitur gladius terribilis judicis pertranſeat cor peccatoris, ne veniat nox inqua nemo poterit operari. Cogita ſeuerum judicem Cambiſen, qui ob iniquum judicium decoriauit judicem, & ſella judiciali tecta illius cute, ſuperpoſuit filium ipſius monendo vt melius judicet. Certè judicium hominis illud jam extremum erit, quocirca ſine reſpectu & juſtum & durum in peccatores. *Iuſtus Dominus & juſtitias dilexit*, cognoſcet omnis homo. Vnde de Arſenio Abbate dicitur quod in morte timuit, & dicebat quærentibus de timore. In veritate timeo, & iſte timor ſemper in me fuit ex quo factus ſum Monachus.

Iudicium hominum.

Accuſabunt hominem omnia.

Orbis feſtiuitas ſecunda.

Cambiſes.

Pro 6. gladio. Nota. *Momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat.* Cruciat verò, vt nemo conſoletur, nemo reſpiciat, nemo nutu, oculo, voce exhilaret, at omnis miſerabili vultu, planctu, cruciatu, nouos ingeminet dolores, lamenta, ignem, ludi-

Aeternum quod cruciat.

Cruciatus inferi. ludibrium, frigora, cruciatus. Iſaiæ 13. *Vnuſquiſq; ad proximum ſuum ſtupebit, facies combuſtæ, vultus eorum nigræ.* Et Apoc. 16. *Commanducauerunt linguas ſuas præ dolore, & blaſphemauerunt DEVM cœli præ doloribus & vulneribus ſuis.* Greg. in illa verba. Ibi erit fletus. In inferno erit frigus intollerabile, ignis inextinguibilis, vermis immortalis, fœtor intollerabilis, tenebræ palpabiles, flagella cædentium, horrida viſio dæmonum, confuſio peccatorum, deſperatio omnium bonorum. In oculis habebunt lachrymas, in dentibus ſtridorem, in naribus fœtorem, in ore eiulatus, in gula gemitus, in auribus timores, in manibus & pedibus catenas, in omnibus membris æterni ignis ardores. Ex poſuit diues tanta mala dicens. *Mitte Lazarum vt intingat extremum digiti & refrigeret linguam meam.* *Mors ſine morte.* Apoc. 9. *Quærent homines mortem & non inuenient, deſiderabunt mori, & mors fugiet ab eis.* Beatus qui vigilat in hoc ſęculo, & contendit vt dignus inueniatur in die iudicij iuſtorum conſortio. Miſer ille qui ſua ſe culpa indignum facit iſta gloria. Tunc enim DEVS in nubibus aſſumet iuſtos, & ſecum in æterna introducet gaudia. Peccatores verò à dæmonibus in ignem æternum rapientur. Dicebat deuotus Pater Lud. Granat. O æternitas in æternitatem æterna, plena luctus, miſeriæ miſeriarum. Nullus in te erit, qui auderet dicere. Suggeras Pharaoni vt me educat de iſto carcere. Nullus erit qui diceret. Innocens hic miſſus ſum. *Mors ſubſcripta.* Subſcriptum ad mortis imaginem Alphonſus Aragonum Rex ſepius legebat. *Mille modis miſeros homines mors vna fatigat.* Sed morti æternæ ſubſcribendum erit. Infinitis modis damnatos homines infernus cruciat. De Carolo Gallorum Rege Hiſt: referunt. Quod poſt ludum paruæ ſpheræ veniens mortuus eſt. Omnis mundi delectatio, quædam paruæ pilæ eſt ludus, *Pilæ ludus.* ſed quid ſequatur ludum vide. Mors æterna. In Domino morietur, qui Domino non illudit.

IN DIE CIRCVMCISIONIS DOMINI.

Poſtquam conſummati ſunt dies octo vt circumcideretur puer. *Luc. 2.*

Quid

Quid per circumciſionem pueri figuretur.

Circumciſio duplex.

RESp. Duo. Primum. Circumciſio à vitijs & iniquitatibus. Gen. 17. *Circumcidetur ex vobis omne maſculinum vt ſit ſignum fœderis inter me & vos, cuius præputij caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo.* Secundum. Circumciſio ſeu liberatio ab omnibus miſeriis & pœnalitatibus per Filium DEI in die iudicij. Ioſue 5. *Circumcide ſecundò Filios Iſrael.* Cùm autem circumciſi eſſent Filij Iſrael dixit Dominus. *Hodie abſtuli opprobrium Ægypti à vobis.* Ioſue qui interpretatur Saluator Filiū DEI ſignificat. Tunc dicet: DEVS Pater liberatis à pœnalitatibus corporis, æſtu, frigore, ſiti, fame, infirmitate, labore & morte. *Hodie abſtuli à vobis opprobrium Ægyptiorum*, id eſt dæmonum, in quas incideraris per deceptionem ſerpentis.

Quinque ſunt circū-cidenda.

Nota. Quinq; in nobis principaliter ſunt circumcidenda. 1. Cor à cogitationibus malitioſis & maculoſis, Ierem. 4. *Circumcidimini in Domino & auferte præputia cordium veſtrorum viri Iuda ne fortè egrediatur vt ignis indignatio mea, & non ſit qui extinguat propter malitiam cogitationum veſtrarum.* Viri Iuda ſunt Chriſtiani, qui confiteri debēt, quoniam Dominus bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius.

Cor circumcidendum.

Cor circumcidendum, Ierem. 4. *Laua à malitia cor tuum vt ſalua fias, vſquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ?* Lauandum à malitia, & immūdicitia. Pſ. 23. *Quis aſcendet in montem Domini? Innocens manibus & mundo corde.* Ad Philip. 4. *Quæcunq; ſunt pudica cogitate & DEVS pacis erit vobiſcum.*

Oculi circū-cidendi.

2. Circumcidendi oculi à laſciuis nutibus & impudicis aſpectibus. Iſa. 3. *Pro eo quod eleuatæ ſunt Filiæ Sion & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, decaluabit Dominus verticem filiarum Sion.* Decaluatio poſt hanc vitam ob dolorem nimium, 2. Petr. cap. 2. *Oculos habentes plenos adulterij peribunt.*

Aures circū-cidend.

3. Circumcidendæ aures, ab auditu detractionum & cantionum. Prou. 24. *Cum detractoribus non miſcearis quoniam repente conſurget perditio eorum.*

Detractio.

Hieron. ad Nepotianum. Caue ne aut linguam aut aures habeas prurientes, id eſt ne detrahas vel audias detrahentem. Pſ. 100. *Detrahentem ſecreto proximo ſuo hunc perſequebar.* Eccl. 28. *Sepi aures tuas ſpinis & noli audire linguam nequam.* Chriſtianus ſpinis quæ confixerunt caput Chriſti ſepiat aures.

Lingua circumcidenda.

4. Circumcidendi lingua. Iac. 3. *Lingua inquietum eſt malum & plena veneno mortifero.* Ne proferat turpitudinem, dolum, mendacium, periurium, adulationem, detractionem, deriſionem & maledictionē. 1. Reg. 2. *Recedant vetera de ore veſtro, quia DEVS ſcientiarum Dominus eſt, & ipſi præparantur cogitationes.* Vetera, ſcilicet verba quæ animam veteraſcere faciunt.

Turpiloquium.

Contra Turpiloquium ad Eph. 5. *Omnis immunditia nec nominetur in vobis ſicut decet ſanctos, aut turpitudo, ſtultiloquium, ſcurri-*

Dolum ſcurrilitas. Contra dolum. 1. Pet. 2. *Deponentes omnem malitiam & omnem dolum ſicut modo geniti infantes lac* (id eſt, conſolationem diuinam) *concupiſcite.* Contra mendacium. Ad Eph. 4. *Deponentes omne mendacium, loquimini veritatem.* Contra juramentum. Eccl. 23. *Vir multum jurans implebitur iniquitate & non diſcedet à domo ſua plaga.* Contra adulationem. 1. Theſ. 2. *Neq; enim aliquando fuimus in ſermone adulationis ſicut ſcitis.* Contra detractionem, Sap. 1. *Cuſtodite vos à murmuratione & detractione.* Contra Irriſores. Eccl. 7. *Non irrideas hominem in amaritudine animæ.* Pſ. 2. *Qui habitat in cœlis irridebit eos.* Contra maledictionem ad Rom. 12. *Benedicite perſequentibus vos, benedicite & nolite maledicere.* Iob. 31. *Non dedi ad peccandum guttur meum vt expeterem maledicens animam eius qui me oderat.*

Mendaciũ. Adulatio. Detractio. Maledictio.

5. Circumcidendæ manus à tactu laſciuo, à furto, à rapina, ab vſura. Contra tactũ Iſaiæ 52. *Nolite pollutum tangere, mundamini qui fertis vaſa Domini.* Contra factum. Tob. 2. *Non licet nobis ex furto edere vel contingere.* Contra rapinam. Ezech. 33. *Impius ſi fecerit pœnitentiam à peccato ſuo, rapinam reddiderit, in mandatis vitæ ambulauerit, nec fecerit quicquam injuſtum. Vita viuet & non morietur.* Ille enim qui fecit rapinam & juſte viuit, vita viuet. Non ille qui ex rapinis facit eleemoſynas, nec rapinam deſerit. Malach. 1. *Intuliſtis de rapinis munus, nunquid ſuſcipiam illud de manibus veſtris.* Contra vſuram. Leuit. 25. *Non accipias vſuram,* Deut. 23. *Fratri tuo,* id eſt proximo, *abſq; vſura id quo indiget commodabis vt benedicat tibi Dominus DEVS in omni opere tuo.* Si ergò membra tua circumcides à vitijs cultro timoris Domini. *Timor enim expellit peccatum,* Eccl. 1. In die judicij liberabuntur ab omnibus miſerijs & pœnalitatibus corporis.

Manus circũcid. Tactus Factũ. Rapina. Rapinam eleem.

ANNOTATIONES.

ORigen. Sicut mortui ſumus illo moriente & conſurreximus, ita cum eo circumciſi ſumus, vnde nequaquam nunc circumciſione indigemus carnali. *Epiphan.* Figura erat circumciſio, veritas ſubſecuta eſt. Vndè terminus figuræ circumciſio Domini, non exemplum noſtri. Circumciſus verò. 1. vt oſtẽdat carnis veritatem contra Manichæum, qui non veram ſed apparentem & Phantaſticam carnem habuiſſe dixerunt. 2. Vt oſtendat quod nõ erat Deitati conſubſtantiale corpus, contra Apollinarem. Nec quòd cœlitus detulerit corpus, contra Valentin. 3. Vt confirmet inſtitutam circumciſionem aduentu, ſuo ſeruientem. 4. Vt nulla excuſatio ſit Iudęis recipiendi Chriſtum quòd non circumciſus ſit. 5. Beda ponit. Vt obedientiam commendaret. 6. Vt eos qui onera legis portare nequiuerant ſuâ compaſſione juuaret, & oſtenderet viam illis ad baptiſmum, vbi nedum peccatum originale tollitur ſicut per circumciſionem, ſed etiam januam cœli aperit baptiſatis, ſicut ſinum Abrahæ dabat circumciſio.

Cur non circumdimus. Cur Christus circumcisus.

Nota etiam quod octo circumciſiones habet ſcriptura, quarum vltima pеſ-

Circumciſiones.

ma peſſima. 1. Abrahæ Gen. 17. *Infans octo dierum circumcidetur.* 2. Moyſi Exod. 12. *Omnis ſeruus empticius circumcidetur & comedet Paſcha.* 3. Ioſ. 5. *Eorum qui nati in deſerto.* 4. Sephore Exo. 4. Quæ filium ſuum circumcididit acutiſſimâ petrâ, dicens *Sponſus ſanguinum tu mihi es.* 5. Spiritualis. Ier. 4. *Auferte præputium cordium veſtrorum* 6. Mulieris gentilis in bello captæ. Deut. 21. *Si vxorem illam vis habere introduces in domum, radet ceſariem, circumcidet vngues, deponet veſtem in qua capta, & menſe ſedens flebit patrem & matrem.* 7. Christi quam ſine omni ſua indigentia recepit, ſed propter nos. Vltima Sichem Gen. 24. Qui ſe circumcidit vt vacaret amplexibus Dinæ. *Ezech.* 44. Sufficiant vobis omnia ſcelera veſtra domus Iſrael, eo quod inducitis filios alienos incircumciſos carne, & incircumciſos corde vt ſint in ſanctuario meo.

Pro circumciſione cordis. Nota. Petrus Chryſolog. ſerm. 105. Si quæ ſunt viſcera pietatis in nobis, ſi qua eſt in nobis contemplatio humanitatis, ſi qua nos habet fraternæ ſalutis affectio, abſtrahamus eos qui ſic ad perditionem currunt, rapiuntur ad mortem, trahuntur ad tartara, feſtini ſunt ad gehennam. Abſtrahat Pater filium, ſeruum dominus, parens parentem, ciuis ciuem, Chriſtianos omnes qui ſe beſtijs comparârunt, exæquârunt jumentis, aptauerunt pecudibus. dæmonibus formauerunt. Cor verò primùm abſtrahendum eſt & circumcidẽdum, quia ex eo procedunt omnia mala. *Hugo de clauſtro animæ lib. 1.* Plura machinatur cor meum vno momento, quàm omnes homines perficere poſſent vno anno. *Aug. de verb. Dom.* Cor habet in ventre guloſus, laſciuus in libidine, cupidus in lucris. *Petrus Chryſol.* Qui peccare cupit, peccatorem colit & veneratur. Hinc eſt: quòd Veneri adulter inſeruit, Marti credulis addicit. Cor igitur tantorum malorum genitrix, circumcidendum eſt primitùs. *Cor ſapientis in dextra eius, cor ſtulti in ſiniſtris illius.* Eccleſ. 10. Puta in recta cogitatione, forti opere, diligenti cuſtodiâ. ſtultus verò leuius cor pertractat. Iucundum auditu. Beata Iuliana Falconeria Ordinis Seruorum Deiparæ, ita in Paſſionis Dominicæ meditatione exarſerat, vt crucifixi imaginẽ juxtà cor carni ſuæ impreſſam haberet. Tenebat cor in dextra, cantabat dulciter: *Paratum cor meum Deus paratum.* Lauabat cor, ne ſordeſceret à peccato. Si anima eſt vbi animat, jam iſtius virginis anima erat in vulneribus Chriſti & Chriſto. Nõ erat tota in corpore anima eius, nec tota in qualibet parte, quia mortua erat carni & mundo, viuebat cœlo & Chriſto. Ergò qui circumcidis cor, vade in partes ſæculi ſancti, ne demoreris in errore impiorum. Eccleſiaſt. 17.

Pro circumciſione oculorum. Eccl. 31. *Nequius oculo quid creatum eſt?* Si lucerna corporis eſt oculus, vt Matth. 6. Si dant videre cœlum juſtis cum

Abſtrahere debemus à peccato.

Cor primo cir-

cum- cid. cur.

Cor vbi peccat.

Cor in dextra.

Cordi crucifix.

Anima vbi animat.

Oculorum materia.

ſtis cum Thobia deſiderabile, ſi oſtendunt ſuâ pulchritudine & luce, pulchritudinem & lucem Dei, cur igitur oculo nil nequius creatum? Si materiam oculi ſpectabimus, ſciemus juxta Platonem ex igne creatũ oculum fuiſſe. juxta Ariſtotel. ex aqueo lympido. (Quocircà ſenſum humanum irridebat Chriſtus, cùm cæcum à natiuitate, luto ſanabat, quod igni cõtrarium & limpidi turbulentum eſt.) Quocircà nequitia ignea & limpida delectatio innaſci in oculis exprimitur. Vnde dici poterunt, oculi nequam. Sed hic creatoris bonum inficiaretur. Dicendum ergò oculos ad videndum cælum creatos, hominem deformaſſe affectu, inuidiâ, carne, & iterum recreatos quaſi per hominem fuiſſe. Et hinc: quid nequiùs malo oculo creâſſet & conſtituiſſet ſibi homo, non videtur. Nutus oculi tacitus, aſpectus aſper, viſio ficta, fiunt in malum proximi Vnde Prov. 17 Oculi ſapientum & ſtultorum diſtinguũtur. *Oculi ſtultorum in finibus terræ.* Hoc eſt, ne dum non meditantur de cælo & Deo, ſed immerſi ſunt in terra & terreſtribus, imò in profundo terræ cogitatio, intellectus, lingua, manus, ſubſtantiaq; illorum eſt. Optimè de oculo *Petrarcha de Rem. vtr. Fort. Dial. 96.* Oculos perdidi. ℞. ô quot ſimul vitæ faſtidia perdidiſti, quot fęda ſpeculatorũ ludibria non videbis. Et iterum: Viſum perdidi. ℞. Gaude; igitur clauſæ vnde mors intrabat ſunt feneſtræ, multiſque vitijs obſtructum iter, auaritiâ, gulâ, luxuriâ, peſteſq; aliæ ſuos miniſtros ac ſatellites amiſêre. Quantùm animæ tuæ hoſtibus demptum eſt, tantùm accreuiſſe tibi credito; perdidiſti enim duces malos, qui in præcipitium te ducebant. Oculi, licet plurima videant, ſeipſos autem videre non poſſunt, & licet multa videant extra, nil tamen intra ſe vident. O ſi tales eſſent oculi ergà alia quales ſunt ergà ſe, beati oculi eſſet: Sicut enim per hoc quia ſe non vident oculi, incitantur ad videndum ſuum creatorem & lumen oculorum ſuorum, ita ſi alia non ſic viderent vt ſibi & animæ oculis obeſſent, beati oculi eſſent. Virginem ſacram Luciam Ordinis mei exalto, quæ eruit ſua lumina, vt oculos animæ deprauati adoleſcentis ex oculis ſuis, mederetur. Ardorem namq; bonũ reſtitutione viſus, luminum cæli author, reſarciuit Erant adoleſcentis oculi emiſſarij, facti ſunt virginis oculi, oculi Solis. Prouidam arripuit Salomonis doctrinam. Prou. 4 *Oculi tui rectà videant, & palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos.*

Oculos bonos deformauit homo.

Oculi ſtultorum in extremo terræ.

Oculos canus perd. quam bonum.

Oculi ſe ipſos non vident.

Luciæ Virgo oculos eruit.

Pro circumciſione aurium. Nota. Leonidas habuit hirſutum cor, potuit eſſe aliquis piloſus in auribus, aut habere aſininas aures, ſed hic nõ de circumciſione corporali, at ſpirituali eſt ſermo. Alij enim habent aures, & nihil volunt audire boni. Pſa. 57. *Sicut aſpidis ſurdæ & obturãtis aures ſuas quæ non exaudient vocem incantantium.* Alij aures habent, ſed ad audiendum

Aures circumcidendæ.

endum iniquã. Et his dicitur: *Sepi aures ſpinis* Et tales ſunt circumcidẽdæ. *Aures magnæ.* Dicit Ariſt. l. 1. de anim. Aures magnæ & erectæ vltra modum, ſunt ſigna ſtulticiæ. Verè ad malum pronitores aures ſunt, ſed ſtulticiam audient. Vnde & in hoc pœnam ſtulticiæ & in futuro condemnationis obtinebunt. Dicit Nat. Com. lib. 2. ca. 1. *Iouis ſine auribus.* Græci in Creta ſimulachrum Iouis ſine auribus efformabant; ſit ratio penes illos. Sed hoc certum, quòd Deus non habet aures ad hos qui audiunt mala. Cogita in paradiſo terreſtri, quis ſenſus factus eſt primus ianua mortis? ille qui noluit audire præceptum Domini. *Auris ianua primæ mortis.* Auditus puta. Aure intrauit mors, ſi demùm non intrauerit aure in cor hominis verbum, eadem aure intrabit mors æterna. Et ſicut ex inuidia denigrantibus famam alterius conſenſiſti, ita denigrabitur anima tua. Quocircà aurem bonam *Auris bona.* Bern: in Epiſt: extollit: Auris bona libenter audit vtilia, prudenter diſcernit, obedienter operatur intellecta. *Audiens ſapiens ſapientior erit, & intelligens gubernacula poſſidebit.* Prouerb. 1 Ægyptij auditum efformando tauri auriculam pingunt; habebãt illi rationem, quòd taurus aure intelligat ſuum gregem. Tubæ ceu voci tauri ſeruanda eſt homini auris, quando ſcilicet inſonabit in auribus. *Surgite mortui ad iudicium.* ita enim quaſi circumciſa manebit. vt verò perſentire videamur, aures hominum directas eſſe debere ad verbum Dei, & clauſas ad nociua vitæ. *Luciani iuuẽtum adducam* Herculem (inquit) Galli ſenem admodùm corpore præualido, crudo viridiq; faciebat, leonis ſpolio, clauã pharetrâ & arcu intento præditum, armatum, videbatur ingredi, faciẽ habebat cõuerſam in humerũ ad numeroſã multitudinẽ, quæ illũ ſequebatur, ad horum aures erant cathenæ aureæ quaſi in vnum nodum demùm collectæ, quæ omnes ad aurem Herois colligatæ, blãdæ, tractæ, ſponte properabant, & alius alium certabat præuenire. Heros noſter JESVS CHRISTVS, catena nos aurea trahit: *Venite qui laboratis & onerati eſtis ego reficiam vos.* Matthæi 12. *Christus aurea cathena aures noſtras trahit.* *Venite comedite panem meum & bibite vinũ.* Prou. 9. *Beati qui cuſtodiunt vias meas.* *Venite accipite regnum, quod vobis paratum à conſtitutione mundi.* Matthæi vigeſ. 3. Hic Heros Rex Regum mille modis pertrahit aures noſtras, ergò properemus & præcurramus, ne quando clauſa ſit via & denegata gratia, dicatque: *Neſcio vos.*

Pro circumciſione linguæ. Nota. *Optimum & peſſimum lingua.* Anacharſis Philoſ. quid eſſet in homine peſſimum, quidque optimum, interrogatus: Lingua reſpondit. Hinc fortè in Obeliſcis antiquis efformata videbatur lingua manu hominis prenſa, ne malum generet, & proficua fieret. Adſcribit periodum linguæ Salomon Prou. 18. *Mors & vita in manibus linguæ.* Cùm igitur tanti mali cauſa ſit lingua, maximè circumcidenda venit. Sapiens Eccl. 22. modum ponit: Cuſtodiã. *Cuſtodia linguæ.* *Quis dabit ori meo cuſtodiam, & ſuper labia mea ſi-*

mea ſignaculum certum, vt non cadam in ipſis & lingua mea non perdat me? Eandem cuſtodiam inſinuabat Eurip. Decorum ſilentium, corona eſt viri, loquacitas autem nec iucundum aliquid habet, & mala eſt conuerſationi, & inutilis ciuitati. Turpem monitionem lingua refert. *lingua quò vadis.* Exponit cuſtodiam B. Iac. 1. *Sit velox homo ad audiendum, tardus ad loquendum.* & 1. Petr. 1. 3. *Qui vult vitam diligere & dies videre bonos, coerceat linguam ſuam à malo, & labia ſua ne loquantur dolum.* Antiqui linguam vocabant Dinguam, at fortè gracilioris ſermonis ratione, vocata eſt lingua. Dicere etiam quod voluerunt litteram D elidere, ne occaſio daretur doli & damni proximi, citiuſq; lingua ad lætitiam, quàm ad amaritudinem, ſit prona. Lingua Mercurio Deorum præconi offerebatur per medium ſecta, inquit Piër. Vis rationem? Quòd non totâ linguâ laudandus eſt vnus, ſed pars ſeruanda etiam alteri. Si ad hoc non ſolùm circumcidenda erat lingua, ſed ſecanda, quali igitur circumciſione indiget lingua, maledicentiæ, periurio, turpitudini, detractioni aſſueta? Grauia ſunt iura, quæ periuris blaſphemis aſſignātur: linguam præcedunt & extrahunt per poſteriorem capitis partem: grauia in qua ſunt, ſed iuſta. Punitur membrum, quo peccabatur. Quid velim erit cum illis, qui cum incircumciſis linguis moriuntur? Iuſtior erit Iudex, quia iuſtior cauſa, impium demeritum puniet.

Lingua ante Dingua.

Lingua ſecta Mercurio offerebatur.

Blaſphemi puniti in lingua.

Pro circumciſione manus. Nota. Docebat Saluator ſuos ſequaces *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, ſi pes, abſcinde. Melius enim cum vno oculo & pede ad vitam intrare, quàm duos oculos & pedes habentem mitti in gehennam ignis.* Et circumciſio, & ratio circūciſionis ponitur. Idem de manu dicendum. Nam manus nedum opus, ſed etiam opus malum, violentiam, exercitū, tyrannidem, libidinem, & plurima mala ſuadet, exercet, operatur. Somnium ſi habuerit aliquis quòd plures manus habeat, proſpera expectat, inquit Artem. lib. 1. c. 45. Sed quæ proſpera? Mundi amicos, pecuniam, prouentum. Sed & hæc, nugæ, vt ſomnia. Demus, tranſibūt. Circumcidendæ manus plures, ad regnum vna ſufficit. *Manum ſuam aperuit inopi.* Prou. 31. Manus tua deduxit me, Pſal. 138. Audi Petrarch. de Rem. fort: lib: 2. dial. 77. Manum vulnere perdidi. Reſpondet. Quod vna ſufficit, viro forti. Inquit ille: ſi læuam amiſiſti, damnum leuius, ſi dextram, Marci Sergij viri fortiſſimi remedio vti licet, qui hac manu bello Punico amiſſa ſibi ferream fabrefecit, cum qua multis ac trucibus prælijs, non ocioſus bellator interfuit. Id ſi parum ſucceſſerit, dextræ officium in ſiniſtrum transfer. Nôſti, vt Cæſarianus miles Attilius bello Maſſiliēſi, cùm iniectam puppi hoſtili dextram amiſiſſet, leuâ præhenſam tenuit, donec pelago mergeretur. Vnde & Palinurus apud Maronem ad Æneam lib: 6. Da

Manus circumciſio.

Somnium plures manus hab.

Forti viro vna ſuff. man.

dextram

dextram miſero, & tecum me tolle per vndas. Me hercule, non materialiter ſed ſpiritualiter abſcindendæ ſunt manus. Minus peccabitur, ſi vna fuerit manus, ſinceritas enim & deuotio recompenſabit alteram, ſed quod maximum eſt, vnâ manu punit DEVS, Soph. 1. *Extendam manũ meam ſuper Iudam & ſuper habitantes Iſrael.* Fortè igitur vtraſque à nobis poſtulat. *Eleuatio manuum tuarum ſacrificium veſpertinum.* Pſalm. 140. Vnde & in nummis Antonini, dexteram tenet expanſam, & leua donarium porrigit in aram ſubiectam. Audi velim: Circumcidendæ manus ab immunditia & malo, vtræque verò porrigẽdæ in cœlum. Lex etenim in obuiandum malo ponitur, non in reijciendum quod pietatis eſt. Et ita ſubſcribe manui circumciſæ, CHRISTIANI PIETAS..

Manus ſpir. circũ-ciſ. — *Manu vnâ punit Deus.* — *Nummus cum manibus.*

IN DIE CIRCVMCISIONIS D.

SERMO II.

Poſtquàm conſummati ſunt dies octo, vt circumcideretur puer. *Lucæ 2.*

Vt nobis nomen IEsv imponatur, debent compleri in nobis dies octo.

Dies Dominic.

CHRISTVS natus eſt in die Dominico in nocte, & circumciſus eſt etiam in Dominico die: Vnde Dominicus dies, eſt dies pacis, Solis, & dies Filij Dei. Debemus ergò diem pacis primò agere, ſcilicet: Deum cùm grauiter offendimus, faciamus pacem, reconciliemus per pœnitẽtiam. Ex his quibus crucifigimus Deum ſunt duo. Decimarum ſubtractio, & pauperum oppreſſio. De 1. Malach. 3. *Vos configitis me, & dixiſtis, in quo? in decimis & in primitijs.* Vnde ſequitur: *Inferte omnem decimam in horreum meum, vt ſit cibus in domo mea.* De 2. Zach. 2. *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Prou. 22. *Non facias violentias pauperi, quia pauper eſt. Neq; conteras egenum in porta, quia Dominus iudicabit cauſam eius, & configet eos, qui confixerunt animã eius.* 2. Cor. 5. *Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini DEO.*

Crucifigitur Deus in duobus. — *Decimæ.* — *Oppreſsio paupe.*

Secundò, debemus agere diem Lunæ. Luna defectum patitur. Nos in quatuor defectum noſtrum conſideremus. 1. in vitæ breuitate. Iob. 13. *Homo natus de muliere, breui viuens tẽpore.* Iac. 4. *Quid eſt vita noſtra, vapor ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.* Seneca: Punctum eſt quod viuimus, & adhuc puncto minus. 2. In corporis fragilitate. Gen. 3. *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Bern: Nihil aliud eſt

Dies lunæ. — *Breuitas vitæ.* — *Corporis fragili.*

ud eſt caro niſi ſpuma, fragili veſtita decore, erit cadauer miſerum & putridum, & cibus vermium. Si diligenter conſideres, quid per os, nares, cæteroſq; exitus egrediatur, vilius ſterquilinium nunquam vidiſti.

Temporis inſtab. 3. In rerum temporalium inſtabilitate. Qui erãt diuites in ſæculo, pauperes ſunt in inferno. Sap. 6. *Quid nobis profuit ſuperbia, & diuitiarum iactantia? tranſierunt illa tanquam vmbra & fumus.* Thomas Cantuar.

Nil dixit proprium, quod puncto mobilis hora.

Nunc prece, nunc precio, nunc vi, nunc morte ſupremâ

Permutat Dominus, & cedat in altera jura.

3. In fidelium amicorum paucitate. Prov. 19. *Diuitiæ addunt amicos plurimos, à paupere autem & hi quos habuit, ſeparantur.* Eccl. 6 *Eſt amicus ſocius menſæ, & non permanet in die neceſſitatis.* Verus amicus, omni tempore diligit, & ſemper in anguſtijs comprobatur. Tales ſunt pauci. Cic. Sunt amici firmi & ſtabiles & conſtantes eligendi, cuius generis eſt maxima penuria. Eccl. 25. *Beatus qui inuenit verum amicum. Amico enim fideli nulla eſt comparatio.* Eccl. 6.

Dies Mart. 3. Debemus agere diem Martis. Mars Deus belli, debemus ergò reſiſtere diabolo, qui nobis animam etiam eripere conatur. *Gen: 14.* Rex Sodomorum dixit ad Abraham: Da mihi animas, cætera tolle tibi. De hoc bello Iac. 1. *Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis.* 1. Pet. 5. *Aduerſarius veſter diabolus vt leo, &c.* Ad hoc bellum tria neceſſaria, Clypeus crucis, gladius charitatis, & robur Spiritus ſancti: Cruci te committe, charitatem in manu tene, poſtula robur, & ſuperabis.

4. Debemus agere diem Mercurij. Mercurius Deus Mercatorum, merces curans. Mercatura nobis exercenda & negotiatio. Luc. 19. *Homo nobilis vocatis ſeruis dedit decem mnas, & ait: Negotiamini donec venio.* Mnæ decem, ſunt tria quæ Deo offeruntur. ſcil. carnis maceratio, ſupplex oratio, deuota ploratio, & ſeptem opera miſericordiæ corporalia. *Colligo, poto, cibo, redimo, tego, viſito, condo.* Dies Mer.

5. Debemus agere diem Iouis. Iouis dicitur dies tonitrui. Debemus diem judicij habere in mente, tunc enim tonitruo diuinæ potentiæ percutiet Deus peccatores, Eccleſ. 43. *Vox tonitrui eius verberabit terram. Ite maledicti.* Dies Iou.

6. Debemus agere diem Veneris. Amici nobis ſunt conquirendi Sanctiſſimæ Trinitatis, B. M. V. Apoſtoli &c. Gratia & amicitia liberant, quas tibi ſerua, ne exprobrabilis fias. *Amicitia ſapientis eſt delectatio bona.* Sap. 8. Sapientis, id eſt, Filij Dei. Acquiritur amicitia Dei & ſanctorum. 1. Pœnitentia. Prouer. 17. *Qui celat delictum, quærit amicitias.* Celat, puta pallio pœnitentiæ. 2. Cordis munditia. Prou. 22. *Qui diligit cordis munditiam, habebit amicum regem.* 3. Ælecmoſyna. Luc. 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Qui hos dies Dies Ven. Cordis munditia. Sab. Eleemoſyna.

dies compleuerit perueniet ad ſabbathum, viſionem Dei. Pſal. 28. *Guſtate & videte.* Iſa: 66. *Erit Sabbatum ex Sabbato.* puta, ex gratia gloriæ. Et octauo reſurgent, & corpora illorũ fulgebunt vt Sol, & vocabimur IESVS, id eſt ſaluati & à tribulationibus liberati.

ANNOTATIONES.

Dies Solis.

ARiſt. Top. 6. de die ait. Dies eſt latio Solis ſuper terram, vnde quælibet dies, dies Solis vocari poteſt. Sed tamen ſpecialiter, dies Dominicus ſolis dies nuncupatur. Eſt enim axioma Philoſophicum: Propter quod vnumquoq; eſt tale, & illud magis erit tale: ſi propter ſolis lumen alij dies ſolis nuncupari poſſunt, multò magis dies prima à lumine dicetur. Sol enim in principio ſuæ dominationis habet virtutem ad omnes planetas & ſtellas, quas illuminat & trahit ad operationem, vndè Dominica, ſolis dicitur dies prima; & quia diffundit ſol lucem in Dominium lunæ, dicitur dies ſecunda Lunæ; & quia funditur in Martis Dominio, dicitur dies tertia Martis; Ita dicendum de Mercurij, Iouis, Veneris & Saturni die. Chriſtianis verò prima dies dicitur Dominica, tum quia prima eſt ordine, in qua reformatio mundi incæpta eſt, incæpit enim à luce reſurgẽtis Solis IESV Chriſti. Malach. 4. *Vobis timentibus nomen meum orietur ſol iuſtitiæ.* Tum quia prima eſt dignitate. Nam ſicut erat menſis principium menſium, in quo ſanguine agni liberati ſunt ab exterminatore & ſeruitute fideles. Exod. 12. Ita libertas plena, à Diabolo, peccato & morte, demonſtrata in die reſurrectionis Chriſti. *Hæc dies quam fecit Dominus* dicitur. *Addit. Fulgentius.* Exiſtimo & ipſum ſolem hac die clarius lucere, quando Sol verus, lucem ſuæ reſurrectionis glorioſæ, radijs ſolis corporalis immiſcet. Rectè igitur, nedum dies ſolis prima dies poſt ſabbatum vocabitur, ſed etiam dies Filij DEI, & pacis.

Sol in reſur. Dom. clarius luxit.

Pro die Dominico ſeu pacis. Nota. Pſ. 118. *Ordinatione tuâ perſeuerat dies.* Ad ſolis motum incipit & terminat dies, quomodo igitur perſeuerabit ſi ad occaſum ſolis deſinit? Ad textum Hæbr: aliqui excurrunt & dicunt. Perſeuerant dies, tranſeundo ſcilicet & fluendo, ſic enim hodie, ſeu hic dies, permanet. Sed quia diem figuratam per dies in ſacra pagina, diem reſurrectionis Chriſti intelligimus, ſicut per noctem Natiuitatem Chriſti, (juxta quod Greg. O beata nox) inde, diem in ſigulari ordinatione ſanctiſſimæ Trinitatis, reſurrectionis puta, perſeuerare dictum eſt. Iam enim vltra Chriſtus non moritur, ſed viuit DEO. Seu diuinitate. *Aug. de fide & oper.* Dies imago vitæ, nox mortis. Si de die humano intelligendum. Dies, quâ omnia non virulenta viuunt, eſt dies vitæ. Nox, quâ omnia quieſcunt, eſt mortis ſymbolum. Si verò de die Chriſti Domini intelligitur. Dies Natiuitatis & Reſurrectio-

Ordinatione dies.

Dies reſurrect. Dom.

Dies imago vitæ.

rectionis, omneſq; dies inter medij eius, ſunt dies vitæ. *Ego veni vt vitam habeant & abundantius habeant.* Nox verò, eſt dies mortis, nam eo die quo Chriſtus mortuus eſt, etiam mors mortua. *Ero ô mors, mors tua.* Et mors Diaboli, quia amittendo in mortuos poteſtatem, moriebatur cum regno. *Quis eſt iſte rex gloriæ?* Quærunt ceu debellati & conſtricti. Dies igitur pacis perſoluenda homini. *Plato de Rep.* Nihil pernicioſiùs ciuitati quàm diuiſio, & nil meliùs quàm vnio. *Caſsiod.* Summoperè jurgia fuge, nam contra parem contendere, anceps eſt, cum ſuperiore furioſum, cum inferiore ſordidum, *Iob.22.* Acquieſce igitur ei, & habeto pacem, & per hæc habebis fructus optimos.

Pax optima cum Deo.

Decima,

Quod verò ſpectat ad Decimas, ſcias decimarum ſolutionem eſſe de jure naturali & diuino. Primum. 1. Cor. 9. *Quis militat ſuis ſtipendiis vnquam?* Secundum, quia de altari viuere qui ſeruit altari debet. *S. Aug. ſerm. 219. de Temp.* Decimæ ex debito requiruntur, & qui eas dare noluerit, res alienas inuaſit. Tempore enim Apoſtolorum communitas per collectas ſuſtentare clericos conſueuerat, ſed quia difficile viſum erat, conſtitutum dandas decimas. Concil. Trid. Seſſ. 25. cap. 12. Qui decimas ſubtrahunt aut impediunt excommunicentur, nec ab hoc crimine, niſi plenâ reſtitutione ſecuta abſoluantur.

De pauperibus verò, *Demoſth.* Non aſpernandi pauperes, ſatis ipſis in ipſa paupertate eſt mali. *Democrates.* Paupertas & diuitiæ, nomina ſunt indigentiæ & ſaturitatis, quapropter nec diues dicendus eſt vir dignus, nec pauper indignus. *B. Nilus Mart.* Pauperem lachrymantem ne deſpicias, ne & tuæ preces lachrymabiles deſpiciantur.

Pro die Lunæ. Nota. *Curtius lib. 8.* Diſcipulꝰ eſt prioris, dies poſterior. Qui id nobis tradidit memoriæ, nedum reſpexit oculum ſolis, in orbem lunæ, ſed quod continuatio operis primo die incepti, ſit poſterior. Et ſi perficit benè cæptũ opus, ceu diſcipulus ſequitur Magiſtrum. Verùm ſi propoſitum noſtrum ſpectabimus, dies prima, pacem cum Deo docuit, hæc ſequens docet pacem cum ſemetipſo homine: cùm enim tot diſcriminibus & defectibus ſit homo expoſitus, bellum ciere ſibi non debet, ſed pacem. Vnde Seneca diem quemlibet complanando vitæ, moderabat eos ad defectum vltimum *Dicit enim Epiſt. 62.* Vnumquemque diem, non tanquam vltimum capio, ſed tanquam poſſet eſſe vltimus. Per gratiam enim Dei dum viuimus, non vltimum habemus diem vitæ ſuæ, ſed nobis quilibet dies ita penſandus eſt ob varios defectus quam poſſet eſſe vltimus.

Quod ſpectat ad breuitatem vitæ &c. Nota. *Petrarcha de Rem. Fort. l. 1. Dial. 96.* Imperio clarus ſum. Reſpondet: Expergiſcimini aliquãdo mortales, aperite oculos, neuè falſis caliga-

caligate fulgoribus, veſtra metimini atq; æſtimate corpuſcula, circumſpicite quibus ſepti eſtis anguſtijs, nolite Geometras contemnere, terra omnis punctus eſt, vos caduci ac fragilis ac incerti exitus, & cùm iuuenes & cùm ſani eſtis cum morte luctamini, & cùm aſcendere creditis, deſcenditis: & cùm ſtare videmini, tum maxime ruitis. Mementote vos punctum perexiguum, vel vt dicam, ne milleſimam puncti partem poſſidere. Hanc premitis, premendi; nec amplius poſſeſſuri, quam quod pallidis & frigentibus membris diſceſſuri. Laxate animos & moribundi immortalia cogitate. Corpus veſtrum, putris terra, via veſtra, fumus leuis. Cognoſcetis viam hanc fuiſſe non patriam, & omnia falſa. *Muſi apud Stob.* Non licet præſẽtem diem rectè viuere, niſi quaſi vltimam victurus cogitaueris. Homo eſt viator ille in Euang. Luc. 10 poſitus. *Incidit in latrones qui ſpoliauerunt illum, & plagis ſuperpoſitis abierunt ſemiuiuo relicto.* Idem per peccatum accidit homini, ſpoliatus omnibus bonis gratiæ, vulneratus in omnibus bonis naturæ. Intellectus obſcuratus eſt, voluntas facta infirma, liberum arbitrium debile, memoria vaga & diſperſa, imaginatio inquieta, appetitus rebellis, ſenſus curioſi, caro ad omnem turpitudinem & voluptatem inclinata. Præterea, totus homo factus eſt aptiſſimus ad omne malum, ineptiſſimus ad omne bonum, promptus ad damnationem, piger & tardus ad ſalutem.

Punctum vitæ, hom. & minus.

Homo bonis naturæ & gratiæ ſpoliatus.

Pro die Martis. Nota. Terribilis hoſtis cum quo pugnandum, ſed terribilem Goliathum, deuicit paruus Dauid. Si Devs non contra nos, quis nos deuicit? Docebit manus noſtras ad prælium & digitos ad bellum. Pſal. 143. *Aug. in Soliloquiis.* Diabolus nunc hìc nunc illic, nunc agnum, nunc lupum, nũc tenebras, nunc lucem ſe oſtendit, & ſingulis quibuſcunq; qualitatibus locis & temporibus ſecundùm varias rerum mutationes, varias exhibet tentationes. Nam vt triſtes efficiat, triſtatur & ipſe: vt gaudentes illudat, fingit ſe & ſæpè gaudere, vt ſpirituales defraudet in Angelum lucis ſe transformat, vt fortes opprimat apparet agnus, vt mites deuoret apparet lupus. Quis gyrum dentium eius agnouit? Magnus apparet hoſtis, ſed tu humilem Dauid te ponito. Magnus hoſtis, ſed tu dum paruus eſt hoſtis, occide illum, vt malitia elidatur in ſemine, & ſic Diabolus antequam creſcat *inquit Hieron:* proſternetur. Magnus eſt hoſtis, at ſummus eſt victor Chriſtus, qui contra ipſum pugnat nobiſcum. Quidam Doctor, creaturas nos tribus verbis cõpellare dixit; Accipe, redde, caue. Hoc eſt, accipe beneficium, puta à nobis qui tibi ſeruimus, redde debitum, creatori noſtro & tuo, caue, niſi gratias reddideris, ſupplicium. Ita forte ad nos & Chriſtus dicit. Accipe bellum contra hoſtem, redde victorias de illo, caue, ne te vicerit. 1. Paralip. 5. Filij Ruben haben-

Diabolus terribilis hoſtis.

Pugnandum cum Diab. fortiter quare.

Accipe, redde, caue.

habentes fiduciam in Domino vicerunt inimicos. Ingenio, opibus, dextra, bellum in terris victorem habet. Tu Deo, prece, humilitate, confice.

Pro die Mercurij. Nota. Tacitus refert de Othone relicto à parentibus prædiuite, quod quidam de illo dixerit. Iſte perdere ſciet, pro Rep. facere neſciet. Qui accepit duas mnas, erat ex eodem numero, qui fodit theſaurum, nec ſibi nec alteri profuit. Alij verò lucrati ſunt ſimilem pecuniam, & pro bono opere laudem & præmium retulerunt. Rom. 4. *Ei qui operatur, merces imputatur, non ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum.* Mercatura exercẽda nobis eſt, ſed ſpiritualis. Nam & Chriſtus Iesvs emit nos ſibi. *Empti eſtis pretio magno.* Et nos ad Mercaturam inſtruit. *Vade & vende omnia quæ habes. Et vẽde tunicam, & eme gladium.* Quocirca quærit B. Petrus de quota & qualitate. Quid nobis erit; ſecuti ſumus te, non vendidimus ſed reliquimus omnia. Quaſi diceret, plus fecimus cum non vendidimus. Eſt tritum dicterium. Aliter cum tyranno, aliter cum amico viuitur. Devs eſt, Magiſter eſt, Dominus eſt, cur Petre exigis quid ab eo? Quid habes quod non accepiſti! opera tua, eius ſunt? Mundum hunc conſtituit emporiũ, dicit enim. *Venite, emite, & qui non habetis argentum, emite abſque argento & vlla commutatione.* Iſa. 55. Qui non auro nec argento emimus, ſed obſequio, animo, & fide, expoſtulamus

Mercatura ſpiritualis.

Aliter cum tyranno aliter cũ amico.

Mundus emporium.

quid? Alexander Mag. miſſis legatis ad Xenocratem Philoſ. voluit amicitiam eius pecunia ſibi comparare, at ille noluit vendere nec aurum recipere Regis. Si ergo vendit cœlum Chriſtus, emendum nobis eſt qui cœlo vt in æternum cum Deo regnemus, egemus. Facilis emptio, quia plùs donat venditor, quàm vendit: Plùs emptor emit, quàm expendit. Vendit pro fruſto panis, pro calice aquæ, pro duobus obulis. Tantum des, quantũ velis; & accipies quod intendis. *Chryſoſtomus ſuper Matth. ſuper verba. Eijcebat vendentes & ementes,* dicit: Vilem ſe vult æſtimari Chriſtus, vt ab omnibus ematur, ne quis pauper deterreatur. Sed quæres, quomodo precium vile, ſi negotiator inuentâ vnâ precioſa Margareta vendidit omnia quæ habuit, & tunc emit eam? Per Margaretam, intelligitur verbum Dei, & gloria cæleſtis. Omnia ergò danda pro Chriſto & cœlo. Sed attende, quod temporalia amittere quæ facilè pereunt, propter æterna, & caduca propter inæſtimabilia bona, & delectationes corporales illicitas, propter ſummam delectationem relinquere, atq; hoc medio comparare & emere cœlum, eſt pro nihilo emere.

Pro die Iouis. Nota. D. Greg. in 1. Regũ ſcribendo dicit: Dies primus lux prædicationis, dies craſtinus diuinæ gratiæ. Quos dies tenuit hîc Gregorius? Nec naturales nec artificiales, ſed Chriſti dies vocati

cati

cat ipſius prædicationem, & dies gratiæ, quas hominibus in vita conceſſit, donec tollantur per mortem. Dices, cur vltimum diem tacuit? nempè, iudicij vltimi. Quia hæc dies non eſt ampliùs noſtra, ſed iudicis. Quocirca tonitrui Dei dicitur eſſe. Talem igitur diem cogitare debemus iudicij. *Hinc B. Nilus Martyr.* Nos ipſos dijudicemus & iudex placabitur, vt bonus enim gaudet cum peccatorem onus ſuum deferentem videt. *Et Iſidorus lib. 1. cap. 30.* Pro diuerſitate conſcientiarum apparebit in iudicio Chriſtus, electis mitis, reprobis terribilis. Nam qualem quiſque conſcientiam tulerit, talem & iudicem habebit, vt manente in ſua tranquillitate Chriſto, illis ſolis terribilis appareat, quos conſcientia in malis accuſat. Apoc. 20. *Vidi thronum magnum candidum & ſedentẽ ſuper illum à cuius conſpectu fugit cœlum & terra.* Tonitrui dies, eſt dies iudicij eius. *Chryſoſt. hom. 35.* Intolerabilis res eſt gehenna, quis neſciat quòd ſupplicium eſt horribile: tamen ſimile nihil eſt tale quale ab illius honore & gloria repelli, & exoſum eſſe à Chriſto, & ab illo audire. *Non noui vos.* Duplices iudices in Hiſtorijs lego, aliquos qui non ſtatim puniebant, imò pœnitentiâ ipſâ erant contenti. De Ceſare Suetonius dicit: ſi quæ cogitarentur grauiùs aduerſum ſe aut dicerentur, inhibere maluit quàm vindicare. Et Tacitus in Agricola. Nec pœna ſemper, ſed ſæpiùs pœnitentiâ contentus erat.

Dies ...tis Spiritualis.

Iudex iuxta conſcient.

Tonitrui dies.

Iudices duplices.

Alij erant qui ſubitò vt peccauit puniebant. De Cæcinna inquit Tacitus: Proximam quamq; culpam antequam pœniteret, vltum ibat. Profectò judicem DEVM ſi conſiderabimus, non punit ille hominem, ſed incitat ad pœnitentiam peccatores quouſq; viuũt in ſæculo, at vbi mortuus fuerit in peccatis, nulla dilatio pœnarum, nullus reſpectus pœnitẽtiæ, ſed juſtitia miſericordiam refellet, nec iura totalia miſericordiæ valebunt, vbi juſtitia iudicabit. Deut. 32. *Si arripuerit iudicium manus mea, reddam vltionem hoſtibus meis, & his qui oderunt me, retribuam.*

Iudex Deus qualis.

Pro die Veneris. Nota. Non ſimplex requiritur amor in homine, ſed ille de quo Prou. 31. *Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam.* Requiritur amor immenſus, incomparabilis, inæſtimabilis: Nam ſi nos DEVS dilexit prior, & ita dilexit, vt Filium ſuum vnigenitum pro liberatione hominis daret, feciſſetq; nos ſibi adoptiuos filios, & hæredes regni, profectò ſummam quoque à nobis requirit dilectionem. Quæ quidem dilectio DEI tanti valoris eſſe debet in nobis, vt ſi rectè ſentiret homo, omnem potiùs amiſiſſet ſubſtantiam, quàm amitteret DEVM atque diligere deſineret ipſum. Vbi enim ſuperabundauerit in homine dilectio DEI, cætera ſunt nihil in cogitatu, conſideratione, in judicio ipſius. Clamabat Datianus tyrannus, dum in Vincentium Martyrem conſumptis

Dies Veneris.

Dilectio Dei ab homine.

ptis tormentorum generibus & inaniter vidiſſet. *VICTI SVMVS.* Inexpugnabili enim charitate in DEVM, victâ morte, deuicit ille tyrannum, & exultabat inuictus. Vnde deſperando tyrannus, dicebat: *VICTI SVMVS.* Eundem quoque & diabolus habet dicendi modum, dum DEI amor cor hominis ornat & illuſtrat. Victi ſunt. Recedunt, partem cum DEO habere non poſſunt. D. Bern. talem amorem animæ ſuæ precabatur ſummum, vt ceu in raptu diceret: Moriatur Domine anima mea non tantùm morte iuſtorum, ſed etiam Angelorum. Nedum poſſibilia precatur, ſed etiam impoſſibilia quæ propriæ fortitudinis rationem excedunt. Moriatur anima (inquit) morte Angelorũ. Quæ eſt iſta mors Angelorum præcipuè bonorum? Ardens deſiderium excedit modum, aſcenſum ſuum dirigit. Senſum explicat B. Bern. Sit anima mea in rebus huius ſæculi ſic mortua, & tam perfectè ab ijs abſtracta, quàm ſunt non tantùm iuſti, ſed ipſi etiã, ſi fieri queat, Angeli. Tam ſublimem etenim requirit amorem noſtrum, inexplicabilis amor diuinus humanæ naturæ. Vt ſi ipſius amor ſit ergà nos talis, ſicut dicitur Deuter. 35. *Amantiſſimus Domini habitabit confidenter in eo, quaſi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requieſcet.* Correſpõdenter requirit à nobis illum amorẽ ſui, de quo Iſa. 26. *Nomen tuum & memoriale tuum deſiderium animæ meæ, anima mea deſiderauit te in nocte, ſed & ſpiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.*

Victi ſumus.

Mori morte Ang.

Amor Dei in nos qualis.

Amor noſter in Deũ qualis.

Pro Sabbato. Nota. Antiqui diem Saturni vocabant, quia fabulabantur, quòd cœlo & aſtris fabricatis, cuſtos ille fuerit conſtitutus, quocirca & canis vocabatur, inquit Pier. Val. l. 5. c. 14. Sabbatum verò ſeu requietionem Hebræi dicere diem voluerunt, quia DEVS ab opere ſuo iſtius ſcilicet mundi conſtitutione die hac requieuerit. Tranſeunda igitur dies hæc, vt nomen IESVS imponatur homini, hoc eſt, cuſtodia mundi huius relinquenda, & quies in cœlis deſideranda. *Gregor. lib: 8. Moral. habet.* In nocte (inquit) dies & in die veſpera deſideratur. Fortè ex intentione infirmantium & laborantium pro victu, loquitur. illi enim in nocte diem deſiderant & expectant, infirmitas enim in die alleuiatur, & labor venuſtior ſit, poſt laborem veſperam & quietem cupiunt; infirmi verò ſomnum placidum deſiderant, tunc enim omnia quieta, cùm veſpera venit, incipiũt. Verum ad noſtrum propoſitum. In nocte diem deſiderabamus; cùm ante aduentum Chriſti omnes peccato, omnes tenebris & nocti dati fueramus, diem Chriſti expectauimus; ſed cùm dies illuxit nati Chriſti non expectamus noctem, quia in gloria cœleſti, ipſa dies eſt non patiens occaſum, neque deſiderabim⁹ veſperam, quia diminutionem & augmentum vt in ſeipſa eſt, gloria cœli non ſuſtinet; ſed ipſam diem deſiderabimus, quia ibi lux eſt agnus, non mutans colorem, ſed lucens in æter-

æternitates. *Seneca vt ſemper eleuatus, Epiſt:* 123. *dicit*: Nullus agenti dies longus eſt. Excludit otioſos, quibus vna hora vt dies reputatur longa. Includit verò iucundè laborantes, qui quomodo diem tranſierint, non recognouerunt. Dulcedo operis, diem abbreuiauit. Ita deſideranti quietem in cœlis, nulla hora aſpera, dies vtcunq; amarus, videtur eſſe longus, ſed deſiderat longiores tribulationes, grauiores amaritudines, vt modò ad quietem perueniat. Habent dié mentis, ſplendorem eruditionis. Gorgias Philoſophus Iſocratis præceptor. Cùm annum centeſimum ſeptimum ageret, interrogatus quapropter in vita tam diu vellet remanere, reſpondit: Quia nil habeo, quo ſenectutem meam accuſem. Fælix vir, qui inchoando alterum ſæculum, non inuenit materiam accuſandi. Quid igitur de vita immortali dicem⁹ vel cogitabimus? Ibi non mors, non amaritudo, non malum eſt, ſed talis dulcedo & ſuauitas, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. Per Sabbatũ igitur Domini tranſi ad tantam quietem & ſabbatum, vbi feſta per æterna ſæcula.

Senectus nõ incuſata.

IN CIRCVMCISIONE DOMINI
SERMO III.

Vocatum eſt nomen eius IESVS ab Angelo.
Luc. 2. & Matth. 1.

GAbriel Archangelus hoc nomen Incarnationem Filij DEI annunciando, prædixit: *Vocabis nomen eius IESVS.* Luc. 2. Et ad Ioſeph dicitur. Matth. 1. *Vocabis nomen IESVM, ipſe à peccatis ſaluum faciet populum.* De quo nomine ad Philip. 2. *Donauit illi Pater nomen quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine IESV flectatur genu cæleſtium terreſtrium & infernorum.* Hoc igitur nomen IHESVS ex ſex literis conſtat, & ſignificant, quod IHESVS eſt Iuſtiſſimus, Honeſtiſſimus, Elegantiſſimus, Sapientiſſimus, Veraciſſimus, Suauiſſimus.

Neceſſarium erat, vt iniuſtos in viam juſtitiæ reuocaret, & per ſuam juſtitiam DEO Patri nos reconciliaret. 1. Pet. 3. *Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis.* Quod iuſtus fuerit Luc. 23. *Verè hic homo iuſtus erat.* Conſtat in tribus juſtitia eius. Primò, quia dedit mandata iuſta. Ad Rom: 7. *Itaque lex ſancta & mandatum iuſtum, & ſanctum, & bonum.* Nonné juſtum? Luc. 6. Prout vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite

Ieſus iuſtiſſimus.

Chriſti iuſtitia ex tribus.

facite illis ſimiliter. Secundò, quia juſta faciet judicia. Ioan. 5. *Omne iudicium dedit Filio*, & judicium meum juſtum eſt. Apoc. 16. Vidi Angelū ab altari dicentem: *Domine Deus omnipotens vera & iuſta iudicia tua.* Tertiò, quia dabit iuſta præmia. Matth. 15. *Ite & vos in vineam & quod iuſtum fuerit dabo vobis.* Nos etiam debemus eſſe juſti. 1. Ioan. 2. *Si ſcitis quoniam iuſtus eſt, ſcitote quoniam qui facit iuſtitiam ex eo natus eſt.* Eccl. 4. *Vſque ad mortem certa pro iuſtitia, & DEVS expugnabit pro te inimicos tuos.* Debemus verò juſtitiam propter ſeptem cauſas nobis copulare. 1. quia gratum valde DEO teſtatur ſcriptura. 2. quia perpetua & immortalis eſſe probatur. 3. quia per eam in omnia via homo defenſatur. 4. quia per eam homo quaſi indumentis nobilibus decoratur. 5. quia per eam à morte perpetuâ liberatur. 6. quia per eam in die judicij tutela præſtatur. 7. quia per eam homo in gloria ſublimatur. De primo. Prouerbiorum 16. *Initium viæ bonæ facere iuſtitiam, acceptum eſt apud DEVM, magis quàm immolare hoſtias.* De 2. Sapien. 1. *Iuſtitia perpetua eſt & immortalis, iniuſtitia autem mortis acquiſitio.* De 3. Prou. 13. *Iuſtitia cuſtodit innocentis viam, impietas verò peccatorem ſupplantat.* De 4. Eccl. 27. *Si ſequeris iuſtitiam apprehendes illam & indues quaſi poderem honoris.* De 5. *Nil proderunt theſauri impietatis, iuſtitia verò liberabit à morte.* De 6. *Iuſtitia proteget te in ſempiternum, & in die agnitionis inuenies eam firmamentum.* Dies agnitionis, eſt dies judicij tunc enim agnoſcet iudex cauſas. De 7. Iuſtitia eleuat gentem ſi in ſedem glorioſam, miſeros facit populos peccatum.

Chriſtianus iuſtitiam colat propter 7.

IESVS Honeſtiſſimus. Sap. 10. *Sapientia honeſtauit illum in laboribus, affuit ei in fraude circumuenientium & honeſtum fecit.* Nihil enim loqui vel agere potuit niſi honeſtum, quia omnis pulchritudo diuinitatis corporaliter, id eſt, veraciter habitauit in ipſo. Cùm igitur fratres ſumus IESV, honeſti eſſe debemus. Eccl. 11. *Facile eſt in oculis Dei ſubitò honeſtare pauperem.* Debemus triplicem honeſtatem habere in corde, ore & opere. Triplex verò honeſtas eſt, triplex munditia. Inuitat ad honeſtatem cordis. Roman. 13. *Induamur arma lucis, ſicut in die honeſtè ambulemus.* Arma lucis ſunt iudicia cordis & oris. Ad honeſtatem oris monet. 1. Corint. 14. *Omnia honeſtè & ſecundùm ordinem fiant in vobis.* Id eſt, nil coinquinatum de ore veniat, quod aures alterius offendat. Ad honeſtatē operis monet. 1. Theſſ. 4. *Præcipimus vobis vt honeſtè ambuletis, ad eos qui foris ſunt, nullius aliquid deſideretis.*

Ieſus honeſtiſſimus.

Honeſtas triplex requiritur in Chriſtiano.

IESVS elegantiſſimus. Exo. 2. de Moyſe. *Cùm peperiſſet eum mater ſua vidit eum elegantem, abſcondit tribus menſibus.* IESVS aſsūptus ex aqua lachrymarū, ex oculis Patriarcharum & Prophet: qui illū deſiderabant, per Moyſen ſignificatur. Magiſter dicit de Moyſe, quod cū tali pulchritudine venuſtauerat DEVS, vt ab hoſtibus amaretur & alimento dignus haberetur. De illo Ioſephus. Tantæ pulchritudinis Moy-

Ieſus elegantiſſimus.

nis Moyſes erat, vt nullus ſeuerus eſſet, qui eius aſpectum non haberet, dum cernerent eum per plateam occupationes deſerebant, vt eum viderent. Si talem Moyſi pulchritudinem dedit, qualem Filio ſuo contulit? Luc. 3. Apertum cœlum Spiritus S. deſcendit vox facta. *Tu es filius meus in te complacuit mihi.* Nota complacuit, quid igitur ſuper omnes filios dare non complacuit? Cant. 1. *Ecce tu pulcher es dilecte mi & decorus* ſuper omnes in terris pulcher, & decorus, ſuper omnes in cœlis. Iſte requirit vt ſimus pulchri, fide & opere Cant. 1. *Ecce tu pulchra es amica mea, Ecce tu pulchra, oculi tui columbarum.* Pulchra per fidei ſinceritatem, per boni operis claritatem, oculi vt columbarum, quia paleas mundi relinquens, eligis cæleſtis gloriæ nobilitatem. Sed de multis animabus Chriſtianorum hodie dici poteſt. Ecce tu fœda es inimica mea, ecce tu fœda, oculi tui coruorum. Multi non habent charitatem, vnde non ſunt amici Domini, multi carent fide verâ, vnde fœdi; multi in malo opere, ideò immundi: & præponũt mundum, cadauer mulierum dulci Domino. Nolunt arcam, ſed cadauer, vt Geneſ. 8. Coruus

Moyſis pulchritudo. *Pulchritudo Chriſti.* *Turpitudo animæ peccat.*

IESVS Sapientiſſimus. 2. *Reg.* 23. Dauid ſedens in cathedra ſapientiſſimus Princeps, inter tres ipſe eſt, ſedet in Cathedra Imperij, vt Princeps regum terræ, vnus de tribus ſapientiſſimis inter Patrem & Spiritum S. ſedet, attingens à fine vſque ad finem fortiter diſponit omnia ſuauiter. Debemus & nos ſapientes eſſe. Prou. 16. *Poſſide ſapientiam, quia auro melior eſt.* Hæc in tribus conſiſtit. Primò, vt à regione mortis ad regionem vitæ tranſeamus. Eccl. 6. *Quid habet ampliùs ſapiens ſtulto, niſi vt pergat illuc, vbi eſt vita?* Sicut ſtultus eſſet, qui terram vbi omnes ſani reijceret, eligeret vbi omnes infirmi, ita ſtulti qui ob peccata elongant ſe à paradiſo. Secundò, vt animæ noſtræ habitaculum pulchrum conſtituamus. Prou. 14. *Sapiens mulier ædificat domum ſuam, inſipiens extructam deſtruet.* Conſtruet manibus operibus bonis. Tertiò, vt cõtra famem perpetua alimẽta nobis conquiramus. Prouerb. 6. *Vade ad formicam ô piger diſce ſapientiam, quæ parat cibum in æſtate, vt comedat in hyeme.* Si formica naturâ duce prouidet, multò magis tu rationalis homo, ad imaginem DEI creatus, ad videndam gloriam eius vocatus, ipſum conditorem habens ducem, vt in æternum viuas, congregare hebes.

Ieſus ſapientiſſimo. *Sapientia Chriſtiana in tribus.* *Formica ſapientiæ.*

IESVS Veraciſſimus. Matth. 12. *Magiſter ſcimus quia verax es.* Io. 14. *Ego ſum veritas.* Verax quia juſtis reddet præmium æternum, injuſtis ſupplicia. Iſa. 1. *Si volueritis & audieritis me bona terræ comedetis, quod ſi nolueritis & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos.* Mat. 25. Ibunt impij in ſupplicium æternum, juſti in vitam æternam. *Auguſt.* Si feceritis quod ſuggerit Diabolus, & contempſeritis quod præcepit DEVS, veniet dies judicij

Ieſus veraciſſimus. *Reddit iuſtis & iniuſtis.*

dicij & inuenietis verum quod minatus eſt DEVS. Nos Filios DEI decet eſſe veraces, nam commendabilis veritas propter tria. 1. Quia per veritatem gratia DEI inuenitur. Prou. 3. *Miſericordia & veritas non te deſerant & inuenies gratiam bonam coram DEO & hominibus.* Pſal. 83. *Miſericordiam & veritatem diligit DEVS.* 2. Per veritatem homo cuſtoditur. Prou. 20. *Miſericordia & veritas cuſtodiunt regem.* Id eſt Chriſtianum qui ſe per virtutes regere debet. 3. Quia per veritatem ad inſpectionem gloriæ DEI peruenitur. Eccl. 15. *Viri veraces ſucceſſum habebunt vſq; ad inſpectionem DEI.*

Ex tribus veritas cõmendatur.

Promiſſum.

Veritas triplex requir. à nobis.

Requirit vero DEvs à nobis triplicem veritatem. 1. Vt perſoluamus illi quod promiſimus. Eccl. 5. *Si quid vouiſti DEO ne moreris reddere, diſplicet enim DEO infidelis & ſtulta promiſſio ſed quodcunque voueris DEO redde.* 2. Vt perſoluamus quod ſanctis promiſimus. Prou. 20. *Ruina hominis eſt deuotare ſanctos, & poſt vota retractare.* Quæ Sanctis promiſiſti redde. Quæ promiſimus proximo vt reddamus. Prou. 30. *Ne dicas amico tuo, vade & reuertere, cras dabo tibi cùm ſtatim poſſis dare.*

Ieſus ſuauiſſimus.

IESVS Suauiſſimus. Suauis credentibus. Pſ. 33. *Guſtate & videte quoniam ſuauis eſt Dominus.* Vidit fide & incæpit deguſtare. Suauis ſperantibus. Pſ. 85. *Quoniam tu Domine ſuauis & mitis & multæ miſericordiæ inuocantibus te.* Sperans enim inuocat, & inuocando experiuntur ſuauitatem. Suauis ipſum amantibus, ex qua ſuauitate diligentes eum laudãt ipſum. Pſ. 99. *Laudate nomen eius quoniam ſuauis eſt Dominus.* Suauis his qui benè operantur. Pſ. 144. *Suauis Dominus vniuerſis & miſerationes eius ſuper omnia opera eius.* Intra in gaudium Domini tui, te in ſe, non tu gaudium in te conuertes. Panis proiectus in vas mellis abſorbetur à melle. *Aug.* ad nos loquitur. Si aceto plenus es vbi mel pones, quo te vult implere DEVS. Vis habere mel, funde fel. Requirit vero à nobis DEVS triplicem ſuauitatem. 1. Cordis, oris, operis. De primis duobus Cant. 4. *Fauus diſtillans labia tua ſponſa, mel & lac ſub lingua tua,* Eccl. 18. *Nonne ardorem refrigerat ros, ſic & verbum melius quam datum.* De tertio Cant. 6. *Pulchra es amica mea, ſuauis & decora ſicut Ieruſalem,* id eſt ornatu diuerſarum virtutum prępares te ad ſupernæ Jeruſalem ſolennitatem.

ANNOTATIONES.

OMnem fælicitatem hominis poſuerunt perfecti Philoſophi in benè viuere & benè mori. Et qui intellectu perſpicaci contemplatur res veras, dicet, dictum Philoſophorum eſt veriſſimum, ſed eſt ars artium. Benè mori tota vita non addiſcitur. Benè viuere, bonitate ſcilicet irrefragabili, naturæ humanæ metas excedit, habet enim ille pugnam intra ſe carnis & animæ. Proponitur ergo ſuperlatiuum virtutum IESVS Saluator noſter homini, vt eo duce, exemplo, vita, doctrina ſtudeamus benè viuere & benè mori. Excedit enim ille in viuendo nedum ſanctos qui fuerant ſunt vel erunt

erunt, ſed etiam Angelos, nedum hos qui nunc aſpiciunt perenniter Devm, ſed quoſcunq; creandos poſſibiles à Deo. Vnde ſanctiſſimus juſtiſſimus &c. Dicitur. Act. 4. *Nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum hominibus in quo oporteat nos ſaluos fieri*, niſi nomẽ Iesv Christi Nazareni. *Hinc Remigius in Eug. Math.* Vocatum nomen eius Iesvs. Liquet hoc nomen fuiſſe notiſſimum S S. Patribus & Prophetis maximè illis qui dicebãt. *Defecit in ſalutari tuo anima mea*, Pſal. 118. *Et exultauit cor meum in ſalutari tuo.* Pſal. 13. Et illi qui dicebat. *Exultabo in* Deo Iesv *meo*, Abac. 3. Bernardus ſerm. 16. ſuper Cant. Iesvm cùm nomino, hominem mihi propono mitem & humilem corde, benignum, ſobrium, caſtum, miſericordem, omni honeſtate, & ſanctitate conſpicuum. Prou. 10. *Turris fortiſſima nomen Domini.*

De Iesv juſtiſſimo. Illuminatus Centurio qui erat gentilis ſuper milites, vt vidit quòd valido ſpiritu clamaſſet in cruce Iesvs, dixit. *Verè hic homo juſtus erat.* Et vt alij dicunt. *Verè Filius* Dei *erat iſte*: Hinc nedum juſtus ſed juſtiſſimus Iesvs fuit, nam Devs eſt ipſa juſtitia. Glorificauit ergò Centurio Devm inquit D. Lucas; quia & peccatum infidelitatis recognouit. Ioſue 7. *Fili da gloriam* Deo *& confitere peccatum tuum & indica quid feceris.* Et juſtum virum ac Devm confeſſus eſt. Non enim aliter juſtus niſi quia & verbis verax & opere juſtus. Deut. 32. *Devs fidelis & abſq; vlla iniquitate juſtus & rectus.* Theophil. clamans altâ voce reſpirauit qui tota die & nocte cruciabatur, quia illi inerat poteſtas ponendi animam & reſumendi. Sed addam pace & reuerentia. Innocentiſſimus & juſtiſſimus moriebatur, vndè non exhorruit anima ejus ſanctiſſima, licet jam jam ad limbum Patrum & inferos erat deſcenſura, ſed exultando clamauit in reſpirio vltimo, ſignificans quod juſtitia ſua iret liberaturus animas Patrum & Prophetarum de lacu & vinculo inferi, ſcripſit Menarder de viro juſto. Si juſtus fueris, mores habebis tanquam leges. Innuebat. Tantâ rectitudine procedit juſtus, vt omnis motus ipſius & progreſſus, exprimat quoſdam apices legum. Procedit enim ceu ſub magiſtro, loquitur ceu ſub reprehenſore, operatur ceu ſub regulatore, viuit ceu ſub cuſtode. Mentem ſuam conſtituit. Iudicem Patrem Devm. Si juſtitiam Iesv conſpexerimus, nulla regula exprimitur, nulla methodo comprehenditur, nulla lege deſcribitur. Iuſtus & Iuſtitia Chriſtus Iesvs, idcircò juſtiſſimus dicitur. Iuſtiſſimos viros dicere poſſumus Abraham Patriarcham, quia ex ſemine ipſius naſci debuit juſtitia noſtra & juſtiſſimus Iesvs. Poteſt dici juſtiſſimus & Ioſeph qui innocentiam cuſtodiendo tetros carceres paſſus eſt. Poſſumus dicere & alios ſanctos, ſed hæc comparatiua erit denominatio reſpectu ſcilicet aliorum hominum ſancti-

ſanctitatis & juſtitiæ; at juſtitia noſtra juſtiſſimus Iesvs, ſuperlatiuè ſupereminenter abſq; omni comparatione ad homines & Angelos, eſt juſtiſſimus.

De Iesv honeſtiſſimo. Plurima honeſtati tribuunt ſcriptores tam prophani quam ſacr. Cic. 3. De offic. nihil turpe faciendum bono viro, etiamſi ex omni parte lateat, dijs hominibuſué ocultum ſit. Sapientis enim & probi viri eſt, nihil quòd pœnitere poſſit, facere. *Aug. lib. 2. de Ciuit.* Tanta eſt vis honeſtatis, vt penè omnis eius laude moueatur humana natura, nec eſt tantâ turpitudine vitioſa, vt amittat totum ſenſum honeſtatis. Exceſſit honeſtas Iesv omnem prærogatiuam honeſtatis: Ambulauit enim ita honeſtè in hac valle noſtra, vt nedum ſicut decuit ambulare virum ſanctum in die, ſed ambulauit ita honeſtè vt inter Angelos, & in cœlo. Quocirca dicitur Iesvs honeſtiſſimus. In vitis Sanctorum honeſtè ambulantem lego B. Achrimum. Hic dum eſſet Imperator, ſtans in palatio aliquando, ita Devm precabatur: Domine rogo te, oſtende mihi viam ſalutis: & audiuit vocem de cœlo. Fuge homines & ſaluus eris. Auditâ voce confeſtim factus eſt monachus. Alio tempore eandem orationem fecit, & audiuit. Fuge, vince, tace, & quieſce. Oſtenſa ſibi ſunt fundamenta non peccandi. Fugiendo enim vincitur concupiſcentia carnis, tacendo ſuperbia vitæ, & quiete ſuperatur habendi deſiderium. *Idem B. Iſidorus admonebat.* Si vis quietè viuere, noli quicquam deſiderare in hoc ſeculo, abijce à te quidquid ſanctum tuum poteſt impedire propoſitum. Mortuus eſto mundo & proinde tanquam mortuus noli ambire gloriá, ſperne in vita, quod in morte non potes retinere. Veræ regulæ honeſtatis humanæ. Contemplare ergò honeſtatem vitæ Iesv, & ſuper excedentem videbis honeſtatem ipſius, vnde dices facile Iesvm honeſtiſſimum fuiſſe, ſedebat Jesvs inter Doctores quærens & reſpondens ad nodos ſacræ ſcripturæ. Venit mater & Virgo Maria, inuenit in templo, at ille ad verbum ſurgens, obediens & ſubditus factus eſt eis. Obtulerunt Phariſęi quærentes nuncios. *Licené dare cenſum Cæſari?* Et ille quàm honeſtiſſimè. *Oſ[illegible] mihi numiſma cenſus.* Cuius ſubſcriptio? Cæſaris dicũt. *Reddite ergò quæ ſunt Cæſaris Cæſari.* Adduxerunt comprehenſam mulierẽ in adulterio ad illum. Ioan. 8. & ille dicere ob honeſtatem noluit, ſed ſcribebat in terra. Qui ſine peccato veſtrûm eſt, mittat primus in illam lapidem. Vita honeſtiſſima, actus honeſtiſſimus: quia vita humana, honeſtas in illo Angelica fuit.

De Jesv elegantiſſimo. Inter pulchritudinem formoſitatem & elegantiam, non modica differentia. Inter prima duo Ariſt: & hic 4. ponit. Pulchritudo (inquit) ſemper in magno corpore exiſtit. Vnde par-

ui for-

tu formoſi dici poſſunt, nón pulchri. Elegantia verò nedum in ſe pulchritudinem & formoſitatem continet, ſed quemcunq; decorem, membrorum commenſurationem, corporis & animo præſtantiam. Hinc virum elegantiſſimũ, opus elegãtiſſimum, mentem elegantiſſimam conſueuimus dicere. Vnde cùm IESVS dicitur elegantiſſimus, quaſi quoddam totius pulchritudinis decoris & formoſitatis compendium & Symbolum exprimitur. Imò quid altius. Nam ſuccum perfectionis his nominibus expreſſum, elegantia JESV repreſentat. Quocirca nitrum poſuerunt pulchritudini & formoſitati Philoſophi. Diogenes, vocauit donum formæ. Socrates, temporis tyrannum. Plato, naturæ priuilegium. Theophil. tacitam deceptionem. Theochritus, eburneum detrimentum. Carneades, regnum ſolitarium. Euripides, rem infęlicem. His igitur ſemotis imperfectionibus, IEſus eſt pulcherrimus, formoſiſſimus, elegantiſſimus. Quocirca facies Moyſi quomodocunq; decora & elegans etiam illuminata in vertice montis, vmbra eſt elegantiæ & venuſtatis Chriſti. Nam terminus pulchritudinis Moyſis erat oculus hominis, Chriſti verò aſpectu, nedum homo ſatiari non poterat, vt potè ex puriſſimo ſanguine virginis concepti, ex Spiritu S. cooperati, ex perſonalitate diuina illuminati hominis; ſed etiam Angeli deſiderant vſque modo videre elegantiã venuſtiſſimæ faciei ipſius, nec quando ſatiari poterunt: ſicut enim nullus hoc modo ex Virgine natus eſt nec erit, ita nullus tam pulcherrimus & elegantiſſimus in mundo, videbitur vt erat dulciſſimus IESVS. *Reſplendebat facies eius ſicut ſol, & veſtimenta, ſicut nix.* Matth. 17.

Pro IESV ſapientiſſimo. D. Bern. in Epiſt. Diſcere IESVM, omni ſcibili eſt ſalubrius. Non dixit melius, vtilius, plus neceſſarium, ſed ſalubrius. Sapientiam namq; IESV dulciſſimi, ita excedit humanam ſapientiam, vt nedum ſatiat intellectum, ſed ſanitatem quoq; corporis & animæ tribuat. Vnde Pſal. 34. *Dic animæ meæ, ſalus tua ego ſum.* Sic docti & ſaluati erant ſancti Marcus & Marcellianus. Ad hos enim in tormentis poſitos exclamabat Tyrannus. Reſipiſcite miſeri reſipiſcite, & vos ipſos ab his cruciatibus eripite, tam animoſè & ſapienter reſponderunt. Nunquam tam jucundè epulati ſumus, quàm hæc libenter IESV Chriſti cauſa perferimus, in cuius amore fixi nunc eſſe cœpimus. Interiora penetrauerat illorum ſapientia IEſu, idcircò tam ſalubriter reſpondent. Nil honorificentius eſt, quàm ſapientiſſimum diſcere IESVM, qui nedum eſt altitudo ſapientiæ & ſcientiæ DEI, ſed ipſa ſapientia Patris, vnde diſcere IESVM & eſſe diſcipulum eius, nedum erit ſalubre ſed & ſalutare. Audiſti ex mente B. Adalb. Epiſc. in quo ſtabilita fuerit & deducta dulciſſimi IESV ſapien-

pientia, non in tranſitorijs nec bonis corporalibus, ſed in æternis, in ſpiritu, & cœleſtibus. Eſto igitur tantæ ſapientiæ gratus, & perſuaſus ſis ex doctrina S. Hier. in 17. cap. Matth. Si habeamus ſapientiam Salomonis, ſi pulchritudinem Abſolonis, ſi fortitudinem Samſonis, ſi longæuitatem Enoch, ſi diuitias Cræſi, ſi fœlicitatem Octauiani, quid proſunt hæc, cùm tandem caro dabitur vermibus, & anima dæmonibus. Sapientia igitur Iesv Chriſti viuendum, vt viuas vitâ beatâ, & refloreat caro tua immarceſcibiliter.

Pulchr Abſol.

Pro Iesv veraciſſimo. Si D. Aug. in Epiſt. ad Hieron. de veritate Chriſtianorum liberè ſcripſit. Incomparabiliter pulchrior eſt veritas Chriſtianorum, quàm Helena Græcorum, quid igitur de veritate Iesv dicemus, ipſa eſt veritas atq; teſtimonium veritatis. Vt Io. 18. dicitur? Cùm ſolem aſpicimus à quo luna & ſtellæ lumen communicant, dicimus ſolem ſplendidiſſimum eſſe omnium planetarum. Iesvs dulciſſimus, quia veritatis cauſa eſt & fons Chriſtianorum, & veritate liberator eſt illorum. Iesvs veraciſſimus nuncupabitur. Io. 1. *Gratia & veritas per IESVM Chriſtum facta eſt.* Io. 8. *Cognoſcetis veritatem & veritas liberabit vos.* Quocirca de veritate Ariſt. reliquit 2. Methaph. judicium. Illud quod eſt cauſa vt alia ſint vera, eſt veriſſimum. Nos ſequi decet veraciſſimum Iesvm, qui & nomine & re ſummus Iesv itineris & vitæ amatores, nec quando deuiare ab eo in baptiſmo promiſimus. Graue enim auditu eſt dictum Iacobi ad Laban, Mutaſti mihi quatuor vicibus mercedem meam. Gen. 9. *Veri adoratores adorabunt in ſpiritu & veritate.* Ioan. 4. Refert Sozomenus lib. 1. cap. 17. quod in Concil. Nicæno nullus ad veritatem Iesv doctrinâ & rationibus potuit efficaciter mouere quoſdam Philoſophos. Tunc duo ſenes ſimplices ſpiritu & veritate accedentes ad illos, Vnus dixit vni illorum: In nomine Iesv Chriſti præcipio tibi vt audias, alter vero dixit alteri: In nomine Iesv Chriſti præcipio tibi ne loquaris. Et factum eſt vt veritatem cognoſcerent Iesvm Chriſtum, & ad nomen veritatis contriti, conuerſi ſunt. *Greg. 10. Moral.* Bonorum mens quo duriora pro veritate tollerat, eo æternitatis præmia, certius ſperat.

Ieſus veraciſſ. Veritas Chriſtian.

Veritatis cauſa Ieſus.

Pro Iesv Suauiſſimo. Nota. Diffunditur ſuauitas per omnes ſenſus exteriores & interiores hominis; ſuaue enim auditu, guſtu, odoratu, viſu, factu, & intellectu percipitur, ſed quia eiuſmodi ſuauitates vel tranſeunt vel euaneſcunt, nullum illorum verè ſuauiſſimum dici poteſt. Solus Iesvs eſt ſuauiſſimus. Vnde Bern. lib. de dilig. Deo. Dilectionis aculeus Iesvs, & hic crucifixus. Et in Rhythmo. Nil canitur ſuauiùs, auditur nil jucundiùs, nil cogitatur dulciùs, quàm Iesvs Dei Filius. Vidè quàm ſint differentia nomina Dei ab hoc nomine Iesvs. Illa exprime-

primebant maieſtatem, terrorem, formidinem; vt DEVS potens, excelſus, DEVS Deorum, DEVS vltionum: at nomen iſtud benedictum IESVS, nomen eſt pietatis, benignitatis, indulgentiæ, miſericordiæ, charitatis, gratiæ, dulcedinis, ſuauitatis: Vnde Chryſoſt: hom. 9. in Epiſt. ad Coloſſ. Super neminem vnquam infirmum nomen IESV piè & cum fide inuocari, quin ſanitatem vt ei expediat, conſequatur. Hinc Bern. ſerm. 16. ſub. Cant. IESVS nomen lux, cibus, medicina.

Lego B. Romæum Ord. noſtri maximè deuotum ad nomen IESVS & MARIÆ, qui in concionibus ſuis quotidie de incarnatione Filij Dei mentionem faciebat & B. V. M. nec de aliqua re voluit dicere cum aliquo, niſi de his duobus. Hic poſt 24. annos mortis inuentus fuerit incorruptus, & multis miraculis refulſit. Cui tale inditum Epitaphium.

Hæc ſunt infoſſa Fratris venerabilis oſſa
Dicti Romæi qui fuit arca DEI,
Hic IESVM atq; piam dilexit valdè MARIAM.

DOMINICA IN VIGILIA EPIPHANIÆ.

Ponitur in ſupplementum.

Defuncto Herode Angelus apparuit Ioſeph. *Matth. 2.*

Quæ ratio eſt apparitionis Angeli?

MVLTIplex aſſignari poteſt. Prima, vt ſicut per Angelũ monitus Ioſeph fuit, quatenùs diſcederet in Ægyptum tyrannidẽ Herodis fugiendo, ita per eundem Angelum reuocaretur in Iudęam: Ordinauerat enim benignitas DEI Patris, vt Angelorũ obſequio Chriſtus IESVS in pueritia dirigatur, atq; parentes eius diſponerentur. Clarè de hoc Dionyſius in Cœleſ. Hier. Vidi, inquit, quoniam & ipſe IESVS ſuper cœleſtibus eſſentijs ſuperexiſtens, & ad id quod ſecundùm nos eſt immutabiliter veniens, non refugit ad ſe ordinatam & aſſumptam humanã ordinationem, ſed obediens ſubditur DEI Patris per Angelos diſpoſitionibus, & per medios ipſos anunciatur Ioſeph à Patre diſpoſiti Filij ad Ægyptum receſſio, & iterum in Iudæam trãſductio. Thobiæ filium, idem Angelus deduxit & reduxit, quod figura erat, tantæ Chriſti fugæ.

2. Ratio. *Chryſo. hom. 2. in opere imperf.* Deſcenderat in Ægyptum vt medicus ſanaret languentes, non vt

maneret ibi. Miſſus enim erat prius ad Iſraël. *Non licet dare panem filiorum canibus.* Ideò non manere, ſed redire in Iſraël debuit. Et quia Ioſeph eum deduxerat, qui erat adminiſterium Mariæ electus, ille reducere eum quoq; debuit. At quia jubente Angelo receſſit, jubente quoq; redire debuit. Nam facie prima conſiderando rem & myſterium hoc, videntur aliquid facere Ioſeph & Maria, ſed reuerà puer & matrem nutriebat & Ioſeph tuebatur. Hæc ille, vnde Angelus magis in conſolationem ipſorum mittebatur, quàm requireret receſſum & reditum.

Angelus conſolator

3. Apparuit Angelus Ioſeph, quia cum ſanctis viris placidè Angeli conuerſantur, & ſicut ſancti deſiderant Angelorum patrocinium, ita Angeli præſto illis eſſe obteſtantur. Vnde Exodi 32. *Angelus meus præcedet te.* Quocirca Iacob orauit & exorauit benedictionem ab Angelo, Gen. 32. De quo ita Hieron. in cap. 2. Oſeæ. Iacob fleuit & rogauit Angelum. Non dimittam te niſi benedixeris mihi. Et Daniël ab Angelo humi proſtratus confirmationem & eruditionem petijt, *Dan.* 10. Cùm enim noſtræ intenſe ſtudeant ſaluti vt Lucæ 15. de illorum gaudio conuerſi peccatoris dicitur, cùm illos piè obteſtamur, intercedunt & præſentiam nobis exhibent. Quod clarè patet in Cecilia & Valeriano. Quocirca confidenter Orig. in Ezech. hom. 1. Veni Angele, ſuſcipe conuerſum ab errore priſtino. *Ambr. in cap.* 15. *Lucæ.* Hoc ad incentiua probitatis proficit, ſi vnuſquiſq; conuerſionem ſuam gratam fore credat cœtibus Angelorum, quorum aut affectare patrocinium, aut vereri debet offenſam. Angeli ergò cùm ex ſuo officio nunciare debent diuina nobis ſecreta, viris pijs & ſanctis alacriter & promptè nunciant, libenterq; veniunt ad eos, qui ipſorum ruinam reparare debent. Hiſtoria ſociet. IESV, Tom. 1. lib. 11. habet. Quòd Ioanni Carera tam familiaris Angelus fuerit, vt è ſomno quotidie excitare ipſum ad orationes antelucanas, & reſponſa quædam ab illo referebat. Quod ſi tantæ gratiæ ab Angelis hominibus impartitæ fuerunt, multò peculiariùs IESV nato, & B. V. M. matri, & Ioſepho, Angelus obſequia referre, DEO ſic permittente, reuerentiale habuit.

Angelus proximus.

Ang... lis g... ta eſt conu... ſio.

Ang... lus f... milia... ris.

SERMO SECVNDVS.

Defuncti ſunt qui quærebant animam pueri. *Matth.* 2.

Atro-

ATrociter pereunt, qui perſequuntur Sanctos. Pſalmo decimo. *Pluet ſuper peccatores laqueos*; Non dicit immittet, proijciet, jaciet laqueos, ſed pluet, vt ſcilicet ceu à ſagittis fulguris, à grandinibus, obruatur. Rumpet catharacta cœli; ſoliditatem terræ, rabiem concitabit hoſtium contra ipſum, non vt ſtatim pereat, ſed vt multis laqueis irretitus, eiulando, gemendo, euiſcerando, maledicendo eradicetur. Peccator autem, quod blaſphemus in DEVM, Tyrannus innocentum, perſecutor ſanctorum, dicatur, nullus eſt qui ambigat. Taceo hîc vindictam trium puerorum in camino ignis exiſtentium, ſed inducam B. Iacob. Minoritam. Hic cùm vehementius in concione contra luxuriam diceret, accidit vt quidam luxurioſus pro ſe dicta arbitraretur, ſtatueretq; prædicatori mortem inferre: Itaq; cùm operitur vno à ciuitate lapide ad B. Virg. ſacellum & imaginem, & arma parat, imago B. V. viſa eſt ab illo, quaſi vixiſſet toruo vultu & ſubiratos oculos, in eum iacere, & acceſſit vox. Quid hîc agis homi- num nequiſſime? Vis necare clientulum meum? quibus ille perculſus in terram corruit, quo tempore B. Iacob. tranſijt die ſequenti inuêtus ille in ſacello inſtar mortui iacere. Vbi conualuit poſt tres menſes, veniam à B. Iacob. rem totam confeſſus, petijt. Vnde crudeles & tyrannos præmouendo. Seneca libro de Clem. ad Neron. dicit. Crudelitas minimè humanum malum eſt, in dignumque regio animo, ferina iſta rabies eſt ſanguine gaudere & vulneribus, & abiecto homine in ſilueſtre animal tranſire. Perſecutionen Herodis longè maiorem fuiſſe in IESVM quàm in Sanctos. Nam & pueros innocẽtes tot perdidit, & innocentem IESVM, Puerum, vnius Virginis pauperculæ & humillimæ, perſequebatur. Vbi ibi erat Mater crudelitatis ira? Vbi materia Tyrannidis, puer? Vbi ratio commotionis, infans? Superauit Herodes omnium tyrannorum tyrannidem, quocirca crudeliſſimè puniendus, (iuxta quòd opinio humana decidit) fuerat. Dicit igitur Angelus. *Defuncti ſunt qui quærebant animam pueri.* Nedum Herodes defunctûs, ſed qui conſilio, aſſenſu adulatione, reſpectu ad mortem pueri conſenſerant, mortui ſunt. Hierem. 9. *Dormiemus in confuſione noſtra.* Non dormierunt perſecutores IESV in cõfuſione, ſed perierunt in æternum. Dormierunt ſomnum inſipidum, nam vigilabunt in tormentis æternis, & ſenſu corruente, adhuc vigilabunt. Dormient in amaritudine, fumo, igne, glacie, ſtridore. Somnus eorum inſomniũ, quies in pœna. Verum vt notum ſit nobis, quomodo perſecutores Chriſti in tam modico tempore, perierint, Ioſephum & Hiſt: Eccleſ. rem deſcribentem auſcultate. Cùm pro ſacrilegio quod Herodes in Saluatorem

torem commiſerat, & ſcelere quod iniquè vox eius peregerat, vltio eũ Diuina perurgeret ad mortem, corpus eius morbus inuaſit diuerſus, vt diceretur à Vatibus, non morbi corporis hæc, ſed Diuinæ vltionis eſſe ſupplicia. Ipſe autem furore iam plenus, nobiliores & primarios ex omni Iudæa ad ſe colligi & recludi jubet in carcere, mandans, ſtatim vt ſpiritum exhalaſſet omnes interfici, vt eius obitum omnis Iudæa defleret in vita. Paulò autem antequam nouiſſimum ſpiritum redderet, Antipatrum filium ſuum iugulauit poſt duos pueros quos ante necauerat. Habuit enim nouem vxores, & ex ſeptem numeroſam ſuſceperat prolem, & teſtamento ſucceſſionem Archelao filio ſuo legauit, ſed Cæſar Auguſtus de conſilio Senatûs omnem Herodis Monarchiam diſtribuit in Tetrarchias. Et Archelao dedit Iudæam ſub nomine Tetrarchiæ, promittendo facere eum Regem ſi ſe dignum prebuiſſet. Quàm benè Prou. 28. dicitur. *Viri mali non cogitant iudicium, qui autem inquirunt dominum, animaduertũt omnia.* Greg. Naz. Prima ſapientia eſt vita proba & honeſta Deoque perpurgata. *Chryſoſt. hom. 19. in Epiſt. ad Coloſ.* Diuinarum & humanarum rerum cogitatio eſt Philoſophia, ergò vis iuſtus rerum diuinarum & humanarum cognitionem habet, nouit enim quæ ſunt res diuinæ. quæ humanæ, & ab his quidem abſtinet, illas verò exercet & operatur. Optimè igitur dicebat Salomon. *Advertunt omnia,* id eſt nil ignorant, omnia callent. *Caſſiod: ſuper verba Pſal. 108.* Perſecutus eſt hominẽ inopem. Quid prodeſt crudelibus perſequi, quos vident perſecutionibus ſemper augeri? Hoc ipſis proderit, quòd in ſuis domibus erunt ſeuiſſimi; tyranni, & quod alijs fecerunt, idem ipſis quoque fiet, ſicut Iudic. 15. Adoniſebec. dicebat.

IN DIE EPIPHANIÆ DOMINI.

Intrantes domum inuenerunt Puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt. *Matth. 2.*

QVI SVNT QVI CVM MVNERIBVS VENERVNT.

REſpondeo. Sunt Reges & Sapiẽtes. De primo. Pſal. 71. *Reges Tharſis & Inſulæ &c.* De ſecundò. Quia Magus idem eſt quod Sapiens. Græci Perſæ ſapientes Magos vocãt. Philoſophos. Nomina Magorum ſecundùm Hæbraicam linguam Magiſter

giſter Hiſtoriarum dicit: Apellius, id eſt, fidelis. Amethus, id eſt, humilis. Damaſcus, id eſt, miſericors. Et quia hi Reges primitiæ ſunt noſtræ, id eſt, Chriſtianorum, vt ſimus veri Chriſtiani requirũtur in nobis quinque. Primò, vt ſimus Reges, & regnũ commiſſum ita diſponamus, vt dignetur in eo inhabitare Devs. Regnum eſt anima noſtra, diſponenda per iuſtitiam, pacem & gaudiũ in Spiritu S. Ad Rom: 14. *Regnũ Dei non eſt eſca & potus, ſed iuſtitia pax & gaudium in Spiritu ſancto.* Iuſtitia conſiſtit in hoc, vt nullum operibus noſtris lædamus. Pax, vt neminẽ verbis noſtris offendamus. Gaudium habemus ſi propter ſecuritatẽ conſcientiæ & cordis munditiã de Dei miſericordia confidamus. Secũdò. Debemus eſſe ſapientes. Eccl. 4. *Melior eſt puer pauper & ſapiens, rege ſene & ſtulto, qui neſcit prouidere in poſterũ.* Sapiẽtia ergò in hoc conſiſtit. Prouidere in poſterum. *S. Damaſcenus in Barlaam inquit*: Ciuitas quolibet anno eligebat ſibi regem, & illum qui præterito anno regebat, relegabant in Inſulam certam, vbi ſiti famæ premebatur. Nullus enim electus Rex talem conſuetudinem ſciebat. Demum elegerunt vnum qui ſecreto ad illam Inſulam, magnam copiam auri, argenti, gemmarum tranſmiſit, vnde finito anno in delitijs & abundantia dies vitæ peregit. Quo ſtultos Reges ante ſe ablegatos ſuperauit. Sic ſapiens Rex per manus pauperum theſauriſat ſibi vbi nec ærugo nec tinea demolitur. Moraliter igitur Reges ſapientes repræſentemus, ſimus ſapientes; prouidendo in futurum. 3. Debemus eſſe fideles, id eſt, in propriam animam crudeles & impij non exiſtamus. Pſalm: 100. *Oculi mei ad fideles terræ vt ſedeant mecum.* Apoc. 2. *Eſto fidelis vſq; ad mortẽ, & dabo tibi coronam vitæ.* Intellige, fidelis animæ tuæ: ſed multi fideliores aſinabus quàm animabus. Aſinas cum Saul quærunt, 1. Reg. 9. curant corpus, quàm animam. 4. Debemus eſſe humiles. Erimus verò, ſi filialiter Devm timeamus. Iſaiæ 4. *Humiliamini in conſpectu Domini & exaltabit vos.* 5. Debemus eſſe miſericordes. Iac. 2. *Iudicium ſine miſericordia fiet illi, qui non fecit miſericordiã.* Matthæi 5. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.*

ANNOTATIONES.

Hier. *in cap. Dan.* 2. Magos cõmuni ſermone maleficos vocamus, ſed apud gentes ſuas, Philoſophi qui de ſingulis rebus philoſophantur, præcipuè apud Chaldæos Magi vocantur. Et ab huius artis ſcientiã Reges & Principes apud eandem gentem omnia ſapiunt, & ipſi primũ ortum domini intellexerunt. *Remig:* Chaldæi ſtellam pro Deo colebant, idcircò dixerunt, quòd nuncupatiuus illorum Devs, oſtẽderit Devm verum natũ. Hieron. in c. 2. Matt. Erãt ſucceſſores Balaam iſti reges, ex cuius prophetia nouerant, naſcituram ſtellam ex Iacob. *Chryſoſt. hom: 2. in Op: Imperf.* Confeſtim vt natus eſt

Magi venerunt, magnum DEVM oſtendentes in paruulo homine. Eſ. 55. *Gentes quæ te non nouerunt inuocabunt te, & populi qui te neſciebant, ad te confugient.* Ad quæ verba Diuus Leo Papa ſerm. 3. de Epiph. His igitur dilectiſſimi Diuinæ gratiæ myſterijs eruditi diem primitiarum noſtrarũ, & inchoationem vocationis gentiũ rationabili gaudio celebremus, gratias agentes miſericordi DEO, qui dignos nos fecit in partem ſortis ſãctorum in lumine, eripuit de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ.

Rex & regnũ intra nos. Pro prima imitatione, vt ſimus Reges. Nota. Si regnum Chriſti nõ eſt de hoc mundo, nos reges debemus eſſe non in mundo hoc, & extra; ſed intra. Reges ſimus cordis, affectuum, animæ. Cùm natus Seruius de ſerua die quadam puer dormiret, circa caput eius flammam emicuiſſe domeſtici oculi adnotarũt. *Seruius quomodo vt filius regis educar.* quod prodigium admirata vxor Regis Priſci Tarquinij, ſeruium dictum in modum filij educauit, & ad regiũ faſtigium euexit. *Val. Max. lib. 1. cap. 6* Seruus erat ex ſerua natus Seruius, non rex, ſed lumine prodigioſo & operâ Reginæ ad regia euectus. Nos nati ex ſeruis ſerui CHRISTI, qui ex baptizatis in nomine IESV nati ſumus. Lumen effulſit in capitibus noſtris, dum à peccato originali liberati gratia DEI nos circumdedit. *Eccleſia eſt regnũ.* Reginæ nobis gratia requirenda, in Eccleſia ſcilicet, quæ nos ad regalia deducat. Per eam enim Reges regnant, vt Prov. 8. dicitur: vel regina requiritur conſcientia noſtra. Eſt enim rectus animus; rex hominis, & recta conſciẽtia, eſt regina. De quo poteſt intelligi Luc. 17. *Regnum Dei intra vos eſt.* Non enim in obſeruantijs exterioribus, ſed in interioribus Chriſtiani hominis ſtabilita eſt conſcientia recta. *Beda.* In vobis per fidem regnantem eſt. Quocirca Gr. Nazianz. Regnum inſitum nobis dicit, inditam animabus noſtris lætitiam per Spiritum S. ea enim eſt velut imago & ara perennis lætitiæ, qua in futuro ſæculo animæ Sanctorum gaudent.

Pro 2. imitatione, vt ſimus ſapientes. Nota. Sap. 9. dicitur: *Sapientiam & diſciplinam qui abijcit infelix eſt.* Et ſi quomodo verificatur hoc de ſapientia mundi, multò infelicior erit, ſi abijcerit ſapientiam cæli. Quocirca Daniël in ſapientia cæli inter leones inſtructus cap: 2. dicebat: *Sit nomen Domini benedictum à ſæculo & vſque in ſæculum.* Quia ſapientia & fortitudo eius ſunt. Quàm infælix eſſet ſi ſapientiam cœli ignoraſſet. Tali ſapientiâ formati Reges fuerant, quâ de ratione. Ita B. Fulgent. de illis ſerm. de Epiph. Quid eſt vt iſti Magi Regem Iudæorum adorandum quærerent cùm ipſi Iudæi non eſſent? Et quem Regem? Non Herodem, non filios Herodis Regis, ſed nuper natum infantem lactentem. Aſpernitur primogenitus Regis, & adoratur primogenitus pauperculæ mulieris. Quis eſt iſte Rex Iudæorum? Pauper

Pauper & diues, humilis & ſublimis, portatur vt paruulus, adoratur vt Devs, paruus in præſepio, immenſus in cælo, vilis in pannis, precioſus in ſtellis. *Et S. Leo ſerm. 3 de Epiph.* Ingrediuntur Iudaici Regni, præcipuam ciuitatem; & in Vrbe Regiâ oſtendi ſibi poſtulant, quem ad regnandum didicerant procreatum. Magna igitur ſapientia Magi, qua à natura pollebant incitati, ad ſummam ſapientiam illuminatione diuiuâ illuſtrati peruenerunt, & futuræ gloriæ, merita, adorando & credendo, per repromiſſionem conſtantiæ, retulerunt. Sic quoque nos ſapientes eſſe condecet, vt prouideamus & præuideamus æterna futura. Eccl. 8. *Sapientia hominis lucet in vultu eius.* Cognoſcatur ſapiens ex fronte, vultu, oculis, linguâ & geſtu, ſed vera ſapientia & æterna ex vultu Iesv Chriſti. *Beati qui vident faciem eius.* Talem S. Leopoldus Marchio Auſtriæ confeſſor in ſe declarauerat ſapientiã, inquit Surius 19. Nouem. Suadebat (inquit) Leopoldo Agnes Imperatoris filia, vt locum aliquẽ deſignaret, in quo Dei eiusque matris laudes canerentur. Dumque in hac cogitatione verſarentur, accidit vt ex arce altiſſimo monte Cecio ſita vbi manebat Leopoldus fluenta Danubij contemplante vtroque leui Zephiro flante, flammeolum è capite Agnetis detractum in nemus proximum, ripæ Danubij deferretur. Quod poſt annos nouem Marchio venationi intentus, dum inter dumeta inſperato illæſum reperiſſet, neque ſine numine id factum agnoſceret, locum monaſterio Deiparæ condendo deſignauit, & multis reditibus ditatum Canonicis attribuit. Sic ſapienter præuidebat futura, contemplabatur præterita. Sãctus Leopoldus & Confeſſor Domini ab Eccleſia Dei appellatus fuerit ſapientia ſapientis, tanquam inundatio abundabit. *Eccleſia ex miraculo fundata.*

Pro 3. Imitatione. Vt ſimus fideles animæ ſuæ ſi tantum fideles animæ fuerimus, quantum fideles ſimus ò heu corpori, maximè fideles eſſemus. Plangendum, quod ei quod non eſt noſtrum ſed terræ & mortis, plus deferramus, quàm animæ, cuius vitâ viuimus, cuius vitâ regnamus, cuius gloriâ glorificamur. Igitur ſeruo & aſino noſtro in fidelitatem, animæ verò fidelitatem conſecremus. Val. Max. lib. 1. cap. 5. refert. Prienneſes aduerſus Carras auxilium à Samijs expoſtulabant, quibus illi pro claſſe & exercitu Sibillam miſerunt, quam illi velut diuinitûs datam præſidium interpretati, libenter receptam, verâ fatorum prædictione, victoriæ ducem habuerunt. Gentilium non affecto intentum, ſed profectò, conſcientia noſtra pulſat faciem, pectus, frontem, & inſibillando muſitat. *Eſto fidelis animæ tuæ.* Apoc. 2. Publius Syrus mimus comparat fidem ad animam dicens. Fides vt anima, vndè abijt nunquam redijt. Si ad ſenſum Chriſtianum reducemus dictum, profectò,

ctò, Fides Catholica eſt, quæ à quo abijt, nunquam redijt, puta in integro vel in feruore. Eſt ceu anima quæ ſeparata à corpore via naturali non redit ad corpus. Eſtote igitur animæ veſtræ fideles, cuſtodes, patroni, fautores, qua cuſtodita & adamata, vitam conſecutionis æternæ, interminabiliter inchoabimus. Ad animæ fidelitatem fouendam adduco diu memoriæ tenendum quod de B. Ludouico Gall: Regis Filio Brito. lib. 12. Poët. refert. Iſtius B. parens Eliſabeth commendabat in vtero prolem B. Virg. Mariæ Carnutenſi, quæ illicò perſenſit in vtero moueri fœtum, & conſpexit ante altare quatuor candelas cœlitus accenſas. Vide fidelitatem, quâ fidei obteſtatione, teſtificata fuit. Vide Herodis fidelitatem in animam, equidem vt S. Chryſol. habet inceperat benè. *Ite (inquit) renunciate mihi vt ego veniẽs, renunciem diabolo, adorem illum.* Sed fictio animi, ex qua crudelitas in animam ſuam, prinocentum & Chriſti progenita eſt, fecit mutare animum. Turbata eſt Hieroſolyma cum errore. Accipe Verba S. Chryſologi ſerm. 3. de Epiph. Domini ſuper verba. *Vt & ego veniens adorem illum.* Vult mentiri, ſed non poteſt. Veniet, vt ad tormenta curuetur, ad ſupplicia jaciatur, ſternatur ad pœnam, qui adorare finxerat vt ſęuiret. Sed Magi vbi Iudaicæ perfidei nubila tranſierunt, & in Chriſtianæ fidei ſereno reuident, quam ſtellam viderant, ipſa pręuia, duce, ad ortus Dominici locum ſacratiſſimum peruenerunt.

Pro 4. Imitatione, humilitate. Nota. Eccl. 10. *Radices gentium ſuperbarum areſecit Dominus & plantauit humiles, ex ipſis gentibus.* Eſt Philoſophis conditio quam vocant, ſine qua non. Si voluerimus ſcire quâ conditione radices arefecerit & plantauerit. Dicam. Humilitate. *Ita S. Leo Papa ſer. 7. de Epiph.* Omnipotens Devs cauſam noſtram nimis malam, humilitatis priuilegio bonam fecit. Et infra. Tota dilectiſſimi Chriſtianæ ſapientiæ diſciplina, non in abundantia verbi, non in aſtutia diſputandi, neq; in appetitu laudis gloriæ, ſed in vera & voluntaria humilitate conſiſtit: quam Dominus Iesvs Chriſtus ab vtero matris vſq; ad ſupplicium crucis, pro omni fortitudine & elegit & docuit. Lucius Sylla conſul cum in agro Nolano ante prætorium immolaret, ſubitò ab vna parte aræ prolapſam anguem conſpexit. Cùm exturbaretur. Poſthumij auruſpicis hortatu continuo exercitum in expeditionem eduxit, & fortiſſima Samnitum caſtra cæpit. In omni Chriſtiana deuotione & ſacrificio, ſi ardens rectumque ſpirat. Humilitas pernecesſaria eſt, quam ſine dubio ſerpens hic ad L. Syllæ immolationem figurabat. Nam ſapientiſſimus quoque Salomon humilitatem cum ſapientia quaſi conuertibiliter ponit Prou. 11. dicens. *Vbi eſt humilitas ibi & ſapientia.* Veram autem humilitatem

cómon-

commonſtrauit B. Alb. Mag. dum addidit. Humiles erimus ſi timore filiali Devm timuerimus. Quocirca Iob. 28. *Ecce timor Domini ipſa eſt ſapientia, & recedere à malo intelligentia.* S. Leo ſerm. 3. Magi officium ſuum cum religione diſponunt, & his ſe inſtruunt donis, vt adoraturi vnum tria ſe ſimul credidiſſe demonſtrent.

Humilitas ex timore Dei

Pro 5. Imitatione. Miſericordia. Nota. *Chryſol. ſerm. 41. In Verba B. Iacob.* Iudicium ſine miſericordia &c. dicit. Clamat Devs, miſericordiam volo. Homo da Deo quod vult, ſi vis ſibi dari à Deo quod vis. Miſericordiam volo, Dei vox. Miſericordiam à nobis petit, ſi dederimus, dicet. *Venite benedicti patris mei Eſuriui enim &c.* Regnum dat pro pane, pro aqua quam negas dare negabit fontem vitæ. Devs fragmento panis regnum ſuum vendit, quis excuſare poterit non ementem? Quis enarrare poterit quàm miſericors & promptè fuerit in nos altiſſimus Devs licet indignos, & quàm præueniat nos in miſerationibus ipſa quoq; B. V. Maria. Iucundam, deuotam rem affero. Lucia Narnienſis ex familia D. Dominici, cùm annos quinq; duntaxat habens deducta in Eccleſiam fuiſſet, fixis oculis iconem B. V. Mariæ intuebatur. Cui illa. Vis tradam tibi filiolum meum, illa annuente, ex ſinu matris acceptum mirantibus vniuerſis domum tulit, ſuper lectũ collocauit, qui tres totos dies cum ea permanſit, & demum inuiſibili quadam ratione, matri ſe reddidit. Si Chriſtus tantę miſerationis eſt, & B. V. Maria cum Chriſto in homines, cur igitur homo miſericors non erit in pauperem? Quocirca concludendo ſermonem B. Leo dicit. Homo dando pauperi, das tibi, quia quod pauperi non dederis, habebit alter.

Miſericordia dat regnum.

Lucia filiam à Bea… Vir… Maria accip.

Eleemoſyna.

Quæ ſit ſtella quam ſecuti fuerunt.

Magiſter Hiſt. reſpondet. Cùm natus Chriſtus, ſtella in Iudæa exorta magnæ claritatis, & cæteris planetis & ſtellis vicinior terris apparuit. Hanc Magi ſuper Iudæam ſtantem ſecuti ſunt vſq; Hieroſolymam, & ſtetit vbi puer erat in Bethlehem.

Significat ſtella hæc gratiam Dei. Per Iudæam vbi exorta eſt, bonorum congregatio figuratur. Gratia enim inter juſtos commoratur. Gratia autem in Hieruſalem trahit, id eſt in ſtatum bonæ vitæ. Ieroſolyma enim viſio pacis interpretatur. Cùm enim homo ex conuerſatione bonæ vitæ egreſſus fuerit in morte, non quęret vbi eſt natus, ſed à conſortio Deo famulantium, ad venuſtam faciem Dei & ſocietatem Angelorum perueniet. Et tunc gaudebit gaudio magno valde. Nam gratia cùm apparuerit juſtæ animæ egredienti de corpore, quatuor ei beneficia præſtabit. Sæuientes dęmones abiget, horrendas tenebras depellet, ignem vrentem per medium diuidet,

Hieruſalem.

gratia animæ egred. de corpore.

N

uidet, & ad faciem Dei perducet. Quod ſpectat ad ignem D. Aug. dicit. Animæ poſt hanc vitam ignem atrocem tranſibunt, vbi ſermones otioſi & cogitationes iniquæ ſordidæ & multitudo leuium peccatorum, quæ puritatem nobis naturæ infecerunt, expurgabuntur, & tanta pertranſeundi mora quanti fuit peccati materia.

ANNOTATIONES.

VBi promiſſio Abrahæ facta, Gen. 22. De multiplicanda poſteritate vt numerus ſtellarum, non ſemine, ſed fidei fœcunditate generanda compleretur, ceſſare debuit multiplicatio ſeminis primùm, de qua Gen. 49. *Non deficiet princeps ex Iuda neq; Dux de fæmore eius donec veniat, cui repoſitum eſt, & ipſe erit expectatio gentium.* Cùm igitur Herodes aligeniena regnat, natus Chriſtus & in præſepio jacens regnare cœpit regno ſpirituali. Vnde Leo ſerm. 1. Tribus Magis in regione orientis ſtella nouæ claritatis apparuit, quæ illuſtrior cæteris pulchriorq; ſyderibus, facilè in ſe intuentium oculos animoſq; conuerteret, vt cõfeſtim aduerteretur non eſſe otioſum quod tam inſolitũ videbatur; deditq; aſpiciẽtibus intellectum qui præſtitit ſignum, & quod fecit intelligi fecit inquiri, & ſe inueniendum obtulit requiſitus. Chryſoſt. hom. 2. procedebat hæc ſtella ab oriente in meridiem, apparebat & in nocte & in media die, & quando oportebat ire Magos ibat, quando ſtare ſtabat, vt columna nubis in deſerto.

S. Pet. Chryſolog. Apparuit ſtella non volens ſed juſſa, non cœli nutu, ſed diuinitatis impulſu: Non lege ſyderum, ſed nouitate ſignorum: non cœli climate, ſed virtute naſcentis: non ab arte, ſed à Deo: non Arithmeticâ ratione, ſed ſanctione Diuinâ, non arte magicâ, ſed Prophetia Iudaicâ. Quam vbi vidit Magus, humanas perijſſe curas, ſuas defeciſſe artes, mundanæ ſapientiæ exinanitos labores.

S. Fulgent. Hæc ſtella nunquam ante apparuit, quia nunc eam puer iſte creauit, & Magis ad ſe venientibus per viam, deputauit. Iſte puer in præſepi quidem paruulus collocatur, ſed magnus in cœlo mirabiliter operatur. Permittit ſe manibus in terra portari, ſed præcepit ſibi cæleſtia famulari. Quid eſt ergò, quod infantilem attendis ætatem, & eius diuinam non intelligis poteſtatem?

Quod verò ſtella hæc ſignificet gratiam. Sufficerent S. Chryſologi verba. Quærunt. Vbi eſt qui natus eſt? Dicet ille. Non interrogant ſed inſultant, quando ſcientes interrogant. Negligentes arguunt, deſides increpant, malos produnt, contumaces verberant, ſeruum Domino non occurriſſe, cauſantur. Vbi eſt Rex? Cur in præſepe, non in templo, non in purpura, receperunt jumenta in præſepe, quem in domo ſua recipere vos ſpreuiſtis. Gratiam ergò

ergò hi Magi docent, prædicant, myſterio ſignificatam.

Quæ ſit iſta Domus quam intrauerunt.

SPiritualiter. Domus quam intrabit anima, gratia deducta, eſt domus æternæ gloriæ. In qua domo, Iesvs contemptibiliter jacens non inuenitur, ſed ſedens in regali ſolio. Vnde Eccleſia cãtat. *In excelſo throno vidi ſedentem virum, quem adorat multitudo Angelorum.* Vbi ſedet ad latus filij B. V. Mar. 3. *Reg.* 2. Venit Berſabeæ ad Regem Salomonem, & ſurrexit Rex in occurſum eius, adorauitq; eam, & reſedit ſuper thronum ſuum, poſituſq; eſt thronus matri Regis quæ ſedit ad dextrã eius Berſabeæ B. V. Maria, per Aſcenſionem venit ad Filium, & adoratione dignam demonſtrauit.

NOTATIO.

COnſiderando domum quam Reges intrauerunt ad natum Iesvm, caulam ſcimus fuiſſe animalium, non aulam regalem, at pro tam vili ſtabulo quod non homo ſed jumenta conceſſerunt Domino ad natiuitatem, domum æternam gloriæ determinauit dandam homini. Recollige homo, quæ commutatio, quæ retributio. Optimè Pſal. 129. *Apud Dominum miſericordia & copioſa apud eum redemptio.* Caue igitur ne dicas, imò nec cogites. Tantum debeo Deo quantum homini homo. Abſit. inquit Chryſol. ſerm. 161. Nam alter eſt ordo, diuerſa cauſſa, diſſimilis fides. Devs hominem fecit eſſe, naſci juſſit, dedit viuere, conceſſit ſapere, donauit tempora, diſtribuit ætates, conceſſit gloriam, toti terræ Dominum præfecit. Et cùm talia homini beneficia deperijſſent, ſecunda reparauit tantò majora quãtò diuina, præſtantiora tanto quantò cœleſtia, nam cœli poſt habitatorem dedit, quem dederat ante incolam terrenorum. Fælix qui in hac vitâ per gratiam junctus eſt Chriſto, nam in futura videbit eum æternaliter. Auctuariũ ad Molan: habet de B. Ioan: Rusbiollio Canonico Reg. quod ad eum Chriſtus dixerit. Tu es Filius meus dilectus in quo mihi benè complacui, & amplexatus eum ait Matri, & Choris aſtantibus. Ecce puer meus dilectus. Pſal. 115. expreſſum in illo in vita. *Ego ſeruus tuus & filius ancillæ tuæ.* Ideò audiuit in morte jucunda.

Quis ſit ille cui Magi obtulerunt munera.

REſp. Erat pannis inuolutus. In quo magna notatur fides Regum, quod illum puerum credebant Regem omnium ſæculorum, Devm Deorum. Et credebant in cruce moriturum pro peccatis omnium populorum. Ideò enim tanquam Regi obtulerunt Aurum, ſicut Deo Thus, tanquam morituro Myrrham. *S. Bern.* O ſtupenda Magorum fides, quæ paruulum pannis inuolutum tanquam Devm adorat, quibus non ſordet loci vilitas, non ſcandaliſat *Fides Mag. ſtup.*

pueri pannoſitas, quos non offendit pauperculæ matris paupertas, maior eſt hæc fides fide latronis in cruce confitentis.

NOTATIO.

SAnct. Petrus Chryſol. ſer. 16. Dominicæ deuotio tria offerunt. Aurum

Scientiæ Theſauri credituris. Regi, Thus DEO, mortuo Myrrham, ſcientiæ theſauros maximos in poſterum credituris. Et ſerm. 160. Hodie Magus quem fulgentem quærebat in ſtellis, in cunis reperit vagientem. Hodie clarum miratur in pannis, quemdiu in aſtris patiebatur obſcurum. Hodie Magus quid vbi videat profūdo ſtupore peruoluit, in terra cœlum, in cœlo terram, in DEO hominem, in homine DEVM, & vniuerſo ſęculo non capacem concludi corpore perpuſillo.

Magorum adoratio vnde. Vnde Magus qui ſcrutari valet, capere non poteſt, mox adorat. Videt enim ſic lucere in cœlo ſtellas, lunam, ſolem, qualiter illuxiſſe carnem cōtemplatur in terris.

Æthiopia præueniet. *Æthiopia præueniet manus eius DEO*, Pſal. 67. Magus enim præuenit Iudæum manibus ſuis, quia quando Chriſtum Iudæus Herodi ſcelere prodebat, tunc Magus DEVM CHRISTVM muneribus fatebatur. Et ita Gentilis qui erat nouiſſimus, factus eſt primus, quia horum notata credulitas, Iudæorum notata incrudelitas. *Remig.*

Reges ſinguli tria dona obtul. Eſt ſciendum quod iſti non ſinguli ſingula obtulerunt, ſed ſinguli tria & ſinguli cum ſuis muneribus, Regem DEVM & hominem prædicauerunt.

Myrrha, Thus, & Aurum, exprimunt puerum. Secreta in Miſſa ita habet: *Eccleſiæ tuæ quæſumus Domine dona propitius intuere, quibus non iam Aurum, Thus & Myrrha profertur, ſed quod eiſdem muneribus exprimitur, immolatur, ſumitur.* id eſt, CHRISTVS IESVS in præſepi reclinatus, exprimitur per Myrrhā, quia propter nos multiplices ſuſtinuit cruciatus. *Myrrha eſt gummi amarum.* Cant. 1. *Faſciculus Myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur.* Gloſſa Immutabili memoria. Faſciculus ex multis culmis, ita Paſſio Chriſti propter multa fuit aggrauata. 1. Aggrauata, quia vt latro cū gladijs & fuſtibus comprehenſus. Matth. 6. *Tanquam ad latronem.* 2. Quia vinctus, ligatus, ad diuerſos iudices deductus, ad Annam, Caipham, Pilatum, Herodem. 3. Quia vt execrabilis ab immundiſſimis eſt conſputus. 4. Quia ceu fur terram reſpicere indignus, eſt velatus. 5. Quia vt nequam, collaphizatus. 6. Quia vt malefactor ab indigniſſimis ſeruis alapiſatus. 7. Quia veſtibus ſuis coram multitudine exutus. 8. Quia ceu fatuus in veſte alba & rufa eſt irriſus, & iterato conſputus, colaphiſatus. 9. Quia ligatus ad columnam flagellis acriter verberatus. 10. Quia ſpinis eſt coronatus ad cerebrū. 11. Quia in capite vulnerato percuſſus arundine acriter. 12. Barbam euellentes mentum lacerauerunt. 13. Quia patibulum crucis humeri poſuerunt. 14. Quia in medio latronum vt illis ſceleratiorem cruci-

crucifixerunt. 15. Violenter extẽdendo ad crucem clauis crucifixerunt. 16. Cruci affixum blaſphemauerunt prætereuntes. 17. Quia ipſi latrones conuiciabantur ei. 18. Quia myrrhato vino potauerunt. 19. Quia corpus mortuo transfixerunt. 20. Quia cuius innocentiam ſol, luna, ſaxa, terra, probauerant, ipſi eum ſeductorem vocabant. Ecce Myrrhæ faſciculus, quem quilibet Chriſtianus in camera cordis ſui debet collocare.

ANNOTATIONES.

PRO MYRRHA.

PRo primâ aggrauatione. Nobilium & Sanctorum ſunt aliquæ prærogatiuæ. Vnde D. Paulus Romanum ſe dixit, quocircà niſi gladio animaduerſus vt nobilis Romanus fuit. Et filij Abrahæ libertatem gloriabantur. *Nemini ſeruiuimus vnquã.* Filius Dei Rex Regum ne dum nobilis, & Sanctus Sanctorum, vt latro comprehenditur & ducitur. Sed phreneticus factus eſt populus Iudaicus, ideò modò phrenetico procedunt. *Aug. lib. conquin. hæret.* Fuſus eſt ſanguis medici, & factum eſt medicamentum phrenetici.

Pro ſecunda aggrauatione. Samſon ligatus diſrupit ligamenta, potentior Iesvs qui Angelis imperat. *An non poſſem rogare patrem, vt mittat plùs quàm duodecim legiones Angelorum?* Ambr. ſuper 26. Matth. Stultum eſt, cum gladijs quærere eum qui vltrò ſe offert, & in nocte per proditorem inueſtigare quaſi latẽntem, qui quotidie in templo docet, ſed factum cõgruit tempori & perſonis, qui cùm eſſent tenebræ, in tenebroſo tempore tenebroſum opus exercebant. Quantum videret Samſon, ſi non dormientem ligâſſet Dalila? irridebat Dominus ſtultitiam horum, qui funes, catenas inijciebant in Iesvm, ſed amor faciebat, vt ligatos patres è vinculis liberâſſet.

Pro tertiâ aggrauatione. Pro graui ſcelere talis aſſignabatur pœna, puta pro blaſphemia, perfidiâ. Sed in Chriſto exprimebat inſaniá neſciendo Iudæorum, quòd tam fœdiſſimis anima eorum eſſet oblita ſputis & turpitudinibus, à quibus Iesvs lauare ipſa & emundare venerat. dicit Hieron. in quodam ſerm. Vnde dicitur: *Candidi facti ſunt Nazaræi.* Qui quidem candor ex puritate animæ & illuminatione diuinâ proueniet. *Bern.* Facies pulchra præ filijs hominum ſputis Iudæorum deturpatur.

Pro quarta aggrauatione. Furum & ſceleſtorum hæc pœna, dum illorum oculi & facies velantur, in alijs nationibus. Sed quod attinet Chriſtum, inquit Hieron. Velari voluit, vt velamen culpæ & ignorãtiæ à cordibus noſtris auferret. Per culpam enim frons meretricis fit homo peccans. Per ignorantiam verò eorum quæ ſcire tenetur, velamen in cordibus ponitur. Noluit intelligere, vt benè ageret. Sed reuelabit Dominus iniquitatem Iudæ, cum his qui dixerunt Domino; recede à no-

bis, ſcientiam viarũ tuarũ nolumus.

Pro quintâ aggrauatione. Hier: Colaphis cædi voluit, vt nos ei labijs & manibus, id eſt: verbis & operibus applaudamus. Exprimebãt Iudæi Chriſto volente quantas in limbo afflictiones paſſi fuerant, deſiderabant magis colaphis hîc cædi quàm ſine Saluatore eſſe. *Ambr. ſuper 27. Matth.* Venit, non vt ſe liberaret quia ſub ſeruitute nõ erat, ſed vt nos de ſeruitute redimeret, vnde ſeruorum & captiuorũ colaphosſuſcepit.

Pro ſextâ aggrauatione Seruituti d diti, etiam à ſeruis patiuntur, cæduntur alapis, verbis. Tren. 5. *Serui noſtri dominati ſunt nobis.* Imò quãdoque captiuis indignatur, qui nec ſeruus eſſet eius, quem in captiuitate tenet, & quem maledicit. Durum certè pati à contemptibili ſeruo, ſed dolet Dominus, non ſua vulnera, ſed mea, jnquit Ambr.

Pro ſeptimâ. Nudos de paradiſo noluit eijcere primos parentes ſed eis præbuit periſomata. In tantùm enim horrorem poſt peccatum nuditas hominum venit, vt nefas eſſet nudum incedere. Cogita igitur, ſi Iesvs Christvs, innocentia præcelſus, virginitate ſublimis, pudicitia excellens, nudatus erat veſtibus, quantus dolor ipſi acceſſit nudato. Ad ludibrium diabolo venerat homo, idēò denudatus incedebat, ſed ſtoll m innocentiæ reſtituit ei paſſione ſuâ Redẽptor. *Bern:* Quàm fortiter Domine Iesv tam indigna, tam aſpera & dura pro hominibus paſſus es. O duri & indurati filij Adam, quos non emollit tanta flamma, tanta benignitas, tam vehemens amor. Amore tui ô homo nuditatem ſuam contexit Saluator.

Pro 8. aggrauatione. Anima non eſt ibi vbi animat, ſed vbi amat. Tãtus eſt pondus amoris. *Auguſt.* Amor meus pondus meum; illo feror quocunque feror. Ob amorem animæ hominis, ceu carens ratione incedebat, idcircò veſte fatuorum & irriſorum indutus fuerat Iesvs. *Bern.* Scio quòd merita mea mihi non ſufficiunt, quod mihi deeſt, audacter vſurpo ex viſceribus Chriſti, quę miſericordiâ affluunt, nec deſunt foramina, per quæ defluant; patent viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos oriens ex alto.

Pro 9. aggrauatione. Quòd ligatus eſſet ad columnam & flagellatus, juſſit Pilatus, ſed tam acriter cedere vt aliqui acutis flagris, virgis ex vepribus, & nodoſis flagellarent flagellis, malitia fecit militum ſicut & ſpineam coronam. Vnde in Cathena D. Thomæ ſuper Ioan. ſuper verba Flagellauit. Hoc Pilatus non obaliud feciſſe credendus eſt, niſi vt eius iniurijs Iudæi ſatiati ſufficere ſibi æſtimarent; & vſq; ad eius mortem ſæuire deſiſterent.

Pro 10. aggrauatione. Plurimum aggrauat, quia vulneratum caput, non juſſo judice, ſpinis ad cerebrum reuulnerant. *Bern.* Caput Angelicis tremendum ſpiritibus denſitate ſpinarum pungitur. Quô ſenſus delicatior

ċatior, eo & pœna crudelior, & dolor inexplicabilior, dum ad cerebrum pertingunt aculei ſpinarum, ex dolore & vulnere mors euenire debebat; ſed amor ſalutis humanæ, non hic, ſed in cruce, mortem appetit. Verè Iudæa deſerta, plena peccatis, quam Devs plantauerat, Prophetæ coluerant; quæ ſolùm ſpinas produxit ad coronam.

Pro 11. Aggrauatione. Non percuſſus ſerpens in caput in paradiſo perſuadente mortem, occidit primos parentes, quare percuti debuit Chriſtus in caput, vt vita cõtra mortem erumperet, & caput diaboli contereret. *Hieron*: In capite percutitur, vt caput noſtrum Adam ſanitati reſtitueretur. *Bern.* In paſſione Domini contemplanda: Opus ſine exemplo, gratia ſine merito, charitas ſine modo. Quia maximè pati voluit, multoties percuti, vulnerari.

Pro 12. Aggrauatione. Honeſtas viri, & antiquis Hebræis grauitas, in barba conſtituta quoque fuit. Radebant barbam in pœnam & leuis hominis notam. Vnde euulſio barbæ, maximè pœnale erat; Etiam hoc ſuſtinuit Redemptor, vt ſcilicet nil deeſſe videretur ignominiarum, quas patienter ſuſtinere & meritoriè pro nobis Chriſtus dignaretur.

Pro 13. Supplicium ferre tam graue, ſuper tam laceratos humeros non erat iam poſſibile humaniter, grauabat crux, grauabant vulnera; dulciter tamen aſſumpſit Christvs licet caderet ſub onere, clauis enim ad aperiendum cælum crux fuerat: ſed non tam grauabat crux, quàm malitia militum, non hæc quâ afficiebant Chriſtum; ſed quia ſanguis eius, non eis proficiebat. Obex peccati & velamen cordis.

Pro 14. Aggrauatione. *Iſid. de Summo bono.* Ille opprobria, irriſiones, contumelias, alapas, ſputa, flagella, ſpineam coronam, crucemq; ſuſtinuit; & nos miſeri ad noſtram cõfuſionem vno ſermone fatigamur, vno verbo deijcimur. Inter latrones Chriſtus pendet. Exprimit hominis latrones, carnem, mundum, diabolum. Inter hos appenſus manes ô homo, ſi illis aſſentis, eris pendens in inferno: ſi Chriſto aſſenſeris, regnabis in cælis; vt regnat ex cruce juſtus latro.

Pro 15. Aggrauatione. *Bern. in perſona Domini.* O homo vide quæ pro te patior. Non eſt dolor ſicut quo crucior, ad te clamo qui pro te morior. Vide pœnas quibus afficior, vide clauos quibus confodior: cùm ſit dolor tantus exterior, interior eſt planctus grauior, quum te tam ingratum experior. Fælix in hoc inter cæteros ſanctos Beata Clara de monte Falcone Ord S. Auguſt. Nam in corde ipſius diuiſo expreſſa myſteria Dominicæ paſſionis ita exactè vt ceu exſculpta videbantur.

Pro 16. Aggrauatione. *Vah qui deſtruis temp. &c. Salua temetipſum.* Qui fœtentem Lazarum reſuſcitauit, non poteſtate hominis nec poteſtate alterius id fecit, ſed propriâ Diuinâ, dixit;

dixit; Lazare exi foras & ſurrexit. Verba hæc illum repræſentant qui dixit: Fiat lux, & facta eſt lux. Expecta paululum, videbis Chriſtum viuum reſuſcitatum, & ſenties in judicio quem cruci affixiſti. *Caſſiod. ſuper verba, Pſal. 139.* Obumbraſti caput meum in die belli. Quis eſt iſte dies belli! Dies paſſionis eius verè dies belli, vbi omnes pugnârunt contra illum, & amici, & diſcipuli, & principes & ſacerdotes, & milites & latro, bellum faciebant cum viuo & mortuo.

Pro 17. Aggrauatione. Diem proſequebatur belli latro in cruce affixus. Magna aggrauatio, non ſolùm inde quia Publicus latro inſultat Christo, ſed quod tam prope ad latus Christi pendens repudiabat gratiam qua cor ipſius pulſabatur, ratio illuminabatur, imò viribus reſumptis per gratiam contra inuitantem ſe, conuitijs magis inſurgebat. Et quo magis ab alio latrone commonebatur, eo peius inſurgebat. Ad ignem noluit calefieri, ad medicum repugnauit ſanari, ad Deum exiſtens, noluit in anima curari. Peccator cùm in profundum peccatorum venerit, contemnit. Prou. 18.

Pro 18. Aggrauatione. Pietatem conuertere in malitiam, virtutem in vitium, antidotum in venenum, grande malum. Pietate commoti homines, vinum pretioſum, myrrhatum obtulerunt militibus vt porrigerent Chriſto ad refocillandum, at ſceleratus miles abſumpto dulci vino, acetum cum felle mixtum porrexerunt. Quo & pietatem porrigentium deriſerunt, & contumeliâ nouâ Chriſtum affecerunt. Guſtauit tamen, vt doceret, guſtanda ſolùm mundana non ad ſacietatem ſumenda, & ſi ſumenda, nolendo ſumenda. Dicebat Angelus ad Thobiam. *Ego cibo inuiſibili vtor.* Tob. 12.

Pro 19. Aggrauatione. Quid grauius quàm mortuo jam inſultare, mortuum vulnerare. Præcipuè viri ſancti corpus, crudelitas. Sed vt percuſſa petra à Moyſe edidit ſalutaria fluenta, ita tantum malum conuertit Chriſtus in bonum. Edidit ex latere aquam & ſanguinem, in ablutionem originalis peccati & ſacramentum baptiſmi.

Pro 20 Aggrauatione. Quæ durior petra corde humano vitijs fædato, malitia ſiccato! Si terra tremit, ſcinduntur petræ ad mortem Iesv, & homo non conteritur ſed efficitur peior, ad noua conuitia, cuſtodiam ſepulchri, conuertit oculos non ad animam ſuam, erit cor hominis mali, omni lapide durius. *D. Leo ſerm. 7. in Mont.* Effuſio pro injuſtis ſanguinis juſti, tam potens fuit ad priuilegium, tam diues ad pretium, vt ſi vniuerſitas captiuorum in redemptorem ſuum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent. Sed attendite, omnia membra paſſa ſunt in Chriſto præter linguam eius ſanctam. Cur Diabolus non ſuſurrauit vt crudelitatem facerent? Reſpondet D.

det D. Bernardus. Caput Angelicis tremendum ſpiritibus, denſitate ſpinarum pungitur: facies pulchra præ filijs hominum, ſputis Iudęorum deturpatur: oculi lucidiores ſole caligantur in morte: aures quæ audiunt Angelicos cantus, audiunt peccatorum inſultus: os quos docet Angelos, felle & aceto potatur: pedes quorum ſcabellum adoratur cruci clauo affiguntur: manus quæ formauerunt cœlos, ſunt in cruce extenſæ & clàuis affixæ: corpus verberatur, latus lancea perforatur, & quid plura! non remanſit in eo niſi lingua, vt pro peccatoribus oraret, & matrem diſcipulo commendaret. *Iucundum lectu.* In Brabantia in Cænobio S. Benedicti eſt imago B. V. M. quæ cùm ſalutaretur à D. Bernardo. *Salue Maria*, reſpondit illi intelligibili & amica voce. *Salue Bernarde*, Ita in cruce Chriſtus dixit. *Ecce Mater tua, Ecce Filius tuus.* Dicatis *Salue mater, ſalue fili.* Vtinam peccator eſſet Ioannes, audire. *Salue fili*, à Ie. & B. V. Maria.

Puer IEsvs per thus intelligitur.

Thus ſignificat Ieſum.

THure placatur Devs. Placatus quoq; per Iesvm mundo, igitur benè per thus intelligitur. Eccleſ. 1. Simeon ſacerdos magnus quaſi thus redolens in diebus æſtatis. Interpretatur Simeon, audiens męrorē, audiuit filius Dei męrorem antiquorum Patrum, qui magnis precibus orabant à tyranno infernali eripi, & vt ſacerdos obtulit ſe hoſtiam ſuauitatis Deo in cruce pro peccatis, *In diebus æſtatis.* hoc eſt: iræ & ſeueritatis paternæ. Ad Hebr: 5. *Ieſus in diebus carnis ſuæ preces ſupplicationesq́, ad Deum cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia.*

Thus Simeonis.

NOTATIO.

Notum fecit ſalutare.

PSalmo 97. *Notum fecit Dominus ſalutare ſuum, ante conſpectum gentium reuelauit juſtitiam ſuam.* In quæ verba ſanctus Leo ſerm, 3. Et ſi potuit notum facere Chriſtum in infantia latentē, quantò magis poteſt eundem manifeſtare in maieſtate regnantem? Sed quæ eſt hæc juſtitia ante conſpectū gentium manifeſtata? Ea, quam muneribus proteſtantur. Adorârunt in carne Verbum, in infantia ſapiētiam, in infirmitate virtutem, in hominis veritate Dominum maieſtatis, vt quæ ſacramentum fidei intelligentiæq; manifeſtent, quod cordibus credunt; muneribus proteſtātur. Thus Deo, Myrrham homini, Aurum offerunt Regi: ſcienter diuinam humanamq; naturam in vnitate venerantes; quia quod erat in ſubſtantijs proprium, non erat in perſona diuerſum. *S. Leo ſerm.* 1. Hinc clarum, quòd ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non ſolùm noſtris, ſed etiam totius mundi. Quod per Thus Reges dicti expoſuerunt: nam placatorem noſtri ad Devm Patrem, at Deum vnum cum Patre & filio eodem thure, ſimul adumbrarunt. *Greg. hom.* 10. Thure quod

Adoratio Regum

Trinitatem in vnitate Reges venerãtur.

Deo incenditur, virtus orationis exprimitur, ſecundùm illud: *Dirigatur oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Redoluit ergò oratio in conſpectu patris pro mundo oblata in cruce à Chriſto, qualiter ſuaueolens thus redolere non poterat. Addebat enim orationi eius perlucidas alas, id totum, quod filius erat DEI pro nobis ore, voce, corde, & ſanguine orabat. Vnde dicitur: *Exauditus eſt pro ſua reuerentia.*

Exauditi pro reuerentiâ.

Puer IEsvs per aurum ſignificatur.

Ieſus eſt annulus fibula corona noſtra.

QVia quilibet electus per ipſum erit decoratus. Nam ipſe eſt quaſi annulus, fibula & corona. Iesvs eſt annulus, quem Deus Pater dat peccatori per pœnitentiam ad ſe reuertenti. Luc. 15. Filio prodigo dedit annulum in manum. Eſt igitur Iesvs annulus pœnitentium, qui certificat eos de gratia Patris. Eſt etiam quædam aurea fibula, quę datur homini in virtutibus proficienti. 1. Mach: 10. Antiochus dedit poteſtatem Ionathæ, vt haberet fibulam auream. Antiochus interpretatur ſilens pauper, ſignificat filium Dei. qui, Iſa. 67. ſicut agnus coram tondente ſe obmutuit, & nō aperuit os ſuum. Ionathas interpretatur columba, exprimit proficientem in virtutibus, virtutes enim sũt pennæ columbæ deargentatæ: id eſt animæ, vt in cœlum volent. Dat fibulam, id eſt: ſemetipſum; ponit enim debet ſuper cor Iesvs vt ſignaculum, ad quod intellectus, affectus concurrant. Eſt etiam quædam corona aurea, quæ datur homini ad brauium vitæ peruenienti. 1. Cor. 9 Tam fideliter curramus, fortiter in agone contendamus, vt immarceſcibilem coronam comprehendamus. Exod. 25. *Facies ſuper arcam coronam auream per circuitum.* Arca eſt anima electi, quæ quia ad cæleſtem dulcedinem inhiauit, quia pauperes vt virga ſuſtentauit, præcepta Domini ſeruauit, eum ex omni parte ſempiternâ gloriâ coronabit. Iſaiæ 27. *In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ, & ſertum exultationis reſiduo populi ſui.*

NOTATIONES.

INęſtimabile eſt nomen Iesvs, quo circà niſi pretioſiſſimis ſignificari debet. Et quia nil terra habet pretioſius auro, non abs re ſignificabitur per aurum. Sed quia totius perfectionis humanæ eſt Iesvs decor & ornatus, à quo nimirum annulus, fibula & corona promerita eſt nobis in cælis merito per aurum Regum adorantium Iesvm, ſignificatus eſt puer Iesvs; à quo ſcilicet, in quo, & apud quem, eſt collocata & fundata omnis pretioſitas & inæſtimabilitas hominis. *Hinc D. Bern.* Ieſu mi dilectiſſime ſpes ſuſpirantis animæ. Te quærunt piæ lachrymæ, & clamor mētis intimæ. Mihi Iesvs mellifluus, Fructus vitæ perpetuus.

Pro annulo, Nota. Ab antiquo ipſorum

ipſorum nobilium ſignum erat annulus. Hinc Annibalis legat⁹ Mago, in Senatu Carthaginenſium ; effuſis annulis & digittis occiſorum in bello detractis, addidit. Neminem annulum geſtâſſe niſi equitem, & Principem. ſignaturam quoque nobilis & generoſę animę exprimet annulus fidei in Sanctiſſimam Trinitatem, in quo annulo non iam horrologium & tempus ſignificabitur, ſed ipſa æternitas. Annulus igitur pœnitentium Chriſtus, ſi geſtabitur in vita, in æternitate ornatum animæ deducet.

Pro fibula. Nota. Alia eſt fibula ſeruorum, alia fibula cognatorum Regiorum. Serui cùm in libertatem mittebantur à Romanis, fibulâ ferreâ perforabant auriculam eorum, & in ſignum libertatis deferebatur à ſeruis. Fibula verò aurea erat ſignum honoris, nec concedebatur niſi à Regibus, vel cognatis; vel optimè Regi meritis. Quocircà Ionathæ feliciter pugnanti, cùm data eſſet authoritas, data & purpura, & Alexander filius Antiochi ſuadente Rege addidit cum hac glorificare Ionatham, & miſit ei fibulam auream, ſicut conſuetudo eſt dari cog natis Regum, & dedit ei Accaron & omnes fines eius in poſſeſſionem, ſicut 1. Machab. 10. dicitur: Pretioſiorem multò Dominus Iesvs dabit triumphanti de hoſtibus animæ fibulam in gloria, quia ipſe erit illorum decor & fibula.

Pro corona. Nota. Corona regia exprimit authoritatem, honorem. Corona quã promittit in cælis Chriſtus animæ ſubijcienti affect⁹ rationi, intellectum fidei, opus iuſtitiæ & pietatis, honorem exprimit æuiternum. Pſal: 45. Corona aurea ſuper caput eius expreſſa ſigno ſanctitatis. Quod eſt iſtud ſignum ſanctitatis? An lumen quoddam diuinum? an radius promicans ex vertice capitis? Erit Crux Domini ornamentum capitis eius, quia ipſe Iesvs Chriſtus erit corona in cœlis juſtæ animæ. *Bern. ſuper Cant.* Eſt cœlum ſancta anima, habet ſolem intellectum; lunam fidem: aſtra virtutes. Quid igitur reſtat, niſi vt corona ipſius ſit Iesvs Christvs in cælis.

Signũ ſanctitatis.

Offerre debemus Domino Myrrham, per vitæ noſtræ aſperitatem.

Sicut ille propter nos multa incõmoda paſſus, ita nos propter illum aliqua patiamur. Myrrha hæc noſtra conſiſtit in jeiunijs, vigilijs, cilicijs, gẽnuflexionibus, virgarum percuſſionibus, peregrinationibus, & in cæteris afflictionibus. Sicut myrrha vermes arcet à mortuis corporibus, ita prædicta repellunt ab homine malas cogitationes. *Iudith:* 10. Deſcendit Iudith in domum ſuam, lauitq; corpus ſuum, & vnxit ſe myrrhâ optimâ. Iudith interpretatur confitens, & ſignificat animam confitentem Domino, quoniam bonus; deſcendere igitur in conſcientiam de-

Myrrha noſtra aſperitas.

Myrrha vermes pellit.

Myrrha bona, melior, optima.

tiam debet, lachrymis corpus lauare, vngere myrrhâ bonâ, meliori, optimâ. Bonâ, cùm oculum habet ad infernum, & ſe caſtigat, ne à dæmonibus caſtigetur. Melior, cùm oculos habent ad cælum, & ſe puniunt, vt ad ſocietatem ſanctorũ perueniant. Optima, qui oculum dirigunt in Deum, & propter hoc ſe grauiter affligunt, vt Chriſti paſſioni ſaltem in aliquo reſpondeant, & ardentius de fonte dulcedinis poſtmodum bibant.

ANNOTATIONES

AVguſt: de 10. chord. Melior eſt modica amaritudo in faucibus, quàm æternum tormentum in viſceribus. Per fauces intelligit amaritudinem ob jeiunium, ob lachrymas, ob ſilentij & oris cuſtodiam. Ergò in tribunal mentis tuæ aſcende contra te, & reum te conſtitue ante te, noli te ponere poſt te, ne DEVS te ponat ante te, quia quantò diutiùs expectauit vt emenderis, tantò grauiùs judicabit ſi neglexeris. Neque deſperare debes ob grauitatem & multitudinem peccatorum, nã hoc eſt negotium diaboli inſtigantis cõtra te. Ille ſuadet ne pœniteas, peccatum leue in corde affirmat, miſericordiam prædicat, longum vitæ ſpatium promittit, vt ſic in contemptum Dei & deſperationem te inducat & pereas. Sed ſcito, quod ſit plerunq; gratior Deo, amore ardẽs vita poſt culpam, quam in ſecuritate torpens innocentia. Tu es, propter quem relictæ nonagintanouem oues in deſerto. Leuit. 14. Leproſo ſanato radebantur capilli & ſupercilia & barba, & lotis veſtibus introducebatur in caſtra vt offerret ſacrificium. Per confeſſionem opera mortua deponenda peccatori, lauanda conſcientiã lachrymis, & introductus in conſortium ſanctorum, offerat ſatisfactionis ſacrificium. *Hieron. ad Euod.* Non eſt pernicioſum in prælio vulnerari, ſed poſt vulnus acceptum deſperatione curandi medelam vlceri denegare. Sæpè athletæ poſt lapſus plurimos coronantur, milites poſt fugas fuiſſe fortes & victorum victores. Naturam noſtram imitari licet in vita. Nam formatur fætus in vtero tãquam in ſepulchro. Nondùm exiſtens infans, naturæ faſcijs inuolutus, ſimilis eſt mortuo faſcijs ſepulchralibus circumſtricto, os mutum, manus & pedes in vtero ſicut in tumulo extenduntur. Matrix egregium fætibus ſepulchrum eſt quidem fætore non carens. Redi ergò ad tuum principium ò homo ſpeculandum, conſpice ſepulchrum & mortis, reuolue inferos, cælos, DEVM, & ſume amaritudinem de peccatis, compati diſcas tuo Chriſto, vt cum illo exultes.

Offerre debemus Domino thus per deuotionis ſinceritatem.

DEuotionis ſinceritas in hoc conſiſtit, vt libenter oremus, de Domino cogitemus, Eccleſias diuinum officium

officium audituri frequentemus &c. Leuit 24. *Duodecim panes ſuper menſam puriſſimam coram Domino de ſimila ſtatues, & pones ſuper eos thus lucidiſſimum.* Duodecim panes, ſunt 12. gaudia, quæ inueniet anima in menſa puriſſima SS. Trinitatis. Quatuor panes ſignificant quadruplicis mali amotionē, alij 4. ſignificant quadriformem glorificationem. Primum gaudium: vinculorum diſruptio, qualia ſunt fames, ſitis, frigus, æſtus, labor, infirmitas, & quibus conſtringitur in corpore homo. Dices inde fælix: *Dirupiſti vincula mea.* Pſal. 115. 2. Quia liberata de malornm hominum impugnatione, quos odio cordis, oris, operis perſequuntur. 3. Gaudium ex dæmonum inſidiantium conculcatione. Cùm erepta fuerit de corpore, ſuper aſpidem & baſiliſcum conculcabit. 4. Ex infernalium euaſione tormentorum. *Lætabitur iuſtus cùm viderit vindictam.* Pſal. 57. Alia quatuor ſunt ex corporis glorificatione & dotibus. Nempè claritate, agilitate, ſubtilitate, incorruptibilitate. Vltima verò 4. gaudia ſunt: Omnimoda cognitio, pleniſſima dilectio, ſuauiſſima Dei viſio, copioſa remuneratio. Super hos 12. panes thus lucidiſſimum ponendum; quia mirabilem afferunt conſiderata deuotionem, quocirca aſſiduè offerre debet orationem.

NOTATIONES.

PSal. 118. *Deprecatus ſum faciem tuam in toto corde meo.* Quid eſt in toto corde? In tota præparatione, ſinceritate, ardore cordis. Ponet orans ante ſe faciem Dei, judicantis, miſerentis; & ſtabit ante illum effūdendo cor, & orabit vt peccator humillimè, vt indignus abiectiſſimè, vt creatura nil vtilis Deo, vt ſeruus contemptibilis, & implebitur quod Iſa. 65. promiſſum fuit. *Eritque antequam clament ego exaudiam, adhuc illis loquentibus ego audiam.* Quocirca de humilium & ſimplicium oratione. Eccleſ. 35. *Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit, & non diſcedet donec altiſſimus aſpiciat.* Simplicium & humilium oratio, eſt infantium dulcis parentibus ſermo. Nil quidem exprimunt, ſed parentes faciunt plurimum delectari, Ita delectatur DEVS in oratione ſimplicis & humilis, orant enim ſpiritu, orant & mente. 1. Corint. 14. Hoc eſt, totâ intentione, affectu, memoriâ penetrant Dei miſericordias & miſerationes. Apud Baſilium Macedonem Imperatorem cum Senatu conniuantem, clamauit pica inſolitâ voce: Leo, Leo. & commiſeratus filij Leonis pater, eduxit eum è carcere, & liberauit. Iudith 5. *Humilium & manſuetorum ſemper tibi placuit deprecatio.* Num: 16. Præceptum fuerat tollere thuribulum, & hauſto igne de altari, mitti incenſum deſuper. Altare eſt crux Chriſti, ignis amoris eius ſumendus eſt in thuribulum cordis noſtri, & oratio dabit odorem aromaticum, & incenſum dignum in conſpectu Dei. Eccl. 7. *Non iteres verbum in oratione tua.* Qui in toto

Orare toto corde.

Humilium oratio infantium vocibus ſimilis.

Leone pica liberauit e carcere.

altare crux.

Oratio non iterāda.

toto corde orat, & humiliter, & ardenter, & veraciter orat, non iterabit orationem, quia nec dum primam finierat, jam penetrauit cælũ, jam effectum oratio eius ſortita eſt ſuum.

Offerre debemus aurum Domino per pretioſam charitatem.

Aurũ Charit. vbi quærend.

AVrum Charitatis ſi non habes quære in tribus locis. 1. in Ophir *3. Reg. 9.* Serui Salomonis aurum tulerunt de Ophir. Interpretatur Ophir infirmitas, ſignificat infantiam Saluatoris nouiter nati, ibi enim multum auri Charitatis inuenitur, nam Dei virtus quæ firmauit orbem terræ, pro nobis membra tenerrima aſſumpſit. Iſa. 53. *Nos deſiderauimus eum virum nouiſſimum & ſcientem infirmitatem.* Ad Hebr. 3. *Non habemus Pontificem qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, adeamus ergò cum fiducia ad thronum eius gratiæ.* 2. Quære in Euilath. Gen. 2. In terra Euilath naſcitur aurum, & aurum terræ illius optimum. Euilath interpretatur dolens, parturiens, & ſignificat paſſionem Filij Dei, Iſa. 53. *Verè languores noſtros ipſe tulit, dolores noſtros ipſe portauit.* Multum hîc auri Charitatis inuenitur. Ad Rom. 5. *Commendat DEVS charitatem in nobis, quia cùm adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Ad Eph. 3. *Vt ſciamus ſupereminentem ſcientiæ humanæ charitatem Chriſti.* Gloſſa: Nemo poteſt magnitudinem charitatis ejus colligere, ſcilicet quod Devs factus homo, juſtus pro injuſtis, Dominus pro ſeruis, Creator pro creatura moritur. 3. Quære in Tharſis 3. Reg. 10. Claſſis Salomonis ibat in Tharſis per tres annos deferens inde aurum. Tharſis intrepretatur exploratio gaudij, & ſignificat gloriam cæleſtem vbi naturæ noſtræ eleuatus eſt thronus in excelſis. Vnde Eccleſia canit. *In excelſo throno vidi ſedere virum*, id eſt Filium Dei hominem factum, quem adorat multitudo Angelorum. *Chryſoſt.* Reuera magnum & mirabile & ſtupore plenum eſt, carnem noſtram ſurſum ſedere, adorari ab Angelis & Archangelis. Ad Epheſ. 3. *Conſedere fecit nos in cæleſtibus in Chriſto IESV.* Limum noſtrum conjunxit ſibi Dei Filius, ſuper Cherubim & Seraphim eleuauit. Maius eſt, quàm ſi Imperator Rom: ſororem aſinarij vel bubulci in conſortem aſſumeret. Aſinarij vocandi qui aſino corpori onus laboris ponunt & Chriſto ſeruire compellunt. Bubulci, qui tantum porcum corporis ſui paſcunt.

In ex- celſo thro- vir ſe- de- Dei-

NOTATIONES.

Tem- plum cor.

3. Reg. 6. Nihil erat in templo quod non auro tegeretur. Puto quod auro optimo & pretioſiſſimo erât tecta vaſa in templo. Quoniam verò templum hoc noſtrum internum templum cordis ſignificat, *Templum Dei ſumus & Spiritus ſanctus habitat in nobis*, dicebat Lucia S. idcircò veſtiri debet auro charitatis pretioſiſſimæ.

ſimæ. Vt ſicut maximâ charitate dilexit nos Devs, ita nos quoq; ſummâ quâ poſſumus charitate diligamus Devm. Qui diligunt te, ſicut ſol in ortu ſuo ſplendet, ita rutillent. Talem charitatem declarabat S. Petrus multoties Domino Jesv, Primò. Cùm ſuper aquas ambulabat ad Iesvm. Dicit enim Ambroſ. ſer. 47. Ambulauit magis dilectione quàm pedibus, non enim videbat vbi pedum veſtigia poneret, videbat vbi figeret veſtigium charitatis, & amore Domini ductus deſcendit in mare. Secundò, cùm dixit. *Tu es Chriſtus Filius Dei viui.* Et Dominus. *Beatus es.* In quæ verba Auguſt. Hom. 10. Domine hoc tibi dixerunt & dæmones, quare illi non ſunt beati! Quia dæmones hoc dixerunt timore, Petrus amore. Tertiò. Mat. 17. Cùm dicit Petrus. *Domine faciamus hîc tria tabernacula.* Vbi Dionyſ. Carthuſ. ſibi & diſcipulis noluit, tabernacula erigere, quia amor Domini neceſſitatem ſui ipſius exploſit, aut putabat in eiſdem ſe & ſuos recipi poſſe, ita tamen vt ipſe eſſet in tabernaculo magiſtri ſui. Firmauit hic charitatem in Deo pretioſam, ex qua cum redijt ad ſe poſt peccatum, coactus fuit inſtigante conſcientiâ, flere amarè. Sine pretioſa ergò charitate, nullus conſequetur gratiam, nullus gloriam. Fingunt de coruo Æſopi, quod matri orare pro ſe Deos juſſerit ad mortem. Cui illa: O mi Fili, Deorum tibi propitium forè aliquem confidis, cùm nullus ſit è cujus ara victimæ partem non ſis furatus? Charitas in ſe ipſum, in proximum, charitas in Devm eſt nobis principaliter ad vitam fœliciter hîc & in futuro æternaliter conſequendam, à Domino Iesv commendata. Videbantur illi dies pauci, præ amoris magnitudine, dicitur de Iacob ſeruiente Laban pro vxore. *Gen. 29.* Quid igitur dicam de vero ſeruo Iesv Chriſti, Deo ex amore & toto corde ſeruienti? Labor nullus.

Coruũ Aeſopi.

Amor verus paucos dies habet.

DOMINICA INFRA OCTAVAM EPIPHANIARVM.

Cùm factus eſſet IEsvs annorum duodecim.

Ponitur in ſupplementum, cùm inter ſermones B. Alberti Magni deſideratur, & quod Dominica 1. poſt Octauam Epiph. Beatus Albertus de eodem Euang. tractat, ſic eundem ponemus.

DE DOLORE AMISSI FILII.

Remanſit

REmanſit puer & non cognoue-runt parentes in Hieruſalem. Remanſit non incuria vel negligentia, ſed quia ſeorſum ibant viri & ſeorſum mulieres vt Zach. 12. dicitur, quocirca Ioſeph credebat fuiſſe puerum in comitatu dominarum, & B. V. Maria putabat fuiſſe cum putatiuo patre, ſed potius remanſit ex diſpenſatione ſapientiæ diuinæ, ſine cuius diſpenſatione nil fecit penitus. Vnde dicit. *Quid eſt quod me quærebatis, neſciebatis quia in his &c. Greg.* Dolor ingens erat B. Virginis. Nam ſi mater Tobiæ lamentando dicebat. Vt quid te miſimus fili peregrinari baculum ſenectutis noſtræ, multo magis viſis tot miraculis, cognito quod Filium & DEVM ſuum amiſerit dolebat B. V. M. *Hieron.* 2. Malum & amarum perdere Dominum. Malum, quia eſt ſummi boni quod omnium bonorum bonum eſt priuatio. Amarum, quia ipſe affectus noſtri dulcedo eſt, Eccl. 24. *Spiritus meus ſuper mel dulcis.* Hinc cogita ſi peccatori amittere DEVM malum & amarum, quàm multo magis amarum erat, amittere tantùm filium tam piæ, ſanctæ & tantæ matri Virgini. Quocirca quærit inter cognatos & notos, & reuertitur in Hieruſalem. *Surgam, circuibo ciuitatem, quæram quem diligit anima mea,* Cantic. 3.

Latenter remanſit ne aut retrahatur aut ſit inobediens.

ANNOTATIO.

DOmine ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes. Ioan. 6. Eundo in Ieruſalem cum Ioſeph B. V. Maria forte dicebat, Domine ad quẽ ibimus in Hieruſalem, quo in loco quæremus? Habet verba vitæ æternæ, in Eccleſia primum quæramus eum. *Nolite quærere Bethel. Sed me quærite & viuetis.* Amos 5. Summum dolorem in amiſſione filij habuiſſe B. Virginem inde patet, quod ſummum habuerit gaudium in inuentione. Tantum Philippum Macædonem gloriatum fuiſſe in filio Alexandro, quod vnus Græcorum Hiſtoricorum concludendo Philippi geſta dixerit, hoc vnum dixiſſe ſufficiat, filium te habere Alexandrum. Quid de filio B. V. M. dicemus? quantum gloriari in eo debuit B. V. Maria qui homo & DEVS, Filius DEI & Virginis? Sed cum amiſit illum, videbatur ſibi inferior eſſe, quia ille habuit, illa vero habuerat. Et quod deterrebat eam, dicit Gloſa. Timuerunt quod illud quod Herodes tentauit paruulo facere, hoc Archelaus faceret jam juueni. Recordata fuit Noëmi nominis ſui & dicebat. *Non vocetis me ſic, quia amaritudine repleuit me Dominus.* Maria interpretatur maris ſtella, cogitandum in amaritudine hac B. V. M. non ſtellam maris, ſed amaritudinem maris & ſalſedinem fuiſſe. Sed quærendo confirmabatur in Domino, vt Pſal. dicit. Pſ. 104. *Quærite Dominum & confortamini.*

De ſollicitudine in quærendo.

CAnt. 3. *Quæſiui illum & non inueni.* In hoſpitio cum Ioſeph B. Mariæ appa-

apparuit, non vidit filium, & quæſiuit, idem fecit & Maria. O quam graue dictu ipſis erat. Vbi eſt IESVS? An fortè inter cognatos vel notos! Excurrunt, inueſtigant, requirunt. Non inueniunt. Vbi! vbi eſt: *Hæc eſt generatio quærentium Dominum, quærentium faciem DEI Iacob*, Pſal. 21. Exprimitur verbis quærens faciem DEI Iacob ſollicitè, ſed quando quæritur DEVS & hic verus filius à B. V. M. majori ſollicitudine quærebatur, donec inueniretur. Quocirca reuertuntur in Hieruſalem, reuertuntur in templum. Elegit fortè magis habitare in Domo DEI quàm in tabernaculis peccatorum. Eſdr. 8. Manus DEI noſtri eſt ſuper omnes, qui quærunt eum in bonitate. Non potuit major bonitas fieri in quærendo quam erat parentum ejus Ioſeph & Mariæ, ideò manus DEI fieri debuit ſuper illos, vt inuenirent, & inuenirent in honore, in medio Doctorum inuenerunt eum, qui ſtupebant ſuper prudentia & reſponſis ejus. Stupor eſt Syſtoles cordis in magno & arduo, ita quod cor quaſi ſit inſenſibile, dum nec modum nec cauſam valet cognoſcere. Nec auſus fuit quiſquam ex illa die eum interrogare, Matth. 22. Præter primam cauſam ſollicita quærendi in annotatione ſuperiori poſitâ, ponit Origenes. Non vt periret vel errauerit ſolliciti, ne relinquens eos reuerſus in cœlos iterum aſcenſurus.

ANNOTATIO.

SOllicitudinem in quærendo, declarat parabola de drachma perdita à muliere, quòd euerterit domum donec inueniret eam: Collige igitur quanta ſolertia quærendus eſt DEVS vt inueniatur, ſi hanc ſolertiam requirebat drachma. Quocirca Deuteron. 4. dicitur. *Cùm quæſieris Dominum Deum tuum inuenies eum.* Sed quâ conditione? ſi tamen toto corde quæſieris, & tota tribulatione animæ tuæ. Me hercule, his duobus ſollicitè quæſiuit B. V. M. cum Ioſeph. puerum Ieſum ideò inuenit, & cũ ſum̃o gaudio inuenit. Nam & in templo, & ſedentem in medio Doctorum, quærentem & reſpondentem illis. Quocirca admirati ſunt. Et dixit Mater ad eum, vbi præ reuerẽtia & admiratione tacebat Ioſeph. *Fili? quid feciſti nobis ſic?* Theophraſtus lib. 4. cap. 2. Arbor Perſica ad Nilum eſt, cuius fructus cordis ſpeciem refert, folia linguæ: Dedicata Iſidi vbi monebantur huius oraculum adituri; vt ſanctè ſentiant & modeſtè loquantur. Verè tunc cor & lingua erat Dei Patris Dominus Ieſus, ideò videntes eum diſputantem cum Doctoribus ſanctè ſentiebant de illo, & modeſtè loquebantur.

Conditiones Deum inueniendi.

Fructus vt cor folia vt linguæ.

De eodem Euangelio hæc in Dominica 1. poſt Epiph. B. Albertus M. tractat.

QVod pacem amauit eamque ſe amare facto demonſtrauit. *Remanſit in Hieruſalem.* Hieruſalem interpretatur, viſio pacis, ſignificat pacem

Pax cordis.

cem cordis. Qui enim habuerit hîc pacem cordis, perueniet ad viſionem perpetuæ pacis. Quod recedentibus alijs ex Hieruſalem, ille remãſit; indicauit quod pacem amat, & quòd cum ipſa & in ipſa libenter habitat. In quamcunque domum intraueritis, dicite: Pax huic domui & in filio pacis requieſcet. *Luc. 10.* Inſinuabat quod ad cor non veniet, niſi pacem habuerit.

Viſio pacis.

Cor noſtrum ſpirituale Hieruſalẽ, triplicem pacem habere debet. 1. Si nullum corde odiamus. ad Col. 3. *Pax Chriſti exultet in cordibus veſtris.* Quod erit, cùm nec rancor, nec inuidia, nec odium erit; hæc enim turbant pacem cordis. 2. Neminem verbis occultè vel palàm offendamus. 1. Cor. 12. *Pacem habete & Deus pacis erit vobiscum.* De quà pace dixerit, ſubjungit: *Salutate inuicem in oſculo ſancto.* Nota. Salutate vos inuicem, non in oſculo doloſo, ſicut dicitur 1. Reg. 20. Ioab oſculando Amaſam militẽ & dicens: Salue mi frater; gladio percuſſit eum. *Greg.* Mentum tenere eſt cum benignitate blandiri, ſed ſiniſtram ad gladium mittit, qui latenter ex malitia percutit. 3. Nulli malum, damnum, noſtris operibus inferamus. 2. ad Theſſ. 3. *Deus pacis det vobis pacem ſempiternam in omni loco.* Et exponendo, addit: *Deus ſit cum omnibus vobis.* Eſt enim nobiſcum, ſi nulli damnum inferamus, ſed omnes vt noſmetipſos diligamus. DEVS autem *eſt charitas.* 1. Ioan. 4.

Pax triplex.

Oſculũ ſanct.

ANNOTATIO.

NEc juſtus ante aduentum Domini habere potuit pacem, ſed obſerata erat ab hoſtibus animæ cẽtum clauibus; ille igitur reſerauit, & pacem nobis attulit, donauit, juſſit. Vnde Pſal. 121. *Fiat pax in virtute tua.* Verùm, qui perpetuam pacem colere deſiderat interius, neceſſarium habet, exteriora relinquere, rejicere, quæ ſcilicet cordis pacem turbant. Luc. 1. Cùm Zacharias dimiſsâ turbâ exterius, ingreſſus fuiſſet ad altare incenſi, deſcendit Angelus & ibi nunciauit illi filium Ioannem. *Greg: in Moral.* Mens noſtra ad contemplanda interna non perducitur, niſi ab his quæ exterius implicant, ſemper ſtudioſè retrahatur. Igitur quos Spiritus ſanctus ſic diſpoſitos inuenit, accendit, & formam ſuæ virtutis & conſtantiæ in eos imprimit, vt omnia valeant fortia ſuperare. Petrarcha lib. 2. Dial: 32. de Rem. habet. Romanis inuiſior erat Hannibal, quàm Pyrrhus, cùm vterque hoſtis, & prior Pyrrhus Italiam inuaſerit. Scis rationem? quia Pyrrhus non delendi animo vt Hannibal, ſed vincendi inuadebat. Me hercule, ſi pugnam cum vitijs conſideraueri mus, animum ſumere Hannibalis contra vitia debemus, aliter pax fieri in anima eſſe non poterit. Si verò Hannibalis intentum obſeruabis, ſcies quòd pacem habet tabernaculum tuum. *Iob. 5.*

Quod

Quod tanquam cultum Dei diligens, templum non theatrum frequentauit.

INuentus in templo. Exemplum frequentandi Eccleſias docuit. Sic legitur de Anna Lucæ 2. *Non recedebat de templo.* Et de S. Nicolao, qui puerulus frequentauit limina Ecclesiæ. Sed plurimi ſæpiùs tabernas, quàm Eccleſias frequentant. Hagg 1. *Quia domus mea deſerta eſt, propter hoc prohibiti cœli, ne darēt rorem, terra germen, &c.* Si plagati ſic Iudæi, plus plagandi Chriſtiani, qui horrēt verbum Dei vt venenum, & fugiunt Eccleſias, ob ludos, tabernas, clamores.

Eccleſ. frequētanda.

NOTATIONES.

POſuiſtis cuſtodes obſeruationum mearum in ſanctuario meo vobis metipſis *Eſech. 44.* Hoc eſt ad vtilitatem auaritiæ veſtræ. Hier 6. *A minore vſque ad maiorem omnes auaritiæ ſtudent.* Malach. 1 *Quis in vobis eſt qui claudat oſtia mea & incendat altare meum gratuito?* quaſi dicat. Nullus. Remanſit Puer Ieſus in templo, vltrò, non retributionis ſpe, ſed ex charitate, & reuerentia erga Patrem. Vnde Origenes ad nos. Et tu ergò quære IESVM in templo DEI, quære in Eccleſia, vbi Chriſti ſermonem & ſapientiam, id eſt, Filium DEI reperies. Exemplo igitur Chriſti Eccleſias ad ſimilitudinem Domini, à quibus nutrimentum accepimus, frequentare debemus; aliter ipſi agri Eccleſiæ, qui nos nutriunt contra nos clamabunt, vt *Iob 31.* exprimitur. Si aduerſum me terra mea & cum ea ſulci mei deflent, ſi comedi fructus eius abſque pecunia, & animam agricolarum afflixi, pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo ſpina. Mich: 6. *Indicabo tibi ô homo quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te. Vtique facere judicium, & diligere miſericordiam, & ſollicitum ambulare cum Deo tuo.* Primum ſpectat ad nos; ſecundum ad proximum; tertium ad DEVM. Quod profectò tunc fit, quando ad Eccleſiam eius, gratiâ orationis & ſacramentorum, frequētare ſollicitamur. *B. Nilus:* Eccleſiam frequentate, à motibus enim & perturbationibus exterioribus nos liberare ſolet.

Eccleſiæ curatores non auari.

Eccleſ. mater.

Soliciti ante Deum.

Frequ. Eccleſ.

Quòd Doctores prudenter auſcultauit.

SEdit in medio Doctorum audiens illos & interrogans: ſi ille qui omnia ſciuit audiuit Doctores, multò conuenientiùs qui illiterati ſumꝰ verbum Dei audire debemus. Rom: 15. *Quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt.* Gloſſa: Scripta de Chriſto in diuinis libris. Verbum enim Dei lucerna pedibus hominis ambulantis in tenebris.

ANNOTATIO.

SApiens eris, ſapientibus ſæpè aſſidens. Dixit Menander: Hoc tamen

tamen neceſſarium eſt plurimùm inueni, vnde ad filium Salomon: *Poſſide ſapientiam, poſſide ſcientiam.* Puer Iesvs ſedit in medio Doctorum, non vt ſtudioſus, ſed vt Doctor. Quocirca & ſapienter quærit, & prudenter reſpondet, vt ſenes viri & cathedra obſtupeſcerent. *Orig. hom. 19. in Luc.* Hoc pietatis officium eſt vt nos doceret, quid pueris quamuis ſapientes & eruditi ſunt conueniret, vt audiant potiùs Magiſtros, quàm docere deſiderent, & ſe vanâ oſtentatione non jactent. Interrogabat autem non vt addiſceret, ſed vt interrogatus erudiret, ex vno quippè doctrinæ fonte manat & interrogare & reſpondere ſapienter. *Hæc ille.* Doctrina mores non ſinit eſſe feros. Dicebat quidam. Quocircà Puer Iesvs dum ſedit inter Doctores, nō contra policiam fecit, hoc enim & Iudæis obſeruarum, ſapientes honorare & ſtare ad illos, ſed iuſſus ſedit, aut victus prece medium locum inter illos poſſedit. *Greg.* Nullum quippè miraculum egit Dominus in pueritia, hoc tamen vnum prodit Lucas per quod mirabilis videbatur.

Quod ſpiritualia prę rebus temporalibus amauit.

Spiritualia contem por am

DIcit enim. *Quid eſt quod me quærebatis &c.* Sciatis quod ſpiritualem conſolationem quam in templo habui magis dilexi, quàm eam quā habere potuiſſem in domo veſtra. Sed plus modo litigant pro temporalibus quàm ſpiritualibus, ad Phil. 3. Propter Chriſtum, *lucra omnia arbitror vt ſtercora.*

NOTATIO.

AMbr. Duæ ſunt in Chriſto generationes, paterna & materna, ideo reſpondet. *Quid eſt quod me quærebatis*, & addidit. *In his quæ Patris mei ſunt oportet me eſſe.* Vnde rectè aduerſus Ebionem inſurgit Epiphanius docet, qui poſt baptiſmum Chriſtus factus eſt ſtupendus in ſermonibus: Ecce in annis 12. & ab ipſa pueritia & templum agnouit & patrem, & ſtupendus in ſermonibus fuit. Et dilexit præ temporalibus ſpiritualia? Optimè ſecutus eſt Dominum in hoc S. Aug. de quo dicit Eccleſia. Diſplicebat ei quicquid agebat in ſæculo præ dulcedine Dei & decore domus ejus quàm dilexit. Admonet B. Nilus Mart. Decorem cœleſtium conſidera bonorum & rerum terrenarum deſiderio non capieris, nec aliquid earum tibi jucundum erit. Quaſi diceret: ſpiritualia nobis ſunt amplectenda, cogitanda.

Præclara humilitas quam nobis oſtendit in ſemetipſo.

DEſcendit cum eis. Eandem docuit Matth. 11. *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.* *Qui ſe exaltat humiliabitur, Luc.* 14. Sed pauci deſcenſum, omnes aſcenſum ad honorem quærunt.

ANNO-

ANNOTATIO.

DEſcendit à majeſtate humilis ſub parentibus. Recordatus præcepti ſui. Honora patrem & matrem. *Bern.* Quis, illis ſubditus. Devs hominibus, major minoribus, vt nos ſubdi minoribus doceret. Pſ. 65. *Impoſuiſti homines ſuper capita noſtra.* Ambr. Non infirmitatis ſed pietatis erat iſta ſubjectio. *Orig.* Diſcamus ergo & nos parentibus eſſe ſubjecti, quod ſi patres non fuerint, ſubijciamur his qui patrum habent ætatem, Iesvs Filius Dei ſubijcitur Ioſeph & Mariæ, ego verò ſubijciar Epiſcopo qui mihi conſtitutus eſt pater. Puto quod intelligebat Ioſeph quia major ſe erat Iesvs, & trepidus moderabat imperium. Videat ergo vnuſquiſq; quod ſæpè qui ſubjectus eſt major ſit, quod ſi intellexerit, non eleuabitur ſuperbia qui eſt ſublimior dignitate, ſciens ſibi meliorem eſſe ſubjectum. *B. Nilus M.* Humilitatem & ſi magnus exiſtas dilige, vt in die judicij exaltari queas.

Quod floruit per omnimodam vitæ puritatem.

VEnit Nazareth, id eſt ad Florem, ſignificat mundiciam caſtitatis. Sed contrarium nunc in juuenibus & adoleſcentulis. Timendum ne eueniat quod euenit per diluuium.

ANNOTATIO.

FLorentem qui diligit patriam, nil mali, inhoneſti, illi facit. Iesvs flos de radice Ieſſe, florentem patriam Nazaret, floridis virtutibus, exemplis ſanctioribus illuſtrârit. Refert Herod. lib. 1. Meles primus Rex Sardiorum filiū ſuum Leonem recens natum muris circumtulit, & qua circumtulit murorum parte, inexpugnabilis erat. Et cum à Perſis vrbs capta, ab illo loco qui non eſt infantia luſtratus eruperunt. Profectò inexpugnabilis vrbs erat ob natum Iesvm, Nazareth. Et qui ciues floridam vitam ſpecioſamq; egerint in aliqua vrbe, inexpugnabiles erunt. Corruent verò citò, ſi dediti vitijs permanſerint. *B. Nilus M.* Matres virtutum caſtitas & compaſſio, quo pacto igitur ſine vna vel alia Chriſto militare poteris?

Murorum in expug.

Virtutum matres.

Quod parentes ſuos honorans voluntatem eorum ſuæ præpoſuit voluntati.

FIlialiter obediebat eis. Eccl. 3. *Qui timet Dominum honorat parentes & quaſi Dominis ſeruiet his qui ſe genuerunt.* In opere & ſermone & omni patientia. Ad Eph. 6. *Filij obedite parentibus veſtris in Domino, hoc enim juſtum eſt.*

Parentibus obedire

ANNOTATIO.

BAſil. *in lib. de Relig.* Ab ipſa primeua ætate parentibus fuit obediens, quemlibet laborem corporeum humiliter & reuerenter ſuſtinuit. *Iſid. de Sum. lib. 3. cap. 47.* Melior eſt ſubjecta ſeruitus, quàm elata libertas. Multi enim inueniuntur

Subiectio libertate melior.

Deo liberè ſeruientes ſub Dominis conſtituti flagitioſis, qui etſi ſubjecti ſunt illis corpore, prælati tamen ſunt mente. Referunt Ordinis noſtri Chronicæ. Margaretha Sabaudiæ Marchioniſſa Montisferati, cum podagra acutiſſimè torqueretur atq; Devm rogaret vt acutiſſimos dolores ei aliquantulum minueret, apparuit illi B. V. M. indicauitq; filij ſui voluntatem eſſe, vt eos cruciatus vſq; ad terminum vitæ toleraret Itaque ſummâ patientiâ dolores illos pertulit nec audita eſt de illis quæri. Cumq; ab ea quæreretur quemadmodum ſe haberet, inquiebat. Optimè, quando quidem in me Dei voluntas perficitur. Subjectio igitur Deo majoribus infirmitatibus non grauat hominem, ſed accendit ad exercitium & gratiarum actionem.

Infirmitas ad mortẽ SS.

Quod ſicut proficiebat ętate corporali, ita oſtendit ſe proficere per ſapientiam & gratiam.

Cum ætate proficiend. in ſap. & gratia.

PRoficiebat ſapientiâ &c. Exemplum dedit, vt ſicut ætate proficimus, de die in diem ſeneſcimus, magis ac magis portæ mortis appropinquamus, ita in ſapientia & gratia coram Deo & hominibus proficere debemus. Heu multi magis deficiunt à ſapientia de anno in annum. Et qui erant in iuuentute angeli, facti ſunt in ſenectute diaboli. Eccleſ. 25. *Dominus odit ſenem fatuum & inſenſatum.*

Annotatio.

PRoficiebat ætate, per incrementum debitum corporis & virtutis corporalis. Nam cum in vnoquoque genere ſit vnum quod eſt menſura cæterorum, & ad cuius acceſſum alia participant naturam illam; conuenit quoq; in genere hominum hanc quoque eſſe menſuram. Dei Filius igitur nullo impedimento naturæ (quod in alijs contingit,) ad corporis virtutem profecit. Vnde Epheſ. 4. *Omnes occurremus in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.*

Proficiebat ſapientiâ & gratiâ. Dicit quædam Gloſ. Sicut eſt carnis proficere, ita eſt rationalis animæ ſapientiâ & gratiâ proficere. Non quod Devs hoc eguerit, nam plenus ſapientiâ eſt, ſed quia hoc pro remedio noſtræ ſalutis elegit, vt cum caro & anima accipitur à Deo, vtrumque ſaluaretur. Quo etiam veram animā ſe accepiſſe inſinuauit. Alia Gloſſa habet. Iuxta hominis naturam proficiebat ſapientia, non quod eſſet ſapientior ex tēpore, ſed quod plus & plus oſtendit ſapientiæ & gratiæ: vnde non dicitur ſimpliciter profecit ſapientiâ, ſed addit coram Deo & hominibus. Coram Deo, gloriæ, puta & laudis, quæ accreuerunt in ore hominum. Coram hominibus, per profectum virtutis in ipſis. *Iſidor. de Sum. lib. 3. cap. vlt.* Quidam electi in fine ſuo purpurantur à leuibus quibuſdam peccatis, quidam verò in ipſo exitu ſuo hilare-

ſcunt

ſcunt externorum contemplatione bonorum. Expreſſit Iſidorus, quomodo ſancti cum ætate proficiunt in ſapiētia cœleſti & gratia Dei. De illis verò qui non proficiunt ſed deficiunt in ſapientia quid dicet? Audi dicentem ibidem. Prauos homines apoſtatæ Angeli excipiunt morientes, vt eis ſint ipſi tortores in pœnis, qui fuerunt ſuaſores in vitijs. Quis proficeret cum ætate in ſapientia & gratia ex ſanctis vt ponerem in exēplum, D. Thomas Aquinas occurrit. Huic enim puerulo data erat chartula aureis literis conſcripta quæ ſalutationem B. V. exprimebat, & demum offerenti Chriſto ſua ſcripta reſpondebat crucifixi imago. *Benè ſcripſiſti, quam mercedem recipies?* Cui ille. *Domine, non aliam, niſi te.*

DOMINICA IN OCTAVA EPIPHANIARVM.

Hic eſt Filius meus dilectus. *Matth. 3.*

Nota. Baptiſmus Chriſti, non ſolùm fuit initium & forma baptiſmi noſtri, quo regeneramur & ab Originali mundamur; ſed etiam ſignificat ſecundum baptiſmum Eccleſiæ pœnitentiam, per quam ab actualibus purificamur.

Vt ſimus Filij DEI dilecti &c. Septem requiruntur.

Primo. Vt Galileam relinquamus. *Venit IESVS à Galilea*, Math. 3. Interpretatur Galilea rota, ſignificat peccatum, eſt enim peccatum rota Diaboli quâ deducitur ad infernū. Pſ. 76 *Viderunt te aquæ DEVS, viderunt te aquæ & timuerunt, etenim ſagittæ tuæ tranſeunt, vox tonitrui tui in rota.* Aquæ ſunt populi. Apocal. 17. Timebunt in judicio quia corda impiorum verborum ſagittæ tranſibunt, vox ſententiæ terribilis perſonabit, contra rotam peccatorum. Secundò, vt ad Ioannem veniat per veram contritionem. Ioannes qui gratia interpretatur, ſignificat gratiam. Venit peccator ad gratiam Dei, cùm conteritur de peccatis, & aſſequitur gratiam. Pſal. 50. *Sacrificium Deo ſpiritus &c.* Imò gratanter aſpiciet. Tertiò, vt in Iordanem deſcendat per ſinceram & humilem confeſſionem. Iordanis interpretatur riuus judicij, ſignificat confeſſionē. Confeſſor enim in foro pœnitentiæ, Vicarius eſt Iudicis ſempiterni, & pœnitēs per confeſſionem ceu in quodam riuo à ſordibus abluitur. Pſal.

25. *Confeſſio & pulchritudo in conſpectu eius.* Quaſi diceret: Sincera confeſſio, eſt pulchritudo in conſpectu Domini. Quartò, vt baptiſatus aſcẽdat per virtuoſam ſatisfactionem. Matth. 3. *Baptiſatus IESVS confeſtim aſcendit de aqua.* Innuitur, quod verè confitentes debent aſcendere ad cœlum, per virtuoſam ſatisfactionem: ſicut enim per peccata deſcenderunt ad inferos, ita per ſatisfactionem aſcendere debent ad ſuperos: ſed raro veterani in peccatis, aſcendunt. Eccl. 25. *Aſcenſus arenoſus in pedibus veterani.* Priùs enim labitur quàm aſcendit. Ita dicendum eſt de his, qui in ſatisfactione brèuiter permanẽt, & reuertuntur ad peccata, ceu canes ad vomitum, & ſus ad luti volutabrum. 1. Pet. 5. Quintò, vt oret ad Dominum. Luc. 3. *IESVS baptiſatus orauit.* Ad Philip. 3. *Nihil ſolliciti ſitis, ſed in omni oratione petitiones veſtræ in omni obſecratione innoteſcant apud DEVM.* Petamus ergò debita noſtra dimitti, & gratias agite quod diu ſuſtulit, & nõ ſitis ſolliciti, hoc eſt, nolite timere quin vos exaudiat. Sextò, vt aperiatur ei cœlum per eleemoſynarũ largitionem. Matth. 3. *Et ecce aperti ſunt cœli.* Tunc petenti aperiuntur cœli, quando paſcit eſurientes, potat ſitiẽtes &c. Miſericordia quippè oſtiaria eſt regni DEI. Prouerb. 18. *Donum hominis dilatat viam eius, & ante principes ſpatium ei facit.* Eleemoſyna enim dilatat animæ viam ab vtroq; latere, dæmones pellit.

Aſcenſus arenoſus.

Oratio exaud. ſatisfacientis.

Cœlum quo aperitur

Septimò, vt ſit ſedes columbæ per pacis & patientiæ poſſeſſionem. Matth. 3. Vidit Spiritum Dei deſcendem ſicut columbam & venientem ſuper ſe. Significauit, quòd pœnitens ſit ſedes columbæ, Spiritus ſancti, per pacem, patientiam. *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Matth. 5.

ANNOTATIONES.

PRo prima obſeruatione. Nota. Ier. 5. *Circuite vias Hieruſalem & aſpicite, & conſiderate, & quærite in plateis eius an inueniatis virum facientem iudicium & quærentẽ fidem, & propitius ero ei.* Perambula non dico tabernas & loca publica, ea enim ferè mendacijs, nugis, impoſturis ſunt dedicata, domos vicinorum attẽde & auſculta, & cognoſces neminem eſſe, qui quod bonũ eſt loquatur, nec quicquam præter murmura, mendacia, execrationes, iuramẽta & blaſphemias audies; hìc reſonant lites & contentiones, illic minæ & calumniæ. Nullus eſt qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo, dicens: Quid feci? Re deniq; ipſa experiere corda & linguas hominum nullis alijs rebus vacare, quàm terrenis & proprijs commodis, nec audies amplius Deum appellari, niſi in iuramẽtis & blaſphemijs, in quibus Dei nomine abutuntur. Vnde conqueritur. Recordantur mei ſed non vt oportet, iurantes mendaciter in nomine meo. Optimè admonebat B. Nilus. Virtutem planta non vt homines decipias, ſed vt videntibus

tibus vtilitatem afferas. Relinquenda igitur Galilea, id eſt, rota peccati. Infelix gens. Num. 11. quę dicebat. *Nauſeat anima noſtra ſuper cibo iſto leuiſſimo*, vtinam eſſemus in Ægypto vbi porros, cæpe & allia comedebamus. Deflet Hieron. Tren. 4. *Qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora.* Qui ad gaudium cæli, Angelorum ſocietatem deputati per merita Chriſti & baptiſmũ, ſtercora peccati & carnis amplexati ſunt.

Pro ſecunda Nota. *D. Aug.* Mare terras & omnia percurre, ſcrutare vniuerſa, vbiq; miſereris, niſi ad Devm refugeris. Conterendum igitur de peccatis, quibus à Deo receſſimus. Cogita quid eſt mundus. Eſt ſcrinium dolorum, ſchola vanitatis, forum impoſturarum, labyrinthus errorum, carcer tenebrarum, ſilua ſpinis plena, hortus ſine fructu, flumen lachrymarum, fons ſollicitudinum, dulce venenum, tragedia lepidè compoſita, phreneſis delectabilis. Hinc B. Nilus Martyr peccatorem reſpiciendo fortunatum, dixit. Peccatorem fortunatè agentem luge, juſtitiæ enim gladius extenſus capiti illius imminet. Ioſue 1. Filiæ quęrenti coram patre quod poſſeſſio eſſet ejus arida, dedit illi Pater irriguum ſuperius & inferius. *Greg. in Regiſt.* Irriguum ſuperius accipit anima, cum lachrymis cœleſtis Regni deſiderio affligitur, inferius verò, cum inferni ſupplicia flendo pertimeſcit. Ora igitur qui non contereris, vt auferat à te cor lapideum & det tibi cor carneũ. *Ezech. 37.*

Pro tertia. Nota. Ad dignam confeſſionem requiritur vt homo ſit ſibi præſens & vnus, non alia cogitans, quam ſeipſum, non plura intendens, ſed hoc vnum vt digne confiteri poſſit. *Origen. in lib. Reg. Hom. Ieju. dicit.* Nos qui adhuc peccatores ſumus, non poſſumus hunc titulum laudis acquirere, quia vnusquiſq; noſtrum non eſt vnus ſed eſt multi. Intuere alicuius vultum, nunc irati, nunc iterum triſtis, paulò pòſt gaudentis, iterum turbati, rurſum lenis. Non poteſt eſſe ſemper vnus, ſemper idē homo. Si ergo ad conſequendam laudem requiritur in homine magna conſtantia & quædam vnitas in promerendo, multò conuenientius ad dignè confitendum peccata requiritur vt non ſit multiplex ſed vnus, non diuerſus ſed ſibi idem & conſtans. *Confeſſio & magnificentia opus eius*, id eſt Dei inquit, Pſal. 110. Quæ dum penſat verba Iſid. de ſum. lib. 2. cap. 5. dicit. Confeſſionem hominis non eſſe humanæ virtutis, ab illo enim nobis omnia bona ſua gratia præueniente donãtur, nam nihil boni operis dedimus per quod confeſſionem fidei accipere mereremur. Inſinuat hîc diſtinctionem confeſſionis: eſt enim confeſſio fidei, & de hac clarum eſt non eſſe humanæ virtutis. Quis enim humanum dicet illud Laurentij. Verſa, & manduca! Eſt & confeſſio peccatorum, hæc licet ſit ab hominis voluntate confiteri volentis peccata, non tamen eſt niſi

Confeſſio vnum requirit homo.

Confeſſio opus DEI.

Confeſſio fida & peccati.

niſi a Deo, quia ille dat velle tale per motionem internam, & innouat cor in homine. Vnde Dauid. Pſal. 50. *Cor mundum crea in me DEVS & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.* B. Andreas ordinis Carmeli. Epiſc. Feſul. Cũ natus eſſet obtẽtis precibꝰ à B. V. dicebant eius parentes. Non nobis *Natus B. M. Virg.* ſed B. V. Mariæ natus es. Cui ad primum ſacrificium incruentum apparuit B. V. M. & dixit. Seruus meus es *Seruus B. M. Virg.* tu, quia ego elegi te, & ego in te gloriabor. *Surius Ianu: 6.* Profectò in baptiſmo non ita parentum quam Dei *Serui ſumus Chriſti* nos proteſtamur eſſe ſerui, & gratia ipſius natos eſſe profitemur, ſed quia retrahitur voluntas noſtra à Deo aſtutijs Diaboli, affectibus carnis, viſione mundanorum; iterum per confeſſionem ſacramentalem, ſerui & filij Dei adoptamur, & promittimus non amplius mundo, ſanguini, inferis, ſed ipſi Deo famulaturos. Vnde, Eccl. 4. *Non confundaris confiteri peccata tua.* Eſt enim confeſſio, dicit Aug. lib. de Pœnit. ſalus animarum, *Confeſſionis vis.* diſſipatrix vitiorum, reſtauratrix virtutum, oppugnatrix dæmonum, obſtruit os inferi, portas aperit paradiſi.

Pro 4. obſeruatione. Nota. *Qui congregat in meſſe, filius ſapiens eſt, qui autẽ ſtertit æſtate filius eſt confuſionis.* Prou. 10. Æſtas & meſſis noſtra hoc eſt ſæculum, in quo qui nil operatur, filius confuſionis & inferi erit. Tempus perditum non recuperabitur in futuro ſęculo, Gen. 25. Eſau qui vendidit primogenituram pro ſcutellâ lenticularum, non recuperauit eã. Ita qui ſatisfacere in pręſenti denegat, in futuro licet plurima patietur in pœnis, non ſatisfaciet. *Auguſt. ſerm. 25. de verb. Dom.* Dicit tibi Chriſtus, da mihi ex eo quod dedi tibi, de meo quæro. Da, & reddam tibi, habuiſti me largitorem, fac me debitorem, habeam te fæneratorem. Temporalia mihi das, æterna tibi retribuam, te ipſum tibi reddam, quando te mihi reddidero. *Qui aufert ab egeno panem, quaſi qui eſſundit ſanguinem.* Eccl. 34. Ita qui negat Chriſto ſatisfactionem dum poteſt, quaſi qui effundit ſanguinem eius, præcipuè cùm Chriſtus in vita præſenti eſurit & ſitit noſtram ſalutem. B. Ioſcij ſatisfactionem conſidero & delector, de qua Vincent. lib. 7. c. 116. Hic inter alia deuotionis inſignia quinque pſalmos in honorem B. V. recitabat quotidie, qui dum moritur, quinque roſæ purpureæ proceſſerunt de illo, ex ore vna, in qua erat exaratum, AVE MARIA; duæ ex oculis, duæ ex auribus. Satisfaciebat ille in vita Deo ex omnibus ſenſibus corporis, ideò ſic in morte nobilitatus fuit. Quantus dolor nõ ſatisfacientem occupabit, innuit Pſ. 36. *Computruerunt & deterioratæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ.*

Pro quinta Nota. Paucis verbis plura de oratione noſtra complexus eſt B. Nilus Mart. in ſuis ſententijs Tropologicis. Orationis vis ſancta. ad nos enim ſanctum ſanctorum pertrahit. *B. Fulg. ep. 4. ad Probam c. 2.* quia frequen;

frequenter à nobis Deus offenditur, neceſſarium eſt, vt frequenti oratione, & jugi cordis compunctione mitigetur. Compunctio enim cordis excitat orationis affectum; oratio humilis, Diuinum promeretur auxilium, vulnera ſua reſpicit, oratio verò medelã ſanitatis expoſcit. Et ad hæc quis idoneus? Quis orare competenter valeat, niſi medicus ipſe nobis initium deſiderij ſpiritalis infundat, aut quis perſeuerare in oratione queat, niſi Deus in nobis hoc quod ſeminauit enutriat, & quod miſericordiâ præcedente gratis donauit indignis, ad effectum perfectum miſericordiâ ſubſequente perducat. Quocirca plurimi ſancti orationem ſuam dulciſſimè ad Iesvm effundebant: vt S. Bernardus, qui dicebat: *Nil canitur ſuauius, auditur nil iucundius, nil cogitatur dulcius, quàm* Iesvs *Dei filius.* Alij verò ſancti in oratione ſua interceſſionem B. V. Mariæ expoſcebant humiliter. *S. Method. Epiſc. Tyri Martyr* Euge, Euge Mater Dei & ancilla: Euge quæ debitorẽ illum habes qui omnibus mutuatur, Deo namq; vniuerſi debemus, tibi verò etiam ille debet. Salue dilectionis Dei theſaure, ſalue humanitatis filij fons, ſalue Spiritûs Sancti vmbraculum.

Clamor pauperum. Pro Sexta, Nota. *Qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperis, & ipſe clamabit, & non exaudietur.* Prou. 21. D. Aug. in Epiſt: ſi vis eſſe mercator optimus, *Mercator ſpiritus.* fenerator egregius, da quod non potes retinere, vt recipias quod non poteris amittere: da modicum, vt recipias centuplum, da temporalem poſſeſſionem vt conſequaris hæreditatem æternam. *D. Petrus Rauenas* In regno cœli coram Angelis & in conuentu reſurgentium, quod Abel paſſus ſit, quod mundum Noë ſeruauerit, quòd Abraham fidem habuit, quòd Moyſes legem tulerit, Deus tacebit, & clamat ſolùm quòd pauper non comederit: *Eſuriui & non dediſtis mihi manducare.* S. Franciſcus à Iesv Ord: Carm: dum ſecularis eſſet ſolebat in die Natiuitatis Domini pauperes confeſſione expiatos, cõuiuio excipere; *In Natiuitate Domini conuiuium.* cùm verò ad paupertatem redactus eſſet, dicebat: Domine mi, inſtruendum eſt conuiuium militibus tuis, tibi ergò de ſolutione expenſarum cogitandum, mihi autem incumbit expẽdere quæ à te ſubminiſtrabuntur. Interim ſeſe commendabat liberalitati piorũ, quæ tanta fuit, vt nonnunquam ducentos ſupra mille lautè pauperes exciperet. Hortabatur ergò illos ad laudandum Deiparæ natum, cuius munificentia ijs de cibo prouisũ erat.

Pro vltimâ obſeruatione. Nota. Infælix anima, quæ ſedem poſuit in ſe mundi, carnis. *Qui enim amicus eſt huius ſæculi, inimicus* Dei *conſtituitur* *Sedes in carne mũdo infelix animæ.* Vnde optimè Rex Lotharingiæ moriẽdo dicebat: O Domine Iesv Chriſte, quàm meritò mundus eſt contemnendus: Ecce inquam magnificis hîc ædibus & palatijs vixi, & nunc infelix quò vadã hâc nocte, & quod

Morientis diſtum. habiturus ſum diuerſoriũ, aut quod hoſpitium mihi præparetur ignoro. Sedes ergò ponenda in nobis pacis cum Deo & cum proximo. *Aug. in ſoliloqu.* *Pœnitentia inanis.* Inanis eſt pœnitentia, quam ſequens culpa coinquinat, nihil proſunt lamenta, ſi replicentur peccata; nihil valet à malis veniam poſcere, & mala denuò iterare. Pax igitur firmanda & ratificanda in perpetuum à nobis, & non ſimulanda ad tempus aliquod. Pax multa diligẽtibus Deum promittitur; ſedes ergò paci in nobis perpetua conſtruenda erit.

DOMINICA I. POST EPIPHANIAM.

Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galileæ. *Ioan. 2.*

Habet B. Alb. Mag. 4. puncta in hoc Euang. de quibus tractat Dominica 2. poſt Epiph.

QVID PER HAS NVPTIAS INTELLIGATVR.

nuptiæ Chriſti & Eccleſiæ. RESp. Figuratur Chriſti cõiunctio & Eccleſiæ. Apoc: 19. *Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit ſe.* Poſſunt verba eſſe Sanctorum Angelorum. Gaudeamus, quia nos ad ſuum miniſterium creauit; exultemus, quia alijs cadentibus nos in gloria confirmauit, præparauit ſe vario virtutum veſtimento. *Beati qui ad cœnam nuptiarum agni ſunt vocati.* Aduerte quòd duo curant ſponſæ, vt non appareat in eis rugo aut macula. De Sponſa Chriſti, hoc eſt, Eccleſiâ dicit Apoſtolus ad Epheſ. 3. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſeipſum pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid eiuſmodi, ſed vt ſit ſancta & immaculata.*

ANNOTATIO.

EX præſentia in nuptijs IESV, B. V. Mariæ & diſcipulorum colligitur matrimonium viri cum fœmina, non eſſe peccatum, nullatenꝰ enim adſuiſſet Sed vt S. Leo Epiſt. 93. c. 7. Et S. Fulg: Epiſt. 3. ad Probam, cap. 9. ſpecialiter dicit: Eſt Dei opꝰ & DEI donum, quas nuptias ipſe Dominus connexuit fidei vinculo, gratificauit benedictionis dono, multiplicauit propagationis augmento. Nouimus à Deo non coniugia, ſed fornicatores & adulteria iudicanda. Fatemur enim à DEO eſſe nuptiarum fidem, coniugum charitatem, naturæ fœcunditatem. Sed

Sed alij non reijciunt nuptias, at eos qui in cęlibatu ſunt redarguunt, quaſi feciſſent contra præceptũ Domini. Gen. 1. *Benedixit illis Deus, & ait: Creſcite & multiplicamini.* Sed adnotandum eſt: Quod matrimonium omnibus liberum eſt, nec Eccleſia ad Sacros Ordines neminem cogit, ſi quis verò vltrò ſuſcipere velit, jam adſtrictus manet ex hypotheſi propriæ voluntatis, & legem cælibatus ſeruare tenetur. Et coniugium juris naturalis eſt, & diuini hoc ſenſu, quod jure naturæ & diuino abſolutè omnibus ſit liberum vt dictum eſt, non autem quòd omnibus & ſingulis pręceptum, alioqui multi peccaſſent, qui in ſtatu continentiæ permanſerunt, vt Abel, Ioſue, Daniel, Ieremias, Elias, Eliſæus, Ioannes Baptiſta. Etſi naturalis eſt propenſio ad procreationem, hoc tamen niſi ſpeciei, vnde non ſingulos obligat ſed communitatem, poſſet ſingulos obligare in neceſſitate, ſicut in initio mundi obligabat, cùm terra eſſet hominibus vacua, ſed jam cælum replendum eſt, quòd rectiùs ſit in ſtatu continentiæ, vt ratiocinantur Patres. *Cypr. de habitu Virginũ, & Hieron. l. 1. contra Iouinianum. & Auguſt. c. 9. de Virginit.*

Quod verò attinet Chriſti & Eccleſiæ nuptias ſignificat: Clarè Apoſt: ad Epheſ. 5. *Sacramentum magnũ eſt, dico in Chriſto & Eccleſia.* S. Fulg. ep. 3. ad Probam cap. 5. Typicè à viro dicitur virginis vocabulum, quia nomen à Chriſto dicitur Chriſtianũ. Chriſtus enim Dei virtus eſt & ſapientia, ex quo eſt Eccleſia, quæ virgo in fide & charitate perſiſtens, & ſapientiam poſſidet & virtutem. *Et ex Iſa. 62.* Quoniam placuit Domino in te, et terra tua inhabitabitur. Habitabit enim juuenis cum virgine, & habitabunt in te filij tui, & gaudebit ſponſus ſuper ſponſam, & gaudebit ſuper te Deus tuus. Et ergò Eccleſia ſponſa virgo & mater. De quo Iſa. 62. *Vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit.* Ergò quia Chriſtus virtus eſt, concludit S: Fulgent. ſicut Eccleſia vocabulum virginis à virtute Chriſti ſumpſit, ita à CHRISTO Chriſtianum nomen accepit.

Eccleſia ſpõſa Virgo & mater.

Virgo dicitur Eccleſia à viro & virtute.

Sunt etiam aliæ nuptiæ Chriſti, cùm natura ſcilicet humana quando copulauit naturã diuinam cum natura humana in vnitate perſonæ. Et factæ ſunt duo, Deus & homo in carne vna. Matth, 22. *Simile regnum cælorum homini qui fecit nuptias filio ſuo.* Ad Coloſſ. 2. *Inhabitabit omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Sunt nuptiæ Chriſti & cum anima, quæ in vno ſpiritu per gratiam coniungitur. 1. Cor: 6. *Qui adhæret Deo, vnus ſpiritus cum eo eſt.* Rebecca cum Iſaac. Gen 24. figura illorum. Habent conſenſum in gratia deuotionis, amplexus in vinculis charitatis, oſculum in vnione ſpiritûs, in vinculo pacis, conjunctionem in vnitione & perceptione ſpiritualis dulcedinis. Sunt etiam nuptiæ ſponſi in gloria, quando anima ingredietur thalamum ſponſi

Nuptiæ Chriſti.

Cum natura Cum anima per gratiam & in gloria.

ſponſi, in ſecreto cœleſtis luminis. Et iſtæ ſunt nuptiæ Aſſueri cum Heſter, vbi rex humilem reginam glorioſam facit.

Quid per diem tertium exprimitur.

TRes dies habemus. Primus iræ. cùm infans in vtero matris viuificatur, in peccatis enim originalibus concipi ur & naſcitur. Ad Eph: 2. *Omnes natura ſumus filij iræ.* Secundus dies gratiæ, cùm emundamur per baptiſmum ab originali. Currit hic dies per totum tempus vitæ, niſi excidat per peccatum mortale. Ter tius dies gloriæ, quando anima è carcere corporis emancipatur. Roman: 7. *Quis me liberabit de corpore mortis huius.* Et hic dies intelligitur in Euangelio, Cana interpretatur Zelus. Galilæa rota in qua non eſt finem accipere, vnde ſignifi cat æternitatem. Fient igitur in æternitatis amore nuptiæ Chriſti & Eccleſiæ, quia nũquam eam repudiabit. In illis erit Dapifer Iesvs Chriſtus, Lucæ 12. *Tranſiens miniſtrabit illis* ſe prçcingẽdo. Propinatrix erit V. Maria. Cant: 2. *Introduxit me Rex in cellam vinariam*, ad deguſtandum nobile vinum, & poteſtatem cellarij dando. *Ordinauit charitatem.* vt cuilibet propinem plus vel minus.

ANNOTATIO.

DIgna ſunt conſideratione verba Ven: Bedæ ſuper hoc Euangel. Non vacat à myſterio, quòd die tertiâ nuptiæ factæ referuntur. Primũ quidem ſeculi tempus ante legem, Patriarcharum exemplo, ſecundum ſub lege Prophetàrum ſcriptis, tertium ſub gratia præconijs Euangeliſtarum, quaſi tertiâ die luce mundo refulſit, cùm natus in carne Dominus apparuit.

Hic Beatus Albertus Magnus ad ædificationem noſtram dies expoſuit, ſed ſuper Lucam exponẽdo dicit: Hi dies Allegoricè ſignificant lumen legis naturæ, lumẽ legis ſcriptæ, lumen legis gratiæ, in quo lumine verbum ſe manifeſtauit. Exo: 19. *Eſtote parati in diem tertiam.* Omnia enim naturalia & ſcripta in lege ad lumen gratiæ referuntur. vel ſunt tres verbi manifeſtationes, in viſione ſenſibili, in viſione imaginaria, in viſione intellectûs. Oſe. 6. *Viuificabit nos Dominus poſt duos dies, & die tertiâ ſuſcitabit nos.* Vel tres dies, ſunt tres illuminationes ad credenda, operanda, appetenda ſeu quærenda: Luc: 24. Gen. 22. Tertiâ die eleuatis oculis vidit locũ procul, appetẽdum puta. Cùm verò in ſuperiori annotatione poſuimus diuerſas nuptias, Dei cum natura humana, cum anima per gratiam & gloriam, & cum Eccleſia, quam ſibi plus ornauit, quàm polarem ſtellam ornant ſeptem ſtellæ circum, idcircò illuc remittimus lectorem. Addo hoc generale ad quaſcunque nuptias prædictas. Nuptiæ iſtæ in Chana Galileæ, inquit Beda in zelo tranſmigra-

migrationis, de nunciant eos maximè gratiâ dignos exiſtere, qui Zelo, feruore piæ deuotionis, ac de vitijs ad virtutes, de terrenis ad æterna nôrunt tranſmigrare.

Quid per ſex hydrias accipitur.

Sex hydriæ, ſex virtutes intelliguntur, quas ſex perſonæ in ſex ætatibus hujus mundi ad Eccleſiæ nuptias obtulerunt.

I. hydria eſt innocentia, quam Abel obtulit. Significatur innocẽtia per agnum oblatũ ab Abel, vt ille mundus, ita Abel manibus innocens & corde mundo. Nos ergo ad nuptias hydriam innocentiæ apportare decet. Pſ. 100. *Perambulabam in innocentia cordis mei in medio domus meæ.* Capit hydria duas metretas, conſiſtit vero in duobus innocentia, Aug. duobus modis nocet homo quantùm in ipſo eſt, aut faciendo miſerum aut deſerendo miſerum. Quis eſt qui facit miſeros? qui facit violentias, inſidias, rapit aliena &c. Quis eſt qui deſerit miſeros! Qui videt inopem egentem & cum habeat quod præſtet deſpicit, alienat cor ab eo. Per locum ergo à contrarijs ille eſt innocens, qui nulli hominum nocet, ſed libenter omnibus prodeſt.

Secunda hydria eſt juſtitia. Hanc Noë obtulit ad nuptias Chriſti. Gen. 7. *Ingredere tu & omnis domus tua in arcam, te enim vidi juſtum coram me.* Imitemur nos; qui cum hac hydria non venerit, nunquam gloriæ Dominum videbit. Pſ. 16. *Ego autem in juſtitia apparebo in cõſpectu tuo, ſatiabor cùm apparuerit gloria tua.* Capit tres metretas, quia debet reddere vnicuiq; quod ſuum eſt homo per juſtitiam ſi proximo reddet bonitatem cogitatu, verbo & facto, diſciplinam reddet ſibimet, vt corpus ſub diſciplina regat; ſcientiam Deo, vt cogitet, loquatur, agat quæ placent Deo.

Tertia hydria eſt obedientia, hanc Abraham obtulit. Gen. 22. *Tolle filium vnigenitum Iſaac offer eum in holocauſtum.* Et obediuit; atq; ex multis hîc obedientia ipſius commendatur. Nos imitemur, quia obedientia aperit portam paradiſi, quæ extruſa inobedientia clauſa fuit. Obedientia eſt cœlos aperiens & hominem de terra leuans. Et Samuel ad Saul. 1. Reg. 15. *Melior eſt obedientia quàm victima, auſcultare magis quàm offerre adipem arietum, quoniam quaſi peccatum eſt ariolandi repugnare, & quaſi ſcelus idolatriæ nolle acquieſcere.* Capit duas metretas. Conſiſtit enim obedientia in duobus. Vt nos metipſos & res noſtras ad voluntatem Domini & mandatum ejus hilariter exponamus. Ita Abraham ſe ipſum primò Domino obtulit exiens ad mandatum ejus de terra ſua & cognatione, & tandem ad præceptum Domini ſe circumcidens. Secundò obtulit dilectiſſimũ filium ſuum quem paratiſſimus fuit immolare.

Obedientia Abrahami.

Quarta hydria eſt patientia. Obtulit eam Dauid. Cum enim vitam

Patientia.

ejus

eius ſitiebat Saul, duabus vicibus incidit in manus Dauid, ſed ille eum ſuſtinuit patienter, 1.Reg. 24. Chlamydis partem abſcidit. & 1.Reg.25. Haſtam regis dormientis abſtulit. & 2.Reg. 16. Semeum maledicentem ſibi interficere vetuit dicens: Forte mihi reddet Devs bonum pro hac maledictione hodierna. Offeramus patientiam ad nuptias. Luc.21. *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Pſal. 9. *Patientia pauperum non peribit in finem.* Capit hydria patientiæ metretas tres, quicunq; enim vult eſſe vere patiens, oportet vt odioſa verba, facta malorum, tentationes ſpirituum, patienter ſuſtineat.

Pœnitentia. Quinta hydria eſt pœnitentia. Hanc Zorobabel apportauit. Erat enim Dux eorum qui de captiuitate propter pœnitentiam ſunt reuerſi de Babylon vt in Eſdra legitur. Imitemur, tum quia omnes peccauimus. 1.Ioan.1. *Si dixerimus quia peccatum non habemus ipſi nos ſeducimus & veritas in nobis non eſt*, tum quia ſine pœnitentia in cœlum intrare non poſſumus. Matth.3. Iesvs prædicare cœpit *Pœnitentiam agite, appropinquabit vobis regnum cœlorum.* Luc.13. *Niſi pœnitentiam egeritis omnes peribitis.* Capit metretas duas, oportet enim vt homo pœniteat de malis commiſſis & bonis omiſſis, quia præcipitur homini ne faciat malum, & faciat bonum.

Charitas. Sexta hydria Charitas, hanc attulit ad nuptias Eccleſiæ ipſe Dei Filius. Charitas illum juſſit introire in vterum Virginis, Charitas repoſuit in præſepio, Charitas ſuſpendit in cruce. *Aug.* O Charitas quam magnas vires habes, de cœlo Devm depoſuiſti, O chara ſanitas, O ſancta & vera Charitas, quæ tanta es in terris quanta es in cœlis. Etiam ad Eccleſiæ triumphantis nuptias debemus apportare hydriam Charitatis, Matth. 22. *Diliges Dominum ex toto corde, anima, & proximũ ſicut te.* Ex corde, quia ipſe dedit cor in quo eſt principium & finis. Ex anima, ipſe enim pro te poſuit ànimam. Ex mente, plus enim dabit tibi in cœlo quàm mente audeas exoptare vel poſſis, poſſeſſionis. Et proximum ſicut te, benefacere & non lædere. *Qui non diligit, manet in morte*, Ioan.3. Capit tres metretas, libenter propter Devm ſuſtinet paupertatem, contemptum, mortem, hæc enim propter nos ſuſtinuit Chriſtus.

NOTATIONES.

Hydrias vaſa noſtræ purificationis B. Alb. Mag. in Ioannem c.2. expoſuit; prima (inquit) hydria eſt miſericordia, & eſt Rebecæ hydria, Gen. 24. *Bibe Domine & camelis tuis potum tribuam.* Continet duas metretas, cordis compaſſionem & operis ſubuentionem, Tob.4. *Non auertas faciem à paupere, ſi multum tibi fuerit, abundanter tribue.* Secunda, commotio Zeli in malignos, & eſt hydria Gedeonis, qui cum hydrias confregit vicit hoſtes, *Iud. 7.* Zelus eſt feruor animi (inquit Beda) quo mens abjecto humano timore pro defenſione veritatis accendi-

tenditur & commouetur, & quælibet praua quæ viderit corrigere ſatagit, ſi nequit tollerat & gemit. Habet tres metretas, quia amore veritatis accenditur intùs, & ad ea quæ corrigere valet, correctionem fraternæ charitatis adhibet foris, & quæ corrigere non valet gemitum ponit orationis. Tertia hydria, eſt ſpiritus contribulatus in deuotionis ſacrificio, eſt hæc hydria Heliæ, 4. Reg. 18. Quam ſuper ſacrificium quadruplicatam perfundi præcepit, ſunt enim in ſpiritu contribulato quatuor neceſſaria. 1. Purificatio ſpiritus à peccatorum contagione. Ioan. 9. *Scimus quia peccatores DEVS non exaudit, ſed ſi quis DEI cultor eſt & voluntatem eius facit.* 2. Segregatio ſpiritus à curarum ſollicitudine. Oſeæ 2. *Adducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus.* 3. Ipſius ſpiritus congregatio vt ſit intra ſeipſum, vt ſit totus vnitus in virtute. Ezechiel 34. *Congregabo eas de terris.* Et Cant. 6. *Vna columba mea.* 4. Vt procedens ſit ad DEVM, in cordis, oris, operis veritate & rectitudine. Iſa. 38. *Memento Domine quomodo ambulauerim coram te in veritate & corde perfecto, & quod bonum eſt in oculis tuis fecerim.* Hydriæ duæ ſunt deuotio in affectu, & contemplatio in intellectu. Quarta hydria eſt præguſtatio æternæ dulcedinis in cultu diuino, hanc poni fecit hydriam inter vaſa templi Salomon, 4. Reg. 8. *Anſel.* Præguſtatio æternorum quantò frequentius in dulcedine ſpiritus percipitur, tantò magis peregrinationem noſtram finiri deſideramus & æterna appetimus. Quinta eſt conſideratio mortalitatis huius peregrinationis. Eccl. 7. *In omnibus operibus memorare nouiſſima.* Metretæ duæ. Neceſſitas moriendi, & incertitudo mortis. Sexta hydria ſacri verbi meditatio, & eſt hydria Samaritanæ mulieris & Sareptanæ, *3. Reg. 17.*

Mortalitatis conſideratio.

Verbi DEI meditatio.

Pro innocentia. Nota. Si nocens elongatur à DEO & fit DEI inimicus, Iſa. 59. *Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos & DEVM veſtrum, & peccata veſtra abſconderunt faciem eius ne exaudiret,* innocens jam accedit ad DEVM & fit amicus. Vide Angelos, ſi peccare poſſent vt ante poterant, & peccaſſent, de cœlo in imam inferni abyſſum caderent, amicitiamq; quã cum DEO habent amitterent. Stant ob innocentiam, quæ in gratia illos confirmare meruit. *Aug.* Si delinquat in te fidelis amicus, dignum judicas quì reprehendatur: quanto magis dignus es tu, ſi in DEVM omnipotentem & benigniſſimum patrem peccaueris! 1. Eſdre 6. dicit Darius. *A me ergo poſitum eſt decretum, vt omnis homo qui mutauerit hanc juſſionem, tollatur lignum de domo ipſius, & erigatur, & configatur in eo, domus autem ejus publicetur.* Si tam ſeuerum decretum contra præuaricatorem mandati terreni regis ponitur, quale erit decretum contra mandati DEI tranſgreſſorem? Innocentiam igitur ad nuptias deferamus. Frater Silueſter ordinis Prædicatorum quem orbatum vtroq;

Innocentia.

Peccati grauitas.

Decretum contra præuaricatores mandati.

confeſſor ipſe peccati grauiter monſtr.

parente B.V. Maria in protectionem ſuam acceperat atq; ad portam conuentus S. Dominici Florentiæ deduxerat, quadam die pœnitentem ob crimen in tribunali Sacræ pœnitentiæ grauiter pęnitere fecit, ita quòd præ dolore in terram exanguis corruerit. Quo turbatus confeſſor petijt DEVM & B. V. pro illo, Angelus adfuit viſibiliter, in os liquorem immiſit, vitæ reſtituit. Qui confeſſionem proſecutus eſt & accepit abſolutionem, & ſanctam poſtea duxit vitam. *Hugo*. Puritas innocentiæ conſeruata, fons eſt & origo omnis ſcientiæ & virtutis.

Iuſtitia.

Pro juſtitia. Nota. *Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt*. Pſ. 22. Id eſt correctionis & juſtitiæ recordatio ad juſtitiam animarunt. In corripiendo (inquit) Seneca vel emendet, vel pœna meliores faciat, aut ſecuriores viuere curet. Si ergo de alterius juſtitia curandum, multò magis de juſtitia propria quilibet curare debet, ex hac enim beatus erit. 1. Ioan 3. *Qui facit juſtitiam juſtus eſt*. 1. Reg. 26. *Dominus retribuet vnicuiq; ſecundùm juſtitiam ſuam & fidem*. Iudic: 14. Samſon mel inuenit in ore leonis, quo comeſto percuſſit Philiſtæos. Iuſtitia quam homo conſeruat & facit ex ſe DEO & proximo, mel eſt retributionis æternæ, & per hanc inimicos animæ percutiet. *Seneca de virt.* Quiſquis juſtitiam ſectari deſideras priùs DEVM time & ama, vt ameris à DEO. Amabis autem DEVM ſi in hoc eum imitaberis, vt velis omnibus prodeſſe nulli nocere, & tunc te virum juſtum appellabunt omnes, ſequentur, venerabuntur, & diligent. Ex moralitate trahe doctrinam Chriſti. *Niſi abundauerit juſtitia veſtra plus quam ſcribarum & Phariſeorum &c.*

Samſonis mel, victoriæ ſignum.

Iuſtitia quæ habet.

Pro obedientia. Fœlices in hoc erant illi de quibus Exodi 20. dicitur. *Omnia quæ locutus eſt Dominus faciemus, & erimus obedientes.* Vbi enim concordat eorum lingua cum corde, intentio cum effectu, non audient illam exprobrationem. Prou. 1. *Vocaui & renuiſtis, extendi manum & non erat qui aſpiceret, deſpexiſtis omnes conſilium meum & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoq; in interitu veſtro ridebo & ſubſannabo cùm vobis id quod timebatis aduenerit.* Obedire DEO eſt ſeruire illi, ſeruire autem DEO regnare eſt. *Greg. lib. 35. Moral. in Iob. cap. 12.* Sola virtus eſt obedientia quæ virtutes cæteras menti inſerit, inſertaſq; cuſtodit: obedientia victimis præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiā verò volūtas propria mactatur.

Patientia.

Pro patientia. Nota. Apocal. 3. *Quoniam ſeruaſti verbum patientiæ meæ, & ego ſeruabo te ab hora tentationis, quæ ventura eſt in orbem vniuerſum tentare habitantes in terra.* Vide quantū præmium ob ſeruatā patientiā. Sed nedū præmium conſiderare licet, at neceſſitatem noſtram, cùm ſine patientia præmium adipiſci impoſſibile ſit. Ita enim ad Hebr. 10. *Patientia vobis neceſſaria eſt, vt voluntatem DEI facientes reportetis promiſſionem.* Greg. 14. Mor. Tantò

Tanto ſpes in Deo ſolidior ſurgit, quantò pro illo quiſq; duriora pertulerit: quia nequaquam retributionis gaudium de æternitate colligitur, quod non hîc pia tribulatione ſeminatur. Exuberat ergò odor ſanctorum in tribulatione, ſicut aromata in contritione. Viuum exemplar eſt S.Iob. qui dicebat. *Si bona ſuſcepimus de manu Domini mala cur non ſuſtineamus.*

Pœnitentia

Pro pœnitentia. Nota. Apoc.2. *Memor eſto vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac.* Aduerte, prima opera, illa enim ſunt, quæ verè pœnitentem faciunt, contritio, confeſſio, ſatisfactio, ampliùs non peccare, non proximum offendere. Nec quia patiens eſt Dominus licentiores ſimus, at in hoc ipſo pœniteamus, & indulgentiam eius fuſis lachrymis poſtulemus, vt Iudith 8. dicitur. Maximè verò vbi Chriſtus apparuit, & legis nouæ ſacramenta conſtituit, pœnitentia ſacramentalis neceſſaria homini, ante etenim Dominus ipſe transferebat peccata. vt Nathan Propheta ad Dauid dicebat: *Dominus abſtulit peccatum tuum.* 2. Reg. 12. At modò in lege noua miniſtros ſibi elegit & conſtituit, qui vicem Dei agant, & abſoluãt à peccatis dicendo: *Ego te abſoluo.* Ordinatiè igitur nullus pœnitens ſaluabitur ſine ſacerdotis abſolutione, & pœnitentiâ ſacramentali. Neceſſitatem pœnitentiæ & hoc docebit exemplũ. An: 1346. Angli Morinorũ vrbem capiunt, diripiunt, incendunt, ait Meyerus, tandem templũ Deiparæ ſpoliare incipiunt: ſed cùm Anglus quidam jactu ſagittæ coronam imaginis Deiparæ, quæ ſublimi quodam ſtetit pegmate conatur deijcere, fractus arcus circumſtantes grauiter fragmentis vulnerauit. Tũ pepercerunt templo, ac dona ab Anglis Aræ Virginis collata.

Pro charitate. Nota. *Vniuerſa delicta operit charitas.* Prou: 10. Ergò charitas eſt quædam veſtis auro intexta, eſt non tranſparens ſed ſolida res, eſt ceu folia in arbore, gramen in terra, nix de cælo, cooperiens lutum. Marci 12. Diligere proximũ tanquam ſe maius eſt omnibus holocauſtomatibus & ſacrificijs. Gen: 29. *Videbantur illi dies pauci præ amoris magnitudine.* O ſi verus amor Dei erit, omnia hæc nil ſunt in amante, quicquid acciderit aduerſi, ſuperat amor, omneſq; amaritudines, ſaccaro dulciores facit. Beatam Catharinam Raconiſiam ex ſacro Ordine meo adducam in ſymbolum charitatis; hæc quinquennis Chriſto domi etiam in ſpecie pueri apparente deſponſata fuit. Tenuit vtriuſque manum B. M. Virgo, annulum è digito ſuo eductum tradidit filio, qui inſerto in nouæ ſponſæ digitum annularem, diceba t ad ſponſam. *Ego te mihi ſponſam aſſumo.* in fide, ſpe, & charitate. *Sponſa à Chriſto aſſ.*

Qualiter aqua in vinum in his conuertatur hydrijs.

Aqua in vinum conuerſa quomodo.

NOn aqua mixta cum vino, nec vaſa repleta erant vini fecibus, quia talia vaſa ad purificationem Iudæorum poſita erant, nec apta quoquo modo ad vinum, ſed aquâ repleta vaſa ad vini ſpeciem & ſaporem tranſierat. Iſa. 25. *Faciet Dominus in monte hoc conuiuium pinguium & conuiuium vindemiæ, conuiuium pinguium medullatorum, & vindemiæ defecatæ.* Aqua iſtæ in vinum conuerſæ ſunt ſine omni verbo, ſed ſolâ Domini voluntate, licèt alia tactu, verbo, aſpectu in cælum, & alijs modis miracula fecerit. Cuius ratio eſt prima, quia iſtud miraculum non ſubueniebat neceſſitati humanæ in vniuerſum, ideò minùs curæ adhibuit. Altera, vt notetur quod in miraculis neceſſitati humanæ ſubuenientibus, aliquid contrarium ſuæ operationis fuit, ſcilicet peccatum, quod cauſa eſt eorum omnium quæ patimur. Pſ. 102. *Qui propitiabitur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas.* Hieron: Quicquid patimur, peccata noſtra meruerunt. Greg: Nulla nocebit aduerſitas, ſi nulla dominetur iniquitas. In creaturis ergò eſt ratio obediẽtialis, vt fiat in eis quicquid Diuinæ placet voluntati, & ideò ſi verbo & facto ad nutum obediunt. Pſ. 134. *Omnia quæcunque voluit fecit Dominus in cælo & terra, in mari & in omnibus abyſſis.*

Quæ res quare non facit vinum de nihilo? Quia iſtud conueuienti-us fuit, & Diuinæ operationi & humanæ ædificationi. Diuinæ operationi, quia non eſt aſpernatus materiam quam creauit, mutauit de duabus qualitatibus contrarijs, quæ ſunt frigidum & humidum, in calidum & ſiccum. Etſi creâſſet ex nihilo, videretur aſpernari materiam quam creauit. Hinc Manichæus damnatur, qui dicit materiam à malo Deo creatam eſſe, quod ſi verum eſſet, Chriſtus illis in ſuis operationibus non vteretur. Humanæ verò ædificationi magis expediebat, quia ſi creatum ex nihilo ſubito vinum apparuiſſet, phantaſticum opus iudicaretur, quod etiam fit arte maleficorum. *Hæc ſuper Ioannem Beatus Albertus Magnus.*

DOMINICA II. POST EPIPH.

Cùm deſcendiſſet IESVS de monte, ecce leproſus. *Matth. 8.*

Hoc Euangelium tractatur à Beato Alberto Magno ſub Dominica tertia poſt Epiphaniam.

Quid

Quid per hoc, quòd IEsvs à monte deſcendit, intelligatur.

VT oſtendat per talem deſcenſum ſeſe libenter velle peccatoribus miſereri, ſi velint veniã poſtulare. Mons enim ſignificat eminentem auſteritatem juſtitiæ, vallis exprimit ſuauem ſinum miſericordiæ. Iſa. 45. *Si conuertimini ad me & ſalui eritis omnes fines terræ, quia ego Dominus & non eſt alius.* Hoc eſt, quamdiu vobis patet ſinus miſericordiæ, venite conuertimini, ego enim Dominus ſum, qui vos poſſum ſaluare, & nõ eſt aliꝰ qui poſſit ab ira mea vos protegere. Salutem vobis quaſi iurando promiſi, dum ſanguinem meum pro vobis effudi. Antequam ergò ad montem aſcendat, conuertamur; nam ſi ad juſtitiæ aſcendat montem, iuſtitias judicabit. Pſ. 11. *Cùm accepero tempus, ego juſtitias iudicabo.*

Mons ſignificat iuſtitiam. Vallis ſignificat miſericordiam.

Conuerſio noſtra quando ſalut.

ANNOTATIO.

ORig. hom. 5. ex var. locis collectis. Turbæ quæ in montem aſcendere nequaquam poterãt, quia quos delictorum ſarcina deprimit, ad myſteriorum ſublimia ſcandere non valent? Deſcendente autẽ Domino, hoc eſt inclinante ſe ad infirmitatem & impotentiam cæterorũ, miſertus eſt imperfectioni eorum & infirmitati. *Chryſoſt. ſuper Matth. hom. 21. in Op. Imperf.* Inter hos qui montẽ aſcendere nõn poterant, etiam hic leproſus erat peccatorum baiulans pondus. Lepra enim eſt peccatum animarum noſtrarum. Iſa. 14. dicitur: *Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi.* Hæc repetitio plurimam lectionem, magnam meditationem, diligentiſſimam curam, inſinuat. De quali ſecreto intendat Iſaias, exponant Scriptores; ego nuda verba ad intentum noſtrum aſſumo, dum ſcilicet in hac valle miſeriæ conſtituti ſumus, miſericordiarum Dominum & patrem Deum experiemur, ſi peccata remitti nobis expoſtulauerimꝰ Vbi verò mors aliquẽ ex nobis oppreſſerit, ampliùs ex debito, non locus miſericordiæ ſed juſtitiæ erit. Ergò ſecretum tuum tibi ſerua & obſerua. Dum tempus habemus pœniteamus, & bona operemur. Magnum profectò ſecretum noſtrum. Quacunq; horâ ingemuerit peccator pro peccatis ſuis, non ampliùs recordabor eorum. Tale ſecretum maſticabat ore & corde Euphemia Virgo, quæ nedum ſæculo renunciabat, ſed perpetuam virginitatem mentis & corporis coluit, quam & voto obligauit, ſed cùm Pater ipſius ob pulchritudinem & nobilitatẽ illam Comiti cuidam deſponſâſſet, ipſa capellam ingreſſa Deiparæ opẽ inuocans ſibi labia & naſum præcidit, quare ab irato patre cuidam ruſtico in ancillam tradita magnis laboribus & plagis ab eo affligebatur, quæ omnia læto animo ferens Deo gratias agebat quod digna eſſet ali-

Montẽ non aſcendit peccator.

Lepra eſt pec.

Secretum meum mihi.

ſet aliquid pro eo pati. Septennio in his expleto, nocte Dominicæ Natiuitatis familia ad menſam accumbente, ipſa ad ſtabulum laudatura Dominum ſe contulit, vbi Deipara multis Angelis & Sanctis ſtipata immenſoq; ſplendore circumfuſa, eam ad conſtantiam cohortata, naſum & labia reſtituit. Quod vbi reſciuit pater, in loco ſtabuli virginum clauſtrum Euphemiæ conſtruxit. *Bene B. Nilus*: Innocentiam in corde, caſtitatem in corpore exerce, vtraq; enim Dei templum edificant.

Quid per leproſum moraliter oſtendatur.

Lepra 4. mala importat. Reſp. peccator. Lepra corpus, peccatum animam inficit, lepra quatuor mala importat, vt ſit immundus, deformis, fœtidus & raucus, ita peccatum animæ. De 1. Tren. 1. *Sordes ejus in pedibus ejus*, id eſt, *Animæ immunditia.* à capite ad pedes inuoluta eſt ſordibus peccatorum. Item. *In circuitu ejus*, id eſt animæ peccatricis, *hoſtes ejus*, id eſt, dæmones, *facta eſt Ieruſalem* *Turpitudo animæ.* *quaſi polluta menſtruis inter eos.* De 2. Tren. 1. *Egreſſus eſt à filia Sion omnis decor ejus.* Filia Sion eſt filia gratiæ, decorem & pulchritudinem amiſit per *Lepra uiolenta.* peccatum. Lepra violenta deturpat vultum, aufert naſum, oculos, labia: ita peccatum. Thren. 3. *Vetuſtam fecit pellem meam & carnem meam, contriuit oſſa mea.* De 3. Iſa. 33. *Interfecti* *Fœtor animæ.* *eorum projicientur & de cadaueribus eorum aſcendet fœtor.* Hoc eſt quos diabolus gladio iniquitatis interfecit, proijcientur à ſinu gratiæ, & de animabus peccato obuolutis aſcendet fœtor quem non ſuſtinent Angeli & Deus. Iob. 2. Aſcendet fœtor ejus, & aſcendet putredo ejus, quia ſuperbè egit. Aſcendet, id eſt vltionem diuinam expoſtulabit. *Anſelmus.* O quam tollerabilius putridus canis fœtet hominibus, quam anima peccatrix Deo. De 4. Nedum raucam ſed mutam facit animam peccatum. Pſ. 37. *Ego tanquam ſurdus non audiebam & ſicut mutus, non aperiens os ſuum.* Surdos eos fecit terrenorum amor, & delectatio peccati, ideo nec cum vera contritione miſericordiam Domini deprecantur.

Secundò, per lepram intelligitur homo, cui ſeptem principalia vitia dominantur. Septem peccata ſpeciebus lepræ ſignificantur. 1. Alopecia generatur ex impuro ſanguine quâ ſuperbia ſignificatur. Alopecia generatur ex impuro ſanguine, quâ ſuperbia ſignificatur. Alopecia quaſi vulpina, ſuperbi enim caudas veſtrum, famulorum, faciunt, tenent. 2. Species lepræ elephantia. Naſcitur ex Melancholia. Significat Acediam & Auaritiam. Acedoſi quippe ceu melancholici pigri ſunt & ponderoſi in obſequio Chriſti. Auari verò qui ſemper terrena ſitiunt & concupiſcunt, melancholiam quæ multum habet de natura terreſtri, exprimunt.

Tertia ſpecies lepræ dicitur Leonina, naſcitur ex cholera. Significat iram & odium ſeu inuidiam. Iracundi quippe quia multum de cholera

ſera diabolica qui tanquam leo rugiens &c. Semper exardeſcunt in furorem & iram, quæ ira cum ſe non poteſt vlciſci, in odium & inuidiam commutatur. *Aug.* Quid eſt ira? ardor & libido vindictæ. Quid eſt odium, ira inueterata.

4. Species lepræ Tyriaſis. Naſcitur ex phlegmate, ſignificat Gulam & Luxuriam. In his namq; multum phlegma turpitudinis dominatur ex luxuria, ideo à Deo & ſanctis ceu leproſi deuitantur.

NOTATIONES.

Leproſus deſcendenti in miſericordiæ vallem & locum occurrit Domino adorans & petens. *Chryſ. ſup. Matth. hom. 21. in op. imperf.* Petebat non quaſi hominem artificem, ſed adorabat quaſi Devm. Oratio, perfecta fides, & confeſſio, ſicut enim medici pecunijs, ita Devs oratione placatur. *Et hom. 26* Cum autem voluntate ac ſermone purgare poſſet, manus appoſuit tactum, vt oſtenderet quoniam non ſubjacet legi, & quoniam mundo nihil eſt immundum. Heliſæus obſeruando legem non exiuit nec tetigit Naaman ſed lauandum ad Iordanem remiſit. Dominus verò, quia non ſeruus ſed Dominus curat, tangit, & manus à lepra non facta eſt immunda, ſed à ſancta manu corpus eſt conſtitutum mundum. Docebat lepram animæ formidandam eſſe, non corporis, hæc enim ad virtutem non impedit. Ex hoc leproſo obſeruandum venit, quod nulli ſordido peccatori & maximo Devs hic non denegat veniam & gratiam, multum enim differunt miſericordia hominis & Dei. Oſeæ 6. *Miſericordia veſtra tanquam nubes matutina, & quaſi ros manè pertranſiens.* Ros minimo flatu areſcit, ita noſtra miſericordia: miſericordia verò Domini infinita, non exhauritur, magis illi proprium miſereri quam igni ardere, quia ſuæ actiuitatis oblitus ignis in tribus pueris in fornace, Devs autem nunquam oblitus facere miſericordiam. Pſal. 129. *Apud te propitiatio eſt,* id eſt apud te, non apud me, in te non in me cauſa eſt tuæ miſericordiæ. Ego per peccatum amiſi te & merui infernum, ſed tu propter naturalem infinitam bonitatem tuam & clementiam ſaluas me. Pſal. 9. *Sperent in te qui nouerunt nomen tuum, quoniam non dereliquiſti quærentes te Domine.* Semper cor petit, intellectum pulſat, memoriam excitat, præuenit gratiâ ſuâ vt conuertamur. *Veſperè & manè & meridie narrabo & anunciabo & exaudiet vocem meam.* Pſ. 54. Omni tempore & loco opportuna eſt hora homini conuertendi ad Devm. In templo adultera miſericordiam impetrauit, in ſterquilinio Iob cum Domino loquebatur, in ciuitate Centurio ſerui valetudinem negotiatus eſt, in via Cananea mulier ſibi & filiæ miſericordiam adepta, in ſolitudine, leproſus corporalem & ſpiritualem valetudinem comparauit.

Pro immunditia animæ per pec-

catum

catum. Nota. Ex munditia animæ, immunditiam collige. Eſt anima per baptiſmum & gratiam, ſponſa altiſſimi, templum Dei viui, vas electionis, thalamus æterni Regis, thronus veri Salomonis, ſedes ſapientiæ, ſoror Angelorum, hæres cœlorum. Conſidera ſingula, & pulchritudinem collige ſpecioſiſſimã. Vide ergo cum eſt peccato immunda, ex ſponſa Dei facta eſt adultera diaboli, ex templo ſpelunca latronum, ex vaſe vas corruptionis, ex thalamo volutabrum porcorum; ex ſede Dei, facta cathedra peſtilentiæ, ex ſorore Angelorum, ſocia dæmonum. Conſidera igitur turpitudinem dæmonum, porcorum, latronum, & facile videbis quanta ſit immunditia animæ peccatis maculatæ. Rem mundam omnes libenter pertractant, turpem vero omnes abominantur, ita mundam animam libenter Devs & Angeli contemplantur. Oſeæ 1. de illa Dominus ait. *Ego quaſi nutritius portabam eos in brachijs meis*, ſed turpem animam & immundam omnes maledicunt, abijciunt. Moriatur, pereat, conteratur dicunt. Conſiderat S. Petrus Chryſol. ſerm. 104. cur diuiti, Luc. 12. dictum fuerit. Hac nocte repetent à te ſtulte animam tuam, cur non dixit, repetam, ſed repetent. Quia ſanctorum Devs repetit animas & reducit quas illis dederat, tartarei verò miniſtri repetunt & pertrahunt animas impiorum. Quas igitur deformitates, ſpurcicias, irriſoria, contumelias non adijcient dæmones tam deformes miſeræ animæ, quales cõtumelioſas & abominabiles veſtes non inijcient, ornatus ejus cornua pro corona, fœtor pro torque & monili, ſtultorum ludibria pro ornatu. Vt cognoſcat quod Iſaiæ 1. dicitur. *Væ genti peccatrici, ſemini nequam, populo ſceleratis.*

Pro turpitudine animæ. Nota. Ex pulchritudine animæ, ad deformitatem deſcendendo, facile colligitur maxima turpitudo animæ peccatis innodatæ. Animæ pulchritudo tanta eſt, vt nil reperiatur pulchrius in terris illâ. Eſt enim imago Dei, in ſe ſplendorem, pulchritudinem ipſius exprimens: Vndè Anaxagoras, cur Devm, mentem philoſophi vocarunt quod idem eſt, quam ſi animam rationalem dixiſſent; quia magna ſimilitudo eſt inter Devm & animam, vnde nec facile comprehendi & cognoſci poteſt. Sed quicquid ſit de Antiquis Philoſophis & Priſcilianiſtis quos S. Leo Epiſt. 94. Cap. 5. damnat cum Eccleſia, quia animam eſſentiæ diuinæ comparabãt & aſſimilabãt, animas tamẽ pulcherrimas, decorem omnẽ corporalium excedentem eſſe, nemo eſt qui ambigat, ſed per peccatum mortale tantæ deformitatis eſt, quantæ nulla rerum creaturarum deformium. Denigratur ſuper carbones, quæ fuit Solem exprimens pulcherrimum. Paucis dicam, vt Lucifer cadens ſub terram cum nomine Luciperi, aſſumpſit turpitudinem

nem

nem & horrorem cum pœnis, ita peccatoris anima, amiſſo DEO & gratiâ, ad conformitatem cacodæmonis peruenit. *Qui nutriebantur croceis, amplexati ſunt ſtercora.* Thren. 4. Refert Surius de B. Coleta Ord. S. Claræ reformatrice: Orabat (inquit) feruentiſſimè Sanctiſſimam Deiparam pro peccatoribus, vt pro illis apud filium interueniret, oblatus ei fuit diſcus plenus particulis carnis, tanquam infantis in fruſta conciſi; dictumq; eſt illi: Quo pacto ego deprecabor filium meum pro his, qui quotidie horrendis ſceleribus ſuis (quantum in eis eſt) etiam in minores eum diſcindũt particulas, quàm ſint hæ, quas cernis. In qua viſione, duo exprimuntur; grauitas peccati mortalis, quod ſic lacerat corpus Iesv Christi, & enormitas animæ peccatricis, quæ per peccatum mutatur, & diſſecatur flagellis (ex juſtitia diuina) dæmonum, vt non rationalis anima, ſed caro cuiuſdam bruti ſub dura diſciplina poſita eſſe videatur. Imo magis affligetur, quia malitia dæmonũ, inuidia contra animas, ad Dei juſtitiam accelerabunt. Vbi decor animæ, abijt cum Deo, omne indecorum & turpe occupauit eam. Turpis commutatio animæ, pro ſplendore horror, pro Angelo dæmon, pro gaudio luctus, & non inueniet qui manum ſupponat, niſi ad dolorem, irriſionem, malum addendum. Igitur audiamus D. Aug. monentem quid eſt quod velis tibi malum? Dices, nullum. Nec amicum, nec ſeruum, neç tunicam, nec caligam volo malam, ergò noli & vitam malam habere, & præpone animam tuam caligæ tuæ.

Turpis commutatio animæ.

Homo nil malum ſibi vult.

Pro fætida anima. Nota. *Iſidor. de Sum. lib.* 3. Capit malignus ſpiritus, quod intra nos mundare cupimus, ſine intermiſſione tentat iterum ſordidare. Fœtor generatur ex corruptione & putredine ſanguinis vel carnis. Vbi enim incipit fieri aliqua pars corporis non informari per animam propriam, & deſinit fieri vita in illa parte, neceſſario illa pars corrumpitur, inficitur & fœtet. Anima peccato mortali innodata, non amplius eſt viua ſed mortua, & manet in corpore tunc ceu in ſepulchro; quod non corruit caro, gratiæ Dei ſtabilientis illud eſt. *Aug. de Verb. Dom.* Animæ mortuæ, ſepulchrum eſt corpus. *Et ſerm: 14. de temp: dicit.* Animas mortuas multi in corpore viuo habent. Cùm igitur anima mortua eſt ob peccatum commiſſum mortale, non mirum ſi corrumpitur, putreſcit, fœtet, quod licet nos non videmus nec ſentimus, ſed ſpiritus Dei & cuſtodes animæ ſentiunt, ſentit & ipſemet Devs. Hierem: 17. clarè de vulneribus animæ per peccatum ponitur, conſequenter de putredine & intollerabili fœtore ipſius intelligitur. Dicit enim. *Peccatum Iuda ſcriptum eſt ſtylo ferreo, & vngue adamantino exaratum ſuper latitudinem cordis eorum.* Talis quæſo ſcriptura & exaratio in corde, an non ipſa vulnera ſunt? Profectò,

Fœtur vnde naſc.

Animæ fœtor vnde.

Exaratio in corde.

fectò, nedum cordis ſed etiam vulnera ſunt animæ; ſicut enim eſt cor primum viuens, & idcircò primum ægrotans, ita anima cùm ſit forma corporis, eſt prima ſentiens, prima vulnera recipiens, prima putreſcens & fœtens, à qua ſcilicet infectio corporis, & fœtoris dilatatio prouenit. Sed hoc quoq; fœtorem animæ non immodicè indicabit. Peccatum ſanguinis, auaritiæ, luxuriæ, gulæ, an non cum fœtore fiunt, incipiunt vel terminantur? Si ergo inchoatio peccati eſt fœtor & macula in corpore, quantus erit fœtor & macula ex perpetrato peccato in anima? Peccatum commiſſum quandoq; homini vertitur in abominationem, & ſocij peccati veniunt in contumeliam, ſi hoc tibi intellectus tuus demonſtrare poteſt & illuceſcere, recogita quanta abominatio eſt Dei & Angelorũ dum te peccantẽ vident, patiuntur, & fœtenti indulgent. Recollige te ô peccator, ne quando experiaris, quod Ier. 8. dicitur. *Propter multitudinẽ iniquitatis tuæ reuelata ſunt verecundiora tua, pollutæ ſunt plantæ tuæ.* Quaſi diceret. Erunt hæ notæ turpitudinis & fœtoris, ad æternam contumeliam & condemnationem tuam.

Peccata cum fœtore maculatione.

Pro raucedine animæ. Nota. Raucus fit aliquis ob impedimentum in gula vel vlceris vel flagmæ. Eſt quoq; quod impedit loquellam animæ, puta, dæmonis malitia, vt patet in Iob. 1. vbi dicit dæmon. *Nonne tu vallaſti eum? Da mihi in illum poteſtatem;* & peccati malo eum inuolam. Hoc enim nedum raucam ſed mutam, ſurdam & cæcam facit animam. Pſal. 31. *Beati quorum tecta ſunt peccata.* Vbi D. Aug. Cooperta ſunt peccata, & tecta ſunt, abolita ſunt. Texit peccata Deus, noluit aduertere: ſi noluit aduertere, noluit animaduertere; ſi noluit animaduertere, noluit punire, noluit agnoſcere, maluit ignoſcere. Diabolus verò cum tegit peccata, raucã facit hominis animã ne illa confiteatur, obcœcat diuerſis rationibus, ne dicat illa, vel ſoli Deo non ſacerdoti confiteatur. *Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5.* Impium eſt confeſſionem quæ hac ratione præcipitur impoſſibilem dicere, aut carnificinam conſcientiarum appellare; nam reliqua peccata quæ diligenter non occurrunt in vniuerſum, eâdem confeſſione incluſa eſſe intelliguntur. *Bern. Epiſt. 14.* Abſq; confeſſione, juſtus judicatur ingratus, & peccator mortuus reputatur. Confeſſio igitur eſt peccatoris vita, juſti gloria. Iſidorus lib. 3. cap. 5. admonet in cautelam. Nunquam ceſſat diabolus aduerſus hominem juſtum. Aut enim tribulationes cordis illi exagerat, aut dolores corporis ſuſcitat. *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ Angelus ſatanæ qui me collaphiſet*, inquit D. Paulus, 2. Cor. 2. Quod ſi tantùm inſurgit contra juſtum, quomodo non obuiat, ne quando peccator reſipiſcat, & recedat à peccato? Facit raucum, ſurdum, cœcum, indurat cor, ſecurum conſtituit, timorem repellit, judicia alleuiat, figmenta ſacerdotum, pœnas omnes proponit.

Raucedo animæ.

Quid

Quid hoc ſit, quod leproſus à Domino mundari precatur.

QVia leproſi in lege Moſaica quinque incommoda ſuſtinebant. 1. Habebant diſſutum veſtimentum. 2. Caput nudum. 3. Os veſte contectum. 4. Leproſus clamabat ſe ſordidum & contaminatum. 5. Solus extra caſtra habebat habitaculum. De his Leuit. 13. Hæc quinque de damnatis peccatoribus exprimuntur. Primò Peccatores, quia ſtollam innocentiæ in baptiſmo conceſſam lacerarunt & inquinauerunt, nec eam acu pœnitentiæ conſuerunt, nec lachrymis abluerunt, ideò ſemper lacerata, immunda in inferno deferent indumenta, nec veſtis nuptialis quâ veſtientur Filij Dei illis dabitur. 2. Quia coronam regni cœleſtis perdiderunt, habebunt caput nudum. Thren. 3. *Cecidit corona capitis noſtri væ nobis quia peccauimus*. 3. Os veſte contectum habebunt, quia non admittentur ad concentum Angelorum & electorum, vbi Alleluia, Sanctus, & Te Devm canitur. 4. Clamabunt ſe ſordidos, hoc enim crudelitas, ignis faciet eos proteſtari cum dolore. 5. Extra Iſraël caſtra habitabunt, quia ſpem non habebunt veniendi ad conſortium Angelorum. Ideo Iſa. 65. *Ecce ſerui mei comedent & vos eſurietis, &c.* Ergo peccator occurrat Domino quamdiu eſt in campo miſericordiæ. Occurret verò meditando mortem. Oret, cum non audet interpellare Devm. *Domine ſi vis potes me mundare.* Scio, quod ſi vis potes me mundare.

ANNOTATIO.

PLurima tribuuntur animæ bona & perfectiones, non igitur mirum ſi plurima quoq; animæ deuiæ à recto tribuentur mala. *Iſidor. 11. Etymol:* Conſiderat diuerſas dænominationes animæ, quibus inſinuat diuerſos quoq; effectus. Anima (inquit) dum viuificat corpus, anima eſt; dum vult, animus eſt. Dum ſcit, mens eſt, dum recolit memoria eſt. Dum rectum judicat ratio eſt. Dum ſpirat, ſpiritus eſt. Dum aliquid ſentit, ſenſus eſt. Bernardus verò in Medit: & Hugo de Clauſt: animæ. Anima inſignita Dei imagine, decorata ſimilitudine, deſponſata in fide, dotata in ſpiritu, redempta ſanguine, deputata cum Angelis, capax beatitudinis, hæres bonitatis, rationis particeps. Si ergo bonis titulis adumbrata anima, quantis malis titulis, mala non adnotabitur anima? Hinc à B. Alb. Magno. Anima peccatoris vocata eſt diſſuta, nuda, ſordida, ſola.

Pro ſtolla baptiſmi. Nota. Hanc differentiam ponit, Iſid. lib. 1. c. 24. inter Catholicorum & hæreticorum baptiſmum. Sola (inquit) Eccleſia Catholica habet baptiſmum ad ſalutem. Zacharias Propheta teſtatur cap. 13. *In die illa erit fons patens domui Dauid & habitatoribus in Jeruſalem in ablu-*

ablutionem peccatoris & menſtruatæ. Domus quippe Dauid & Hieruſalem Chriſti Eccleſia eſt, in qua manat fons in ablutionem peccatorum. Hæretici autem id ſola imaginaria oſtentatione faciunt, ideoq; illis baptiſmus non ad remiſſionem peccatorum, ſed ad ſupplicij teſtimonium datur. Et Caſſiod. ſuper Pſal. 5. Baptiſma illi nos reſtituit puritati in qua Adam noſcitur eſſe procreatus. Hinc rectè dicitur, quod ſtolla innocentiæ in baptiſmo recepta laceratur & inquinatur per peccatum mortale. Cui cùm non ſit aliud baptiſma paratum, ipſa pœnitentia eſt relicta. Vnde Act. 8. inquit Petrus. *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua.* Qua non facta, ita laceratus & inquinatus condemnabitur. Rabbanus quoque de inſtitutione clericorum dicit. Baptiſati vtuntur albis veſtibus, vtpote quorum natiuitatis faciem vetuſti erroris pannus fuſcauerat, habitus ſecuræ regenerationis gloriæ præferat indumentum. Hinc Actor. 2. *Baptiſetur vnuſquiſq; veſtrum in nomine IESV CHRISTI in remiſſionem peccatorum veſtrorum.* Concludo Ciceronis dicto. Præter culpam & peccatum, nihil homini quod ſit horribile & pertimeſcendum, accidere poteſt.

Capitis nuditas. Pro nuditate capitis. Nota. *Rabb: de inſtit: pœnitentiæ.* Tegitur poſt ſacram vnctionem in baptiſmo caput myſtico velamine, vt intelligant ſe diademate regni, & ſacerdotali dignitate potiri. *Chryſoſt. in Epiſt. ad Cor. hom.* 3. In baptiſmo Rex, Sacerdos & Propheta efficitur. Ille etenim qui baptiſma conſtituit, Rex, Sacerdos & Propheta fuit. Quilibet ergò baptiſma in Chriſto ſuſcipiens, tres coronas in baptiſmo ſumit, Regis, Sacerdotis & Prophetæ. Fit etenim Filius Dei adoptiuus, fit ſacerdos, neceſſitatis ſacramentum ad ſaluté adminiſtrando, & cætera ſacra doctrinæ, morum & exempli docendo: fit Propheta, ſibi prophetans regnũ cum Deo & Sanctis ex merito Chriſti & baptiſmo proprio. Cùm igitur peccator amittit hanc coronam ex rege fit ſeruus, ex ſacerdote fit maledicus, ex Prophetâ mendax. Sicq; nudato capite incedit, & decaluato dicitur. *Deſcende ad inferi inferiora calue.* Quantæ fælicitatis gratiâ donatus fuerat quidam vſurarius, nomine Iacobus, de quo Bzouius Tom. 13. Hic illicito queſtu plurimas opes collegerat, hoc vno bonus, quòd ergà Deiparam multùm afficeretur atque eius Roſarium repeteret. Stupendum, oranti aures & animum ſeuera quędam admonitionis vox perſtrinxit, vt planè inueteratæ vitæ conſuetudinem excuſſerit: Dixit enim illi Diua Virgo; Iacobe, redde rationem filio meo. Moriturus vidit D. Michaëlem mala eius ac bona opera libra expendentem, ſed mala, heu, plurimùm partem ſuam deprimebant; actumque erat, niſi Virgo partj alteri Roſarium appoſuiſſet. Audi calue, & ſonet vox judicis in aure & corde tuo.

diadema in baptiſmo datur.

Pro cla-

Pro clamore ſordiciei. Nota. Tã ſordidos actus atque ſceleſtos tacuerunt parietes & tempora, ſed tunc reuelabunt cœli iniquitatem hominis, palam facient omnibus, & ſupra hæc ipſe peccator in tormentis clamando & vociferando fatebitur peccata ſua, lamentando quidẽ & eiulando, ſed quia tempus gratiæ amiſſum eſt, nil fletu proficiat. Portabat piſtor caniſtrum plenum panum & perpolitorum, qui cum Ioſeph in carcerem à Pharaone detruſus fuerat, ac panes illi non ad refocillandum ipſi, at in rapinam ferocium auium erant. Quocirca diris adiudicatus fuit. Lachrymæ peccatoris in loco peregrinationis proficuæ peccatori, at in loco juſtitiæ & poſt mortem ſiccæ & inutiles ſunt, non lauabunt ſordiciem, ſed adducent contumeliam peccatori. Vox Beatorum in cælo erit illa Iſa. 6. *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabo in IESV ſalutari meo* Ita enim illi recipiebant hũiliter & lætanter gratiã Spiritûs S. in cordibus ſuis, vt per illam ſic grati & formoſi ſteterint in oculis Dei, quatenus animas eorum aſſumpſerit Deus in filiam, ſponſam, templum, domicilium. Quocirca & in præſẽti & in futuro gaudio ſummo perfuſi clamabunt cantantes, *Gaudens gaudebo in Domino.* Peccatores verò cùm infæliciter duxerint in præſenti ſæculo dies infęliciores in æuiterna ſęcula continuabunt fletus & clamores: Peccabam, peccabam; cruciabor, cruciabor. Infælix, maledictus ego.

Sed omnia fruſtra, Omnia ad malũ.

Pro ſeparatione extra Caſtra. Nota. Si ſeparari ab Iſrael leproſo durum erat, quàm durum erit peccatorem ſeparari à Deo & Beatis. Magnus dolor erit; pœna ſenſus; ſed ſummus dolor erit pœna damni. De pœna ſenſus dicit Hugo lib. 4. de anima. Infernus, lacus eſt ſine menſura, profundus ſine fundo, plenus ardore incomparabili, plenus fætore intollerabili, plenus dolore innumerabili, ibi miſeria, ibi tenebræ ibi ordo nullus, ibi horror æternus, ibi nulla ſpes boni, nulla deſperatio mali. De pœna damni dicit Chryſoſt. Intollerabilis res eſt gehenna, quis neſciat illud ſupplicium horribile? tamen ſi mille ponat aliquis gehennas, nihil eſt tale dicturus, quale eſt à beatæ illius glorię propelli, exoſum eſſe Chriſto, & audire ab illo, *Neſcio vos.* Etſi erit aliquod lumen ab igne vt luceat miſeris, id tamen in ipſorum amplius malum. Ita enim Iſid. lib. 1. de Summo bono. Ignis gehẽnæ lucebit miſeris ad augmentum vt videant vnde doleant, & non ad conſolationem, ne videãt vnde gaudeant. Sed quis enumerare poterit quæ & quales, quot & quantæ pœnæ miſerorum erunt? ſed nulla maior, nulla flebilior, quàm à Deo ſeparari in æternum, & eſſe exoſum Deo, Angelis & Sanctis. O quàm ſapienter & veraciter Pſal. 33. *Mors peccatorum peſſima.* Ergò Adylonis Philoſophi obſeruate doctrinam.

Separari extra caſtra.

Infernus

Pœna damni ſeu ſeſſionis Dei

Lumẽ inferi.

Quando mors minus timetur.

ctrinam. Qui minùs deliciarum nouit in vita, minus timet mortem.

Quot ad emundationem leproſi requirantur.

Tria ad emunt. pecc. requ.

TRia principaliter. 1. Vt manu Domini contingatur. Tunc verò tangit peccatorem, quando immittit ei veram contritionem, Pſal. 103. *Reſpicit terram & facit eam tremere qui tangit montes & fumigant.* Terra ſunt peccatores, quæ per dæmones territur. Montes ſunt peccatores, qui contra Deum temerè erigũtur: Reſpiciens terram hanc oculis miſericordiæ, facit tremere tremore pœnitentiæ, tangens autem montes manu gratiæ, facit eos fumidare per lachrymas compunctionis. 2. Vt oſtendat ſe Sacerdoti per puram confeſſionem, hoc enim eſt oſtendere ſe ſacerdoti. 3. Vt offerat pœnitentialem ſatisfactionem. Nullus enim ita pauper erat, vt non debeat offerre pro peccatis. Leuit: 14. Vel agnum, vel ſextarium olei, vel par turturum, vel duos pullos columbarum, vel decimam ſimilæ oleatæ. Per agnum ſignificatur, quod agninam debet reſumere pœnitens innocentiam, reſtituat quem offenderit, vt caueat in poſterum. Per ſextarium intelliguntur 6. opera miſericordiæ: Miſericordia oleo comparatur, quia oleum lenificatiuum eſt dolorum, ita Deus per eleemoſynam placatur. Par turturum, jeiunium duplex, à cibis & voluptatibus mundi; Turtur enim amiſſo cõpare ſuo, jeiunat ab omnibus gaudijs in quibus aues deliciantur. Duo columbarum pulli, oratio gemitibꝰ plena: gemendum, quia Deum grauiter exacerbauit, & quia ſeipſum bonis pluribus ſpoliauit. Decima ſimilis eſt adimpletio decem præceptorum. Confortat talis panis cor hominis, ita & præcepta Domini & ſuper thronos exaltant.

ANNOTATIONES.

PRo tactu manus. Nota. *Dextera Domini fecit virtutem.* Pſal. 117, Cur dextera non ſiniſtra? Cur fecit, non dedit? Cur virtutem non ſanitatem? Me hercule, non eſt ſermo de dextera hominis, ſed de dextera Dei. Dextera Domini quæ creando cœlum & terram, dextera omnia, id eſt optima creauit, fecit in dextera Dei hominis hanc poteſtatem, vt tactu virtus diuina tribueret ſanitatem. Vnde Mat. 9. *Quis me tetigit, ego enim cognoui virtutem de me exiſſe.* Neque mirandũ, qui enim virtutem regeneratiuam contulit aquis, ille virtutem mundificatiuam tactu contulit leproſis. Quod verò attinet ne leproſi tangãtur. Leuit. 14. Ratio, quia contagioſus eſt morbus, ne ergò per tactum multiplicentur leproſi, prohibitum fuit. Vbi verò per tactum mundaretur, non ſoluitur lex, ſed impletur. Fecit ergò non contra legem, ſed ſupra legem, vt Dominus, inquit Chryſoſt: Quare in textu Euãgelij ponitur: *Et confeſtim lepra diſceſſit.* id eſt, ſupra virtutem naturæ & modum.

dum. Natura enim non facit ſubitò, virtus autem Dei quia infinita, in momento temporis facit. Duo hîc maximè conſideranda: primũ, quia IESVS dixit illi: *Volo*. in quo amorem & promptitudinem, & gaudium quoddam internũ & compaſſionem ſuper orantem declarauit. Impletur Hier: 32. *Lætabor ſuper eis, cùm eis benefecero, & plantabo eos in terra iſta in veritate, & in toto corde meo & in tota anima mea.* Alterum quòd tetigerit ipſum manu ſuâ. Declarauit in his quòd quadam voluptate afficiatur conferendo hominibus beneficia. Tradit Athen. lib. 7. Quòd piſcis Cytharus habeat cor latum & album. Profectò ſi Christum Saluatorem noſtrum contemplabimur qualis ſit erga homines peccatores? Diceremꝰ, quod albi & lati cordis eſt, ſyncerus, optimus, benigniſſimus, neminem reſpuens, neminem repellens quantũcunque peccatorem dummodo reſipiſcat & pœniteat. Diffuſus eſt in hominum vtilitatem, albus & candidus in pœnitentem. *Omnium iniquitatum eius quas operatus eſt non recordabor, nunquid voluntatis meæ eſt mors impij dicit Dominus, & non vt conuertatur à vijs ſuis & viuat.* Ezech. 18. Chryſoſt: conſiderando tactum hunc, dicit. Docuit non lepram corporis ſed animæ formidandam, nam lepra corporis nullum eſt impedimentum ad virtutem. Et tali tactu non dum corpus ſed & animam à lepra peccati ſanabat.

Pro oſtenſione Sacerdoti. Nota. Quid eſt hoc? Præcipit: *Vide nemini dixeris*; & ſtatim adiunxit: *Vade oſtende te ſacerdoti.* Sed prohibitio dicendi facta, vt priùs ſe oſtendat ſacerdoti. Nam ſi ante propalaretur, quàm à ſacerdotibus dijudicaretur, illi qui contra Chriſtum jam conceperant odium, ſupprimerent miraculum; precipuè cùm lepræ ſimiles ſint infirmitates. Aut ſi diuulgaret inanis gloria poſſet irrepere, quia dignum erat tali curâ, & ſic fortè lepra rediret. Aut dedit formam, ne in virtutibus noſtris gloriemur.

Quod ad ſacerdotem primùm vt diſcernat lepram mittit, per hoc ſatisfacit legi, vt Leuit: 14. iubetur. At per hoc vſus clauis in nouo teſtamento, quia ad arbitrium ſacerdotis leproſus iudicabitur & ſeparabitur, coniungetur & reconciliabitur Eccleſiæ. In hoc enim differt cognitio peccatorum à Chriſto & à ſacerdote, quòd Chriſtus corda videt, & remittere peccata tali intuitu poteſt, ſicut remiſit Magdalenæ, ſed ſacerdos qui conſtitutus eſt iudex hominis rei, ſine oſtenſione peccati, iudicare non poteſt. Vnde Leuit: 5. *Agat pænitentiam pro peccato.* Et Eccl: 4. *Non confundaris confiteri peccata tua.* Hieron. ſuper hunc locum. Mittit ad ſacerdotes vt ſacerdotibus deferre videatur. Aduerte lector quantum ſacerdotibus nouæ legis quiſq; deferre debeat. Qui enim tangit cor tangit pupillam Chriſti, conſequenter qui eos honorat, honorat Chriſtum, ſemper etiam apud Gentiles ſacerdotes primi erãt inter Gentes.

Clauis noui teſt.

Sacerdotes honorandi.

Et hoc

Et hoc Greg. Pap: Mauritio Imper. obiecerat, qui cùm Chriſtianus eſſet, ſacerdotes Ieſu Chriſti maximo non habebat honori. Et in Conſilio Mathiſconen: ſtatutum eſt, vt obuiùs ſacerdoti laicus ſeſe ad gradum humiliorem venerationis humiliet. Si equitanti equitans occurrat ſacerdos. Caput laicus detegat, ſi occurrit equitans pediti, deſcendat de equo & ita ſalutet, nam venerabilem in religione Chriſtiana dignitatem promeritus eſt.

Cùr munera dare iubet,

Pro oblatione muneris. Nota. *Beda in hom.* Dominus videtur ſacrificium Moyſis approbare, ſed ſcito, quod nondum CHRISTVS corpus ſuum obtulerat per paſſionem in holocauſtum, non oportebat autem auferri ſignificantia ſacrificia prius, quàm illud quod ſignificabatur confirmatum eſſet teſtimonio Apoſtolorum, & fide credentium. *Hilar.* In teſtimonium Moyſes præcepit, Hic autem eſt ipſe effectus per gratiam, vnde teſtimonium non ita in leproſi mundationem, quàm in teſtimonium ſacerdotum, vt cognita miraculoſa ſanatione crederent in IESVM, requirebatur. *Chryſ.* Non ſic intellige quia Moyſes hoc præcepit in teſtimonium illis id eſt leproſis, ſed vade, tu offer in teſtimonium illis, id eſt ſacerdotibus, in teſtimonium, id eſt, in accuſationem & atteſtationem, quoniam quæ à me erant fienda omnia facta ſunt. Naſcitur in Arari piſcis Scolopis refert Calliſthenes Sybarita libro 13. rerum Gallicarum. Hic ſecundùm aucta lunæ albus eſt, ſecundùm damna omninò niger, & cùm in extremam creuit magnitudinem à proprijs ſpinis confoditur. Bona & augmenta fidei mittebat Chriſtus ſacerdotibus, albos curabat fieri, ſinceritate, veritate, fide; at ipſi magis dilexerunt tenebras, incredulitatem & rebellionem, quocirca nigri facti ſunt, & cùm permanent pertinaciter in errore, à ſuo malo & ſpinis perierunt. *Chryſ.* Licet eos præuiderit non emendari, non tamen dimiſit quæ facere oportebat. Illi autem in propria manſerunt malitia. Receperunt oblationem, mundatum non juxta legem ſed miraculosè didicerant, teſtimonium talis veritatis jam dicere parati fuerant, credere tamen noluerunt.

Teſtimonium ſacerdotum.

DOMINICA III. POST OCT. EPIPH.

QVARTA VERO POST EPIPHANIAS.

Domine ſalua nos perimus. *Matth: 8.*

QVIS SIT ILLE, A QVO SALVATIO POSTVLATVR?

Reſp.

RESP. IESVS, Iſa. 42. *Ego Dominus DEVS tuus, Saluator tuus.* Io. 3. *Non miſit DEVS Filium vt judicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum.* Hunc ſaluatorem petierunt Patriarchæ & Prophetæ Iſa. 45. *Rorate cœli de-ſuper & nubes pluant juſtum.* Cœli, id eſt S. Trinitas; nubes, miſericordia & veritas, Terra, B. V. Maria, pluant filium, id eſt deducant ex miſericordia & promiſſione.

ANNOTATIO.

IESVS, Hebraice; Saluator Latine dicit S. Petrus Chryſol. ſer. 60. Et ſerm. 59. dicit. IESVS dicitur ſalus à ſaluando, quia rebus dedit eſſe, & idem pereuntibus dat ſalutem. *Auguſt. in Medit.* Quid eſt IESVS, niſi Saluator? Ergo Domine IESV propter temetipſum & propter gloriam nominis tui ſancti eſto mihi Saluator, IESVS. Noli Domine attendere malum meum, ne obliuiſcaris bonum tuum, ſi ego admiſi vnde damnare potes, tu autem non amiſiſti nomen tuum vndè ſaluare peccatores ſoles. *Alexander de Al. 3. ſent.* dicit: IESVS tripliciter poteſt dici ſaluator. A potentia ſaluandi, ab habitu ſaluandi, ab actu ſaluandi. Si conſiderabitur à potentia ſaluandi, tunc hoc nomen IESVS conuenit ei ab æterno: ſi ab habitu ſaluandi, tunc conuenit ei ex tempore cum impoſitum fuit ab Angelo: ſi conſiderabitur ab actu ſaluandi, tunc conuenit ei in tēpore cū impoſitū ei fuit ab Ioſeph. Mat 2. *Vocabis nomen eius Ieſus, ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Vnde multò diuerſâ ratione Chriſtus Saluator dicitur ab alijs quibus nomen erat Ieſus ſeu ſaluator. Illi enim erant temporales & particulares ſaluatores populi; Ieſus autē noſter eſt Saluator vniuerſalis, temporalis & ſpiritualis. *Saluatores duplices.* Ioſue de quo Eccl. 46. Fortis in bello Ieſu Naue ſucceſſor Moyſi qui introduxit populum in terram promiſſionis. Et Ieſus Filius Ioſedech Sacerdos Magnus de quo Zach. 3. *Oſtendit mihi dominus Sacerdotem Magnum Ieſum ſtantem coram Angelo.* *Ieſus particularis & vniuerſalis.* Hic enim ędificauit templum domini vti Agg. 1. & Zach. 6. Et Ieſus filius Syrach Hieroſolymita. Hic docuit ſapientiam Dei & compoſuit Eccleſiaſticum. *Eccl. 50.* Sed vt vides particulares & temporales erant Saluatores, Hoc verò nomen Ieſus eſt proprium Chriſto, ipſe enim verus, totalis & æternus Saluator. Vnde Samaritani Ioan. 4. dixerunt. *Hunc cognouimus & ſcimus quia hic eſt verè Saluator mundi.* Chryſoſt. ſuper Ioannem: Saluabant mundum in malis Prophetæ & Angeli, ſed hic eſt verè Saluator qui ſalutem tribuit non ſolum temporaneam ſed æternam. Eccl. 46. Fuit magnus ſecundum nomen ſuum, maximus in ſalutem gentis. Rectè igitur diſcipuli vocabant in tali tempeſtate Dominum Ieſum vti ſine comparatione omni ſaluatorem mundi.

Quid per diſcipulos qui ſaluari petierunt intelligatur.

RESp. Boni Chriſtiani. Tales enim ſequuntur Magiſtrum ſuum vt diſcipuli, & præceptis obediunt. Sed vbi ſequi debemus? in Eccleſiam. *Aſcendens IESVS in nauiculam ſecuti ſunt eum diſcipuli eius.* Nauicula, eſt Eccleſia. 1. Sicut nauicula in principio & in fine ſtricta, in medio lata eſt, ita Eccleſia in principio paucos habuit fideles, ita & in fine habebit. *Refrigeſcet charitas in fine ſæculi.* Sed ſicut pars prima & poſterior nauiculæ eminentior eſt quam media, ita Apoſtoli & Martyres qui in ſanguine ſuo fundârunt Eccleſiam, per veram charitatē corda ad Deum habent ſuſpenſa: Ieſus ergò cæpit facere & docere vt formam viuendi daret, Chriſtianus illum ſequi debet greſſibus bonæ vitæ. Sed multi nomine ſunt in Eccleſia, pauci meritò bonæ vitæ. Multi dicunt IESV, Domine, & non faciunt quæ docet Ieſus. Quid prodeſſet homini quod ore ſit in naui, & manibus & pedibus in mari in tempeſtate? Viuunt non vt Chriſtiani qui fidem quàm loquuntur bonis operibus non exequuntur Si ergò nauiculam manibus & pedibus non intrabunt per opera bona & dilectionem Dei, demergentur in abyſſo damnationis. Mandata verò ſunt, diuertere à malo & facere bonum. Diuertendum à malo malitioſæ auaritiæ, lutoſæ luxuriæ, ambitioſæ ſuperbiæ, & facere debemus vt per pias eleemoſynas pauperibus aſſiſtamus, per pœnitentiam animarum maculas abluamus, & diuino cultui deuotis orationibus inſiſtam⁹

Nauicula eſt Eccl.

Dicunt & facere nolunt aliqui.

Nauiculam totus aſcende.

Diuertere à malo.

Facere bonum.

ANNOTATIONES.

GLoſſa. Nauicula eſt Eccleſia præſens, in qua Chriſtus cum ſuis mare ſęculi tranſit, aquas perſecutorum compeſcit, vnde miremur & gratias agamus: Rabanus ſic exponit. Mare eſt æſtus ſæculi, Nauicula eſt arbor crucis, cuius auxilio fideles tranſactis mundi fluctib⁹ perueniunt ad cœleſtem patriam. In hanc Chriſtus cum ſuis aſcendit, dicens. *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum & ſequatur me*, Matth. 15. S. Petrus Chryſolog. ſerm. 20. de Naui exponit. Vbi Chriſtus Eccleſiæ ſuæ nauim mare ſæculi transfretaturus aſcendit. Gentium flabra, Iudæorum turbines, perſecutorum procellæ, vulgi nubes, dæmonum nebulæ ſic ruerunt, vt totius mundi fieret vna tempeſtas. Regum ſpumabant vndæ, feruebant poteſtatum fluctus, ſonabat rabies traditorum, populorum gurgites rotabantur, perfidiæ notabantur ſcopuli, mugiebant littora Chriſtiana, & erat totius mundi vnum diſcrimen & naufragium. Tunc diſcipuli accedunt ad Dominum & ſuſcitauerunt eum. *Domine ſalua nos, perimus.*

De Diſcipulis. Nota. Aſcendente IESV in nauiculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli. *Orig.* ſecuti non imbecilles ſed firmi & ſtabiles in fide, ſecuti non tantum greſſus ſequentes, ſed magis ſanctitatem comitantes. *Chryſoſt. Hom. 29.* Athletas orbis terrarum quos excitaturus erat, hos ſolos aſſumit. Tempeſtas orta, poteſta-

teſtati paruit imperantis qui educit ventos de theſauris, & quanto magis fluctus nauiculæ irruebant, tanto magis diſcipulos conturbabat timor, vt plus deſiderarent ſe liberari per mirabilia ſaluatoris, dedit autem tempus formidini, cùm dormiebat. *Origenes.* Tanto metu erant diſcipuli conterriti & pœnè animo alienati, vt irruerent in eum, non leuiter, modeſtè ſuggererent, ſed turbulenter ſuſcitarent eum. *Hieron.* Typum in Iona legimus, qui cæteris periclitantibus ſecurus dormiebat. Pſal. 80. *Probaui te apud aquam contradictionis.* Iſrael in Egypto perſpexerat mirabilia Dei, ſed cùm illis defecit aqua, modica ſtabilitas cognita illorum, diffidebant enim de potentia & prouidentia Dei. Ita Apoſtoli alia facta in Chriſti alijs videbant, ſed in ſe nondum cognouerant, ideo probauit illos, *Chryſoſt.* vt per liberationem manifeſtiorem accipiant beneficij ſenſum. Sed dices illud Iacobi. *Nemo cùm tentatur dicat quia à* Deo *tentatur, DEVS enim intentator malorum eſt.* Reſpondeo; Devs non ita tentat vt hominem proſternat & deſtruat, ſed vt ad puritatem maximam, & excelſam ſanctitatem attollat. Ita Devs tentauit Tobiam vt 12. dicitur. *Quia acceptus eras DEO neceſſe fuit vt tentatio probaret te.*

De Chriſtianis. Nota. Rectè per diſcipulos Chriſtiani ſequaces diſcipulorum intelliguntur. *Chryſoſto. hom. 29.* Erat hæc turbatio typus futurarum tentationum, de quibus Paulus 1. Theſ. 4. *Nolo vos ignorare fratres quoniam grauati ſumus ſupra virtutem.* Ita Chriſtiani pluries & plurimum grauantur ſub poteſtate Turcæ, Scytharum, malorum Chriſtianorum, ſed ſicut ad clamorem excitatus eſt Iesvs & orantes *Domine ſalua nos*, exaudiuit, ita omnes Chriſtianos confugientes ad ſe Chriſtus liberabit. *D. Pet. Chryſol: ſerm.* 20. Modo nos dormientem in nobis Chriſtum, toto præcordiorum gemitu, fidei voce, Chriſtianis lachrymis, ploratu alto, Apoſtolicis clamoribus excitemus *Domine ſalua nos perimus* Pſal. 54. *Veſpere & mane & meridie narrabo & annunciabo & exaudiet vocem meam.* Per quæ tria tempora dum Daniel ſedulus Deo ſupplicaret, impetrauit non ſolùm præſcientiam futurorum, ſed & captiuæ diu gentis ſuæ meruit libertatem. Hanc Chriſtianis promiſit Devs gratiam. Pſ. 4. *Cùm inuocarem exaudiuit me DEVS juſtitiæ meæ*, id eſt qui juſto judicio immiſit in me pœnam & malum, *In tribulatione dilataſti mihi*, ſed tamen in his pœnis parabat mihi retributionem pro tribulatione cùm clamauerim ad eum: Conſtrinxerat cor meum, præcordia & ſpiritum, triſtitia, mæror, tribulatio; ſed boni retributio & lætitia, cor meum dilatauit, ſpiritum exhilarauit, tribulationem ſummo gaudio repleuit. Concludit ſermonem 20. D. Pet. Chryſolog: Dei flagella veniunt, ſed noſtræ prouocant culpæ. Si Devs juſtus, vtique miſericors nobis. Fratres reuerta-

Clamandum ad Chriſtum in malis.

Danielis oratio.

Dilatatio cordis.

Reuertamur ad Deũ & Deꝰ ad nos.

mur ad Dominum, vt reuertatur ad nos Devs, renunciemus malis, vt reſpondeant bona, ſeruiamus Deo bono Chriſto Domino gubernatori noſtro & auxiliatori: Bonis Chriſtianis & volentibus ſeruire Deo & mandata ſeruare eius nil graue eſt; ſed diſcolis & ignauis Chriſtianis, & quod leue injungitur vt dicere Pater noſter, vel nomen Iesvs aliquoties in die, & hoc graue eſt. Sed aduertite quod ignauo militi imo Palatino Rex Poloniæ Boleſlaus 3. ſicut Cromer. lib. 6. refert, miſerat in ignominiam, dum fugerat cum ſuis

Ignauus munera.

è bello, leporis pellem, colum & fuſum, quę ignominia ad voluntarium ſuſpendium adactus fuit. Ita erit cum ignauis Chriſtianis, ingrata gente, peruerſo perditoq; filio, ſeparabitur à gratia Dei, tradetur juſtitiæ diuinæ, arripietur ab executoribus juſtitiæ, & dolens nolens lamentabitur & plorabit, patietur nec quis ſibi compatietur, & quomodo proficiebat in malo, ita in tormentis ſuper abundabit pœnis. Et non ſine quare. Ipſe enim ſeſe condemnabit, & dicet. Iuſtè judicatus ſum, juſtiſſimè condemnatus fui.

In quibus caſibus homo indigeat vt ei ſubſidiũ ſaluationis afferatur.

Fluctus vitiorum.

In fluctibus vitiorum quibus nauim S. Eccleſiæ diabolus infeſtat & impugnat. Oſeæ 4. *Non eſt veritas & non eſt miſericordia, & non eſt ſcientia Dei in terra, maledictum & mendaciũ & homicidiũ & furtũ inundauerũt, & ſanguis ſanguinem tetigit.* Pauci qui veritatẽ verbis & factis exequantur, pauci qui ſicut tenerentur pauperum miſereantur, pauci qui Paſſionem Ieſu compaſſionis oculis intueantur pſ. 53. *Non propoſuerunt Deum ante conſpectum ſuum.* Scientia vero eſt vt 1. Cor. 2. dicitur. *Non iudicaui me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtum & hunc Crucifixum.* Cùm vero hæc non ſunt in terra, quid eſt terra! Maledictũ, homines enim iumentis ſimiles & omnibns maledicunt & Deo: Ierem. 15. *Omnes mihi maledicunt.* Mendacium veritatę derelictâ mendacium eſt. Jerem. 9. *Docuerunt linguam ſuam loqui mendacium. Glos.* Vſus reddit Magiſtrum, Conſuetudo altera natura eſt. Homicidium quod fit ab omnibus vel manu vel ore vel corde. 1. Ioan. 3. *Omnis qui odit fratrem ſuum homicida eſt.* Furtum enim inualuit in terra. *Auguſt.* Furti nomine intelligitur omnis contrectatio rei alienæ. Furtum inundat, quia ſimonia, rapinæ, vſuræ, doli excreuerunt. Adulterium id eſt omnis luxuria. Ierem. 23. *Adulterijs impleta eſt terra, & ſanguis ſanguinẽ tetigit.* h. e. iniquitatẽ ſuper iniquitatẽ apponũt, & ſicut onus graue grauatę ſunt ſuper illos. Per ſanguinem iniquitas intelligitur, quia ſicut veſtis per ſanguinem inquinatur, ita anima per iniquitates maculatur. Ne ergo ab his fluctibus in profundum inferni detrahamur, dominum deuotis & aſſiduis precibus exci-

excitemus, vt imperet ventis & mari, id eſt dęmonibus & tentationibus, ita enim in anima tranquilitas erit magna.

NOTATIONES.

EA quę enumerantur ex Oſeæ Propheta, pridem dicta ſunt, ſed vſq; modo reperiuntur fortius & numeroſius, quàm virtutes inter homines. Vtinam fęlices ſimus & audiamus quod Iſa. 26. dicitur. *Vetus error abijt.* quod alij tranſtulerunt, *Error noſter ablatus eſt.* Sed magni errores, niſi ex magnis ingenijs prodierunt. Inquit Petrar. de Remed: fortunæ libr. 1. Dial 7. Dolendum, quod vbi debuit eſſe lumen ibi tenebræ; vbi exemplum, ibi ſcandalum; ortum originemque nidificarunt.

Vetus error abiit. *Error ab alto ingenio.*

Pro Veritate. Nota. Dicebat Menander. Aliquando non quæſita prodit veritas. Maximè arguit hoc dicto veritatem in homine, licet videatur laudare virum veritatis. Si enim ex improuiſo & indeliberate quis veritatem dicit, non meretur laudem. Dicebat enim, quod non intelligebat, vel de quo pęnitebat. Si ex virtute & deliberate diceret, laudaretur. Cùm verò, dixit, aliquando, iam arguit omnia ex propoſito tempora, ſi ſolum veritas aliquando dicitur. Sed fortiſſimam vt arbitror veritatem voluit delineare, quę ex abditiſſimis tenebris erumpit & eluceſcit, ſicut enim Sol reſplendet licet nubibus obducitur craſſis, & oleum enatat in turbida quoq; aqua, ita veritas prodit etiam foſſis inuoluta. Vnde veritatem fortiorē vino, muliere, & quacunq; re forti concludebat ſapienter diſputantibus adoleſcentibus rex, eo quod veritas nedum ſtipata honore, ſobrietate, iuſtitiâ foret, ſed ipſum quoq; regem principaliter deceret, quâ fortis, amabilis, laudabilisq; æuiterné eſſet.

Veritas fortiſſima. *Cur veritas fortiſſima.*

Equidem in homine veritas fieri nequit talis qualis eſt in Deo. Nam in Deo veritas eſt ipſe Deus: Vnde Sanctus Fulgentius li. 3. Cap. 6. dicit: Verè apud Deum verùm, eſt Deus veritas; quia in Deo vero, eſt Deus veritas. Attamen, in homine veritas locum habere quoq; modo conuenienti ſibi debet. Vnde idem Euripides. Quæ vera ſunt, loqui virum ingenuum decet. Sed in chriſtiano viro, requiritur nedum dicere, ſed velle, cogitare & fecere verum. Sicut Iſa. 26. dicitur. *Aperite portas & ingrediatur gens iuſta, Cuſtodiens veritatem.*

Veritas in Deo Deus. *Veritas in homine.*

Pro miſericordia. Nota. Si miſericordia non eſt in mundo, quid ſequitur? Hoc, ergo nec religio, nec pietas, nec virtus eſt: ſed tyrannis crudelitas ipſaque carnificina eſt. Et enim, cum religionis ſit miſericordia honos, pietatis decus, virtutis corona, & ceu quoddam fundamentum boni & honeſti; reſtat, vbi defuerit, extremi ſucceſſiſſe malum. Et quia medetur omni tempus ægritudini; vt dicebat Dephilus,

Miſericordia ſi non eſt, quid eſt: *Miſericordia dignitas.*

philus, remedium temporis adferro. *In die miſericord.* Dicitur Pſ. 41. *In die mandauit dominus miſericordiam ſuam, & nocte canticum eius.* Dies ergò inueſtiganda & nox, illa ad miſericordiam ſtabiliendam, hæc ad canticum recolendum. Dum ſumus in præſenti vita, nos abundamus diuinâ miſericordiâ ſed conſummato hoc tempore per mortem non eſt ampliùs forum miſericordiæ, ſed ſuccedet ſola iuſtitia. *Miſericordia in paup.* Igitur & nos dum viuimus ſub miſericordia Dei, aliorum miſerias ſubleuemus & viſcera miſericordiæ habeamus. *In die miſericord.* *In die hoc noſtro mandauit nobis miſericordiam operandam, & nocte canticum eius.* Id eſt proximis morti: Venite ad iudicium perſonabitur, mortuis verò, ſurgite ad iudicium cantabitur. *Aug. ſupra Ioan.* *Cur prius miſericordiam Deus in iudicium conſtit.* Primò Chriſtus venit ſaluare, tum iudicare. Nam ſi primò veniſſet iudicaturus, neminem inueniſſet cui præmia juſtitiæ redderet. Quia verò vidit omnes peccatores & neminem vidit eſſe immunem à morte peccati, priùs erat miſericordia prærogandа, & poſtea exercendum judicium. Vel etiam ideò mandauit miſericordiam, quia ſi aliorum miſeria non commouebitur, miſericordiam à Deo ipſe quoq; non conſequetur: vndè S. Leo ſerm: de Apparitione. *Miſericordia virtus.* Miſericordia virtus tanta eſt, vt ſine illa cæteræ virtutes ſi ſint, prodeſſe non poſſint, qui enim miſericors non eſt, miſericordiam non meretur.

Pro ſcientia Dei. Nòta. Si magnum malum eſt ſcire bonum & non facere, addidit enim D. Iacobus, peccatum illi eſt, dicebat enim ſaluator Lucæ 12. *Seruus ſciens voluntatem Domini ſui & non faciens, dignè plagis vapulabit multis*: Quid igitur dicam, quantum ſit malum dum ſcientia Dei exulat de mundo. Audi argumentantem Iſidorum in libro 2. de ſummo cap. 1. Omnis qui ſecundùm Devm ſapiens eſt, beatus eſt: Beata vita cognitio diuinitatis eſt; cognitio diuinitatis virtus boni operis eſt; Virtus boni operis, fructus æternitatis eſt. Sed fortè ideò exulauit à mundo ſcientia Dei, quia in Eccleſia ſacerdotes rejecerunt ipſam, paruuli petierunt panem & non erat qui frangeret. Nazarei tenebantur in caniſtro offerre panem. *Origenes.* Tres panes offerrebant quia ſacram ſcripturam cum tribus expoſitionibus ſcire debent. *Hieron. ſuper Aggeum.* Conſidera ſacerdotum eſſe officium de lege interrogatos reſpondere. Si ſacerdos eſt, ſciat legem Domini. Si ignorat legem Domini, ipſe ſe arguit non eſſe ſacerdotem. Sed plus de prouentu nunc quærunt, quam de lege, curam habent optimam intratarum, non animarum; Parcite quæſo, quia ſcio quod dico. Inueſtigate quota quota, ſed anima baptiſata, non ſumma collecta.

Pro maledicentia. Nota. Iob. 3. *Maledicant ei qui maledicit diei.* Non eſt ratio cur aliquis maledicat diei, & multo minus rationi conſonum eſt vt quis maledicat Deo. A die lux, à Deo

Deo omne bonum procedit. Quid igitur argues, lucem an bonum? Tenebræ & malum, maledicentiæ materiam miniſtrant, lux & bonum, gratiarum actionem extorquent. Sume exempla maledicentium Deo. Nabuchodonoſor in beſtiam cõuerſus eſt, & mortuus etiam de ſepulchro eiectus. Iſaiæ 14. Antiochus qui diro dolore viſcerũ ſibi propter fœtorem intolerabilis conſumptus, expirauit. 2. Mach. 9. Et Herodes qui conſumptus vermibus, Act. 12. Quocircà admonebat B. Nilus Martyr in Sentent: Tropologicis. Scelera odio proſequere, ſed propter eã, Deum incuſare noli. Quaſi diei maledi ceret, qui Deo maledicit. Tr. 3. Ego ſum pſalmus eorum, ſed veniẽt dies quando quoque ero iudex eorum. Pſallunt in me, quando bibũt vinum. Pſal. 69. Sed ceſſabunt, cùm veniet fletus & ſtridor dentium.

Pro mendacio. Nota. Pulchrè Menander. Mendacij ortus, hominum vitæ lues. Quod ſi ipſe ortus lues eſt, quid de progreſſu mendacij, dominio, & regno in corde mendaci coniiciendum erit: *Auguſt. in illa verba:* Mendax eſt & pater eius. quomodo Deus Pater genuit filium, veritatem: ſic diabolus lapſus è cælo, genuit quaſi filium, mendacium. Quocirca vide quanta ſit lues hominum, mendacium. Admonebat ergò Iſidor: de conflictu virtutum & vitiorum. Nec artificioſo ingenio, nec ſimplici verbo oportet decipere quenquam, quia quolibet modo mentiatur quis, offendit. *Rectè Menãder:* Mendacium odit, qui vir eſt frugi & ſapit. Præcipuè autem perniciosũ mendacium lues eſt maxima, nocet enim mentienti, nocet damnum inferenti, nocet damnum patienti. De quo Sap. 1. *Os quod mentitur occidit animam.* Ideò *perdet omnes, qui loquuntur mendacium.*

Mendaciũ perniciosum

Pro homicidio. Nota. Exod. 21. *Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum & per inſidias, ab altari meo euelles eum vt moriatur. Væ illis qui in via Cain abierint.* Iudas Apoſt: Duplex autem homicidium, primum ex odij ſeminatione. *De hoc Auguſt:* Homicida dicitur diabolus, non gladio armatus, non ferro accinctus ad hominem venit, verbum ſeminauit & occidit. Noli ergo te putare non eſſe homicidam quando fratri tuo malum perſuades. Alterum & odio boni. *Bern:* qui bonum odit in homine, nunquid homicida poterit appellari, adhuc viuit homo, & ille iam reus eſt mortis. Sed aduertendum eſt, quomodo diabolus homicida eſt ab initio. Initium enim eſt primum temporis punctum indiuiſibile, vnde ſi ab initio eſt homicida, tunc nunquam erat bonus. Et Pſal. 103. dicitur: *Draco iſte quẽ formaſti ad illudendum ei.* Ergò draco ab initio non Angelus;ſed differunt Prępoſitio ab & in. Ab enim remotionem ſignificat, vt cùm dico ab Ieruſalem deſcendit in Iericho. In verò dicit intùs remanentiam; vnde hìc dicitur ab initio non in initio, nam poſt

Homicidiũ.

Diabolus homicida.

Odium boni.

Quomodo homicida ab initio diabolus.

Draco diabolus.

poſt initium modicùm homicida fuit. Initium ergò hîc mora modica, quâ Angelus bonitate innocentiæ bonus fuit, non verò nunc temporis primùm intelligitur, Ita poſt malâ voluntate ſuâ factus draco. Ita Leuiathan eſt principium viarum Dei, non vt Leuiathan, ſed inquantum erat ſublimior angelus, ſed malitia propria Leuiathan factus eſt, ſic Manichæorum argumenta diluuntur.

Leuiathan.

Pro furto. Nota. Ponit Petrarcha in Remed: fortun: iucundam & ſuauem cautellam libr. 2. Dial: 60. ad finem. Furtis infeſtor. Reſpondet. Contra furta bona eſt vigilantia atq; cuſtodia, ſed optima eſt paupertas, quamdiu aliquid erit quod furibus dulce ſit, eorum certè vel manus vel oculos non euades: vis fures non metuere, pauper eſto. Dulce remedium, ſed non vniuerſale, neque valet ut fures extirpentur. Aurelius Alexander (ait de illo Ælius Lampridius) quod paratum digitum habuiſſet, vt tali oculum erueret, neque viſu fure etiam caſu commotionem ſtomachi retinere potuit. Non tamen fures extirpauit. Minores enim fures coërcebat, maiores autem ſinebat. Qui alienum rapiebant, neceſſitate quãdoque adacti perimebantur; qui verò Rempubl: & theſauros patriæ & Regni ſpoliabant, vt Senatores fouebantur & amici. Agunt fraude & vi, non tamen furum & prædonum nomine cenſentur. Optimè Ariſt: Topic: 4. Non ſolùm qui clam tollit, ſed etiam qui palam tollere vult, latro eſt. Furtum tantum malum eſt, vt non facilè innodatus eo, vitium deponat. Nobilis quidam furti reus, fauore amicorum Regum ad militiã transmiſſus, qui cùm mox in furto deprehenſus fuit, quæſiuit Alexander Imperator à Regibus quid apud eos paterentur fures, crucem reſpõdent, & illicò crucifixus fuit. *Hæc Petrarcha.* Poteſt addi eiuſmodi hominibus: Ignominia & lachrymæ peſſundarunt.

Pro adulterio & ſanguine. Nota. Num: 5. Si concubuiſti in adulterio his maledictionibus ſubiacebis. Det te Dominus in maledictionem exẽplumq; cunctorum in populo ſuo, putreſcere faciat femur tuum, & tumens vterus tuus dirumpatur. Minor profectò hæc pœna. Maior exprimitut in nouo teſtamẽto. 1. Cor. 6. *Nolite errare. Neq; ſacrilegi, neq; Idolis ſeruientes, neq; adulteri regnum Dei poſſidebunt,* Vide quantis criminibus coniungitur adulterium, ex quo iam conſiderare licebit, quod qui ſanguinem ſuum copula carnis tetigerit, maiori ſubiacebit maledictioni & pœnæ. Ierem: 23. *Contritum eſt cor meum in medio mei, contremuerunt omnia oſſa mea, à facie verborum ſanctorum eius.* Quia adulteris repleta eſt terra, quia à facie maledictionis luxit terra, arefacta ſunt arua, factus eſt curſus eorum malus.

Domine ſalua nos perimus

Qui ſunt

Qui ſunt illi quibus Saluator neceſſarius æſtimatur.

RESp. Sex generibus hominum. Primi ſunt quibus imminet fluctuum ſeuitia, ſicut diximus. Secũdi quos premit famis anguſtia. Gen: 47. Ægyptij ad Ioſeph dicunt: *Salus noſtra in manu tua eſt, reſpiciat nos tantum Dominus noſter & læti ſeruiemus.* Reg. 1. Et dedis eis alimenta Ioſeph. Per famem intelligitur defectus veri & æterni boni, per Ioſeph qui accreſcens interpretatur, intelligitur filius Dei, qui proficiebat gratiâ & ætate & ſapientiâ apud Deum & homines, accedere per deſiderium ad pium affectum debemus rogando. Salus noſtra in manu tua, teſpice pie Ieſu, vt des in præſenti panem gratiæ, in futuro gloriæ.

Sili- Sed heu plus deſiderant ſiliquas
quæ. porcorum cum prodigo. Lucæ 15. hoc eſt deſideria carnalia, in quibus porci id eſt dæmones delectantur, & magis carnis voluptatem explere, quàm voluntatem DEI facere. Sed famelicus filius tandem ad ſe reuerſus venit ad patrem pœnitentiã agens, vtinam & iſti reuertantur, & ſubſtantiam ſuam per pœnitentiam & continentiam recuperent.

Infir- Tertij indigẽt ſaluatore, quos ve-
mitas. xat infirmitas. Luc. 5. *Non egẽt qui ſani ſunt medico, ſed qui malè habent.* Languor in anima eſt, cùm ſalus vera per peccatum amitritur. Oportet ergò, vt per contritionem eam ſummo offerant medico ante mortem æternam vt ponat manum, reſtituat vitæ. Lucæ 4. *Omnes qui habebant infirmos ducebant eos, & ille ſingulis manus imponens curabat illos.* Et mulier quæ fluxum patiebatur, credidit, dixit, tetigit, quia his tribus, fide, verbo, opere, omnis ſalus acquiritur. Quarti, qui ab hoſtibus oppri- Hoſti-
muntur. Iud. 3. *Fecerunt malum filij Iſ-* litas.
rael, obliti ſunt Dei, ſeruientes Baalim & Aſtaroth, & Dominus tradidit eos Regi Meſopotamiæ, & ſeruierunt octo annis, clamauerunt ad Dominum, & ſuſcitauit eis Saluatorem. Ita Chriſtiani tradunt ſe in manus diaboli, ob auaritiam, ſuperbiam, gulam & luxuriam, clament ergò vt liberet eos, Othoniel qui in- Othe-
terpretatur ſignum Dei, & ſignificat niel.
filium Dei, qui ſignum crucis portauit, & quando per recordationem paſſionis ſuæ facit eos dignos agere pœnitentiæ fructus, tunc ſaluat illos. Quintò, qui periculoſum deuium
intrauerunt. Pſal. 106. *Erauerunt in ſo-* Deui-
licitudine in inaquoſo viam Ciuitatis habita- um.
culi non inuenerunt. Qui à via virtutum recedit, errat in infernale deuium. Rogate vt de via vitiorum, in viam virtutum vos reducat. Luc. 19. *Venit filius hominis quærere & ſaluum facere quod perierat.* Ipſe Zachæum reduxit de via iniquitatis & impietatis, ad viam miſericordiæ. *Ecce dimidium &c.* & iuſtitiæ. *Et ſi quem defraudaui &c.* Sextò, qui iam ardore ignis perire cœperunt. Num. 16. Miſit Dominus ignem in populum, qui grauiter conſum-

conſumpſit eos, & obtulit thymiama Aaron pro populo & plagâ ceſſauit. Ita Christus corporis thymiama obtulit & iram placauit. Lucæ 9. *Domine vis dicemus vt ignis deſcendat de cælo.* IESVS dixit: *Non venit filius hominis perdere animas ſed ſaluare.* Ex igne eripere.

ANNOTATIONES.

CVm facta ſit ſtatim tranquillitas magna ad præceptum Domini ventis & mari, quod fecit contra naturam tempeſtatis, quæ paulatim ſedatur, mirati ſunt omnes & dicebant: *Qualis eſt hic quia venti & mare obediunt ei?* Nos inde Colligamus, quod in omni neceſſitate, aduerſitate poteſt & vult nos ſaluare rogantes eum.

Fames Pro fame. Nota. Fames eſt vltimum ſupplicium, inquit Liu. 3. de cad. lib. 2. Quocircà citò recurrendum ad remedium. Quale eſt Deus qui dat eſcam pullis coruorum inuocantibus eum. Pſal. 146. Sanctus Dominicus cùm peregrinaretur, ſocius eius præ fame cadebat in terrã, tum orauit Dominum, & mox panem Angelus demonſtrauit inuolutum mappâ, poſitum ſub arbore; iuſſit igitur Sanctus deportare fratri panem & comedere quantum voluiſſet, qui vt comedit, reportare ad locum iuſſit, & ibi reponere. Cùm verò refocillatus ſequebatur patrẽ, cœpit quærere ab eo, quiſnam panẽ illum poſuerat ibi vel vnde eſſet? Cui Sanctus: Vel adhuc eſuris frater? Reſpondit: Non. Tunc ille: Noli ergò quærere, ſed Deo gratias age. Paruo fames conſtat, magno faſtidium (inquit Seneca) & Sanctus Helias cognouit hanc inopiam, ſed Deus per Angelum pane ſubcinericio refocillauit eum. Multa ſũt miſerrima genera mortis, ſed nullum miſerius genus, quàm fames, & frigus (inquit Liuius) Famelicus ſeipſum corrodit & conſumit, frigus etiam in inteſtina ſordida equorum vel boum compellit inſilire hominẽ, ſicut Scythas feciſſe narrat Cromerus, dum Poloniam vaſtarent, nec in campis frigora ſupportare poſſẽt. Nicephorus & ante ipſum Ieremias in Threnis. 4. cap. *Manus mulierum miſericordium coxerunt filios ſuos, facti ſunt cibus earum.* En, quo conſtat fames. Quot ſi tanta mala fames corpori infert, dic quæſo quæ mala inferret animæ fames, defectus virtutis, fidei, charitatis & æterni boni? At non ita quis conſiderat famem animæ, quomodo penſat corporis. Fames famem vincit: dicebat Seneca epiſt. 111. Ego tamen animæ multo perniciohorem homini eſſe dico, quàm famem corporis. Anima enim vbi fame moritur, moritur æternaliter & corpus cum illa: at vbi anima epulatur & corpus fame perit, iterum corpus viuet per animam, & reunione ad eam, æuiternè aliter viuet. *Chryſoſt. lib. de recuperat. lapſi:* Si animam negligimus, nec corpus ſaluare poterimus. Non enim anima pro corpore, ſed corpus pro anima factum eſt. Qui ergò quod primum eſt negligit, & quod inferiùs eſt extollit, vtrum-

vtrumque corrumpit. Qui verò ordinem ſeruat & quod primũ eſt colit, etiam ſi negligat quod ſecundum eſt, per primi ſalutem ſaluabitur & ſecundum.

Pro infirmitate. Nota. Sicut venti & mare licet inſenſibilia ſunt, obediebant Chriſtò imperanti, ita & omnis infirmitas noſtra obediens erit maieſtati illius. Nam quæ nobis inſenſibilia ſunt, ipſi ceu ſenſibilia obediunt. Quocirca non infirmanti, ſed qua tridiano mortuo Lazaro, vbi dixit: *Lazare veni foras.* ille prodijt è ſepulchro. Quocirca Eccleſia orat: *Deus infirmitatis humanæ ſingulare præſidium.* Sed ſi quam infirmitatem celerius curat Dominus, non video quàm animæ. *Surgens ſecutus eſt Archiſynagogam.* Seneca epiſt: 72. In omni morbo tria grauia ſunt, metus mortis, dolor còrporis, intermiſſio voluptatis: quæ tria ſanè conſiderãdo non adeò grauia ſunt. Mors enim naturæ humanæ eſt, dolor ſatis remedij habet, dum quis ingemiſcit tacens, voluptatis intermiſſio, vana res eſt imò vanitas. Sed in modo animæ hæc tria grauiſſima ſunt. Mors enim æterna & inter damnatos timenda. Dolor nullum habens finẽ, in omni luctu, terrore, frigore, ardore, & conſpectu dæmonum turpiſſimorum, horribiliſſimorum. Amiſſio verò eſt voluptatis æternæ, quia amiſſio Dei, beatitudinis, ſocietatis Angelorum & ſanctorum. Infirmitas animæ nullum bonum ſortitur finem; infirmitas verò corporis eſt quandoque in bonum animæ. *Hugo lib. 2. de anima.* Quoſdam præſcies Deus multà peccare poſſe, flagellat eos in infirmitate corporis, ne peccent, vt illis vtilius ſit frangi lãguoribus ad ſalutem, quam remanere incolumes ad damnationem. Orandus igitur Dominus, vt nos liberet ab infirmitate, ſed præcipuè ab infirmitate animæ ne pereamus.

Infirmitas animæ curanda.

Tancredus Friderici Imperatoris Palatinus, cùm genus vitæ quod ducebat ſecum expenderet, & Deiparam Virginem vt ſe in viam ſalutis dirigeret precaretur, apparuit ei diua dicens: Ad meam familiam citò accede. Qui cùm ſeriem ſomnij non intelligeret, iterum Reginam cœli precabatur, tum obdormienti duo viri in habitu Dominicano illi apparuêre, quorum ſenior, deſideras à Deipara in viam ſalutis dirigi, ad noſtros declina. Expergefactus vadit ad Cænobium Bononiæ & obuium habet Priorem, quem in ſomnis viderat & obſtupuit: Itaq; ſpretâ nobilitate generis Dominicanus factus. Voluit hic infirmitatibus animæ obuiare, ideò deprecabatur Dominum & Beatam V. M. *Claruit Anno 1233.*

Tancredus Dominicanus.

Familia B. V. M. Via ſalutis.

Pro liberatione ab hoſtibus. Nota. Hoſtis in domo formidabilis eſt. inquiebat Vegetius. Si verò talis eſt ille hoſtis, quòd naturaliter ſit hoſtis, tunc maximè formidandus eſt. Naturaliter autem Barbari non Barbaris hoſtes ſunt. Si ergò hoſtes patriæ inuaſerint nos, ad liberatorẽ

noſtrum Iesvm confugiendum eſt, in ipſius enim poteſtate, vt Dei eſt transferre regna ad regna, & gentem ad gentem. Subitra conterunt hoſtem, vſitata vileſcunt apud eum, ait Vegetius libro tertio. Quo circa qui nil ſine Deo, cùm hoſtis inſtat quem quandoq; immittit & ſemper permittit Devs, ſubitò ad Devm humiliter confugiamus, ploremus ante eum & procidamus; at non extendet Virgam peccatorum ſuper ſortem juſtorum. Subita hæc ſunt, quibus placatur Devs, quibus vincitur hoſtis. In cujus etenim poteſtate erat flagellum & Virgam excitare in manu hoſtis, in illius miſericordia eſt, Virgam cum flagello confringere & debilitare. Præcipue verò hoſtes chriſtianitatis qualia ſunt facta carnis vt dicit D. Auguſt. & hoſtis animæ diabolus cum inchoant bellum, confugiendum nobis ad Iesvm. *Domine ſalua nos perimus.* Nam licet optimum remedium ſit Hieronymi. Dum paruus eſt hoſtis interfice, vt nequitia elidatur in ſemine, ſed extenuare talium hoſtium vires, non eſt in noſtra poteſtate, niſi Dominus dederit cor & adiutorium. Hoſtes hi, quaſi domi ſunt, & naturaliter hoſtes animæ ſunt. Beatus Conſaluus cui B. V. Maria illum Ordinem ſacrum intrare perſuaſit, qui officium incipit B. Virg. à ſalutatione Angelica & in eadem finit. Ordinem S. Dominici innuebat. Hic inquam Beatus, cum baptiſaretur, ita vehementer in imaginem crucifixi oculos intendit dulcedinem quandam contemplationis præſeferendo, vt omnes in ſtuporem conuerteret. Cognoſcebat in effectu gratiam ſui baptiſmi vt exiſtimo, & ſaluatorem ſuum Ieſum contemplabatur, quomodo per illum à poteſtate tenebrarum ereptus defenſuſq; fuiſſet. Clamabat ad Dominum corde. Domine Ieſu ſalua me, nec des perire.

Hoſtes confundit Deus.

Hoſtes naturales.

B. Conſaluus.

Baptizatus

Pro deuio. Nota. Qui vias duas inuenit, ſi à vera via deuiauerit, paruus quidem error erit in principio, ſed magnus in fine. In via Domini deuiare, ſummus eſt error. Nam Prou. 12. dicitur. *Iter deuitem ducit ad mortem.* Mortem verò puta æternam. Quocirca præmonet Eccl. 37. *Deprecare altiſſimum vt in veritate viam tuam dirigat.* Sed quis eſt quæſo verborum ſenſus? An etiam non in veritate, hoc eſt in falſitate dirigit viam alicujus! Abſit. Sed quandoq; permittit volentem ire via falſitatis & erroris vt vadat, atq; ſimul cum cæco ſuo duce quem ſequitur in foueam cadat. Prou. 14 *Eſt via quæ videtur homini recta & nouiſſima ejus ducunt ad mortem.* Vnde admonebat. Deprecare altiſſimum vt in veritate, hoc eſt in vèro duce Ieſu qui eſt veritas ipſa, vias tuas dirigat, ſic enim nec errabis nec deuiabis, ſed cito & rectè ad portum ſalutis peruenies, ille & enim eſt & via, & vita. Et de hac via dicebat Ierem. 6. *State ſuper vias & videte & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona & ambulate in ea & inuenietis refrige-*

refrigerium animabus veſtris. Ieſus enim eſt via ab æterno præordinata à Patre omnibus peregrinantibus ad cœlum è terra. Ille eſt ſemita antiqua quæ ſemitas diaboli aboleuit, dum amore hominis deſcendit in terram & naturam humanam aſſumpſit in ſaluationem noſtri, fecitq; vt peccatum quod fœmina intulit, fœmina tollet. Ille eſt refrigerium patrum, ille Sanctarum animarum, ille detentorum in purgatorio, ille peccatis innodatorum. 1. ad Theſſ. 4. *Rogamus vos & obſecramus in Domino IESV vt quemadmodum accepiſtis à nobis quomodo oporteat vos ambulare & placere DEO ſic & ambuletis.* In Anno 1608. vt habetur ex litteris ſuffraganei Bambergenſis demonſtrata erat cuidam via vera. Martinus Comburgenſis famulabatur nobili Catholico ipſe Hęreticus, tandem in febrim Hecticam incidit, iubet ad ſe vocare mox concionatorem Catholicum, at illi miniſtrum hæreticum aduocârunt. Tunc ille. Volo eſſe Catholicus, concionatorem Catholicum volo. Cùm alij Comburgenſes referunt ei quod exhæreditatus plurimis afficietur pœnis à Duce Saxoniæ. Quibus ille: Terrenam hæreditatem nihili duco, cœleſtem mox initurus. Venit Catholicus ſacerdos, interrogat cur tanto deſiderio fidei Catholicæ arderet, reſpondit. Ego à te edoctus in concione quam ſit grata ſalutatio Angelica Virginis Mariæ, & ex eodẽ tempore, ſepties mane, ſepties veſperi illam recitaui. Hæc mihi nunc multa radiis lucis adſtitit, & dixit: quia me ſæpe deuote ſalutaſti, en venio ad te & moneo, quia inſtat obitus tuus, in gremium ſanctæ Eccleſiæ te recipi cures, confitearis & communices, nocte enim natiuitatis Filij mei veniam ad te teq; abducam ad gaudia cæleſtia & ita migrauit, factuſq; erat formoſior in vultu quam dum viueret.

Pro igne pereuntibus. Nota. Ezech. 10. *Viri qui de templo egreſſi ſunt, carbones acceperant de medio, quatuor animalium, & projecerunt ſuper ciuitatem ad accendendam ciuitatem.* Inſinuârunt nec ipſum DEVM prohibere ignem ad incendendum & vrendum eos, qui vitam animalem in præſenti ducunt. Quid igitur dicendum de illis, qui nedùm vitam animalem, ſed beſtialem, imò infernalem & diabolicam ducunt vitam, illa explendo quæ malignus ſpiritus iniquitatum diſſeminator ſuggerit, hominibus ſibi in inſtrumentum malignitatis ſuæ electis & aſſumptis? Quocirca præmonebat B. Nilus Martyr. Maligna ne ſemina, ver & enim propinquum cum ſit, ſpinarum agricolam excipiet ignis. In tanto igitur periculo ignis, quem voluptates, iræ, concupiſcentiæ ſubminiſtrant: ad IESVM Saluatorem confugiendum nobis eſt. *Domine ſalua nos perimus.* Verè & enim jam pereunt, quos ignis infernalis, & flamma gehennæ jam exurere incœpit. Ignis enim & ardor peccati, diaboli materia eſt, quæ ad ignem æternum diſponitur.

Quibus æterna ſaluatio promittitur.

REſp. duodecim generibus hominum. Primi ſunt, recte credentes. Marc. 16. *Qui crediderit & baptiſatus fuerit, ſaluus erit.* Secundi, innocuntes. Iob. 22. *Saluabitur innocens.* Tertij, DEVM timentes. Pſal. 144. *Voluntatem timentium ſe faciet & ſaluos faciet eos.* Quarti, ſapienter gradientes. Prou. 28. ſaluabuntur. Quinti luxuriam fugientes. Prou. 9. *Qui abſceſſerit ab ea*, id eſt à muliere, *ſaluabitur.* Sexti Boni pauperes. Pſ. 33. *Saluos faciet filios pauperum.* Bonus pauper qui caſtus, fidelis & patiens. Septimi, ſpiritu humiles. Pſ. 17. *Populum humilem ſaluum facies.* Octaui, rectum cor habentes. Correctum per lineam aſcendentem, cùm per intimam dilectionem ad DEVM extenditur, per deſcendentem, cum ſe extendit ad filiorum correctionem. Per tranſuerſalem, cùm nos ad eleemoſynas expandimus. Nomi: manſuetudinem amplectentes. Pſ. 25. *Saluos faciet omnes manſuetos terræ.* Decimi, in DEO ſperantes, Pſ. 16. *Saluos facis ſperantes in te.* Vndecimi, ſimpliciter ambulantes. Prou. 28. *Qui ambulat ſimpliciter ſaluus erit.* Duodecimi, in bono perſeuerantes. Matth 24. *Qui in finem perſeuerauerit, ſaluus erit.*

Salus. tio cui promiſſa eſt.

ANNOTATIONES.

Pro fide.

AVg. *in lib. de Ouibus.* Ille apud Deum plus habet loci qui plus attulit non argenti ſed fidei. Sed quid eſt fides? Credere quod non vides. Continet enim in ſe fides, factum & Deum. Vnde fides eſt, credere Deum, in Deum, & Deo, & facere quod Deus jubet. *Chryſoſt. ſuper* 21. *Math.* Quod à te & pro te requiritur, intra te eſt. Oris famulatus & cordis affectus, *Corde* enim *creditur ad juſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem.* Rom. 10. Aquila oculos tegit & eruit his quæ venatur, ita dæmon fidei lumen eripit, quo præcipites in omnium malorum voraginem celerius agat. Fides enim eſt lumen animæ, vt Euſeb. Emiſſ. hom. 2. Quocirca Iſidor. de ſum: lib. 2. cap. 2. hoc ſalutare reliquit de fide dogma. Non poſſe ad veram beatitudinem peruenire niſi per fidem, beatum autem eſſe qui & recte credendo benè viuit, & bene viuendo fidem rectam cuſtodit.

Credere.

Pro innocentibus. Nota Innocentes & recti adhæſerunt mihi. Pſ. 24. Hi ſunt intimi in palatio Dei, hi ſunt veri aulici, hi amicorum & ſecretorum Dei participes, ſequuntur enim agnũ quo cũq; ierit. Apoc. 14. Triumphus enim innocentiæ eſt, neminem nocere, nunquam peccare, eſſe originem omnis puritatis ſcientiæ & virtutis, qui etiam ſi inter homines juſtus judex defuerit, victrix non poteſt non eſſe. Et ſi quid de innocentia plus deſideraueris, dicam quod ſine ea Dei non ædificatur tem-

Innocentia

tur templum in corde. Vnde B. Nilus. Innocentiam in corde, caſtitatem verò in corpore exerce, vtraq; enim Dei templum ædificat. Henricus Archiep: Moguntinus qui viuere deſijt Anno 1153. aſpirabat ſemper ad hanc innocentiam, vnde dicere ſolebat. Fui diues Canonicus, pauper Præpoſitus, mendicus Epiſcopus. Omnia enim quæ nocentem conſtituebant, rejecerat poſtmodum, vt innocens viueret & moreretur.

Timor ſeruilis & filialis. Pro timentibus Deum. Nota. Exod. 20. *Venit DEVS, vt terror illius eſſet in vobis, & non peccaretis.* Timorem verò requirit in nobis non ſeruilem, ſed filialem quo pacto filij timent parentes ſuos, non quo pacto timent ſerui. Seruorum enim timor quandoq; exit in pejus, filiorum verò timor, nil ob amorem & honorem parentum audent, quo offendãt genitorem. Vndè de timore ſeruili dicitur 4. Reg. 17. Fuerunt gentes iſtæ timentes quidem Dominum, ſed nihilominus idolis ſuis ſeruientes. De timore verò filiali dicitur. Prou. 3. *Time Dominum & recede à malo, ſanitas quippè erit vmbilico tuo, & irrigatio oſſibus tuis.* Hoc eſt habebis ſanitatem corporis, & ſpem oſſibus tuis vt reuireſcant & refloreſcant, excitabis.

Greſſus ſapiens. Pro ſapienter gradientibus. Nota. Ille ſapienter graditur qui quotidie ſibi cauet de præcipitio gehennali inquit B. Alb. Mag. ſed Tob. 4. non minorem ſapientiam precata eſt mater filio ſuo. *Benè ambuletis, & ſit DEVS in itinere veſtro, & Angelus ejus comitetur vobiſcum.* Ex triplici enim medio aliquis ſtulte graditur, vel quia non vult benè ſed malè ambulare, quocirca optat vt benè, id eſt cogitatione recta & greſſu non ledente Deum ambulet, vel quia Deus recedit ab aliquo. *Væ vobis cum receſſero à vobis*, Oſeæ 9. Et iſte omninò ſtulte graditur, vadit enim vbi Deus illum ire nollet. Vnde dicit mater, *ſit DEVS in itinere veſtro* non recedat à vobis. Vel quia in itinere aliquis à cuſtodibus ſuis & ductoribus relinquitur, ille enim itineris ignarus facilè errat. Dicit ergo mater. *Et Angelus comitetur vobiſcum.* Dat etiam B. Nilus Mart. greſſum ſapientẽ in Sentent. Vià bona & compendioſa ad virtutem, vitæ ſæcularis fuga. Et profectò viris nedum ſpiritualibus greſſus hic conueniens eſt, qui vita mundi ſpreta vitam cœli obſeruant, ſed etiã ſæcularibus, quibus vti ſæculo licet liceat, ſed tamen non licet ſeculariter & ſine timore Dei vti.

Luxuriæ fuga. Pro fuga luxuriæ. Nota. B. Nilus Mart: in ſentent: reliquit. Quantò vita ſordidior, tantò anima beſtialior. Igitur quantò caſtior, tantò ſanctior & ſaluti proximior. Iulius Cæſar additum hoc tenuit, quia non modo ordinario natus, ſed de vtero matris cæſus ſeu exciſus fuit, & quia luxuriæ clauſtra non tetigit, totus in magnanimitatem & fortitudinem exarſit, & ab eo alij quoq; Romanorum Monarchæ, Cæſares appellati fuêre. Demum creuit prouerbium *Cæſar à Cæſione matris.*

EX VTRO-

troque Cæſar. EX VTROQVE CÆSAR. Qui enim ſuperabat fortitudine, ſuperabat & prudentiâ cæteros, & ita vt ſago & toga clarus Princeps celebraretur, per ora volitabat hominum. EX VTROQVE CÆSAR. Profectò ſi fugam à luxuria conſiderabimus, quia ille qui fugit à luxuria, fugit ab illecebris mundi, & fugit ad cæli faſtigia, eſt ex vtroq; Cæſar. Nam fefellit mundum, & aſſecutus eſt cœlum, luxuriam carnis conuertit in amorem purum. De hoc amore Cant. 5. *Amore langue-re.* *Adjuro vos filiæ Ieruſalem, ſi inueneritis dilectum meum vt nuncietis ei quia amore langueo.* Amor hîc purus, amor Sanctus eſt. Naſcitur enim hæc ſpecies languoris ex eo, quod impeditur homo & non poteſt immenſum deſideriũ cordis ſui ad optatum finem & effectum perducere. Vnde quidam Doctor in hunc languorem. Noli teipſum perdere propter impatiens hoc deſiderium, non enim languor iſte lethalis eſt, ſed pro gloria Dei, vt Filius Dei glorificetur per illum. Hinc conclude, quod qui fugit à luxuria, ſaluabitur.

Pauperes boni cur. Pro bonis pauperibus. Nota. Non ſine ratione bonis pauperibus promittitur ſalus. Sunt enim pauperes mali, & ita mali, quod odio ſint Deo. Eccl. 25. *Tres ſpecies odiuit anima mea pauperem ſuperbum &c.* Sunt etiam pauperes boni de quibus Prou. 23. *Sapiens ſibi videtur vir diues, pauper autem prudens ſcrutabitur eum.* *pauper prudens.* In quo ſcrutabitur? quia ſua ſapientia ſtultitia, quia ſua intelligentia erronea, quia diuitiæ genium & ingenium ipſius, proſtituerunt. Quod ſi ſapientia hominum in diuite refert notam, quid de ſapientia DEI in diuite intelligemus? Facilius eſt camelum in auriculam acus intrare, quam diuiti, DEI ſapientiam concedere. Omnes dies pauperis mali, mali. Sic ſapientis dictum. Prou. 25. intelligere decet. Omnes verò dies pauperis boni, boni. Nam ſalutares, & in æternitatem beatam ordinati. De his B. Nilus Mart. Pauperes foueto, illi enim iudicem nobis placitum reddunt.

Pro humilitate. Nota. B. Nilus Mart. Cùm in DEI exiſtas domo ne eleueris, nam et qui regibus coram aſtant, neq; ſuperbiunt vel ſe jactant. Multò igitur magis neceſſarium hoc illi qui Deo aſtat. Habet Pſal. 44. *Omnis gloria filiæ regis ab intus, in fimbrijs aureis, circumamicta varietatibus.* In quibus verbis euidenter agit de ornatu Spiritus quo anima ornatur charitate ſcilicet quæ per aurum ſignificatur, & varijs virtutibus, quarum fundamentum & propugnaculum eſt humilitas. *Eccl. 10.* Radices gentium ſuperbarum areſecit Dominus, & plantauit humiles ex ipſis gentibus.

Pro corde recto. Nota. *Iuſtum adjutorium meum à Domino, qui ſaluos facit rectos corde.* Pſal. 7. Vide nedum adjutorium à Domino rectus corde obtinet, ſed juſtum adjutorium: Quo inſinuauit, nedum quia de condigno obtinet à DEO adiutorium, ſed etiam quan-

quãdam altitudinem magnitudinẽque adiutorij diuini exprimit, quod ſcilicet, quaſi ex quadam ſtatera iuſtum ſeu præualens, nedum ęquiualens adiutorium à Deo recti corde referant. Recolo illud Apocal. 17. qualia gaudia ſuis amatoribus mundi propinat. *Poculum habet aureum in manu ſua plenum abominatione inebrians & peruertens omne iudicium.* habitantium in Babylonia ne præuideant ſuam perditionem, & à malo reſipiſcant. Propinantur immunda, cordi impuro diſtorto. Qui autem cordis recti eſt, & magis elegit habitare in domo Dei, quàm in tabernaculis peccatorum, quid propinatur illi, audi Cant: 1. *Exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum ſuper vinum.* Hoc eſt, memores ſuauiſſimi lactis tuarum conſolationum & blanditiarum, tua, quibus tu reficis & ad vbera premis ſpirituales tuos filios, quod ſuauius eſt & dulcius omni vino. Oſeæ: 1. *Dicetur eis. Fily Dei viuẽtis.*

Pro manſuetis. Nota. *Baſil. in Epiſt.* Pax & manſuetudo characteres ſunt animæ piæ. Quod vt facilius cognoſcatur, Ariſtot. deſcribentem manſuetudinem in lib. de vit. & virtut. videamus. Manſuetudo, virtus eſt animoſæ partis, qua præditi ægræ mouentur ad iram. Manſuetudinis enim eſt, poſſe ferre moderate abiecta crimina & contemptus, nec celeriter rapi in vltiones, eſſe moribus comem ac mitem ac ingenio quieto & ſtabili. Non igitur mirum ſi conditiones manſuetudinis ſunt eiuſmodi, quòd ſint charecteres animæ piæ; & gradus ad ſalutem. Quocircà Chriſtus hanc virtutem magnificè in ſemetipſo expreſſit; dicens: Hierem. 11. *Ego quaſi agnus manſuetus qui portatur ad victimam, cùm malediceretur non maledicebat, cùm pateretur non comminabatur, tradebat autem iudicanti ſe iniuſtè.* 1. Petr. 2.

Pro ſperantibus in Deo. Nota. *Menander:* Preſſo miſeriâ, ſpes ſalus eſt ſalus eſt vnica. Sed ſi vanam ſpem non eſſe cupis, in Deo ſpera. *Bern.* Tu es patientia mea; ſi tribulatio infertur, per te ſuperabo. Tu es ſpes mea: ſi præmia promittantur, per te obtinebo. Si inſurgat hoſtis, non niſi in te ſperabo. Pſ. 72. *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam* Neq; aliquando fefellit, qui in Deo & interceſſione B. V. Mariæ ſpem habuit. Adfero de B. V. rem. Antonius Sabaudus miſſus cum Epiſtola Ducis Sabaudię Aſtũ ad præfectum militum, vt purgaret itinera à prædonibus. Incidit is in prædones, qui viſis literis ira incenſi multis vulnerib⁹ illũ affecerũt. Tunc ille ad Deiparam Montisferati ſuſpirat. Sed illi optionem dant de duobus, malitne manum vtramque ſibi abſcindi, an linguam cum auribus. Quibus vrgentibus & conteſtantibus reſpondit, Malle aurium ac linguæ vſu carere. Mutilant, & in manibus ponunt dicentes, deferas ad Ducem pro reſponſo Epiſtolæ. At cum ille Aſtum verſus proſequitur ad B. V. M. omnia vulnera cura-

Spes. *Spes in Deo.* *Spes B.V.M.*

ta, & quòd planè ſtupēdū, abſq; lingua non minùs quàm ātea expedite loquebatur. Benè Eurip. Sapiētis in ſpe vita ſēper ſit decet. Sit igitur in Chriſto qui eſt vita ipſa & vita noſtra, ſit ſpes in B. V. M. quæ eſt Theothocon noſtræ vitæ, Dei & hominis.

Pro ſimpliciter ambulantibus. Nota. *Fortitudo ſimplicis via domini.* Prou. 1. Vnde deambulante ſimpliciter in via Domini Iob dicitur Capite 1. *Nunquid conſideraſti ſeruum meum Iob quòd non ſit illi ſimilis in terra homo ſimplex & rectus.* Vide comparationem, conſidera in quo, & attende quanti momenti & valoris ſit ſimpliciter ambulare. *Bern. in ſerm. quodam.* Omnibus nobis in conuerſionis initio nulla virtus magis neceſſaria eſt, quàm ſimplicitas humilis & grauitas verecunda. Odericus lib. 1. In Tartaria Cazanenſi inuenire eſt herbam Agnum, quæ agno ſimilis eſt capite, oculis, auribus, pelle. Subſcribi illi poterit. Simplicitas ſimulata. Profectò ſimpliciter non ambulat qui ſimulatâ ſimplicitate ambulat. Seneca in Hippolyto.

Simplicitas vera & ficta

O vita fallax abditos ſenſus geris,
Animiſque pulchram turpibus faciem induis,
Pudor impudentem celat, audacem quies, Pietas nefandum.

Pro perſeueratione in bono. Nota. Bern: Sola perſeuerantia eſt cui æternitas redditur, vel potiùs quæ æternitati hominem reddit. 1. Regum 4. Ionathas contra Philiſthæos quaſi defecerant oculi eius, ſed inuento & guſtato melle, viſum recepit. Qui dæmones vincit & eorum tentationes ſuſtinendo, laborando, in ſiti, fame, vigilijs & alijs multis calamitatibus vſque ad veſperum, hoc eſt, mortem; poſt mortem guſtabit diuinam dulcedinem, & illuminabuntur oculi eius animæ ad videndum Deum. Ergò perſeuerantia in bono eſt maximè neceſſaria homini. *B. Nilus martyr.* Quando bonum aliquod à Deo petieris, nec ille te ſtatim audierit, noli teipſum negligere, nec animum deijcere. Sæpenumerò enim non conducit tibi tua petitio ad præſens tempus.

Perſeuerantia.

DOMINICA V. POST EPIPH.

QVARTA VERO POST OCTAVAS EPIPH.

Simile eſt regnum cælorum homini qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo. *Matth. 13*

QVID PER HOMINEM SEMINATOREM ET EIVS INIMICVM FIGVRATVR.

Reſp.

RESP. per hominem intelligitur DEI Filius, ſeu Filius hominis, ſicut exponitur in parabola. Filius hominis. Id eſt Virginis. Inimicus eſt diabolus, qui poſt creationem ſuam aduerſus creatorem ſuum inimicitias erexit. Iſa. 14. *Quomodo cecidiſti Lucifer.* Ille incitauit & perſuaſit Iudæ quod tradiderit Iudæis magiſtrum ſuum, ſed IESVS innocenter, patienter, ſapienter ſuſtinens, humani generis inimicum deuicit.

ANNOTATIONES.

Semi-nare eſt Chriſtus & homo.

HIeron. Homo qui ſeminat à pleriſq; ſaluator intelligitur, qui in animis credentium ſeminat. Ab alijs ipſe homo ſeminans in corde ſuo. Senſus enim & animus noſter, ſuſcipiens granum prædicationis, & fouens ſementem humore fidei, facit in agro ſui pectoris pullulare. *Remigius.* Regnum cœlorum appellat filium DEI, quod regnum dicitur ſimile homini qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo. *S. Pet. Chryſol.* Simile eſt regnum cælorum homini Cui! vtiq; Chriſto. Qui ſeminauit bonum ſemen, quia in ipſo rerum ſemine neſcit malum conditio creatoris. Regnum cœlorum alij Eccleſiam militantem vocant. Cœlum eſt propter vitæ ſublimitatem. Ad Philip. 4. *Noſtra conuerſatio in cælis.* Propter claritatem doctrinæ & propter perſonarum multiplicitatē ſemen per prædic: ſeminat.

Filius hominis. Nota. Præcipuum nomen quoque in ſacris literis nominat DEVS eſt bonitas inquit B. Dionyſ. de Diu. Nom. cap. 2. hoc enim nomen alia nomina ſub ſe comprehendit. Bonarum rerum munus eſt ſeſe communicare, DEI verò munus aſſiduè in nos influere beneficia. Vndè cętera nomina Dei ſunt quaſi expoſitio nominis DEI bonitatis. Creator dicitur quia ſe creando communicat: vita, quia nobis vitam tribuit, ſapientia, quia illam tribuit. Hoc igitur nomen filius hominis, infinitam ejus bonitatem magnoperè manifeſtat, & quātum ei placuerit ſe communicare nobis oſtendit. Non contentus homo fieri, totum ſe hominis miniſterio tradidit, eſt ergo filius hominis, hoc eſt miniſterio hominis deditiſſimus. ô verbum cordibus noſtris perpetuò infigendum & radicandum!

Filius hominis cur dicitur

Filium hominis dicit ſe, minora de ſe prædicans propter humilitatem, qui eſt filius DEI, filium ſe hominis dixit Rom. 12. *Non alta ſapientes ſed humilibus conſentientes.* B. Albert. Magnus in cap. 9. Lucæ. vbi dicitur. Qui me erubuerit & meos ſermones, hunc filius hominis erubeſcet cùm venerit in majeſtate ſua & patris & ſanctorum Angelorum. Et ſuper primum caput Ioannis dicit. Non prefert altam patris cognationem (ſicut multi ignobiles faciunt altiores ſui generis parentes jactantes) ſed humilem ſui generis parentem ma-

tem matrem dicit, Filium hominis. Dicitur verò filius hominis non hominum, quia qui ex commixtione ſunt ſeminum, filij hominum ſunt. Chriſtus verò non eſt ex ſemine viri ideò filius hominis eſt. Abulen: ſuper Math. Quando de rebus magnæ excellentię agitur, filium hominis ſe appellat. Ita Cayphæ: *Amodo videbitur filium hominis ſedentem à dextris* DEI.

Cur filius hominis non hominum

Inimicus eſt diabolus. *Aug. de quæſt: Euang.* Venit diabolus & ſuperſeminauit eos quos malos filios Dominus interpretatur, per quod poſſunt intelligi & mali Chriſtiani, quia in medio tritici dicitur ſeminatum quaſi in medio vnius communionis. Poſſunt & Hæretici, quia agrum non Eccleſiam ſed mundum interpretatus eſt, Hęretici verò in hoc mundo permiſcentur bonis. *Chryſoſt. hom. 47. in Math.* Hinc etiam apparet diaboli malignitas, tunc enim ſeminauit quando vniuerſa erant completa, vt magis noceret agricolæ ſtudio. Inimicus dicitur, propter jacturam quam infert hominibus, vexatio enim diaboli aduerſus nos eſt, principium autem vexationis factum eſt, non ab inimicitia quæ eſt ad nos, ſed quæ eſt ad Devm. *Ita Chryſoſt.* Homo verò appellatur inquit Hieron. quia Angelus eſſe deſijt & in Pſal. 9. dicitur. *Exurge Domine non confortetur homo.* Diabolus enim ex deprauatione voluntatis ſuæ, quaſi naturaliter homini eſt infeſtus, hinc dicitur inimicus hominis, & ejus inuidia mors venit. Dolet enim ſedes cęleſtes, homines ex lutea materia conſtantes adipiſci, & homo naturaliter etiam odit diabolum vt inimicum ſuum, ſed quia non omnis homo odit eum, ſed plurimi ſatisfaciunt ſuggeſtioni ipſius, ideò diabolus dicitur inimicus homo, homo verò non poteſt dici inimicus diabolus. Sed pereas cum titulo maligna beſtia. Qui enim te vicerit, non à tua nomenclatura, ſed à victore tuo Michaële Archangelo & tuo condemnatore Deo, deferet appellationem. Sennones deuictis Romanis ad fluuium Cluſium vt Liuius lib. 10 Dec. 1. refert, in ſignum victoriæ partæ, pectoribus equorum appenderunt capita cæſorum. Fortè equis victoria parta fuerat, ideo illis hunc reddiderunt honorem. Sed qui vicit diabolum eiuſq; ſuggeſtiones, ſub caudam equi alligare poterit diaboli caput. Nam quos decreto ſuo majeſtas diuina diris tormentis & tenebris condemnauit, hos victores Dei gratia, non minoribus contumelijs afficere poſſunt. *D. Aug. in Soliloq.* Venit tentator tenebroſus vt eſt, & vt eum deſpicerem tu me confortaſti: venit tentator fortis, vt me non vinceret, tu eum refrenaſti & me roboraſti, venit transfiguratus in Angelum lucis, vt me deciperet; & tu eum increpaſti, & vt ipſum agnoſcerem illuminaſti me. Cùm igitur tanto præſidio & munimine vallatus homo timens Devm & vincens diabolum eſt, quid non audebit contra hoſtem ſuum, quas contumelias

Inimicus eſt diab.

Ratio cur hoc nom.

Cum diab. homo dicitur

melias illi non inferret, calcabit pedibus, contumelijs afficiet, ore maledicet, flagellabit diſciplinis & mille modis proſternet? S. Dominicus candelam ardentem ipſum tenere coëgit, & verba ſcripturæ ſacræ perſentire compulit. Oſanna Cantharienſis ſoror regulæ S. Dominici, perſequentem ſe diabolum & viſibiliter apparentem arripuit audacter & in terram proſtrauit, conculdando pedibus dicebat. O Turpis & immunda beſtia, quæ eſt nunc poteſtas tua? cur igitur me perſequeris? *S. Petr. Chryſolo. ſerm. 96.* Fratres, diabolus malis noſtris gaudet, turget ruinis, vulneribus conualeſcit, ſanguinem ſitit, noſtra ex carne ſaturatur, viuit ex mortibus quia non habere ſed perdere vult hominem.

Diabo. bolus cand. tenet.

Diabolus cõculc. à Virg.

Quid per bonum ſemen, & quid per Zizaniam figuretur.

Zizania mali.

Per bonum ſemen boni Chriſtiani, per Zizania nequam & mali homines. In expoſitione filij regni, & filij nequam appellantur. Tunc cum Adam & Euam ſeminauit, corrupit diabolus ſemen, & in zizaniorum naturam per peccatum conuertit. Triticum habet tria. Exterius eſt rubicundum, interius candidum, & ex vna parte diuiſum. Boni Chriſtiani, rubicundi per Dominicæ paſſionis recordationem. Candidi per caſtitatis & munditiæ conſeruationem, diuiſi debent eſſe per piam cõpaſſionem. Apoc. 7. *Vidi turbam magnam, ſtantes ante thronum, amicti ſtolis albis & palmæ in manibus eorum.* Per Zizania ſeu lolium mali figurantur. Sicut per zizania triticum prẹmitur & ſuffocatur, ita bonos illi corde odiunt, ore lædunt, operibus perſequuntur. *Omnes qui piè volunt viuere in Chriſto perſecutionem patientur.* 2. ad Tim. 3.

Notationes.

Bonū ſemen filii regni.

Bonum ſemen, filij regni, id eſt juſti. In Phraſi Hebrẹa. Filij regni qui cæleſtia maximè diligunt, & operibus intendunt quibus hoc regnum comparatur, & placeant Deo. Gen 4. Filij Cain, muſicæ inſtrumenta repererunt, arma inuenerunt, & quibus ditarentur exquiſierunt. Filius verò Seth, Enos cœpit inuocare nomen Domini. En Filiorum Dei à Filijs ſæculi diſcrimen. Semen juſtorum Devs ſerit, quia ſunt propter ejus doctrinam, exempla, merita. 1. Cor. 1. *Vos eſtis in CHRISTO IESV, qui factus eſt vobis ſapientia, iuſtitia ſãctificatio, redemptio, vt quemadmodum ſcriptum eſt, qui gloriatur in Domino glorietur.* Adminiſtratores diuini agricolæ ſunt prædicatores. 2. Cor. 3. *Pro Chriſto legatione fungimur tanquam DEO exhortante per nos.* Finis huius miniſterij, eſt conuerſio peccatoris. 3. Reg. 19. Heliæ dicitur. *Quicunq; fugerit gladium Hazael, occidet eum Iehu, & qui iſtum fugerit, occidet Eliſeus.* Cur fortior gladius & crudelior Eliſei Prophetæ? *Quia viuus ſermo DEI & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Idem Iſa. 27. oſtenditur. Vbi

Filii Cain & Seth. diuerſi in animo.

Agricolæ prædic.

Finis indicationis.

 dicit

dicit, *Viſitabit Dominus in gladio duro & grandi & forti ſuper Leuiathan.* Septuaginta legunt, *Inducet gladium Sanctum & magnum & fortem.*

S. Petrus Chryſol. ſer. 96. de ſemine loquendo iſto, dicit. Sator mundi rerum principia bona ſeuit, nec vllum malum ab originis procedit authore. Ex hoc colligitur per ſemen bonum non poſſe niſi bonos Chriſtianos & juſtos homines, filios regni ſignificari. Caue igitur ne ſeras agrum duplici ſemine, hoc enim prohibetur 19. Leuitici. Cùm enim ſemen conuertit naturam terræ ſecundum naturam ſuam vnum ſemen contradicet alteri, nec fructus erit. Multò magis ſeminare ſemen bonum cum malo mixtum prohibitioni ſubjacebit, ſed ſolum ſemina ſemen Dei. Vnde Oſeæ 2. *Exaudiam cœlos, & illi exaudient terram, & terra exaudiet triticum & vinum & oleum, & hæc exaudient Iezrahel, & ſeminabo eam mihi in terram.* Iezrahel interpretatur ſemen Dei, quod eſt diuinum & efficax ad fructum fidei verbum. Nec ſufficit viro juſto & recto homini quod interius ſit bonus, ſed requiritur vt hoc appareat extrinſecus quoq; quod ſit juſtus. Vnde Iſa. 63. *Omnes qui viderint eos cognoſcent eos quia iſti ſunt ſemen cui benedixit Dominus.* Ponitur lima & lidius viri cujuſcunq; Eccl. 11. *In filiis ſuis agnoſcitur vir.* Explicat ſeipſum Eccleſ. 41. *De Patre impio queruntur filij, quoniam propter illum ſunt in opprobrio.* Sed plerumq; ex viro forti ignauus naſcitur, ex pio filius

Semen Dei bonum.

Serere duplici ſemine quid.

Exauditionis ordo.

Semen benedicitur.

fit impius. Agnoſce virum. Plus deferat honori & honeſto quam amori & filio. Præſtet ſe in hoc virum non fœminam proli alligatam. Faciat quod Deut. 21. dicitur. *Si filium contumacem, proteruum, non audientem imperium, patris contemptorem genuerit, adducet eum ad portam judicij referet hoc, & populus eum lapidibus obruet, vt auferatur malum de medio veſtri, & vniuerſus populus pertimeſcat.* Si ergo in filijs ſuis vir agnoſcitur, multò magis, ex filijs regni cæleſtis, debet agnoſci Rex cœli & Pater omnium noſtrûm, & in filijs cognoſci debet ſemen cui benedixit Devs.

De Zizania. Nota. *B. Ambr. in Exameron.* Quamcunq; malam herbam inter triticum ortum quæ illi officit, Zizaniam appellari. Vnde vniuerſis lethali culpæ obnoxijs Zizania conuenit. *S. Petr. Chryſol. ſerm. 96* Poſtea quam eſt in dæmonem conuerſus ex Angelo, ne qua creatura in ſuo ſtatu conſiſteret, arte, dolis, machinis, fraude contendit, ſuperſeminauit tritico Zizania, Hæreſes inter fideles, inter ſanctos peccatum, inter pacificos lites, inter ſimplices dolos, inter innocentes nequitiam gratis conſeruit, non vt acquirat Zizania, ſed vt triticum perdat, nec vt reos capiat, ſed vt adimat innocentes. Hoſtis plus ducem quàm militem petit; nec obſidet mortuos, ſed oppugnat viuentes; ſic diabolus nó peccatores quærit capere quos poſſidet, ſed vt iuſtos capiat ſic laborat. Et concludendo ſermonem dat rationem

tionem: Quia ad cælum vnde ille cecidit non vult, non fert, non patitur hominem peruenire. *Aug. de quæſt. Euang.* Non quædam, ſed omnia ſcandala, & eos qui faciunt iniquitatem, zizaniorum nomine ſignificat.

Zizania ſuperſeminata in mundo, ſunt hæretici. *Petr. Chryſol. ibid.* Euāgelicam ſegetem ſatam cæleſti ſemine, hæretica zizania ſuperſeminando confudit inimicus, vt manipulos fidei gehennæ faſciculos faceret, ne triticum fieret cæleſtium horreorum. Sed intentio illorum contra Deum, ideò cum tritico creſcunt hæretici vſque ad meſſem, Num. 23. Balaam noluit maledicere Iudæis, & reſpondebat regi Balac: *Quomodo non maledicam cui non maledixit Deus?* Vnde Pſal. 80. *Maledicent illi & tu benedices.* Hieron. ſuper Qui ſeminat: Zizania quod nos lolium appellamus, quamdiu herba eſt, nec calamus venit ad ſpicam, grandis ſimilitudo cum tritico eſt, & in diſcernendo aut nulla aut difficilis diſtantia. Profectò aliqui hæreticorum habent multa quæ in Catholica Eccleſia obſeruantur, ſed illi alio ſenſu, Catholici antiquorum Patrum teſtimonio & exercitio, ſenſum in his cuſtodiunt; venerantur & obſeruant. Quod apertè patet in confeſſione ſacramētali, & in realitate præſentiæ Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ.

Petrus Chryſol. ſerm. 96. Cùm ſeruis reſpondet Dominus, inimicus homo hoc fecit. Dicit: Et tu quare cùm videres hoc Domine permiſiſti? Quare? Quia timere fraudes non poteſt, cui nil poteſt deperire: & quia plùs eſt myſtica diſcernere, quàm prohibere myſterium: Maius eſt reparare perdita, quàm illæſa reſeruare, ſimul quia oportet Zizania eſſe, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant. Ita per patientiam Dei Matthæus de Publicano Euang. Paulus de perſecutore Apoſtolus factus. Videtur quidem hoc contrarium præcepto: *Auferte malum de medio veſtrûm.* Sed ſoluetur hoc inferius cum de expectatione meſſis dicemus.

Cur permiſit videndo inimicum ſuperſeminantem.

Zizania etiam mali Chriſtiani, peccatores, filij gehennæ dicuntur. Volunt enim deficere bonos in meritis ac virtute. Num. 20. Iſraël in terram promiſſionis pergendo in Edom miſerũt vt via publica tranſeāt, non tangendo aquas, vineas, agros, ſed manu forti egreſſi contradixerunt tranſitum eis. Sic Sancti in cælum defixis oculis per medium malorum decurrunt, & tamen contradictionem patiuntur. ſed Deus protector eorum eſt. Zach. 2. *Ero murus igneus in circuitu eorum.* Bern. in cap. 2. Cant. *Sicut lilium inter ſpinas ſic amica mea inter filias.*, dicit. Spina, culpa eſt, pœna eſt, falſus frater eſt, vicinus malus eſt. O candens lilium, delicate flos, increduli & ſubuerſores ſunt tecum, vide vt cautè ambules. Iſa. 5. Paupercula tempeſtate conuulſa abſque vlla conſolatione: Ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos & fundabo te in Saphiris & ponam

Zizania mala Chriſtiani & peccatores.

Lilium inter ſpinas.

nam Iaſpidem propugnacula tua & portas tuas in lapides ſculptos & terminos in lapides deſiderabiles. Irridebat S. Dominico quidam hæreticus dicens:

S. Dõ. irrid. h æret.

Eſt hic quidam pater Miles qui te deſiderat ſummoperè, vult conuerti ad Dominum & morti proximus, ſed vno milliari diſtat. Surrexit Sanctus, petit vt illum conducat, facit ille, ſed per ſaxa, ſyluas, arbuſta & ſpinas vltrò oberrando ducit illum, ipſe calceatus, & Sanctus Dominicus nudis pedibus more ſuo ſicut iter ſolebat facere.

Omen ſancto.

Cùm verò ſanguine conſperſos pedes aſpexit Sanctus, & hæreticus ob aſperum iter. Dixit Sanctus Pater: Fæliciter nobis ſuccedet infirmus, quia iam ſanguine terram aſperſimus. Tunc Hæreticus redijt in ſeipſum, & confitendo peccatum rem ſimulatam ediſſeruit, petijtque vt dimittat & ſe in gremium Eccleſiæ reducat.

Expectat malig. Chriſt. Deus.

Vtinam ſint tales mali Chriſtiani, & redeant ad Dominum. Hoc enim cupiebat Dominus cum Zizania prohibuit euellere. *Ita enim D. Auguſt. de quæſt. Euang. cap. 12. Tom. 4.* Multi primò Zizania ſunt & poſteà triticum fiunt, qui niſi patientur cum mali ſunt tollerentur, ad laudabilem mutationem non peruenirent.

Indulgentia DEI.

Aliter quidem optabat Iſa. 26. *Indulſiſti genti Domine, indulſiſti, nunquid gloriſicatus es:* Vbi ſeptuaginta legunt. *Adde eis mala Domine; adde mala glorioſis terræ.* Exſpectat tamen Dominus miſericors, ſed & juſtitiam in duros parat.

Pro Tritico ſpina.

Seminauerunt triticum & meſſuerunt ſpinas. Hier. 12. De his qui bona opera ad oculum hominum & gloriam faciunnt, vel de diuitibus auaris quibus dicitur Oſeæ 10. Seminate in juſtitia metite in miſericordia.

Quando vtriuſque ſeminis meſſis exſpectetur.

RESp. *Eſt finis ſæculi.* Quando Dñus enim eſt patiens, quia peccatorum pœnitentiam deſiderat, illos non ſtatim vt peccant exterminat, creſcere ſinit in malitia vſque ad falcem mortis naturalis. Sed heu peccator quia exſpectatur à Domino, magis ac magis delinquit. Eccl. 6. *Quia non citò profertur contra malos ſententia, abſque vllo timore filij hominum perpetrant mala.*

ANNOTATIONES.

R*emig.* Per meſſem deſignatur dies iudicij in quo ſeparandi ſunt à malis. Dicent profectò. *Vis imus & colligemus Zizania. Chryſolog.* Sic deuoti ſerui indefeſſum promittunt laborem, nec patiuntur Dominicæ meſſis videre fæditatem, ſed Dominus quem tempora non fatigant & quando vult poteſt abolere ſuæ meſſis iniuriam, vetat dicendo. *Non: vſque ad meſſem ſinite.*

Hieron. Per prohibitionem. Monet Dominus, ne verbi quod ambiguum eſt citò ſententiam proferamus, ſed Deo judici reſeruemus. in iudicio ſuo, non ſuſpicionem criminis,

nis, ſed manifeſtum reatum de Sanctorum cætu eijciat.

Auguſt: Cont: Epiſt: Parmen: Monet aliter. Cùm aliquis Chriſtianorum intùs in Eccleſia conſtitutorum, in peccato deprehenſus vt anathemate dignus habeatur, fiat hoc (vbi Schiſma non timetur) cum dilectione, non ad eradicandum ſed ad corrigendum, (quod ſi ſe non agnouerit, correxerit; ipſe foras exiet & per propriam voluntatem ab Eccleſiæ communione dirimetur. Vnde dicit. *Ne forte eradicetis & triticum.* Quaſi dicat, vbi metus hic non ſubeſt, ſed de frumentorum ſtabilitate ſecuritas manet, fiat anathema.

Hæretici an doctrinâ hac Chriſti trahendi non ſint ad iudicium ſæculare, & extirpandi, an verò Dei iudicio ad extremum diem differendi. Reſpondet Caluinus contra Seruetum publicè ſupplicio afficiendos, Et Beza lib: de Hæreticis à magiſtratu puniendos. *Chryſoſt. hom.* 47. Mitior & benignior, nolebat enim eſſe lupus in corpora, ſed animas curare deſiderabat. Paſtor enim erat, non mercenarius. Prohibet interficere hæreticos, quia prælium inexpiabile in orbem terrarum induceretur, dicit. *Ne ſimul & triticum eradicetur.* Si enim hæretici occiderentur & Catholici, multi quoque Sanctorum occiſi eſſent. Non ergò detinere Hæreticos, & abſcindere liberam eorum propalationem, & Synodos, & ſtudia diſſoluere prohibet, ſed interficere & occidere.

D. Aug. in Epiſto. 48 ad Vincentium hanc ponit determinationem. Primitus meã ſententia erat, neminem ad vnitatem Chriſti eſſe cogendum, verbo enim agendum, diſputatione pugnandum, ratione vincendum ne fictos Catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noueramus. Sed hæc ſententia mea ſuperabatur demonſtrantium exemplis. Harum enim legum terror quibus promulgandis Reges ſeruiunt Deo in timore ita profuit, vt non alij dicant. Iam hoc videbamus: ſed Deo gratias qui nobis occaſionem præbuit & dilationem amputauit. Alij dicant, hoc eſſe verum iam ſciebamus, ſed neſcio quâ conſuetudine tenebamur, gratias Deo qui vincula noſtra dirupit. Alij dicant. Neſciebamus eſſe hanc veritatem, nec eam diſcere volebamus, ſed eam cognoſcendam metus fecit intentos, gratias Domino qui negligentiam noſtram ſtimulo terroris excuſſit. Alij dicant. Nos falſis rumoribus terrebamur intrare, quos falſos eſſe neſcieremus niſi intraremus, nec intraremus, niſi cogeremur gratias Deo; qui prædicationem noſtram flagello abſtulit, docuit, quàm vana & inania de Eccleſia ſua mendax fama iactauerit. Alij dicant: Putabamus quidem nihil intereſſe, vbi fidē Chriſti teneremus, ſed gratias Domino qui nos à diuiſione collegit, & vni Deo cõgruere, vt in vnitate colatur oſtendit. Seruiant ergò Reges Chriſto, leges edendo pro Chriſto.

Hæretici compellendi ad fidē cur?

Æquiſſima hæc ſententia D. Auguſtini: Nam Deut. 13. præcepit, vt falſi prophetæ qui populum à vero Dei cultu auertebant, interficiantur. Ex quo Cyprianus de exhort: Martyrij cap. 5. deducit. Si hoc in veteri teſtamento fiebat, nunc magis faciendum eſt. Et D. Paul. ad Gal. 1. Omnibus hæreticis anathema dixit. 1. Tim. 1. Quoſdam ſathanæ cruciandos tradidit. Ad Gal. 5 orauit vt abſcinderentur qui conturbant fideles. *Hieron. in Epiſt. ad Galat. 5.* Modicum fermentum totam maſſam corrumpit, igitur ſcintilla ſtatim vt apparuerit extinguenda eſt, fermentum à maſſæ vicinia ſemouendum, ſecandæ putridæ carnes, ſcabioſum animal à caulis ouiũ repellendum. *Bern. ſerm. 66. in Cant.* Meliùs proculdubio gladio cohercerentur, illius videlicet, qui non ſine cauſâ gladium portat, quàm in ſuum errorem multos traijcere permittantur. Etſi iuſtum eſt morte interficere latronem, incendiarium, multò magis animaduertendum in eos, qui animas perdunt. Falſarij monetarum igne cremantur, cur non falſarij verbi Dei. Tum ne noceant bonis, innocẽtes opprimant, vt cõmunitati medeatur, præcidatur ad deteriora occaſio. Sed aduertendũ eſt de hæreticis in communi & particulari fieri poſſe ſermonem. In particulari enim conſiderandum, an ſint ſatis noti, ne innocentes plectantur, & an ſint fortiores nobis; tunc enim curãdũ eſt ne Catholici

Hæresis in communi & in part.

euellantur, in quo tamen optimè D. Auguſt. ad Bonifacium Comitem. Quis autem veſtrûm velit non ſolum aliquem hæreticorum perire, verùm etiam aliquid perdere: ſed aliter non meruit habere pacem Domus Dauid, niſi Abſolon filius eius in bello quòd contra Patrem gerebat fuiſſet extinctus, quamuis magnâ curâ mandauit, vt eum ſaluum ſeruarent; cui pœnitenti paternus affectus ignoſceret. Ecce & Chriſtus vim intulit Paulo, priùs coëgit, ferit; tum docet, conſolatur. Vbi ergò nullum periculum eſt in cohercendo hæreticos, cohercenantur quoque gladio. Et ita Innoc. 3 per Ducem Montisferati Simonem Albingenſes cohercuit, quem ad bellum ipſe Dominus animauit, Eccleſia præcepto compulit, & ſanctum Dominicum coadiutorem ſpiritualem aſſignauit. Et perijt memoria eorum cum ſonitu, fides autem propagata Catholica in Toloſſanenſibus partibus manebit ad conſummationem ſæculi, & glorificabitur in cælis fidelis in æternum. Nec arguant Apoſtolos nunquam inuocâſſe brachium ſæculare contra hæreticos? ℞. Quia tunc Principes ſeculares non erant Chriſtiani, vt reſpõdebat D. Aug. epiſt. 50. Nec iuuat eos, quia Iudæi non occiduntur, tum quia nunquam à fide receſſerũt, tum quia ad definitum tempus non erat abrogata, tum quia libros veteris teſtamenti cuſtodiunt, & vt aſini portant aurum in dorſo ſcripturarũ,

tum

tum quia non moliuntur Chriſtianos ſedulò auertere à religione.

Quis locus Zizanijs & quis locus tritico deputetur.

RESP. Zizanijs id eſt malis locus, caminus ignis ardentis. Ibi tria mala, ignis qui ſemper deſeuiet, fletus, quia nunquam recuperare poterint gaudia; ſtridor dentium, quia alter alterum grauiter odiet in inferno. Ideò in faſciculos reprobi ſimul alligati mittentur in infernum, vt qui pares erant malitia, pares ſint pęna; & pro modo peruerſitatis punientur. *Auguſt.* Vt non confusè ſed pro modo peruerſitatis vniuſcuiuſque erroris pertinacia puniatur.

Tritici locus horreum, id eſt, glorioſum regnum. Vbi habebant incomparabilem claritatem, regiam dignitatem, ſuauiſſimam charitatem. Matt: 13. *Iuſti fulgebunt.* ecce primum, *in regno*; ecce ſecundum, *in regno Patris.* vt pueri dilecti in ſinu patris & in conſpectu Dei, ita etiã electi ſe ſuauiter diligent.

ANNOTATIONES.

HIeron. Quod dicit Zizaniorum faſciculos igni tradi, & triticum congregari in horrea, manifeſtum eſt Hæreticos quoſq; & hypocritas gehennæ ignibus concremandos, ſanctos verò qui triticum appellantur, in cæleſtibus manſionibus recipi. Ad Hebr: 10. *Irritam quis faciens legem Moyſi, ſine vlla miſeratione duobus vel tribus teſtibus moritur: quantò magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei cõculcauerit, & ſanguinem teſtamenti, in quo ſanctificatus eſt pollutum duxerit, & ſpiritus gratiæ contumeliam fecerit.* Validum argumentum. *Lex Moyſi ſeuera, erit & Chriſti ſeuerior.* Cùm Moyſen inſtigante diabolo Iudæi lapidare volebant, ille confugit ad Dominum & ait. *Exod.* 17. Quid faciam populo huic? Adhuc paululùm & lapidabit me. Et ait Dominus: Antecede populũ; *Antecedere populũ* quaſi diceret, munere tuo fungere. Lapidare hîc volunt mali Chriſtiani bonos, hæretici Catholicos, Arriani filium Dei, ſed ille vtetur quoque munere ſuo, cùm antecedet eos ad iudicium, tam particulare in ipſorum morte, quàm vniuerſale in die vltimi iudicij. Dicet: *Colligite Zizania, alligate in faſciculos ad comburendum.* *Cur faſciculi plures.* Varietas enim hæreticorum, à tritico, & à ſeipſis diſcrepantium, dicit D. Auguſt. plures faſciculos ad comburendum diſponet. Idem de diuerſis vitijs malorum Chriſtianorum intelligendum venit. His enim ignis gehennæ, ſi in peccatis deceſſerint paratur. S. Dominicus cùm Romæ ſermonem ad Moniales haberet, paſſer maximè turbare & moleſtare ſorores in cœperat, vel enim *Paſſer S. Dominici.* gradiebatur per terram, vel volabat ſupra ſorores, vel circitabat, vel circa capita vagabatur. Iuſſit eum S. Dominicus ſorori apprehendere & ſibi porrigere. Quem vbi accepit S.

Dominicus, cognouerat enim dæmonem eſſe, euulſit illi pennas ex alis & dimiſit. Tunc ille rectà ad ignem lampadis ſeſe prorupit, atque ibi morabatur. Vbique malis ignis locus cum diabolo, bonis verò gaudium cordis & delitiæ in cœlo, vbi receſſerint ex hac mortalium valle & vitâ. Et priùs colligitur Zizania ad comburendum, quàm triticum ad horreum; vt & hoc medio accreſcat gaudium bonis, cùm viderint iuſtitiam Domini ſuper illos.

Primò colligitur Zizania cur?

DOMINICA VLTIMA POST EPIPHANIAM.

Ponitur in ſupplementum.

Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis.

QVID SIGNIFICATVR PER GRANVM SINAPIS.

RESP. Tria; Chriſtus, gloria cæli, & Eccleſia militans; ac prædicatio verbi Dei.

Granũ eſt Chriſtus

De primo. Grano ſinapis ſeipſum Dominus comparauit, acri ſemini, & omnium ſeminum minimo, cuius virtus preſſuris accenditur. Hoc granum poſtquam ſeminatũ, id eſt, vbi à populo comprehenſus, traditus morti, tanquam in agro ſatione corporis conſepultus, vltra menſuram omnium olerum excreuit, & gloriam Prophetarum excedit.

Greg. 19. Moral. cap. 1. Ipſe quidem eſt granum ſinapis, qui in horto ſepulturæ plantatus arbor magna ſurrexit. Granum fuit cùm moreretur, arbor cùm reſurgeret; granum per humilitatem carnis, arbor per potentiam maieſtatis. In iſtius ramis volucres requieſcunt, quia ſanctæ animæ, quæ quibuſdam virtutum pennis à terrena contagione ſe ſubleuant in eius dictis, atque conſolationibus, à fatigatione vitæ reſpirat. *Petrus Chryſolog.* Chriſtus eſt regnum cœlorum, granum ſinapis in hortum virgineum miſſus, orbe toto crucis in arborem creuit, ſaporem fructûs dedit, cùm teritur paſſione, & ſuo attactu ſaporat.

Granũ gloria cæli.

De ſecundo. Petr. Chryſol: ſerm. 98. Grano ſinapis tota regni cæleſtis comparata eſt magnitudo. Quid eſt quòd poteſtatem tantam ſic minima minimorum ſimilitudo concludit? Luc. 13. Cui eſt ſimile regnum Dei, & cui ſimile æſtimabo illud? Quærens in cælo & in terra nil inuenit niſi granum ſinapis, & illud regnum ſingularitate potens, æternitate fælix, diuinitate fulgens, diffuſum

fuſum toto cælo, tota terra dilatatum, in grani ſynapis coardat anguſtias. Fratres, non facile dominicis moueamur in dictis, nam ſi infirmum Dei fortius eſt hominibus, & ſtultum Dei ſapientius hominibus; hoc minimum Dei tota magnitudine magnificentius inuenitur, ſi modò hoc granum ſinapis in mentibus noſtris ſeminemus.

De tertio. Per hanc enim ſimilitudinem ſinapis inſtruit, quales eſſe omnes Chriſtianos oporteat. Minimo ſemine, humiles eſſe inſtruit; amaro, ad patientiam pro Deo incitat virtute contra venena. De qua dicit Aug. Peccatorum venenoſorum eradicationem docet, arborem eſſe omnibus ad requiem tutelam & protectionem edocet. Hoc Paulus docebat 1. Cor. 15. *Primus homo de terra terrenus, ſecundus de cælo celeſtis, ſi portauimus imaginem terreni, portemus nunc cæleſtis.* Iuſti cæleſtes ſunt. Peccatores ſunt terreni. Abrahæ dicatur Gen. 13. *Faciam ſemen tuum ſicut puluerem terræ*, & Gen. 15. dicit: *Suſpice cælum & numera ſtellas, ſic erit ſemen tuum.* Significabat his dictis ex Abraham bonos & malos naſcituros, malos pulueri comparauit, quia futuri terreſtres; bonos cæleſtibus ſtellis: De illis ad Phil. 2. *Omnes quæ ſua ſunt quærunt; non quæ Ieſu Chriſti.* De his 2. Tim: 2. *Omnia ſuſtineo propter electos, vt & ipſi ſalutem conſequantur.* Quocirca de Eccleſia militante dicit Petr. Chryſolog. ſer. 98. Veniat hæreticus, veniat: quia redeuntibus ſemper pateſcit ingreſſus. Veniat, audiat, & pietati Dominicæ iam deſinat oblatrare. Si cæleſtis regni maieſtas omnis ad grani ſinapis ſimilitudinem venit, quid quæritur, quod Deus ad hominem, Dominus ſerui deſcendit in formam? Sic enim venit hæretice, vt tibi totum per fidem creſceret, cui iam totũ defecerat per naturam.

Cæli ſimilitudo ad granũ, & cognoſcas Deum incar.

De quarto. Hieron. ſuper hoc Euang. Regnum cælorum prædicatio Euangelij eſt & notitia ſcripturarum quæ ducit ad vitam, de qua dicitur ad Iudæos. *Auferetur à vobis regnum Dei.* Huius modi ergo regnum cælorum eſt ſimile grano ſinapis. Eſt enim prædicatio minima omnibus diſciplinis, ad primam enim doctrinam non habet fidem. Hominem Deum, Deum mortuum, & ſcandalum crucis. Confer etiam Philoſophorum ſplendori, eloquentiæ, ſemen Euangelij minimum eſt. Vide etiam imbecilles diſcipulos ſeminantes, minimi miniſtri; ſed cum creuerit fit arbor & volucres cæli veniunt, habitant in ramis eius.

Prædicatio Euang. ſinapis.

ANNOTATIONES.

PRo Chriſto. Actor. 5. Dictum ad Abraham. *In ſemine tuo benedicentur omnes familiæ terræ.* Omnis homo plenam retulit benedictionem à Chriſto in Chriſto & per Chriſtum, quia factus eſt ceu granum Sinapis: quod venena expellit. Vt Aug. de quæſt: Euang. dicit: & factum eſt arbor requietionis, & ſcala aſcenſus. *Petrus Chryſolog. vbi ſupra.* Fratres tenea-

Benedictio familiarum.

neamus iſtud granum ſinapis vt eius vim ſentiamus. *Chriſto omnia omnibꝰ* Chriſtus rex, quia tota ipſe eſt origo regnandi. Chriſtus regnum, quia in ipſo eſt regni ſui tota majeſtas. Chriſtus homo, quia totus homo reparatur in Chriſto. Chriſtus granum ſinapis, vnde magnitudo tota Dei, tota hominis exignitate minoratur. Chriſtus homo, accepit granum ſinapis, hoc eſt regnum celorum, & miſit in hortum ſuum, de quo Cant. 4. *Hortus clauſus.* Qui enim ſunt contra eum, non ſunt ejus. Et qui ſunt ejus, non ſunt contra eum. *Terra benedicta.* Ad Hebt. 6. *Terra ſæpè ſuper ſe venientem bibens imbrem & germinans herbam opportunam illis à quibus colitur, accipit benedictionem à DEO, proferens autem ſpinas ac tribulos reproba eſt, & maledicto proxima, cujus conſummatio in combuſtionem.*

Qui ſeminat, verbū ſeminat. Pro ſecundo. Dicitur Marci quarto. *Qui ſeminat, verbum ſeminat.* Quale obſecro eſt hoc ſemen, vt verbum ex illo creſcat? Quod ſi verbum adhuc eſſentiale, quale eſt Devs & verbum æternum, ſemen hoc excellentiæ ineffabilis eſt. Seminatio hæc & Devs & regnum ipſius eſt. Vnde dicitur. *Sinapi ſemen eſt regnum cælorū.* *Simile eſt regnum cœlorum grano ſinapis.* Chryſoſt: hom:45. in Matth. Prophetæ doctrinam populi plantationi vineæ comparauit, hoc verò, id eſt, verbum & regnum cœli ſeminationi. Verbum ſeminat, manifeſtans per hoc, quod breuior eſt nunc & facilior obedientia & ſtatim fructum dabit. Per ſeminationem igitur grani ſinapis, hic fructus colligitur, Regnum cælorum. De quo Petr: Chryſolog. Spes iſta eſt, credentium tota, expectatio fidelium ſumma, fælicitas virginum longis continentiæ laboribus comparata. Iſta eſt, gloria martyrum totius effuſione ſanguinis Martyrum conquiſita, hoc eſt, quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit; hoc eſt quod ineffabili ſacramento promittit Apoſtolus eſſe præparatum. Et concludendo ſermonem dicit: Audiſtis quale granum eſt Sinapis? Audi & tu; Si vis terrenas beſtias non timere, ſi vis euitare aues rapaces, voraces vultures, hoc eſt nequitias ſpirituales, eleuate à terra, terrena deſere, ſume pennas diuini ſolis fulgore radiatas, & in tantis & talibus ramis ſemper requieſcas.

Pro 3. Nota. Prou. 11. dicitur, *Seminanti juſtitiam, merces fidelis.* Et quis ſeminat juſtitiam? Profecto ſi ſeminatur juſtitia, non in terra quam corporeis pedibus calcamus, ſeminatur. Terra hujus ſeminis, eſt cor hominis; ſeminatio eſt in Eccleſia militante, & merces pro ſeminatione eſt gratia in præſenti, & gloria in futuro ſeculo. Nullus autem ſeminare juſtitiam in Eccleſia & corde ſuo valet niſi ſit granum Sinapis, modicus, humilis, abjectus. *Granatenſis ex probatis Hiſtoricis in medit: vitæ Chriſti Cap. 56. refert.* Romanos olim decreuiſſe vt infimæ conditionis hominem ſi tamen ſit fortis & magnanimus, crearent in Imperatorē. Po-

loni

ſoni electores Regis Cruſuiciæ Piaſtum hominem plebeium ſed humilem, quem Angeli, licet gentilem, vel Ioannes & Paulus Martyres vt alij dicunt, ſub electionis tempus viſitârunt, & mel in vaſis amplificarunt. Magnæ conferuntur gratiæ humilibus à DEO; præcipue, qui humiles ſunt in Eccleſia DEI militante, & aduertunt, quod nobilitas, authoritas, poteſtas, regna, ſunt illis conceſſa à DEO. Vnde Petrus Chryſolog: de Eccleſia militante dicebat. Hort⁹ Eccleſiæ, ſtimulus diſciplinæ ab omni peſſimo gramine Apoſtolico labore purgat⁹, fideliũ plantarijs, lilijs Virginum, roſis Martyrũ, Confeſſorũ viriditate amænus, fragrans floribus ſempiternis. Vbi enumerato Sanctos omnes vt fide & charitate plenos, ita humilitate abjectos. Cùm enim Eccleſia de latere Chriſti egreſſa eſt, vt Aug. Pſal. 26. dicit: caput illius erit humanitas Chriſti, anima & vita, diuinitas. Vt Auguſt. 10. de Ciuit. docet, oſſa Apoſtoli. Idem Epiſt. 120. veſtimenta fideles. *Greg. 3. Mor.* Rectores, Principes *4. Mor.* Columnæ prædicatores *17. Moral.* Vnde merito Regnum cœlorum dicetur in ſpe & in gratia & promiſſione, quod ſimile hic fieri debet grano Sinapis. Igitur qui imperfecti & tepidi eſtis. Innouate vobis nouale. *Oſeæ* 10.

Pro vltimo. Nota. Prædicatio ab effectu & fine, & officio, regnum cœlorum dicitur. Officium eorum prædicare quia appropinquauit vobis regnum cœlorum finis; vt cognoſcat DEVM, vt amemus cognitũ & poſſideamus creauit hominẽ. *Aug.* Effectus, conſecutio cœli & DEI. *Venite benedicti poſſidete regnum:* Hilarius, oleris vitæ tanquam ægroto Iſrael data eſt prædicatio Prophetarum, ſed jam in ramis arboris cœli volucres inhabitant, Apoſtolos Chriſti virtute protenſos & mundum inumbrantes intelligimus, in quo gentes in ſpem vitæ aduolabunt, & aurarũ turbine & flatu diaboli vexatæ, tanquam in ramis arboris conquieſcũt, in eorum enim dictis & conſolationibus animæ ſanctæ reſpirabant. *Semen ſinapis eſt prædicatio verbi & ſcripturæ intelligẽti.*

Petrus Chryſolog. Hoc granum ſinapis miſit Chriſtus, quod radicatum eſt in Patriarchis, natum eſt in Prophetis, creuit in Apoſtolis, in Eccleſia fecit arborem magnam, multiplices dedit in donationibus ramos, quos enumerat Apoſt. 2. Cor. 12. *Alij datur ſermo ſapientiæ, alij ſcientiæ, alij curatio ſanitatum, alij operatio virtutum alij Prophætia alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum.* Pſal. 125. *Qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent.* Flentem laboratorem quis deſiderat? ſegnis, incircumſpectus & vanus laborator. Hilaris dator ſeminis, bouem & equum, ſeruum & ancillam in arando & ſeminando lætificat, flens & tædioſus laſſos efficit, non grauides adhuc labore manus. *Menander.* Laborioſus eſto re, non verbis modò. Labor verbo inanis, flebilis labor infructuoſus. Sed de ſeminatione hîc ſpirituali in corde ſermo *Seminare in lacrymis.*

ſermo apud Pſalmiſtam. Oportebat vt Sancti Prophetæ & Apoſtoli orando, exhortando, docendo, & conſequenter compatiendo & flendo, in cordibus hominum ſeminarent ſemen ſinapis, doloris, contritionis, patientiæ & pœnitentiæ. Laboret igitur is qui vitam beatam cupit, & de benedictionibus in exultatione metat.

SERMO SECVNDVS.

DE FERMENTO.

Quid ſignificatur per fermentum & hanc fæminam.

Chriſtus fermentum. PEr fermentum ſignificantur tria, Chriſtus, Eccleſia & prædicatio; quocirca tria quoq; per fæminam ſignificabuntur. *Hilar. in Matth.* fermento ſe Dominus comparauit, fermentum enim de farina eſt, quod fermentum acceptam virtutem aceruo ſui generis reddit, quod fermentum mulier Synagoga per iudicium mortis abſcondit, in farinæ ſatis tribus, in lege, Prophetis, & Euangeliſtis, vna hæc farina, quia quod lex inſtituit, Prophetæ nunciârunt, Euangeliſtæ expleuerunt. Leuit. 7. Præcepit Dominus vt pro pacificis offerantur panes fermentati ex farina ſimilæ. Chriſtus ex Virgine puriſſimâ natus, vt pacificaret mundum, ſecum pane fermentum paſſionis ſuſtinuit.

Eccleſia fermentũ. Eccleſia quoq; per fermentum ſignificatur, *Hier.* Eccleſia de diuerſis gentibus congregata, hæc tollit fermentum, intelligentiam ſcripturarum; & abſcondit in tribus, ſpiritu, animâ & corpore; vt in vnum redacta non diſcrepent inter ſe. Vel ſata tres virtutes animæ humanæ, vt in ratione poſſideamus prudentiâ, in iraſcibili odium vitiorum, in concupiſcibili deſiderium virtutum: vel tua ſata, Sem, Cham, Iaphet, in tribus plagis mundi diſtributi Aſia, Aphrica, Europa vbi & abſconderunt Eccleſiam & dilatauerunt. Vel ſunt tres ſtatus hominum qui liberârunt animas ſuas, Noë, Daniël & Iob, hoc eſt, prælati, contemplatores & pœnitentes. Vel ſunt tres perſonæ diuinæ, ex quibus accepta articulorum fides. Grana autem tritici ſunt membra corporis myſtici. Et Petr. Chryſolog. de Eccleſia expo-nit: fermentum cæleſtis doctrina, menſuræ lex, Prophætæ Euangelium, vbi diuinus ſenſus myſtico abſconditur in verbo.

Prædicatio quoq; ſignificatur. Hieron. Fermentum videtur mihi prædicatio Apoſtolica, ipſi enim totum orbem fermento verbi Chriſti fermentatum reddiderunt. Fidem, Spem,

Spem, Charitatem, docendo. Patrem, Filium & Spiritum Sanctum prædicando; Cœlum, Deum, & beatitudinem proponendo. Gen. 18. Dicit ad Saram Abraham. Accelera, tria ſata ſimilę comiſce & fac ſubcinericios panes. Ita Apoſtoli, pœnitentiam, confeſſionem, & ſatisfactiones, panes ſubcinericios proponebant hominibus. Deut. 24. *Non accipies pro pignore ſuperiorem & inferiorem molam.* Quid fundamenti eſt? Senſus non litteræ, ſed Spiritus. Mola ſuperior eſt Spes, inferior eſt timor, non ergo oppignorata hæc velis eſſe alicui, nam mola vna ſine alia nil valet, Spes ſine timore degenerat in præſumptionem, timor ſine ſpe decidit in deſperationem. Farina eſt conſcientia comminuta, & ex multis conſcientijs fit panis vnus Chriſto. Offerantur panes fermentati de farina ſimilæ. *Leuit.* 7. Et tale fermentum eſt prædicatio Apoſtolica.

ANNOTATIONES.

Comparatio regni cæleſtis ad fermentum plurimas difficultates generârunt, quomodo mulier & paſta, cœlum, id eſt, Chriſtum, Eccleſiam, & prædicationem ſignificent. Et præcipuè cùm fermentum in malam ſumatur partem. Eſt enim fermentum Phariſęorum & Saduceorum, quod ſignificat corruptionem fidei per hæreſim: Eſt fermentum Herodis, quod eſt corruptio vnitatis per dolum. Vt Math. 16. Eſt fermentum corruptio bonorũ morum. 1. Cor. 5. *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit.* Sed ſicut fermentum in malam partem intelligitur, ita quoq; in bonam hic intelligitur partem. De quo etiam Oſeæ 7. *Quieuit ciuitas paululum à commixtione fermenti, donec fermentaretur totum.* Iuxta igitur malas proprietates fermenti, malum dicitur fermentum, juxta bonas verò dicitur bonum. Quatuor verò ſunt proprietates, ſecundùm quas regno comparatur. Eſt fermentum calidum, ſpiritualis virtutis, impletiuum, & eleuatiuum; nam calefacit paſtam, diffunditur per totam, implet ſuo feruore, & eleuat maſſam.

Fermentum in malam & bonam partẽ.

Proprietates bonæ fermenti.

Sunt etiam aliæ ſignificationes clauſæ in hac parabola. Primò. Diuerſum ſexum ad cœlum pertingere docet Quocirca in prima parabola dicebat de viro ſeminante, in hac de fæmina ad profectum maſſæ abſcondente in farina fermentum. 2. Cor. 11. *Neq; vir ſine muliere nec mulier ſine viro in Domino.* Ad vnum regnum diuerſum ſexum varia ſimilitudo perducit. Neq; virum à muliere ſeparat vocatio Chriſtiana, quos Deus conjungit, natura ſociat, ſimiles reddit habitus, & facit Deus, vt homo vnus ſit duo, & duo vnus. Secundò. Humani generis principale negotium his comparationibus geritur. Adam primus homo, mulier prima Eua, ab arbore ſcientiæ boni & mali, ad Euangelici ſinapis arborem deducuntur, vt oculos quos illecebroſa arbor aperiendo clauſerat, ſina-

Sexus ad cœlum diuerſus ſpectat

Negotium principale generis humani.

rat, ſinapis arbor grani ſui collyrio ipſa dum claudit aperiret, ora quæ venenoſæ arboris guſtus infecerat, ſalutaris arbor ſapore guſtus ſui ſanaret, & igneo paſtu ſuo hæc arbor conſcientiam ſuccenderet, quam frigidam toto rigore illa perfecerat. Mulier etiam accepit fermentum fidei à Deo, quæ acceperat à Diabolo perfidiæ fermentum, abſcondit in tribus temporibus, ab Adam ad Noë, à Noë ad Moyſen, à Moyſe ad Chriſtum: Et quæ corruperat in Adam fermento totam maſſam, fermento reſurrectionis reintegrauit in Chriſto, & quæ mulier confecerat panem gemitus & ſudoris, panem vitæ coqueret & ſalutis, vt ſit mater omnium viuentium per Chriſtum, quę erat mater mortuorum in Adam. Et ſic venit per Mariam vita ſicut per Euam mors. *Hæc Chryſol. ſer. 99.* In hac ergò vilitate fermenti & ſinapis pretioſum & magnum latet myſterium in Chriſto & in Eccleſia. Etiam his parabolis docetur vt vir foris laboret, domi mulier; vir circa agrum, mulier circa farinam. Turpe enim cùm mulier facit ea quæ ſunt viri, aut vir quæ ſunt fæminæ. Colus fæminam, falx; equus virum decent: fæminam ſubeſſe non præeſſe, parere non conſultare decet. Vnde Saræ præcepit Gen: 18. Abraham tres menſuras ſumere farinæ, non ipſe facit.

Fermẽtum à diabolo

Vir… fac… quæ ſunt mu… ris.

DOMINICA IN SEPTVAGESIMA.

Cùm ſero factum eſſet, dicit Dominus vineæ procuratori: Voca operarios, & redde illis mercedem. *Matth. 20.*

QVID PER SERO INTELLIGATVR?

Reſp: Finis mundi, quando quilibet laborans mercedem accipiet ſui laboris. Etiam intelligitur finis vitæ cuiuslibet hominis. *Gloſſa*: Mane, intellectus noſtri pueritia eſt, hora tertia adoleſcentia, quia Sol iam in altum aſcendit; Nona, ſenectus; quando Sol, h. e. calor ætatis deſcendit. Vndecima, ætas decrepita, in his omnibus ſuis ætatibus homo inuitatur ad opus ſuum. Et væ illi quē non ſolum otioſum, ſed in opere pernitioſo occupatum, inuenit hora mortis. Eccl. 9. *Quocunque poteſt manus tua facere, inſtanter operare,* quia nec opus, (puta alicuius remunerationis) nec ratio callidæ excuſationis) nec ſcientia (manualis defen-

Finis mundi eſt ſero

Vita hominis finis eſt ſero.

Ma… hora… ætat… ſunt… mun…

defenſionis) erunt apud inferos quò tu properas.

NOTATIONES.

Rabanus. Poſtquam autem operis diuini ratio reddenda eſt, temp⁹ opportunum remunerationis dicit: Cùm ſero, hoc eſt: cum dies totius mundi adveſperam conſummationis inclinata eſſet. Dies futuri iudicij non opinatiuè ſero erit, ſed ex decreto Dei. Plures enim elati honoribus ſero conſummationem ſæculi fingunt, ideò ſeras ætates ſibi, ſæcula filijs, olimpiades poſteritati promittunt: ſed Dei decreto illorũ ſero, citò conſumitur. *Demoſth:* Spatio temporis, & infinitæ propagationis exoleſcit coniunctio familiarum & vrbium, & hoſtes fiunt qui olim erant inter ſe coniunctiſſimi. Sero autem præſentis ſæculi, ne dum in hoc apparet, quia iam tot millia ſunt elapſa annorum ipſius; ſed non conſummabitur, donec numerus electorum, quibus compleretur caſus delinquentium Angelorum adimpleatur. Quocirca Euang: *De die illa nemo ſcit niſi filius Dei, & cui voluerit filius reuelare.* At quicquid fit de hoc ſero, puta die iudicij, eſt hoc ſerum noſtrum, non Dei; apud Deum enim mille anni noſtri, tanquam dies vna quæ præterijt. Quocirca non ita ſerum quàm iudicium & Iudex nobit penſandum. *Origenes*: Totum hoc ſæculum præſens vnum diem dicere poſſumus, magnum quidem quantum ad nos, modicum autem quantum ad Dei vitam. Vnde B. Nilus Martyr admonet: Qualem libram iudicis ſubiturus ſis aſſiduè mediteris, & quicquid in vita tua adulterinum eſt, emendetur. Et Iſidorus de ſumm. bono, lib: 1. cap: 30. admonendo dicit: Gemina punitur ſententiâ impius, dum aut hîc pro ſuis meritis mentis cæcitate percutitur, ne veritatem videat; aut dum in fine damnabitur, vt debitas pœnas exoluat.

Quod ad ſerum vitæ noſtræ attinet. Nota. *Seneca Epiſt.* 1. Quem mihi dabis, qui aliquot pretium tempori ponat? qui diem æſtimet? qui intelligat ſe quotidie mori? *Chryſoſt. hom.* 34. *in Matth.* Conſidera quia ſero non altero mane mercedem reddit. ergò ſtante ſæculo iſto iudicium eſt futurum, & vnicuique merces ſua eſt reddenda, & hoc propter duas rationes. 1. quia ipſa beatitudo futura eſt merces iuſtitiæ, ideò ante illud ſæculum erit iudicium. 2. ante aduentum diei futuræ illius iudicium præmittitur, ne videant peccatores diei illius beatitudinem. *1. Coloſ. 13 Neſcitis quòd hi qui in ſtudio currunt, omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium.* Omnes homines currunt ad mortem, & per mortem currunt ad iudicem, per iudicem quis eſt iſte vnus qui accipit brauium? Petrus Chryſologus ſermone 119. Currunt Iudæi per legem, Philoſophi per inanem ſapientiam, hæretici per falſam anunciationem, Catholici per veram fidei prædicationem.

nem. Quis accipit brauium & coronam? non Iudæi, quid enim prodeſt illis currere per legẽ, qui Chriſtum Dominum legis ignorant. Non Philoſophi; quia veram ſapientiam Dei neſciunt, quæ eſt Chriſtus, non hæretici, quia falſa fides eorum, veræ fidei gratiam accipere non meretur, nam Chriſto non fideliter credunt. Reſtat quòd corona Catholicis ipſis bonis promiſſa reddetur. Et quia hæreticos commemorauimus *S. Fulg. de fide ad Petr.* determinaitonem adduco. Firmiſſimè tene & nullatenus dubites, quemlibet hæreticum vel ſchiſmaticum in nomine Patris & Filij & Spiritus S. baptiſatum, ſi Eccleſiæ Dei non fuerit aggregatus, quantaſcunq; eleemoſynas fecerit, & ſi pro Chriſti nomine etiam ſanguinem fuderit, nullatenus poſſe ſaluari. Qui enim Eccleſiæ Catholicæ non tenent vnitatem, nec baptiſmus, nec Eleemoſyna copioſa, nec mors ſuſcepta pro nomine Chriſti proficere poterit ad ſalutem, quamdiu in hæretica vel ſchiſmatica prauitate perſeuerat, quæ ducit ad mortem. Sero igitur hominis vltima vita dicitur & vltima hora, ibi enim poſt labores ſuos bonus Catholicus recipiet brauium, recipiet mercedem, recipiet coronam. Voca operarios: dicet Pater filio, aut Filius Spiritui Sancto, & redde illis mercedem. In vitis ſanctorum: Belgij B. Henricus Ordinis S. Dominici oranti B. Virginem vt oſtendat ſibi faciem; audiuit, adhuc pueres, creſce & videbis me. Hic maximè ægrotus perſecutus à Dæmonibus dicentibus, noſter es & nobiſcum ibis. Sed cùm liberatus rogaret B. V. M. quare filius tuus permiſit? accepit reſponſum. Purgatum eſt per hoc quod in te fuit criminoſum, & ſcies, quando te homines non oppugnabunt, dæmones te oppugnare non ceſſabunt: At citò finis erit, ſuſtine patienter. Vitæ igitur humanæ ſero, eſt terminus vitæ, vbi merces datur per judicium particulare Dei animæ optimè laboranti. Sero dicitur, quia deſiderium magnum ſanctorum in vita recedendi ex hoc mundo & aſpiciendi ac fruendi Deum quem dilexerant præ omnibus in vita, ſerum diem hunc fecit. *Heu me quia incolatus meus prolongatus eſt.* Et S. Hilarion cùm moraretur egredi è corpore ipſius anima, clamabat in ipſam: cur moraris ô anima, quid times, quid dubitas? octuaginta annis ſeruiuiſti Deo, non timeas, egredere, non moreris. Tædium generabat præſens vita, ob deſiderium Dei, ſero exiſtimabat amor diuinus, dies longos & moram generabat, ipſe punctus horam, hora annum conſtituebant.

Quid per Dominum vineæ exprimatur.

Dominus eſt Devs, Pater Dominus Eccleſię militantis & triumphantis. Iſa. 5. *Vinea Domini exercituum domus Iſrael eſt.* Per vineam Eccleſia ſignificatur. Iſa. 5. *Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filio olei.* Eccleſia enim dilecto

lecto filio olei, id eſt Chriſto, qui eſt filius miſericordiæ & dulcis animæ, in cornu facta, id eſt, in eminentia ſpiritualis dilectionis, ſepiuit eam, decem præceptis, & elegit atq; aſportauit ex illa lapides, id eſt, impedimenta bonarum operationum, turrim ædificauit Angelicæ protectionis, exſtruxit torcular paſſionis; Hoc eſt vt præcepta fideliter cuſtodiat, fugiat impedimenta, protectionem Angelicam imploret, in corde circumferat paſſionem Dominicam, ſed heu multi de Eccleſia non faciunt vuas juſtitiæ & pietatis ſed labruſcas, opera iniquitatis & impietatis.

ANNOTATIONES.

Dominum vineæ alij exiſtimant Deum Patrem. *Gloſſa.* Dicit Pater Filio ſuo. Pater enim operatur per filium. *Et Greg. hom. 19.* Paterfamilias, conditor noſter eſt. Creationem autem Deo Patri attribuimus, ſicut ſapientiam Dei Filio. Alij intelligunt Chriſtum. *Chryſ. hom. 34. in Opere imperf.* Homo paterfamilias Chriſtus eſt. *Remig:* Iesvs Chriſtus ipſe eſt paterfamilias & procurator vineæ, ſicut ipſe eſt oſtium & oſtiarius, ipſe in judicio vocabit operarios & reddet illis mercedem. Concludendo paucis, non poteſt intelligi per patremfamilias niſi Deus. Qui homo dicitur, quia humanus ſeu benignus eſt. Vnde Orig. Tract. 10. in Matth. Dicit Dominus procuratori ſuo, id eſt alicui Angelorum, qui ſuper mercedes tribuendas eſt poſitus, ſed aduertere licet, quod ex Dominio creationis contrariam Eccleſiæ doctrinam forment hæretici. Dicunt enim Deum creare impios, vt poſtea in eorum pœnis juſtitia reluceat. Ante omnem præuiſionem culpæ ipſorum, ſed ob decretum ipſum Dei hoc intelligunt.

An ſine præuiſione peccati ſed ob Dei decretũ impii creantur.

Impoſſibile hoc exiſtimant Catholici, ſed ob præuiſa peccata eos ſuo decreto ab æterno damnauit. Et hoc eſt juſtitiæ, illud verò ſine præuiſione peccati injuſtitiæ. *Aug. lib. 3. Cont. Iulianum cap. 18.* Bonus eſt Deus, Iuſtus eſt Deus, poteſt aliquos ſine bonis meritis liberare quia bonus eſt, non poteſt quenquam ſine malis meritis damnare, quia juſtus eſt. Non creat ergo Deus impios, niſi materialiter, hoc eſt creat eos quos videt impios futuros, vt eorum impietate quam ipſe non fecit ſed tantum præſciuit, vtatur ad juſtitiam & potentiam ſuam manifeſtandam. *Exod. 9.* Idcirco poſui te vt oſtendam in te fortitudinem meam. Hic locus ita Catholicè exponendus eſt. Vtitur enim malis ad juſtitiam declarandam, vt medicus vtitur veneno, quod ipſe non fecit. Et melius ſic judicauit Devs quàm talem non creare. Ita enim D. Aug. in Euchirid: Melius judicauit de malis benefacere, quàm nulla mala eſſe permittere. Decidebat quoq; hanc dubitationem S. Latro pendens ad latus Chriſti, animo, oculis & mente Chriſto immerſus dum dicebat ad-

alterum: *Nos quidem digna factis recipimus, hic autem quid mali fecit?* Docuit quod pœna & decretum ſunt ob peccata commiſſa apud DEVM ab æterno præuiſa in homine, retulerunt quoq; decretum. Quod verò ad vineam ſpectat; Vinea literaliter ſignificat ſynagogam, Allegoricè ſignificat Eccleſiam, moraliter animam fidelem. De ſynagoga Iſa. 5. *Vinea Domini Sabaoth domus Iſrael, viri Iuda, germen ejus delectabile.* Vites enim Synagogæ ſunt Prophetæ et juſti, agricolæ Principes ſacerdotum. *Eiecisti gentes & plantaſti eos.* Pſ. 43. Sed de hac vinea modo dicendum eſt, quod Prou. 24. *Per agrum pigri hominis tranſiui & per vineam viri ſtulti, & ecce totum operuerant vrticæ & repleuerant ſuperficiem ejus ſpinæ.* Facta enim eſt filio olei, hoc eſt, Deo miſericordiarum in cornu, hoc eſt, in puncturam & contumeliam.

Vinea Synag.

Vinea Eccleſia.

De Eccleſia Greg: hom. 19. Conditor noſter habet Eccleſiam vniuerſam vineam. Incipit ab Abel juſto ad vltimum electum qui in fine mundi naſciturus eſt, quæ quot ſanctos protulit, tot palmites miſit. Ad hanc excolendam vineam, nullo tempore deſtitit operarios mittere, quia prius per Patres, pòſt per legis doctores, deinde per Prophætas, ad extremum per Apoſtolos cultum laborauit, modò vites eius ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Prælati de qua Ierem. 2. *Ego te plantaui vineam electum omne ſemen verum.* Nullum enim ſemen verius, niſi quod per filium ſuum vnigenitum plantauit, elegit, in filios adaptauit. Intelligo verò Eccleſiam Catholicam cuius Vicarius erat D. Petrus Apoſt: & ejus ſucceſſores Epiſcopi Romani. De qua Eccleſia Iſidorus Hiſpalen. Epiſc. de Sum. lib. 1. cap. 19. ait. Sancta Eccleſia ideò dicitur Catholica, quòd vniuerſaliter ſit per omnem mundum diffuſa. Nam hæreticorum Eccleſiæ, in partibus mundi coarctantur, hæc verò in toto orbe diffuſa expanditur. Paulò atteſtante. *Gratias ago DEO meo pro omnibus vobis, quia fides veſtra anunciatur in vniuerſo mundo.* Hæreſes autem in aliquo angulo mundi vel prouincia: Eccleſia verò Catholica ſicut per totum mundum extenditur, ita & in omnium gentium ſocietate conſtruitur. Orig. Eccleſiam intelligit, & dicit: Forum eſt quicquid extra vineam, id eſt, extra Eccleſiā eſt.

De anima. Cuius vites ſunt virtutes: Dicit Chryſoſt: hom. 34. in Op. Imperf. Chriſtus cui cæli & terra quaſi vna eſt domus, familia autem cæleſtium, terreſtrium, & infernorum creaturarum. Vinea eius iuſtitia eſt: quaſi diceret: anima iuſti. Exponit enim: In qua juſtitia diuerſæ ſunt ſpecies juſtitiarum poſitæ quaſi vites: puta, manſuetudo, caſtitas, patientia, cæteræq; virtutes, quæ omnes generaliter juſtitia appellantur, homines autem vineæ cultores ponuntur. Deus enim dedit juſtitiam in ſenſibus noſtris non propter ſuam vtilitatem ſed propter noſtram. Vbi ſubiectum virtutum &

tum & juſtitiarum, anima rationalis ponitur, cultor enim homo, vt ſignificat coniunctionem corporis cum animâ. Igitur homo eſt mercenarius, & ipſi dicitur: *Ite in vineam meam & quod juſtum erit dabo vobis.* Sicut ergò nemo conducit mercenarium, ideò vt ſolùm manducet; ſic & nos non ideò vocati ſumus à Chriſto vt hæc ſolùm operemur quæ ad noſtrũ pertinent vſum, ſed ad gloriam Dei. Et ſicut mercenarius priùs aſpicit opus ſuum, deinde quotidianum cibum, ita nos priùs aſpicere debemus quæ ad gloriam Dei pertinent; deinde quæ ad noſtram vtilitatem. Et ſicut mercenarius totam diem circa Domini opus impendit, vnam verò horam circa ſuum cibum; ſic & nos omne tempus vitæ noſtræ debemus impendere circa gloriã Dei; modicam autem partem circa vſus noſtros terrenos. Et ſicut mercenarius ea die quâ opus non fecerit erubeſcit intrare domum & petere panem, quomodo tu non confunderis intrare in Eccleſiam, & ſtare ante conſpectum Dei, quando nihil bonum in conſpectu Dei geſſiſti? Plurimam ex natura ſua habet anima hominis dignitatem vt nedum vinea ſed Palatium Dei appelletur, ſed in effectum impeditur virtuoſum. Ita Iſid. de ſum. bono lib. 1 cap. 14. Multum ex ſua natura ſplendorem poſſidet anima, ſed fuſcatur commixtione carnis quâ detinetur incluſa, ex eius enim parte vertitur ad peccandi infirmitatem: Salomone dicente Sap. 9. *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena habitatio ſenſum multa cogitantem.* Et Sen. Epiſt. 50 de animæ dignitate reliquit: Surſum animum vocant initia ſua, erit autem illic etiam antequã hac cuſtodiâ exſoluatur, ſi vitia ſua deſeruit, purusque ac leuis in cogitationes diuinas emicuerit.

Anima in corp. ſurſũ.

Quid per procuratorem Patrisfamilias accipiatur.

RESp. Dei Filius, quem conſtituit Pater ſuper omnem hæreditatem ſuam; Matth. 11. *Omnia mihi tradita ſunt à Patre & nemo nouit Patrem niſi Filius.* Hic per tubam vt procurator Patris vocabit Mercenarios, & reddet illis mercedem.

Procurator Dei filius.

ANNOTATIO.

GLoſſ. Si volueris, dicit Pater Filio. Pater enim operatur per filium, filius per Spiritum ſanctum, nõ propter aliquam differentiam ſubſtantiæ aut authoritatis. Non addidit ad ſenſum complendum, cur vna perſona operatur per aliam, ſed clarum eſt ex Theologis, quòd propter rationem originis perſonarum, & quia opera perſonarum in diuinis cõmunia ſunt toti Trinitati ad extra; ſine prę iudicio tamẽ id originis perſonarum fieri debet. Vnde operatur pater per filium, quia ab illo eſt; & filius per Spiritum ſanctum, quia vnus ſpirator cum patre illius eſt. Vt pro-

Cur operatur pater per filium.

Vt procuratorem patris oſtendat eſſe Filium Dei. S: Fulg. dicit lib. de fide ad Petr. Firmiſſimè tene & nullatenùs dubites, neminem hìc poſſe hominum pœnitentiam agere, niſi quem Deus illuminauerit & gratuitâ ſuâ miſeratione conuerterit. Vnde 2 ad Tim 2. *Ne fortè det illis Deus pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant à Diaboli laqueis.* Per quem quæſo illuminat & miſeretur? Non per alium me hercule, niſi per filium ſuum, procuratorem ſuum ad hominem. Quocircà petitiones & orationes noſtras, per Ieſum Chriſtum concludimus. Vnde Pſ. 131. *Propter Dauid ſeruum tuum non auertas faciem Chriſti tui.* Vbi, nedum pactum quod Deus fecit cum patribus de eorum poſteris adiuuandis & protegendis, ſed etiã ſanctorũ iuſtitia cõmemoratur, à quorum meritis auxilium petitur. Etſi Sancti tunc meritis juuabant homines, quid de Sanctis noui Teſtamenti dicemus, dum ipſi merebatur non proteſtando fidem in Chriſtum venturum, ſed jam paſſum, crucifixum, pro ſe & nobis atq; ejus innixi interceſſioni, meruerunt impetrare. Quantum ergò ipſe Chriſtus procurator mercedis, & laborantium, ex miſericordia ſua in hominem interceſſionis ad Patrem non effundet vel non præſtabit? Eſt Sanctus Sanctorum, non miſericordia & miſeratio, ſed ipſe effectus miſerationis, nemo igitur ipſum excedet in mercede & gratia, ſed incipiens à nouiſſimis & indigniſſimis, reddere incipiet mercedem. Ab antiquo talis procuratio Filij à patre data ab æterno, in tempore complenda, oſtenſa fuit. Iſa. 63 dicit. *Tu Domine Pater noſter & redemptor noſter, à ſæculo nomen tuum.* Nullus Catholicorum confundit Patrem cùm redemptore. Paternitas enim ad primam perſonam in Diuinis, redemptio autem ad ſecundam perſonam ſpectat. Cur igitur Patrem redemptorem Iſaias vocauit? Inter cætera myſteria, hoc vnum fuit; quia Pater per Filium vt ſuum procuratorem, humanum genus ſubleuare & præmiare debuit.

Pœnitentia ſine Dei gratia non eſt.

Interceſſio Sanct. Veteris & Noui teſt.

Pat… redem… quæ…

Quæ ſit merces quæ operariis datur?

Reſp. Eſt denarius. *Nonne ex denario conueniſti mecum.* Gloſſa: Denarius habet imaginem Regis qui pro decem nummis nuncupabatur. Intelligitur ergo per denarium diuina conformitas quæ in decem conſiſtit. 1. Formoſa claritas. 2. Angelica ſubtilitas. 3. Cæleſtis agilitas. 4. Fælix impaſſibilitas. 5. Dulcis Sanctorum ſocietas. 6. Cognitio plena jucunditatis. 7. Ardentiſſimus feruor charitatis. 8. Viſio ſpecioſæ humanitatis Chriſti. 9. Fruitio ſuauiſſimæ Trinitatis. 10. Æternitas inenarrabilis fælicitatis. Prima quatuor notantur Matth. 13. *Tunc juſti fulgebunt ſicut ſol.* In ſole notatur claritas qui noctem abigit & diem illuminat. Item agilitas, cùm enim exit ſin ori-

Dena… rius…

Confor… mita… Beato… rum ad Deum.

in orientem in momento apparet in occidente. Item ſubtilitas, penetrat enim vitrum ſine ſui læſione. Item inpaſſibilitas, à nullo enim lædi poteſt. Quintum innuitur Matth. 16. *Domine bonum eſt nos hîc eſſe.* Si deſiderabilis erat ſocietas vbi duo apparuerunt cum Chriſto Moyſes & Helias, quàm in comprehenſibiliter dulcis erit ſocietas, vbi millia millium & decies centena millia electorum & Angelorum aggregabuntur in gloria cùm Dèo viuo. De ſexto 1. ad Cor. 13. *Videmus nunc per ſpeculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte, tunc cognoſcam ſicut & cognitus ſum.* Vbi ſciet homo omnia quæ inter ipſum & alium ſunt, omnia quæ circa ipſum, extra ipſum, & ſupra ipſum ſunt. De 7. Iſa. 9. *Et erit lumen in ſimili igne, & factus eſt in flamma.* Id eſt, inflammabitur ab hoc igne. *De 8. Bern.* Plenum prorſus omni ſuauitatis dulcedine eſt, videre hominem hominis conditorem. De 9. Cantatur in quadam ſequentiâ. *Ibi ciues Angelici ſub Hierarchia triplici, ternæ gaudent & ſimplici ſe Monarchiæ ſubijci.* Mirantur nec deficiunt in illum quem proſpiciunt, fruuntur nec faſtidiunt, quo frui magis ſitiunt. De 10. Matth. 15. *Iuſti qui à dextris erunt ibunt in vitam æternam,* per quod intelligitur æternitas, fælicitatis.

ANNOTATIONES.

Denarius cũ figura.

H*ieron.* Denarius figuram Regis habet: Recepiſti ergò mercedem quam tibi promiſeram, hoc eſt imaginem & ſimilitudinem meam, quid ergò quæris plùs accipere, & non tam ipſe accipere, quàm vt alter nil accipiat. *Remigius*: Recipe mercedem tuam, & vade in gloriam. *Volo autẽ & huic nouiſſimo dare ſicut & tibi. Chryſoſt. hom. 34. ſup. Matth.* Semper libentiùs aliquid damus illis quibus gratis donamus, quia pro ſolo noſtro honore donamus. Ergò omnibus Sanctis Deus reddens mercedem juſtus oſtenditur, gentibus autem dans miſericors. Dicente Apo. Rom. 15. *Gentes autem ſuper miſericordiam honorare Deum.* Et ideò incipiens à nouiſſimis & indignioribus reddit. Aut vt oſtendat Deus miſericordiam ſuam inæſtimabilem à nouiſſimis incipit. Pſ. 87. *Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei.* Loquitur de cœlo, quod hîc denarium vocatur, ſed tantùm initium loquellæ de cœlo & præmio poſuit. Ciuitas enim illa magna eſt ſpatio & latitudine, pulchra aſpectu & formâ, precioſa materiâ, nobilis ſocietate, ſuauis exercitijs, diues omnibus bonis, libera atque immunis ab omnibus malis. In omnibus rebus magna eſt, maximus enim eſt qui eam condidit, & præſtantiſſimus eſt finis in quem cõdita eſt, nobiliſſimi quoque habitatores in quorum vſum condita eſt, ſed hæc omnia pertinent ad accidentalem vſum. Eſt alia gloria huius ciuitatis ſine comparatione maior, quæ eſſentialis dicitur, & conſiſtit in viſione & poſſeſſione ipſius Dei. De qua ita D. Auguſt. Præmium vir-

Dat Deus ex iuſtitia & miſericordia.

Ciuitas Dei.

Gloria eſſentialis & accidẽtalis.

um virtutis ipſe erit qui virtutem dedit, qui videbitur ſine fine, amabitur ſine faſtidio, & laudabitur ſine moleſtia. Adeò vt præmium hoc maximum ſit, nec maius vllum eſſe poſſit, quia nec cœlum eſt, nec terra, nec mare, nec aliqua creatura, ſed creator ipſe & Dominus vniuerſorum, qui etiam vt vnum ita ſimpliciſſimum bonum eſt, in quo nihilominùs omnia bona inueniuntur.

Quod verò attinet ad conformitatem diuinam. De qua Apoſt. Rō 8 *Conformes fieri imagini filij Dei.* Vt ſcilicet in æterna beatitudine ad diuinā conformemur beatitudinem, ſicut hìc per virtutes & gratiam Chriſti conformabantur ſancti ad diuinam voluntatem. Claritatem formoſam poſuit loco primo B. Alb. Mag. Non ſine ratione gloria cæleſtis vocatur terra viuentium Pſ. 26. Non enim ſolùm quia non eſt terra mortuorum ſicut hæc quam pedibus calcamus, nec ſolùm quia viuentium eſt, qui in æternum viuent & nunquam morientur in ea habitantes, quia nec tenebras, nec tribulationes, nec iniurias venti, turbinis, &c. habet, ſed quia ſemper clarior eſt ſole, luna & ſtellis etiam ad vnum congregatis, & omnia quæ in cœlo ſunt, lucida, candida, ſplendida ſunt. *Fulgebunt iuſti ſicut ſol.* dicit 13. Matth. Quod ſi iuſti ita fulgent, quomodo Angeli, quomodo Archangeli, quomodo Cherubin & Seraphin, quomodo Domini Ieſu humanitas fulget, quomodo ipſa Sanctiſſima Trinitas vnus Deus, fulgor & candor, lux & ipſe ſplendor eſt? Apoc. 3 dicitur. Vidit Ioannes ſuper thronos ſedentes in conſpectu Dei circumamictos veſtimentis albis, & in capitibus coronas aureas habentes. Videte quomodo veſtiuit Deus in cælis ſanctos ſuos ab extra, quantum mens percipere poterat, ſic ſplendidos illi Angelus monſtrauit, quanta ergò illorum eſt claritas ab intùs; quam Angeli, quam Beati, quam ipſe Chriſtus aſpicit, profectò addet in æternum honorem & gloriam ſanctis ſuis accidentalem, quâ clareſcent, ceu de nouo in ſempiternum. Benè & fundamentaliter admonebat animam ſuam B. Auguſt: in Manuali cap: 13. O anima mea, ſi quotidie oporteret nos tormēta perferre, ſi ipſam gehennam longo tempore tollerare vt Chriſtum in gloria ſuâ videre poſſemus, & ſanctis eius ſociari; nonné dignum eſſet pati omne quod triſte eſt, vt tanti boni & gloriæ participes haberemur! Inſidientur ergò dæmones, parent tentationes, frangant corpus ieiunia, præmant carnem veſtimenta; vigiliæ exſiccent, frigus incuruet, conſcientia murmuret, palleſcat vultus, deficiat in dolore vita, ingrediatur putredo in oſſibus meis, vt requieſcā & aſcendā ad populum accinctum noſtrum. Quæ enim iuſtorum gloria, lætitia; cùm vnaquæq; facies fulgebit vt Sol.

Pro ſubtilitate. Nota. Addidit, ſubtilitas Angelica, ne deſcendamꝰ ad ſub-

Terra Viuentium.

Fulgebunt Iuſti vt ſol.

Sancti in cœlis in veſtibus albis.

Anima ab ... monetur vt perferat ... pro gloria cœli.

Subtilitas Angel...

ad ſubtilitatem ingenij, aëris, vel alterius rei, ſed de Angelica & ſupernâ intelligamus ſubtilitate. Subtiliter radius ſolis penetrat vitrum; ſubtilior Angelus, quia penetrat tur res, palatia fabricata licet ex quadro lapide fiant: ſubtilior eſt fulgur & ſol, quia mox apparent ex oriente in occidentem, qualis circumferentia actiuitatis ſpheræ alicuius Angeli fieri nequit, at conformitas beatæ animæ ad ſubtilitatem Dei, Angelica, fulguris & ſolis ſubtilitate, ſublimior; quia hæc non vi naturæ, ſicut ſunt ſubtilitates horum erit, ſed virtute Dei glorificantis animam, quæ videndo Deum ea quæ in terris ſunt videbit, penetrabit in verbo. B. Agathon Abbas tres dies moriturus oculos apertos habuit, nec eos per tres dies mouit. Stabat tunc in conſpectu Dei, ſed non accuſabat eum conſcientia. Dicebat enim interrogantibus de hoc fratribus. Quantum in me fuit, ſemper conſideraui, vt mandata Dei mei facerem. Si iuſtus vir proximus morti corporis & mentis ſimul oculis, intentus immobiliter fuit in Dei conſpectum, quàm intenti ſunt in Deum Sancti in cœlis, vt in eo magis quam in ſpeculo relucentes res & actus creaturarum & mundi, introſpiciant, & Deum amantem ſanctos, redament & reuereantur. Apoc. 7. *Adorauerunt Deum dicentes: Benedictio & claritas & ſapientia & gratiarum actio honor & virtus & fortitudo Deo noſtro in ſæcula ſæculorum.*

Pro agilitate Nota. Agilitatem cæleſtem ponit B. Alb: Magnus, quã exemplificat in ſole qui ſimul apparet ex oriente in occidentem. Verum cæleſtis quoq; agilitas dicitur in qua conformes Deo dicuntur animæ iuſtæ, quia incomparabiliter agiles animæ erunt in cœlo. Angeli ita agiles ſunt, vt vix Deus aliquid ipſis mandat mox exequuntur, nec diſtantia, nec obſtacula obſunt ſed proſunt. Animæ quoq; ita agiles ſunt vt ſimiles Angelis eſſe videantur. Id enim quod in eis erat animale factum ſpirituale, & quod erat graue fiet leue; & quod obſtabat, iam ſolutum eſt, & ſpiritibus ſimile factum. Quocirca nec in terra aliquos ſanctos læſit applicatus ignis, nec aqua calcata ſubmerſit, nec tormenta deiecerunt, nec gladius, venena, fames, peremerunt, nocuerunt. Factus eſt electis ſuis in vmbraculum diei ab æſtu, & in abſconſionem à turbine & pluuia: vt Iſa 4. dicitur: Si tanta apparebat in eis agilitas in vita, vt hæc effingerent, quanta erit illorũ agilitas in cælo! *Omnem locum quem calcauerit veſtigiũ pedes veſtri dabo vobis.* dicitur Oſeæ 1. Si de Apoſtolis prophetia, paruo tempore totum orbem agiliter peragrarunt, fidem ſeminârunt, & dedit ſucceſſoribus Apoſtolorum & Catholicis Deus locum omnẽ, quem calcauerunt. Sed quia Apoſtoli Domini & Sancti, nedum currebant pedibus ſed etiam affectibus ad cælum, vbi peruenit veſtigium ipſorũ, dedit

Agilitas cæleſtis hominis in cælis.

Locus quem calcabitis veſter eſt.

Currere pedib9 & affectu.

dedit eis eundem locum. Quocirca agilitate interiorum ſenſuum & pijs deſiderijs atque affectibus ad cęlum Devmq; peruenerunt. Magna agilitas Sanctorum: at non hic ſtatus; ad cœleſtem & Angelorum agilitatem pertinxerunt; quia videndo hominum motus ad ſe deuotos in Deo, intercedunt ad Dominum, & permanendo in cœlo, præſto quoque ſunt hominibus cum auxilio in terra; ſic Angelis & beatis commune, eſt etiam ipſis proprium. Ad aliquem Sanctorum conuertere: Puta oratione, inuocatione; & ille interceſſione ad Dominum conuertetur pro te; & ſi tibi proficuum erit conuertetur ad te, votis tuis correſpondendo.

Sancti in Deo vidēt hominum vota.

De impaſſibilitate. Nota. Hanc conformitatem animæ beatæ ad Deum fęlicem dixit B. Alb. Magn. Animæ enim peregrinanti in carne, dictum eſt: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Sic enim de ſeipſo & D. Paulus 1. Corint. 12. *In laboribus plurimis, in carceribus abundātius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequēter.* Paſſibilitas neceſſaria fuit in vita homini, quam quia libenter pro Chriſto & animâ ſuſtinuit, fælicem impaſſibilitatem in ſæculo futuro de congruo obtinebit. Quocirca ſi per impoſſibile Devs deſcenderet in infernum, nil ibi pateretur licet ſit ibi locus pœnarum & ſupplici; quia vbi eſt Deus ibi eſt cœlum, gaudium, impaſſibilitas. Ita cùm ſancti ſunt tranſlati de terra in cœlum, jam nil pati poſſunt. In vitis ſanctorum Patrum S. Hieron. habet. Accuſatus erat injuſtè quidam religioſus & citatus ad ſęcularem Principem, qui dum laſſus venit in curiam, viſum eſt ſibi quod chorda extenſa fuiſſet, (erat autem radius ſolis per atrium ſplendens) vndè depoſito pallio, ſuper radium projecit, & firmauit. Quod vbi vidit princeps, innocentem iudicauit, & impaſſibilem eſſe debere adiudicauit. Ita Sanctis in cœlis pro pallio meroris, accipiunt gloriam; pro luctu gaudium; pro paſſione impaſſibilitatem; quæ non diſſimilis erit, quàm radij ſolis, qui nullo modo pati à perſecutoribus poſſunt. Paſſibilis enim natura hominis impaſſibilis erit in cœlo.

Per tribul: ad regnū.

Deus etiam in inferno non poteſt pati.

Paliū appenſum ſu per ſo lis ra dium.

Natu ra ho minis in cœlo impaſſi bilis.

Pro ſocietate Sanctorum. Nota. Dulcis profectò ſocietas eſt, cùm homo humilis ſocietatem habet cum Magnatibus, Principibus, Regibus, ſed eſt dulcior hæc, cùm quis habet ſocietatem cum Sanctis, Angelis, Deo. Quid ille non habet cui dictum eſt Pſal. 90. *Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis; in manibus portabunt te.* Si tanta eſt ſocietas electorum in terra, vt in manibus portent Angeli electos, quæ illorum erit ſocietas in cœlo? Cic: lib. 3. Tuſc: quæſt: Acta ætas honeſtè atq; ſplendidè, tantam adfert conſolationem, vt eos qui ita vixerunt, aut non tangat ægritudo, aut leuiter pungant animi dolores. Non totam tetigit nec veram conſolationem:

Quid benit fert i nea vir.

nem: Eſt quidem benè & ſplendide acta vita ceu mel quod nedum dulce eſt, ſed etiam dulce facit, quod priùs erat amarum; verùm etiam in tali vita conſiſtit ſocietas Angelorum, imò altius dicam cùm B. Ambroſio de offic: conſiſtit in ea beatitudo in hac vita. Tantus (inquit) ſplendor honeſtatis eſt, vt vitam beatam efficiat tranquillitas conſcientiæ, & ſecuritas innocentiæ. Incipit ergo hîc adhuc viuens ſocietatem habere cum Angelis, vir ſplendidè coram Sanctis & Deo viuens, vt ſocietatem in cœlis poſſideat cùm beatis & Deo. Dicitur de Eliazaro 2. Mach. 6. Glorioſiſſimam magis mortem quam odibilem vitam complectens, voluntarie præibat ad ſupplicium. Sanctis mundus eſt ſupplicium, fœtor, malum, quocirca voluntariè deſiderant mori, glorioſam reputans pro Domino & fide mortem, vitam igne, gladio, reſte finire, quàm viuere. Sic iuſti in perpetuum viuunt, & apud Dominum merces cum ſocietate eorum.

Pro jucunditate plenâ. Nota. Plena iucunditas eſt, quæ non ampliùs creſcit. Sancta etenim deſideria, vt inquit D. Greg. dilatione creſcunt, vbi ergo jam plena eſt jucunditas, tota & totalis jam eſt. Sedentem Prophetam Danielem ieiunum inter beſtias ieiunias, quæ fame attritæ non lædebant ſanctum, cùm Abacuc ex Iudæa in Babylonem tranſportatus vocauit dicens. *Daniel, tolle prandium quod miſit tibi* DEVS, quis poterit explicare illam tunc Daniëlis deuotionem, exultationem cordis, & jucunditatem vultûs & animi? Solennior iucunditas ſanctorum in cœlis, quos non Angelus ſed Angelorum Dominus, non ab lacu ſed inferis, non à leonibus ſed dæmonibus liberauit Dominus & hæredes cœli ſocios beatorum, conſeruos Angelorum, amicos ſuos fecit in æternum Deus. Plenæ jucunditatis diuinæ participes & conſortes fieri meruerunt. Beatus Franciſcus Xauerius magnis in corde exultationibus exhilaratus plenâ jucunditate dicebat: Satis Domine, Satis. At ſatis fieri non poteſt, nec Deo nec homini in terra, plena enim iucunditas hîc fieri nequit, vbi vallis miſeriæ, vbi mors dominatur? Sed ſatis noſtrum in æterna beatitudine, vbi beatitudo Deus, vbi gloria veritas, vbi ipſa vita & ipſe amor. Priùs defecerant vaſa mulieri quàm multiplicatio olei per Eliſæum: tam plena eſt & illa beatitudo jucunditate, vt exuperet jucunditas, nec ab intellectu creato plenitudo illius exhauriri poſſit.

Iucunditas SS. in cœlis.

Satis Domine vbi.

De ardenti feruore charitatis. Nota. Pſal. 33. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum vt eripiat eos.* Quid eſt immittet? Tantam cuſtodiam habebit. Quis mandauit? Deus & Charitas. Tranſlatio D. Hieron: *Circumdat Angelus Domini in gyro timentes eum.* Quocirca Cant. 7. *Quid videbis in ſunamite niſi choros caſtrorum?* Id eſt Angelorum exercitus. Quod ſi hoc An-

Ardentiſſima charitas.

hoc Angeli ex charitate faciunt in Dei Sanctos in terra, qualem obſecro demonſtrabunt illis charitatem in cœlo? Ardens feruor charitatis omni imperfectione ſublatâ, erit Dei in Sanctos Sanctorũ in Deum, Angelorum in beatos, beatorum in Angelos, ardebit, feruefcet perfectiſſima inter eos charitas. Dicitur Leuit. 6. *Ignis ſemper ardebit in altari quem nutriet ſacerdos vt non extinguatur.* Quod in veteri lege faciebat ex præcepto ſacerdos, hoc in cœlo mutuus & reciprocus efficiet amor perfectus, charitas glorioſa. Lego in Hiſt. Ordinis S. Domini tam ardentem feruorem charitatis in Deum. B. Samuël Indus cùm ægro ſacrum viaticum corporis Chriſti impertitus eſſet, accidit vt præ ſtomachi infirmitate hoſtiam euomeret, quam ille omni horrore poſtpoſito magno animo ſumpſit. Quod ita gratum fuit Domino noſtro vt audiret ab Angelo à Deo miſſo. Dico ſeruo meo Samuëli factum illum eſſe genitrici meæ ſimilem, cùm ſibi ea ratione intimam fecerit carnem meã. Erit igitur in cœlis ardentiſſimus feruor charitatis, excedens omnem charitatem & modum quemlibet charitatis.

B. Samuël.

Gaudens gaudebo in Domino.

De viſione ſpecioſæ humanitatis Chriſti. Nota. Iſa. 6. *Gaudẽs gaudebo in Domino.* Exponentẽ duplicem affero, ſi de Sãctis in terra hæc intelligem⁹, gratiæ effectum conſiderare debemus. Præcipuus enim effectus gratiæ eſt, facere animam tam gratam & formoſam in oculis Dei, vt eam aſſumat ſibi in filiam, in ſponſam, in templum, in domicilium, in quo delicijs fruitur cum filijs hominum. Talis igitur anima meritò dicit. *Gaudens gaudebo in Domino.* Si verò de Sanctis in cœlis verba Iſaiæ intelligere, vt propoſiti noſtri eſt, voluerimus. Cùm illi vident ſpecioſiſſimam humanitatem Chriſti ſedentem à dextris patris, gaudent gaudendo in Domino, quia vident naturam humanam aſſumptam à diuina perſonalitate & ita vnitam, vt Deus ſit homo & homo Deus. Gaudent quia membrorum Sanctorum hominum, caput eſt Ieſus. Gaudent quia ea natura humana quam animæ Sanctorum informabant, regnat in cœlis coronata, quæ ab impijs in terris blaſphemata fuerat. Gaudent, quia ſicut in anima Sancta gaudebat Dominus, dum in ea in terris ſedebat vt Rex in ſuo regno, Dux in ſuo exercitu, Magiſter in ſua ſchola, Paſtor in ſuo grege, ita Sancti gaudio inexplicabili gaudent, dum eũ de quo fidẽ tenuerunt, ſpem habuerunt, amare quem perenniter non deſtiterunt, jam præſentem intuentur, & de illius ſpecioſitate in natura humana reſplendente delectantur. Refert Flodoaldus de S. Nicaſio Archiep. Rhemenſi Barbaris aduenientibus, cum Hymnis & canticis ad oſtium Baſilicæ occurrit. Cùm recitat, Pſ. 118. verſum. *Adhæſit pauimento anima mea.* ceruicem inſequente gladio amiſit, ſed in terram cadente capite proſe-

S. Nicaſius.

Viuificatur ſecundũ Verbũ ſuum.

proſequebatur verſum. *Viuifica mé ſecundùm verbum tuum.* Quis dubitabit, quod eum qui viuebat per fidem in Chriſto, viuificauerit in æternum Chriſtus, & ſpecioſam humanitatem ſuam contemplare voluerit. Vt quem Angeli videre ſemper deſiderãt, ille gaudens gauderet & exultaret in Domino Ieſu.

Idolum deplangit ſuũ Michas

Pro fruitione Sanctiſſimæ Trinitatis Nota. Filij Dan cùm nouas ſedes armati quærerent, venerunt in ciuitatem Lais: vt Iud. 18. dicitur: Intrauerunt ergò in domum Michæ & inuenerunt idolum conflatile & abſtulerunt. Proſecutus eſt cum ſuis illos eiulando & clamando; reſpexerunt qui idolum aſſumpſerant & dixerunt: Quid vis? quid clamas? Qui reſpondit: Deos meos quos mihi feci tuliſtis: & dicitis; Quid tibi eſt? Vbi hic recepit idolum ſuum ſicut plurimum flebat, lamentabatur, dolebat, ita ſummopere de recuperatione, poſſeſſione, fruitione falſi Dei lætabatur. In Deo vero & Sancto, Deo Deorum & Domino Dominorum cùm delectantur in cælis Sancti, & fruuntur illius gloriâ, claritate, immortalitate, dulcedine, ſuauitate, reſoluuntur præ gaudio ſummo, & dicunt: Quid mihi eſt, qui nunc fui terra, ſum cœlum: qui mortalis, nunc æternus: qui tenebræ, nunc ſplendor, oculi, nares, aures repletæ ſuauiſſimis odoribus, anima plena ſempiternis gaudijs. Quid mihi eſt, iam ſcio! Fruor præſentiâ Sanctiſſimæ Trinitatis, Patris, Filij, & Spiritûs ſancti. Pſal: 26. *Dominus illuminatio mea & ſalus mea.* Sicut enim in terris debilem ſanabat per gratiam naturam, medebatur voluntatem, illuminabat intellectum, dabat velle & poſſe ad bonum & virtutem, ita nunc mihi ad ſe translato conceſsâ benignè ſui fruitione; concedit in mēſam claritatem, æternam ſuauitatem, omnimodam perennemq; lætitiam.

Æternitas inenarrabilis

Pro æternitate fælicitatis. Nota. Inenarrabilis fælicitas, ſapientiam Salomonis, eloquentiam Demoſthęnis, facundiam Ciceronis, diſcurſum Ariſtotelis, ingenium Platonis; & quicquid in hominibus eſt, confundit. Quocirca dum gloriam Sanctorum, quâ conformes facti ſunt Deo ſpeculabatur B. Albertus Magnus inter æternitatem & beatitudinem poſuit inenarrabilitatem. Dicit enim: Æternitas inenarrabilis fælicitatis: Innuit enim, quod ſāctorum in cælis eſt inenarrabilis æternitas, & inenarrabilis fælicitas. Si contrarium licet apponere magis elucеſcet. Iſa. 5. *Exſpectauimus lucem, & ecce tenebræ, ſplendorem, & ecce in tenebris ambulauimus; palpauimus ſicut cæci parietem, & quaſi abſque oculis attrectauimus; impegimus in meridie quaſi in tenebris incaliginoſis quaſi mortui.* Miſera miſeria ipſorum: etſi tanta in vita, quanta erit miſeria illorum in morte, quanta poſt mortem, quanta apud inferos. Dicitur Prouerb: 2. *Si quæſieris ſapientiam; quaſi pecuniam, inuenies eam.* Inſtruit omni diligentiâ quærendam eſſe

Quærere ſapientiam vt pecuniam.

eſſe ſapientiam Chriſtianam & ſapientiam Dei Patris quærendam, nedum tali diligentiâ, quâ quærunt homines pecuniam, ſed omni poſſibili homini diligentiâ. Peruerſi verò homines, hoc prouerbij dictum peruerterunt; quærunt enim pecuniam quaſi ſapientiam; ideò inueniunt pecuniam & perdũt ſapientiam. Homines verò recti, omnia amittunt, & ipſam ſapientiam quærunt; quocircà ſapientiam inueniunt, pecuniam amittunt. Omnes dies pauperis mali: id eſt, miſeri, ſed ſecura mens, iuge conuiuium. Æternitas inenarrabilis fælicitatis, manet eos. De B. Clarâ, Ord: S. Dominici Regis Indorum filia dicitur, quòd à ſexaginta Angelis in cælum deferebatur quotidie, atque illam Chriſtus cum Matre Virgine veſte gemmis diſtinctâ induebant, in hoſtia ſæpiùs Chriſtum eâ formâ, quâ eum peperit in ſpelunca Bethlehemitica B: V: M. videbat, ſumma hæc fælicitas huius Virginis: quid igitur mirum, ſi enarrabili in cælis æternitate & fælicitate perfruetur? *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe.*

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Exijt qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum.

Luc. 8. Matth. 13. Marci 4.

QVIS SIT SATOR A QVO SEMINATVR SEMEN.

Sator ſexduplex eſt

Eſt ſator ſextuplex. Primus eſt Deus Pater, hic quando tempus miſerendi aduenit, filium ſuum vnigenitum ſeminauit in Virginis vterum, hæc enim illa benedicta terra, de qua Pſal. 84. *Benedixiſti Domine terram tuam.* Vnde & Gabriel dixit. *Benedicta tu inter mulieres.* Hoc

Seminator Deus Pater.

ſemen Dei Filius ſeminatur in Anũciatione, mortuum in paſſione, multum fructum attulit in reſurrectione & aſcenſione. Ioannis 12. *Niſi granum frumenti cadens in terram &c.* Hoc granum è ſinu Patris quod ceciderat, in aſcenſione reuerſum eſt ad dexteram Patris fructum fidelium animarum quas de limbo inferni eripuerat referens, quas in regalibus ſedibus collocauit. Iſa. 4. *In illa die erit germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ ſublimis & exultatio his qui ſaluati fuerunt de Iſrael.*

Secundus ſeminator Chriſtus Ieſus. *Gloſſa.* Exijt de ſinu patris in mũdum: ſemen eſt verbum Dei, hoc autem perit tripliciter; iuxta viam intelliguntur ſaltatores, luſores, & qui vi-

qui vias ad occupationes ſuas frequentant, in his enim perit verbum Dei. Per petram quæ humore caret, intelliguntur potatores in tabernis, quorum fauces ſemper ſiccæ, igne infernali inflammatæ, & in his perit verbum Dei. Per ſpinas intelliguntur luxurioſi qui punctiones patiuntur, intelliguntur quoq; auari qui cupiditatum punctionibus ſtimulantur, in his ſuffocatur verbum Dei; Per terram bonam intelliguntur boni Chriſtiani, in his verbum Dei fructum affert. Matth. 13. *Facit fructum centeſimum Sexageſimum Trigeſimum.* Vnde & Marci 4. Et aliud in terram bonam: Gloſſa fidelem mentem, afferebat vnum triginta. *Gloſ.* in conjugatis, vnum ſexaginta in viduis, vnum centum in virginibus, gaudebunt enim de fructu tricesimo conjugati, viduæ &c.

Semi-nator bonus homo. Tertius ſeminator eſt bonus homo, qui triplex ſeminat ſemen. Primũ eſt opus munditiæ. 2. Opus juſtitiæ. 3. Opus miſericordiæ. Et certe trium horum laborum glorioſus eſt fructus. De ſemine munditiæ ad Gal. 6. *Quæ ſeminauerit homo hæc & metet*, quoniam qui ſeminat in carne ſua, (puta voluptatem) de carne & metet corruptionem, qui autem ſeminat in ſpiritu caſtitatem, de ſpiritu metet vitam æternam. De ſemine iuſtitiæ 2. ad Cor. 9. *Qui adminiſtrat ſemen ſeminanti, augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ*, ſeminandum verò opere & ore, vt ſit veritas in ore, æquitas in opere. De ſemine miſericordiæ. 2. ad Cor. 9. *Qui ſeminat de benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Domeſtici fidei ſunt veri prædicatores qui ore & opere prædicant, fidem inuiolatam circumferunt in hoſpitio cordis, circa eos opera miſericordiæ debent exerceri.

Quartus ſator eſt peccator, eſt ſemen vanitatis & iniquitatis, primum ſeminant humanæ laudis auidi, luxurioſi; ſecundum ſuperbi, auari, Oſeæ 8. *Ventum ſeminabunt & turbinem metent.* De 2. Non ſemines mala in ſulcis injuſtitiæ. *Gloſ.* In gehenna ſeptemplici. Fures, raptores, vſurarij, falſarij, iniqui judices, oppreſſores, deceptores, ſeminant iniquitatis ſemen, & ſeptemplicem vindictam metent, ignis inclementiam, frigoris vehementiam, famem inenarrabilem, ſitim intollerabilem, morborum diuerſitatem, laborum ſempiternitatem, mortis æternitatem. *Semi-nator peccator.*

Quintus ſator diabolus. Matth. 13. *Cùm dormirent homines venit inimicus*, id eſt, diabolus: vt infra dicitur. Libero arbitrio dormiente, defenſione rationis non obſtante, diabolus in corda hominum vbi Deus ſeminauit triticum virtutum, ſuperſeminauit Zizania vitiorum, hæreſum, quo reportatur pœna gehennæ. *Semi-nator diabolus.*

Sextus Sator Mors. Per hanc corpora juſtorum in puluerem vertuntur, & de puluere reſuſcitabuntur ad *Semi-nator Mors.*

gloriam. 2. Cor. 15. *Seminatur corpus in corruptione, ſurget in incorruptione; ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria; ſeminatur animale, ſurget ſpirituale.*

ANNOTATIONES.

PRo ſatore primo. Nota. Deus Pater dicitur ſator verbi, tum quia opera ad extra ſunt communia perſonis diuinis, tum quia miſit Pater Filium in mundum, tum quia Filius Dei non ſuam voluntatem facere venit in mundum ſed Patris: Quocirca Incarnatio Chriſti principaliter ob hæc attribuitur Deo Patri. *Chryſoſt. ſup. 13. Matth.* Vndè exiit qui vbiq; præſens eſt, vel qualiter exiit: Non loco ſed Incarnatione propinquior factus nobis per habitum carnis, quia enim nos intrare non poteramus ad eum peccatis noſtris prohibentibus nobis ingreſſum, ipſe ad nos egreditur. Sed hoc non ſine voluntate, miſſione & beneplacito Dei Patris. Quocirca Ioan: 9. clarè dicitur. *Sic DEVS dilexit mundum vt Filium ſuum vnigenitum daret vt omnis qui credit in ipſum non pereat.* In quem locum Theophilac. Eſt autem maxima vtilitas conſecuta ex huiuſmodi donatione, mentem excedens humanam, vt ſcilicet qui credit non pereat ſed habeat vitam æternam. Verum cùm dicitur dedit Filium, non intellige quod Filius de cœlo deſcendit ſecundum carnem, ſed propter vnam perſonam in Chriſto, quæ Dei ſunt attribuuntur homini, & è contra. Ob vnam hanc hypoſtaſim, Filius Dei dicitur dari ad mortem, licèt ſit impaſſibilis, qui tamen patiebatur in carne propria licèt non in natura diuina. *Et Hilar. lib. 6. de Tritit.* Deus diligens mundum, Filium non adoptiuum ſed ſuum, & vnigenitum dedit; hinc proprietas eſt, natiuitas eſt, veritas eſt, non creatio eſt, non adoptio eſt, non falſitas eſt, hinc dilectionis & charitatis fides eſt, vt ad mundi ſalutem, & Filium ſuum & vnigenitum præſtitiſſet. *A ſummo cœlo egreſſio eius.* Pſal. 18. Egreſſio hæc Incarnatio eſt B. Alb. Magnus ſuper 3. Ioan. Sic Deus, ergo eſt Deus Pater qui ex paterno affectu dulciſſimo, ſapientiſſimo, fortiſſimo, dilexit mundum. Dulciſſimo, quia amaritudinem in dulcedinem conuertit; ſapientiſſimo quia tam ſapienter mundo prouidit, fortiſſimo quia fortiter à fortiſſimo dracone & leone mundum eripuit. Sap. 16. *Subſtantiam tuam & dulcedinem tuam quam in filios habes, oſtendebas.* Greg. ô mira ergà nos tuæ charitatis dilectio; vt ſeruum redimeres, filium tradidiſti. Abraham Filium offerebat Deo, ſed debuit etiam ſe tradere Deo. Deus autem nemini debitor eſt. *D. Amadeus Epiſc. Lauſanenſis Hom. 3.* Incarnationem deſcribendo dicit. Venit Chriſtus à Patre, venit à Verbo, venit & à Spiritu S. Qualiter verò venit à Patre qui nunquam Verbum eſſe deſtitit, qualiter à Spiritu Sancto, cùm ab eo & Patre procedat, difficilis quæſtio. Sed fide præmuniti ſoluimus.

A ſummo cœlo egreſſio eius.

Incarnatio cur egreſſ.

Venit

Venit ab his tribus perſonis Chriſtus, quando tota Trinitas conceptionem & humanationem operata eſt. Nihil aliud fuit à ſumma Trinitate venire, quàm operante eâdem concipi & humanari. Ideò Pſal. 18. *A ſummo cœlo egreſſio ejus.* Vel venit ab illis, à Patre namq; genitus æternaliter, ex matre prodijt genitus temporaliter; apud patrem manet inuiſibiliter & cum hominibus viſibiliter conuerſatur. Hoc enim illi fuit egredi à Patre, quod tempora noſtra ſuſcipere, foris viſibiliter apparere & fieri. Sicut Verbum in corde genitum aliquando exit in voce, & tamen totum in corde manet, ita verbum bonum de corde Patris eructatum, & in campum exijt & Patrem non dereliquit. Venit etiam verbum à ſe, deſcenditq; ſub ſe, quando Caro factum eſt, & habitauit in nobis; iſta enim exinanitio eius deſcenſio fuit, ita tamen deſcẽdit, vt ſibi non deeſſet. A Spiritu autem ſancto venit temporali conceptione, quia conceptus de Spiritu ſancto, ab eo verò procedit Spiritus ſanctus æternâ proceſſione.

De ſecundo ſatore Nota. *Beda in Lucam:* Satorem iſtum nullum meliusquàm filium Dei intelligere poſſumus, qui de ſinu Patris quò creaturæ non erat acceſſus egrediens ad hoc venit in mundum. Et idem Beda de Inuentione S. Crucis dicit: Redemptor & conditor noſter filius Dei ante ſæcula exiſtens, filius hominis factus eſt in fine ſæculorum, vt qui per diuinitatis ſuæ potentiam nos creauerat ad perfruendam beatitudinem perennis vitæ, ipſe per fragilitatem humanitatis noſtræ nos reſtauraret ad percipiendam quam perdidimus vitam. *Chryſoſt: hom: 25. in Matth:* Exijt, non localiter ſed per amictũ carnis nobis appropinquauit. Exitum aduentum vocat, eramus enim excluſi à Deo, & ſicut condemnati & rebelles Deo eiecti; Qui ergo reconciliare vult eos, exeundo ad ipſos cum eis loquitur, donec dignos iam factis aſpectu regio, eos introducat. Gen. 1. *Facies ſemen iuxta genus ſuum.* Sic etiam ſemen Dei iuxta genus ſuum effectiua eſt cauſa natiuitatis diuinæ. Chriſtus verò ſemen eſt, de quo Ierem: 33. *Suſcitabo Dauid germen iuſtum.* Suſcitauit Deus Pater Chriſtum de Spiritu ſuo ex Mariæ ſanguine & viſceribus, vt fructus terræ huius ſit in ſalutem hominis, ſicut fructus paradiſi fuit in mortem eius. Pſalm. 84. *Dominus dabit benignitatem & terra noſtra dabit fructum ſuum.* De quo fructu Hierô: ad Paulã: Chriſt⁹ ſanctificatio eſt, Chriſt⁹ redẽptio, Chriſt⁹ omnia. *Chryſoſt:* Chriſt⁹ omnib⁹ omnia factus, in carcere cũ paupere eſt, cũ Maria flet, cum Apoſtoſtis epulatur, cum Samaritana ſitit. Sator iſte ſolus noua ſemina Euangelij ſeminauit regni cælorum myſteria. *Semen iuxta genus.*

Pro 3. Satore Nota. Bonus homo intelligitur quidem bonus Chriſtianus, qui mandata Dei in corde ſuo ſeminauit: ſed principalius intelli- *Prædicatores ſeminatores.*

telliguntur prædicatores, qui boni dicuntur homines, quia verbo & exemplo prædicando bonos faciunt, & ad bonitatem diſponunt homines. Verùm & iſti non ſunt ſatores propriè ſed miniſterialiter. Propriè enim ſator eſt Chriſtus vel Spiritus ſanctus. *Auguſt:* Omnis prædicator non eſt niſi cophinus ſeminãtis, ſeminator autem verbi Dei eſt Spiritus ſanctus, cuius doctrina ſeminarium eſt prudentiæ. *Euſeb: ſup: hunc locum Luc: 8.* Exiuerunt autẽ nonnulli à patria cæleſti, & ad homines deſcenderunt, non tamen vt ſererent, neque enim ſatores erant, ſed adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi. Moyſes & Prophetæ non inſeruerunt hominibus myſteria regni cælorum, ſed retrahendo inſipientes ab errore nequitiæ & idolorũ cultu, quaſi colebant animas hominum & in noualia redigebant. Solus omnium ſator verbum Dei exiuit. Hic Apoſtolos ad ſeminandum per vniuerſum orbem miſit, ceu miniſtros & cooperatores ſuos. Non enim tales fuerunt illi Prædicatores, de quibus ſuis temporibus dicebat B. Iſid: l: 1. c: 41. Multi ſunt qui non ex conſultu ædificandi, ſed ex tumore ſuperbiendi docent, nec vt proſint ſapientes ſunt, ſed vt ſapientes videantur docere ſtudent. In ore ſtulti virga ſuperbiæ, quia increpando rigidè feriunt, & compati humiliter neſciunt. Quocirca de efficaci prædicatione Apoſtolorum dicit Auguſtinus ſermone de Apoſtol. Dedit Dominus poteſtatem Apoſtolis ſuper naturam vt eam curarent; ſuper Dæmones, vt eos euerterent, ſuper elementa vt illa immutarent, ſuper mortem vt eam contemnerẽt, ſuper Angelos vt corpus Domini conſecrarent. At nobis conſiderandum donum & gratiæ Deo conferendæ, quod tales nobis donauerit, quam quòd tantis gratijs affecerit. Hi enim ſunt viri miſericordiæ, ſiue quia miſericordiã conſecuti, ſiue quia miſericordiâ pleni, ſiue quia miſericorditer à Deo donati ſunt nobis, non enim viri iſti ſibi vixêre, nec ſibi ſunt mortui, ſed nobis.

Pro 4. Satore. Nota. Sunt multi peccatores, qui ſe ignorantiâ volunt excuſare, alij peccatum in alios quaſi cóãcti peccaſſent, reijciunt. Sed rectè D. Bern. Quare peccas, quia neſcis quid facias? abſit: quia cogeris vt facias? abſit: ſed quia placet vt facias. Neſcit etiam hæc modificare. Iſidor: lib: 2. cap: 17. dicit enim. Grauiùs eſt infirmitate quàm ignorantiâ quenquam delinquere, grauiusq́; induſtriâ quàm infirmitate peccare. Induſtriâ namq́; peccat, qui ſtudio ac deliberatione mentis malum agit, infirmitate autem, qui caſu vel præcipitatione delinquit. Nequiùs autem de induſtria peccant, qui non ſolùm non benè viuunt, ſed adhuc & benè viuentes ſi poſſunt à veritate diuertunt. Horum ſeminatio peſſima eſt. *Adulterinæ ſeminationes non dabunt radices altas.* Sap: 4.

Sap: 4. Cur dicit altas non verò profundas, non ſuſpicor intentum, quia altum & profundum pro eodem ſumitur. In Scriptura enim ſacra altum & profundum differunt, imò ſecundùm verum modum loquendi, differunt. Intendit ergò ſapiens, non dabit altas radices, quia hoc proprium eſt ſemini & ſeminationi bonæ, altum id eſt cœlum reſpicere & ad Deum excreſcere. Seminatio verò mala dabit radices in profundum, vt enim in profundum peccati venerat, ita in profundum inferni ſeminator mali deſcendet imò detrudetur. Vnde admonet B. Nilus Mart: in ſent: Tropol: Maligna ne ſemina, ver etenim proximum cum ſit, ſpinarum agricolam excipiet ignis.

Pro 5. Satore Nota. Agrum diabolus non aliud ad ſemen cupit, niſi cor hominis, cupit enim tritico boni operis ſuperſeminare Zyzania, ſemen peſſimum. Et ſicut ſeminator bonus deſiderat optimam frugem, ideò diſpoſitam facit terram, granum eligit optimum, tempus aduertit ſerenum; ita diabolus vt ſemen peſſimum inijciat contrarijs diſponit pronum cor ad malum. *B. Nilus Martyr.* Omne opus malum contra nos diabolus armat, armatus verò grauiter contra armantes inſurgit. Quocircà ſemper in operibus bonis vlterius procedere cura, nam ſi minutum minuto accumulaueris quotidie, breuì diuitias ab omnibus expetendas congregabis, ſi verò ad inertiam, otium & vitia declinaueris, eris terra diaboli, fructus inferi, irriſio condemnātis: Audi D. Bern. Iniuſtum eſt ſeruire diabolo qui nullo placatur obſequio. *Chryſoſt. ſuper Math. antydotum ponit.* Jnprimis grauis & inſuperabilis eſt impetus diaboli, quod ſi quis forti animo ſuſtinuerit eum, in ſecundo inueniet eum infirmiorē. Quantò enim plus percuſſus fuerit, magis refrigeſcit & deficit.

Diabolus à pr: grauis.

Pro Satore vltimo. Mortem Satorem bonum & malum eſſe, Bonus eſt Sator iuſtis. *Iuſtus quacunq; morte præoccupatus fuerit in refrigerio erit, Sap: 4.* Quocirca illorum mors eſt ſcala in cælum, porta ad æternitatem, via ad immortalitatem & vitam. Malus verò Sator eſt malis. Qui verò mala fecerunt ibunt in ignem æternum. B. Nili conſilium. Ita curras vt vinças, hoc eſt indeſinenter, per virtutis enim ſemitam currere oportet, donec vitæ ſtadium exuperemus de morte bona & mala. Iſidorus lib. 3 cap. 66. dicit: Etſi pietas pro defunctis fidelibus flere iubeat, fides tamen pro illis lugere vetat. Deplorandi, quos miſeros infernus recipit, non quos cæleſtis aula Chriſti lætificandos includit. Illos enim Apoſtatæ recipiunt, vt ſint tortores in pœnis, qui ſuaſores erunt in vitijs.

Mors bona & mala.

DOMINICA QVINQVAGESIMÆ.

Stans autem Ieſus juſſit eum adduci ad ſe. (Puta cæcum) *Lucæ 18.*

QVOMODO IESVS STARE DICATVR?

Vocat ex cruce Christus.

RESp. Stat in cruce, & è cruce vocat nos ad ſe. Cant: 6. *Reuertere, reuertere ſonanimitis.* Reuertere per paſſionis meæ recordationem, reuertere per amaram contritionem, reuertere per lachrymoſam confeſſionem, reuertere per voluntariam ſatisfactionem. Prou. 1. *Vocaui, renuiſtis; extendi manum meam & non fuit qui aſpiceret, deſpexiſtis omne conſilium meum & increpationes neglexiſtis, ego in interitu veſtro ridebo & ſubſannabo, cum vobis quod timebatis aduenerit.*

ANNOTATIO.

Meta gloriæ.

MEtam gloriæ aſſignabant aliqui electores Regum ſtatuam deauratam, in cuius faſtigio, corona Regalis cum ſceptro apposita ſplendebant. Ita in Hiſtoria Regum Poloniæ legitur, vt ſi quis primus illam attigerit in curſu vt metam gloriæ, ille Rex & dominus regni fieret & coronaretur. *Cromerus in Leſcho Secundo.* Stetit etiam Chriſtus in cruce, vt in meta gratiæ & gloriæ: vt ſi quis eam attigerit, habeat coronam regni cœleſtis, attingere autem debet curſu fidei. *Chryſoſt:* Nouit fides omnibus repugnare & in omnia triumphare; vnde fide cùm tetigit IESVM cœcus, ſiſtit Chriſtum vox inuocantis: quocircà iubet adduci ad ſe cæcum, & ſanato dixit: *Fides tua te ſaluum fecit.* Profectò peccator grauatus peccatis, eſt Echino aſperior; ſed cùm adhuc infidelis eſt, & incredulus aliquis ad peccatorum enormitatem, nedum aſperioris eſt Echino, ſed incude quoq; durior. Quocircà quem fides ſacra emollit, hic nedum grauia onera peccati deponit, duritiam cordis reijcit, ſed ad omnem inſtinctum mentis aqua mollior fit, & reſoluitur citò in lachrymas. Vnde quidam Echino ſcribebat: CORTICE DEPOSITO, MOLLIS ECHINVS ERIT. Hinc Chryſoſt: cæci vocem conſiderando dicit: Quis te docuit hæc ô homo? num perlegiſti libros priuatus luminibus! Vnde igitur noſtri luminare mundi? Verè Dominus illuminat cæcos. Fælix cæcus, qui ferante beneficium fidem oſtendit obſeruat uidam, & poſt beneficium beneuolentiam; ſequebatur enim Dominum magnificans Deum, ita quod

Statua ad regnum.

Christus meta gratiæ & gloriæ.

quod omnis plebs vt vidit hoc, dedit laudem Deo. *Chryſoſt:* Pro fidê venduntur beneficia, diffunditur enim gratia quam ſuſcipit fides.

Per quos cæcus ad Ieſum ducitur?

RESP: Per duos. Primus eſt timor ſeruilis. Secundus eſt amor filialis; timor timet ne in gehennam mittatur, amor ſitit vt ad Patris dexteram ſtatuatur. Hi ſunt illi duo diſcipuli quos Dominus miſit *Matth:* 21. ad ducendam aſinam cum pullo, per aſinam antiqui peccatores, per pullum iuuenes intelliguntur; quorum conuerſionem Dominus deſiderat, & in eis requieſcere cupit.

ANNOTATIO.

NOn quæſtio melior, non vtilior peccatori, non deſiderabilior facit ſanctis; quàm quâ viâ, à quibus & medijs quibus, cæcus in anima; à qua cæcitate deuenit cæcitas corporis in homine, duceretur ad IESVM. Inſollubilis quæſtio hæc fuit ante paſſionem Domini noſtri IESV Chriſti, nec remedium erat, niſi præſentis filij Dei voluntas & actio adfuiſſet. Quocircà vt cæcus audiuit, quòd IESVS Nazarenus præteribat, clamabat nec ab increpantibus in ſuo clamore perturbabatur; ſed magis clamabat: *IESV fili Dauid, miſerere mei.* Verùm poſt paſſionem Domini quæſtio, vim & intellectũ etiam in idiota, fundauit. Venit ad IESVM gratiâ præueniente & coadiuuante, quæ excitat in homine peccatore timorem & amorem, vt ab imperfecto ad perfectum, à timore ſeruili ad amorem filialem, deducat. *Iſid: de hoc lib: 1. cap: 16.* Chriſtus ſicut peccatum quod pœnâ dignum eſt non admiſit, ita pœnam peccati noſtri ſuſcepit, vt per indebitam pœnã ſuam, debitam ablueret culpam noſtram; vt per hoc diabolus amitteret quos reos tenebat; dum vnum interfecit, qui nihil peccati admiſerat. Id igitur opto peccatori, vt id quod optimè ſcit & nouit, illud tamen apprehendere negligit; cogitandum, practicandum, exequẽdum arripiat. Dicebat quidam: Scit multa vulpes, vnum Echinus et magnum. Si de terreſtri Echino intelligimus, ille cùm domunculam ſibi conſtruit, ad Auſtrum & Aquilonem feneſtrulas dirigit, ſed graui aurâ audiente obſtruit vnam feneſtram, & aperit alteram; ſcit igitur vnum, at pro ſe magnum, ne ſcilicet obuiatur à flatu. Si de Echino marino, ille tempeſtate irruente infigit aculeos lapidibus mollibus, vel infigit terrâ, ne quomodo auellatur à fluctuum commotione. Magnum ſcit Echinus pro vitâ conſeruandâ. Ita hominem peccatorem deſidero ſcire velle pro vita ſua. Scit quidem hoc omnis peccator, quod reſpirandum & reſpiciendum eſt illi ad cælum & Deum; at peccatum eius mentem, oculos, animum, dirigit ad terram! Deſidero igitur, vt

peccator

peccator cælum Deumq; reſpiciat; ne quando in deſperatione dicat, quod Lutherus dicebat: *ô quàm pulchrum cælum ſed non pro me.* Ergò ad timorem Dei peccator, per quem deueniat ad amorem ipſius, ſeſe conuertat. Hi enim ductores ſunt ipſius, hi præſentatores & auxiliatores eius, vt iubente Domino perueniat ad conſpectum Christi, à quo ſanitas & vita cum lumine eſt. *B. Nilus M:* Timore delictum corriges, & modeſtius in cunctis ages: En quis profectus eſt ex timore ad cæteras virtutes & amorem Dei. Vide cæcum, quid hunc promouit ad tam altum & continuum clamorem? Equidem cæcitas corporis, ſed cum hac & cæcitas mentis. *Cyrill:* A duplici cæcitate liberabatur, corporali ſc: & intellectuali. Quocircà altè & interruptè clamabat: *IESV Fili Dauid miſerere mei.* Dicitur Malach: 1. *Si obtuleritis cæcum vel claudum, quis accipiet hoc de manibus veſtris?* Accepit eum Chriſtus, quia timor & amor Dei, fidem verã in illo excitatam, Chriſto commendatam fecerunt. *Cyrill:* In Iudaiſmo nutritus non ignorauit quod de progenie Dauid Deus ſecundùm carnem naſceretur, & ideò ei vt Deo loquitur; puta, in timore & amore. *IESV fili Dauid miſerere mei.*

Cælum ſed non pro Luthero.

Timor corrigit delicta.

Cæcitas duplex.

Offere cæcum quid.

Quis ſit cæcus qui à Domino illuminatur?

Peccator cæcus.

RESp: Peccator, & indiget vt per veram fidem illuminetur, & per bonum opus Deum imitetur. Vnde dicit cæco IESVS: *Reſpice, fides tua ſaluum te fecit, &c.*

Notat B. Alb: M. Contingit ſpiritualis cæcitas ex ſex cauſis. Prima, propter rerũ cupiditatẽ. Plurimi enim excæcantur per amorem & terrenorũ cupiditatem, ne æterna bona videant. Tobias ſtercore hirundinũ excæcatus fuit; per hirundinem quę leuis eſt contemplatiui viri intelliguntur, illorum conuerſatio in cælis temporalia vt ſtercora reputant. Ad Philip: 3. *Propter Chriſtum arbitror* vt ſtercora omnia, vt ipſum lucrifaciam, & inueniar in illo. Vnde non excęcãt in anima pios viros bona temporalia, ſed mundanos à bonis æternis, cæcos faciunt. Et hi neceſſe habent vt felle piſcis curentur: piſcis eſt inimicus humani generis, fel illius eſt infernalis amaritudo, quam ille impijs & auaris propinabit: Iob. 20. *Panis eius in vtero illius vertetur in fel aſpidum intrinſecus.* Quæ enim pauperibus per violentiam auferuntur, in fel amariſſimum draconis cõuerſa, cordibus Principum auarorum infuſa eos cruciabunt. Tali vngantur felle, vt auaritiæ renuncient, ablata reſtituant.

Secunda cęcitas contingit per gloriæ & iactantiæ fatuitatem. Significat hanc cæcus à natiuitate Ioan. 9. Quis enim cæcus à natiuitate? niſi ille quem vana gloria excæcat? & maxime ille qui de natiuitate ſua & nobilitate gloriatur. Stultum eſt de hoc gloriari. *Boet: de Conſol:* Quid genus

genus & proauos perſtrepitis, ſi primordia veſtra authoremq; Deum ſpectetis. nullus degener extat. Tales cæci neceſſe habent vt luto ex ſputo confecto liniantur & in natatorijs Siloë lauentur. Hoc eſt, conſiderare debent ſeſe plaſmatos eſſe ex terra, cui Deus per peccatum hominis maledixit. Et ſe lauare in ſiloë, eſt attendere ſe emũdatum & nobilitatum fonte baptiſmatis Chriſti ſanguine rubricatis. Ita conſiderando non gloriabitur in ſua nobilitate. Hinc eſt quod diuites non baptiſantur in vino, & pauperes in aqua.

Tertia cæcitas prouenit ex voluptate luxuriæ, Apoc. 3, *Angelo Laodiceæ Eccleſiæ ſcribe. Hæc dicit: Amen teſtis fidelis & verus, qui eſt principium creaturæ Dei. Vtinam frigidus eſſes*, per caſtitatẽ; *aut calidus*, per charitatem; *ſed quia tepidus es*, per luxuriæ voluptatem; *incipiam te euomere de ore meo: Ideò ſuadeo tibi, vt induaris albis veſtimentis, & collyriæ inunge oculos tuos*. Hoc collyrium confici debet ex pice, ſulphure, igne, grandine, ſerpentibus, bufonibus. Hæc enim luxurioſis præparata ad pœnã. Præpone hæc oculis cordis, vt videant claritatem Dei. Talis cæcitas notata in Samſone qui dormiuit ſuper genua Dalilæ, quæ etiam abraſit illum, abraſum rapuerunt Philiſthini, id eſt: dæmones, & excæcauerunt. *Iudic: 16.*

Quarta cæcitas ex iracundiæ grauitate. *Act. 9.* Saulum ignem ſpirantem & furijs inuectum inuaſit cæcitas, & per impoſitionem manuum Ananiæ recepit viſum. Vt igitur viſum quis recipiat, ſit Ananias, id eſt donum gratiæ Domini, & ſignat manſuetudinem patientiæ, hic enim gratiam meretur Domini.

Vana gloria cæcum facit.

Quinta cæcitas, per vanam mundi lætitiam. Multos excæcat ad ſenectam & ſenium. Talem hîc in Euangelio cæcus ſignificat, quem dominus reſpicere iuſſit. His enim neceſſe retrò aſpicere æternos cruciatus & luctus qui ſequuntur. Qui modò ſaltat, ludit, reſpicere debet quod citò in feretro ad ſepulchrum portabitur.

Curatio cæci in Bethſaida.

Sexta cæcitas, ex ſtulta ſui ipſius placentia. Quidam enim ex ſua iuſtitia nimis præſumunt, alios deſpiciunt, & ideò coram Domino cæci ſunt. *Matth: 8.* Cæcum in Betſaida eduxit extra vicum Iesvs & expuit in oculos eius imponens manus ſuas, & vidit homines velut arbores ambulantes, & iterum impoſuit manus ſuper oculos & clare vidit omnia. Bethſaida interpretarur domus vallis, ille qui putat quod ad illum ſolum tanquam ad vallem ſanctitatis gratiæ confluxerunt, cæcus in Bethſaida eſt. *Gloſſa de hoc cæco.* Non videt quod eſt, quod fuit, quod erit. Tales ſunt placentes ſibi. Non vident quod ſunt, Credunt ſe eſſe bonos, iuſtos & non ſunt. Ponatur quod ſint iuſti, tamen non vident quod olim fuerunt. Puta etiam peccatores. Et non vident quod erunt, quia poſſunt adhuc peccare, vt Angeli o-

geli olim in cælo peccauerunt. Talibus vt illuminentur tria neceſſaria. Primò, vt extra vicum ſuæ manſionis educantur. quod fit, dum ſe virtutibus & bonis operibus pauperes reputant & mendicos. Pſal: 85. *Miſerere mei Domine, quoniam inops & pauper ſum ego.* Secundò, vt oculis eorum manus Domini ſupponantur: quod fit, dum opera Chriſti & Sanctorum attendunt. Tertiò, vt à Domino oculi conſpuantur. quod fit, dum ſua opera ſordida, vilia, vt pannum mẽſtruatæ reputant. Vnde dicit homines ceu arbores. Nam iuxta Gloſſã: Omnes exiſtimant ſe ſuperiores, qui ſe indignum iudicat. Ita Dauid ſe indignum iudicauit vocari hominẽ, ſed canem mortuum, & pulicem viuum. Rogate vt in præſenti illum imitemur, & in futuro ad aſpectum eius admittamur.

ANNOTATIONES.

Sciebat & inſinuabat.

Cvr quærit à cæco Dominus. *Quid vis tibi faciam?* Sciebat vt Deus cor ipſius, videbat in eo cæcitatem animæ & corporis, cur igitur quæſiuit. *Quid vis tibi faciam?* Inſinuabat quod mirabile factũ requirebat illiꝰ cæcitas, non lutum, non ſputũ, non manũ, ſed altiſſimã potentiam, quæ velamen ex cordis oculis & ſquammas ex corporeis eodem momento auelleret, ideò dominus dixit ei. *Reſpice.* Hæc fides quam profers & quã illuminatus es interius, impedimentum abſtrahat ab oculis quoq; exterioribus. Quocirca Beda expendens quod daret laudem Deo, dicit. Nõ ſolùm pro impetrato munere lucis, ſed & merito fidei impetrãtis. Conſtituerat ſymbolũ Iul: Cæſar Capaccio lib: 2. impreſtarum. Currũ in quo fax aſcenſum in rectum ſplendet, quem duæ albæ columbæ attrahunt. Et dedit lemma. *Et ſine labe fides.* Optimè ad fidem cæci præſentis hæc accommodantur, dũ fides eius promeruit viſum animæ & corporis, & in laudem tam magnificam accendit. Corde tunc illuminatus, & conſcientia fuit ille cæcus, alba & candida columba, rationi ſubiungans corpus, & rationem Chriſto Deo.

Pro prima cæcitate Nota. Quæ hominibus ſunt accepta in mundo, non ſolùm ſunt cupidè quærenda, ſed nec quoque à Domino petenda. Ita enim B. Nilus Mart. in ſent. Tropol. A Deo ne pete accepta, ſed tantùm vtilia: iſta enim ſi petes, haud concedentur: vbi verò conſequeris, officient. Dicitur Iſ. 42. *Cæci, intuemini ad videndum.* Ingens profectu ſtimulus, dum vrget Iſaias cæcos ad intuendum & videndum. Nunquid cæcus formaliter intuebitur & videbit? Mouet cæcos corde & cæcos corpore, qui oppoſita obſtacula ad videndum per cupiditatem terrenorum, fortiter præmunt ipſa ad palpebras, ne diſtantia debita poſſint ea cernere. Dicit igitur: Cæci, qui vos vltrò cæcos facitis intùs & extra, ob concupiſcentiam, amorem & bonum caducum, intuemini, ad tempus ſcleuate.

leuate velamen & videte, quòd cras moriemini, & hæc cuius erunt? Idē Ieremias fecerat c. 5. dum altâ voce dicebat: *Audi popule ſtulte qui non habes cor qui habentes oculos non videtis & aures & non auditis.* Non hoc alijs magis conuenit, quàm cæcis ob terrena oblectamenta, illi enim nullum habent lumen in corde, nullum diaphanum in oculis, ſed incipiunt pænam in hac miſera vita damnatorum de qua Iſidorus de Sum. bono lib. 1. cap. 31. Ignem gehennæ ad aliquid lumen habere, ad aliquid non; hoc eſt habent lumen ad damnationem, vt videant impij vnde doleant, & non habent ad conſolationem ne videant vnde gaudeāt. Ita illi ad conſolationem damnabilē, habent lumen gloriæ mundialis, ſed non habent ad conſolationem æuiternam, quia momentaneum elegerunt, vt delectet, æternum verò non abhorruerunt, vnde crucientur. Vide quomodo cupiditatem Darij Regis Perſarum Semiramis è ſepulchro caſtigauit; cui poſt apertum ſuum ſepulchrum dedit legendum, vt ait Plutarch: Niſi malus & pecuniarum inexplebilis fores, mortuorum loculos nunquam mouiſſes. Acrius homines cupidos increpabit Deꝰ, quos vt peregrinos trāſire per ſublunaria voluit, ita cœleſtibꝰ viuere & æterna aſpirare & ſpirare, conſtituerat.

Pro ſecunda cæcitate. Nota. In tantam cæcitatem plurimum inuehuntur Sancti Patres, qui nedum diſtinguunt nobilitatē, in ſæculo à nobilitate ante Deum, ſed nihilum quoq; reputant nobilitatem ſeculi ſine nobilitate ante Deum. *Hieron. in Epiſt: ad Celant:* Nulli te vnquam de generis nobilitate præponas, nam religio noſtra neſcit perſonas, nec conditiones hominum ſed animas inſpicit. Ille namq; apud Deum potior non quem nobilitas generis nec dignitas ſæculi, ſed quem deuotio fidei & ſancta vita commendat. Et plerumq; nobilitas carnis ignobilitatem parit mentis. *Chryſoſt. in cap. 4. Matth.* Quid profuit Chan quod fuerit Noë Filius, nonnè ſeparatus eſt de medio filiorum? factus eſt ſeruus ſecundùm animam, nec familia eius ſancta potuit defendere impios mores. Inter ſymbola Capaccij: Video Cedrum altam frondibus & folijs perpulchrè ornatam. cui ſubſcriptum manet: SED CEREBRVM NON HABET. Quaſi diceret: Altis vitis ſplendidè genitis, ornatis ſubſtantiâ & ſeruis, Cedrus cōparatur, ſed ſi genꝰ factis proprijs non illuſtrant ſed maculāt ſubſcribendum venit, Cerebrū non habet. Hinc Alciatus:

Pulchra coma eſt, pulchro digeſtèq; ordine frondes,
Sed fructus nullos hæc pulchra coma gerit.

Iſa. Quadrageſ. quarto dicitur, *Neſcierunt neq; intellexerunt neq; cognoſcunt neq; ſentiunt.* Expoſuit hoc Petrus de Palude. Neſcierunt ſcilicet Deum ſupra ſe, neq; intellexerunt dæmonem trahentem ante ſe, non cognoſcunt mortem poſt ſe, neq; ſentiunt infernum infra ſe. Hæc cæcitas plerunq;

runq; elatos ex ſanguine & genere, æterna proſpicere non permittit, quia oculos carnis & mentis, niſi ad ſe exaltandos & deprimendos infirmiores, erigunt, Deum verò cœlum & conſcientiam negligunt. Igitur ex genere nobili quod funus ſepulchrumq; terminum habet, ſumite ô Viri nobiliter nati ex arboribus truncatis vires, qui pullulare de nouo non deſinunt. Sed ſumunt ex funere vires. Ita vos quoq; dum nobiliter prognatos vos eſſe cognoſcitis, & morti tamen diſpoſiti eſtis, ex funere deſumite vires, quod in patria non prætereunte vitam indeſinentem cum gloria perenni inchoabitis, ſinceris & ſimplicibus lux ſemper ſplendeſcit cœli in Aula.

Anima obruitur corpore & pec. Pro tertia cæcitate, Nota. Obruitur animæ ſplendor, dum infunditur corpori, ſed magis obruitur, dum à corpore ad peccandum trahitur & voluptatibus deprauatur. *Anima ex ſe ſplẽdida.* *Iſidorus de ſum: bono lib. 1. cap. 14.* Multum ex ſua natura ſplendorem poſſidet anima, ſed fuſcatur commixtione carnis quâ detinetur incluſa. Ex ejus enim parte vertitur ad peccandi infirmitatem, Salomone dicente. *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena habitatio ſenſum multa cogitantem.* Sap. 9. Antiqui Venerem felicem adinuenerant, quam in ſuis madalijs exprimendo, pingebant matronam manu exporrientem melonem, & legendum ponebant *VENUS FELIX*. *Venus felix.* Profectò cum dulcedine melonis, ſtatim corruptio ingeritur. Ex quo enim melones maturitatem debitam habent, mox ruunt in putredinem. *Melonũ ſcri-* Quocirca dum acceptum à Virgine melonem quidam comediſſet, atq; in grauem incidiſſet morbũ, ſubduxit Meloni. *Amor … lum.* *A MALO MALVM.* Quapropter corrigendi ſunt veteres, & ſcribendum. *Venus ſemper infelix.* Eccl. 7. *Inueni amariorem morte mulierem quæ laqueus venatorum eſt.* Quocirca admonebat B. Nilus Epiſc: & Mart: in Sent: Tropol: Carnis voluptates odio proſequere, nam corporis ſordes animam quoq; inficere ſolent. Ad eundem ſenſum Innocentius de Vtilit: Cond: hum. *Tria homines …* Tria maximè homines ſolent affectare, opes, voluptates, honores; de opibus praua, de voluptatibus turpia, de honoribus vana procedunt. Nam opes generant cupiditatem & auaritiam, voluptates pariunt gulam & luxuriam, honores nutriunt ſuperbiam & jactantiam. *Deus diſſipat oſſa eorum qui hominibus placent* Pſ. 52. Si ita punitur ille qui non Deo ſed hominibus placere in ſuis actibus deſiderat, quomodo punietur ille, qui carnaliter placet hominibus? Nedum oſſa diſſipabit illorum, ſed conteret eos Dominus Deus, ne ſemen, memoria, nomen eorum in terris remaneant. *Ambr. lib. de Virg.* Qui moderari neſcit cupiditatibus, is quaſi equis raptis, indomitis voluitur, laniatur, affligitur. Vide quid cupiditas carnalis facit cum homine. Quid verò faciet Deus cum cæco ex talibus carnalibus cùm vindictam de illo

de illo ſumet? tu ô fætide, carnis illecebris immerſe, cogita quæ te manent, & contremiſce.

Pro quarta cæcitate, Nota. Iac. 1. *Ira viri juſtitiam DEI non operatur.* Quid igitur operabitur? Injuſtitiam, homicidium, diſſenſionem, contemptum Dei & proximi, & cætera horrenda vitia. Quocirca Eccl. 27. *Ira & furor vtraq; execrabilia ſunt.* Cæcus qui in Euang. proponitur, dum prohibebatur poſt Ieſum Nazarenum clamare, non ſine ira fuit; at illius ira bona & meritoria. Prohibebatur enim à fide & religione. De Canuto Rege Danorum religioſiſſimo. Qui in templo à ſeditioſis multis vulneribus confoſſus interijt, dicitur apud Baron: ſub Anno 1074. Saxo. Ex vulneribus quas ob decimas perſoluendas ſuſcepit, plus gloriæ quàm cruoris effluxit. Ita hic cæcus exclamore magis ac magis prohibito, plùs gloriæ quàm ignominiæ recepit. Stetit Dominus non iratus, & juſſit ad ſe adduci & ſanauit eum. Bona ergo quandoq; eſt ira quæ ex Zelo bono procedit, ſed mala quæ præter Zelum Dei & bonum ſanctum, exardeſcit. Vnde Gen. 49: *Maledictus furor eorum quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura.* Subſcribebat quidam Pſittaco. *Nulla temporum concordia.* Fortè docilem juuenem, ſenem verò obliuioſum Pſittacum eſſe inſinuabat. Sed lemma tale iracundum hominem exprimit, qui irretitum cor ſanguine ob iram gerens, nullo tempore concordiam deſiderat. Vnde monet Ambr. de Offic. lib. 1. Reſiſte iræ ſi potes, cede ſi non potes, ſi præuenerit & præoccupauerit mentem tuam iracundia & aſcenderit in te, non relinquas locum tuum, locus tuus patientia eſt. Laudatur Architas Tarentinus, qui Villico ſuo iratus dicebat, (inquit) cederē niſi iratus eſſem. Ergò omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blaſphemia, tollatur à vobis cum omni malitia. *Ad Epheſ. 4.*

Cū ira quid fac. — *Laus in ira Arch.*

Pro quinta cæcitate. Nota. Eſa. 51. *Leuate in cælum oculos veſtros, & videte ſub terra deorſum, quia cæli ſicut fumus liqueſcent, & terra ſicut veſtimentum attereteur, & habitatores eius ſicut hæc interibunt, ſalus autem mea in ſempiternum erit.* Hinc Auguſt: ſuper Epiſt: Ioan. Mundus tranſit & concupiſcentia eius. Quid vis? vtrum amare tēporalia & tranſire cum tempore, an Chriſtum amare & in æternum viuere. Vitam temporalem ita magni faciebat Ioannes Imper: Græcorum, quod cum fama noluit eam commutare. Sic enim habet Baron. ſub Anno 1143. Cùm annos regnaſſet 24. ex leui vulnuſculo perijt, euerſa enim inter venandum Pharetra venenatæ cuſpidi manum impegit, quàm cum medici præcidi iuberent, abnuit negans & dicēs. Tantū imperiū vnâ manu regi nō poſſe. Mundū dicebat, licet non mundum introſpiciebat. Dedecus ſuum eſſe ſine manu conſiderabat, & mundum atque imperium objiciebat. Quid igitur non facies cùm tibi vita æterna promittitur, donatur, conceditur? Meliùs eſt cum vno oculo & manu intrare in regnū cælo-

Omnia tranſeunt, ſolus Deus manet. — *Melius cum vno oculo in vitā.*

tam intrare quam &c.

cælorum, quàm duas manus habentem mitti in ignem æternum. Sed quia arbitrium eſt ditiùs auro. obijcio homini, miſerabilem conditionem eius, quia lutum eſt, ſicut Iob 30. dicebat. *Comparatus ſum luto, fauillæ & cineri.* Quis eſt verò iuxta materiã ex qua formatus eſt homo, quis cibus eius dum in vtero conceptus, quis eiulatus naſcentis, quæ nuditas nati, quæ breuitas vitæ, quis labor, quæ anxietas, quæ miſeria, mors, reſolutio nati, arbitrio hominis cogitanda mitto. Dauid petebat Dominum. Pſal. 141. *Educ de carcere animam meam.* Quaſi diceret. Nunquam eſt quies & tranquillitas in carne, quid in mundo? nunquam pax & ſecuritas cum corpore animæ ſic coniunctis, quid in mundo? ſunt ibi timor, tremor, labor & dolor, educ de hoc carcere animam meam Domine. In carcere ſuo Pſyttacus ſcit reddere voces. Dicit, Domine Rex. Ita homo in mundo ceu in carcere poſitis, non vocare mundana ſed Deum & Dominum cœli & Regem Regum vocare debet, vt cum illo regnet in libertate cœleſti & gloriâ, nec deſinat à laude Dei, ſed inuocet Domini nomen: Sanctus, ſanctus, Dominus exercituum. Nota hunc mundi faſtum, quam conditio iniqua tollit. Addrianus Pont: ex Angina repentino ac violento morbo deceſſit, quem fabula à Schiſmaticis excogitata, (quod ex attracta in fauces muſca ſtrangulatus eſſet) ſubſecuta fuit. Regem Pol: mures

Miſeria hũ. deſc.

Educ de carcere animam meam.

Pſyttacus in carcere regẽ nominat.

Addri Papæ mors.

Fabula de Papa.

Reges

deuorârunt, alium Germaniæ Principé pediculæ conſumpſerunt. Quid de cæteris dicam? vt factus es Princeps, Rex, diues. mox, te non vident ſcribitur in parietibus tuis. *Diſpone domui, quia morieris.* Rideo quoddam Iuris conſultorum epitaphium à Baronio ſub Annum 1159. exaratum, ſuis diſcipulis & alumnis Guarnerius inſcripſerat Iuriſconſultus. Bulgarus os aureum: Martinus copia legum: Hugo mens legum: Iacobus eſt quod ego. Hi omnes legem ſonabant, tenebant, defendebant, & nullus illorũ apprehendebat, quod lex fuerit vna omnium. Mori. Et mundum ipſum tot annorum millibus durantem, hanc atram periodum ſubire debêre. Vt non fuit, ita nuſquam erit.

mures pediculæ corrodunt.

Iuris conſultus Epiph.

Lex vna omnium.

Pro ſexta cæcitate, Nota. Terribilis ſententia executa eſt ſuper dicentem in templo. *Gratias ago tibi quod non ſim ſicut cæteri hominum.* Damnatus enim receſſit à templo. Hæc complacentia ſui & in bonis operibus ſuis reportat. Quid habes quod non accepiſti, perditio ex te ô homo, ſalus verò nulla à te tibi eſt. Optime D. Paulus 1. Cor. 15. *Gratiâ DEI ſum id quod ſum.* Ezech. 37. dicitur. *Erit tabernaculum meum in eis, & ero eis Deus, & erunt mihi populus.* Vide quæ bona ſequantur hominem in cujus medio eſt tabernaculum Dei, ex quo intellige, vbi non eſt tale tabernaculum qualis pernicies hominis, nec erit in numero populorum ejus, nec Deus erit ipſius Deus. Et quis

iſte qui

iſte qui tabernaculum in ſe Dei non non habet? Ille qui ſibi omnia aſſcribit, ingenio ſuo, viribus, virtutibus ſuis; jam enim ille collocauit in ſe ſuum tabernaculum non Dei. *Hieron. ad Nepotianum.* Amor formæ, eſt rationis obliuio, ſi hoc amor formæ efficit, quod damnum non efficiet, complacentia in ſe, & attributio meritis ſuis, viribus & virtutibus! Penſanda eſt doctrina B. Nili Epiſc. & Mart. ſemper in operibꝰ bonis vlterius procedere cura, nam ſi minutum minuto accumulaueris quotidie, breuì diuitias ab omnibus expetendas congregabis. Sed talis proceſſus non viribus noſtris, ſed Deo aſſcribendus eſt cùm Apoſtolo Philip. 4. *Omnia poſſum in eo qui me confortat.* De Henrico Anglor. Rege S. Thomæ Canthuarienſis occiſoris dicebat Petrus Bleſen. Agnus eſt, dum placati eſt animi, Leo verò vel leone truculentior dum vehementer exardeſcit. Ignoro quo Spiritu Agnus erit qui ſemper Leo eſſe voluit. Sed Deus noſter & Dominus, quotidie & ſemper eſt Agnus ac proficuus homini, ſolis inſanis qui cœlum ſibi propria virtute aſſcribi deſiderant, eſt Leo. Gloriam enim ſuam alteri non dabit. Canis ſtella dum exoritur, dicunt Aſtrologi quod lupi in monte Tauro manentes tunc fugiunt in ſpeluncas donec tranſierit calor. Vnde lupo tali ſubſcripſerunt. *Te oriente fugit.* Eo medio Dominus cœli & ſtellarum, cùm videt exoriri in corde fatui, quod ſit Sanctus, perfectus & procedere in virtute ſuo Marte poſſit, recedit illico ab homine, ſic illo ſibi oriente, & adimplebitur in eo. Oſeæ. 9. *Væ eis cùm receſſero ab eis.* Verùm ne labor hominis videatur non eſſe meritorius, in acquirendis virtutibus, & ſupportandis patienter iniurijs, aduertere licebit, meritum eſſe duplex, de condigno & de congruo. Nil ergo meremur operibus noſtris de condigno, quoniam ſerui inutiles ſumꝰ & opera peccatoris ſordida ſemper, ſed dignos nos merito de congruo ex ſua juſtitia facit, at de hoc nullus extollatur, ſed gratias agat, quod labor ſuus inter merita vocatur, & ſic à DEO conſtituatur.

Procedendi cura in operibus.

IN DIE CINERVM.

SERMO I.

Conuertiminini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, & fletu, & planctu, & ſcindite corda veſtra. *Ioelis 2.*

DVO

DVO in præmiſſis. Primum vocatur peccâtor ad pœnitentiam, vnde dicit: *Hæc dicit Dominus. Conuertimini ad me.* Quæ conuerſio in ſeptem conſiſtit, quæ enumerantur in themate. *Conuertimini in ieiunio*, id eſt, per mali operis dimiſſioné, eſt enim ieiunium à cibis & à malis operibus. Iſa. 58. *Nonné magis eſt hoc ieiunium quod elegi? Diſſolue colligationes impietatis, ſolue faſciculos deprimentes. Et fletu.* Propter omiſſionem boni operis. *Et planctu.* Propter peccati multiplicis commiſſionem. *Scindite corda* triplici ſciſſura, contritionis, confeſſionis, compaſſionis, & lachrymæ fluant per contritionem vt peccata reuelentur per confeſſionem, vt miſerijs proximi ſubueniatur per compaſſioné: Conuertimini ad Dominum, per opera ſatisfactionis.

Conuertimini ad dom

Secundum præmittitur. Ne deſperet peccator, Dominus ex benignitate multiplici commendatur. *Quia* inquit *benignus eſt* peccatoribus & ingratis multa beneficia largiendo, *& miſericors eſt*, tempus ad pœnitentiam ſufficiens concedendo: *Patiens*, exacerbatoribus piè parcédo: *& multæ miſericordiæ*, conuerſos ad ſe miſericorditer ſuſcipiendo: *& præſtabilis ſuper malitia*, peccata illis commiſſa paternè ignoſcendo, & nunquam deinceps obijciendo.

Dei benignitas multiplex.

ANNOTATIONES,

Pro vocatione Domini Nota. Ionas in ventre cœti, cùm iam iam angere animam debuit ad Deum conuerſus eſt, toto corde & eliberatus, ad vitam à morte redijt. Ita enim Ionæ 2. dicitur. *Quum anguſtiaretur in me anima mea Domini recordatus ſum.* Quomodo recordatus fuit Domini? An quia ei inobediens fuit & mandata eius non eſt exequutus? An aliorum peccatorum ſuorum recordatus eſt? Non: ſic enim iuſtitiam domini in ſe vocaret, ſed recordatus fuit, quia cum tribulatis eſt in tribulatione, & eripere atq́; glorificare poſſet & vellet inuocantes ſe in veritate. Quo circa Sap: 11. dicitur: *Miſereris omniũ quia omnia potes, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam.* ô dulciſſima verba vocantis Domini ad ſe: *Conuertimini ad me.* Quid enim dulcius à Deo tuo expectare potuiſti ô peccator, quem enormia fætida & cruenta peccata in felleam amaritudinem iniecerunt? Hoc verbum *Conuertimini*, durum cor tuum emolire deberet, oculos velamine tetro obductos eliberare poſſent, aures ſpinis mundanæ vanitatis obrutos excitare valerent. Et cùm dicitur: Ad me Deum tuum plaſmatorem, redemptorem, conuertimini: ad me quem offendiſtis, quem contumelijs affeciſtis, conuertimini; læſus à vobis reconciliatos mihi inueſtigo, iniuriatus à vobis non memor iniuriæ, gratiam offerro. *Conuertimini.* Quomodo te in tanta duritia, in tanto mundi amore affectus tui continebunt? Vocatus à Domino Samuel, illico à ſomno excitatus ad

Recordare Domini

ſuum

ſuum venit Dominum. Vocatus & latro in cruce, cùm redijt ad Deum, eodem die paradiſum ingredi meruit. Ergò vocanti præbe nedum aures ſed cor tuum ô peccator! Qui enim per pœnitentiam diluit peccata, Angelicæ felicitatis conſors in æternum erit, dicit S. Aug. lib. de mirabili Sac. ſcript. Sed aliquis mouebit quæſtionem. Cur tantoperè deſiderat conuerſionem, hominis peccatoris Devs ex tanta ſua benignitate & miſericordia. Deus rationes afferendas duxi: prima eſt quam D. Greg. in Paſtorali cap. 12. poſuit. quia fit plerunq; gratior Deo amore ardens vita poſt culpâ, quàm in ſecuritate torpens in innocentia. Secunda quam D. Bern: in ſermon: ponit. Quia vrbs refugij factus eſt Deus peccatoribus, Et dicit Ierem: 51. *Fugite de medio Babylonis, & ſaluate animas veſtras;* Et volate ad vrbes refugij vt poſſitis de præteritis agere pænitentiam, & in præſenti obtinere gratiam & futuram gloriam fiducialiter præſtolari.

Nota pro benignitate Dei in peccatores. Dicebat Ezechiel Rex ad Dominum. *Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ.* Vt Iſa: 58. legitur, ſi recogitâſſet annos ſuos bonos, quid inde emolumenti eſt Deo, qui ante mundum Deus erat ineffabilis, & incóprehẽſibilis, ſi vero recogitabit annos ſuos malos, ſicut exprimit non bonos fuiſſe dum adiecit: *In amaritudine animæ meæ.* quid inde prouenit DEO? Noluit bonos dies ſuos recogitare prudens Rex, quia nouerat quia in conſpectu eius non iuſtificabitur homo, nec poteſt dici aliquis bonus niſi ſolus Deus. Sed malos enumerat, quia benignus & miſericors eſt & juſtificare impium paratꝰ in valle hâc miſeriæ, ſi confitebitur peccata ſua. Refert Iul. Cæſ. in Numiſm. Rom. Quòd ob egregias virtutes Mar. Aur. Quintillius à ſenatu Imp. Rom. electus eſſet. Verùm vbi perſenſit quòd exercitus elegiſſet in Imperatorem Aurelianum, ductus metu venas ſibi incidere fecit & occubuit. Nec virtus excuſationem promerebat, licèt à ſenatu graui & conſulibus exaltaretur. Deus non virtutem hominis ipſam attollit, ſed etiã vitium in bonum conuertit, quia tã potens & miſericors eſt, vt poſſit & vellit malum conuertere in bonum. Vnde Luc. 5 dicitur. *Non veni vocare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.* Bern. ſerm. 53. Quàm diues es in miſericordia, quàm munificus in gratia, Domine Deus noſter. Non eſt qui ſimilis ſit tibi munerator copioſſimè remunerator æquiſſimè, liberator pijſſimè, gratis reſpicis humiles, juſtè judicas innocentes, miſericorditer etiam ſaluas peccatores. Cuidã magno bellatori poſt victorias & triumphos ſepulto, locò Epitaphij inſcriptum erat. *Virtus ſepulchrum condidit* Hoc vnicum haurit à politica mundi Achillea virtus & Herculis claua; quia nimirum illis ſepulchra virtus erigit & adornat. Quid verò pœnitenti peccatori non fatalis jam gloria mundi, ſed ipſe Deus permittat.

Virtus ſepulchrum cõdidit

tat. Audi Pœnitentia, cælum remiſſum reddit. Quanta enim maieſtas ipſius eſt, tanta eſt & eiuſdem miſericordia. *Eccl.* 2.

SERMO SECVNDVS

Supra idem Thema

De conuerſione peccatorum ad pœnitentiam.

Conuerſio triplex. CONuerſio triplex. ſimplex, per accidens, & per contrapoſitionem. Prima eſt pœnitentium & *Bona conuerſio.* verorum religioſorum, & eſt bona conuerſio. Quando omnia noſtra deſideria & cogitationes ad Deum conuertimus & eum totis viſceribus *Tria ad conuerſionem monent.* diligimus. De qua Ioël 2. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro.* Ad quam nos monere debent tria. 1. Appropinquatio mortis. Eccleſiaſt: 7. *Conuerſio non differenda.* *Ne tardes conuerti ad Dominum & ne differas de die in diem.* Cras, cras conuertatur. Sic enim cornix clamat. Sequitur enim: ſubitò veniet ira Domini, id eſt mors. *Bern.* Certum eſt, quòd morieris; ſed neſcis vbi, aut quando, vbique enim expectat te mors; & ſi tu es ſapiens, vbique eam *Cineres cur ponuntur.* expectabis. Ideò enim hodie cineres ponuntur, & ſacerdos dicit: *Memento quia cinis es, &c.* 2. Monere nos debet maxima benignitas noſtri creatoris: de qua Ioëlis ſecundo: *Quia benignus, miſericors, patiens, &c.* Et *Conuertimini & conuertetur.* Zach. 1. *Conuertimini ad me per pœnitentiam, & ego conuertar ad vos per miſericordiam.* Et Iſa. 40. *Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur ad Dominum miſerebitur eius quia multus eſt ad ignoſcendum.* 3. Recordatio paſſionis Dominicæ. Iſa: quadrag. *Serue meus Iacob noli timere ſed conuertere ad me quia ego redemi te.* Redempti verò pretioſo ſanguine. Eccl: 39. *Gratiam fidejuſſoris tui non obliuiſcaris, dedit animam ſuam pro te.* Hieron: IESV Bone quantacunque propinat nobis præſens tribulatio mala, parua patimur, ſi recordamur quid biberit ad patibulum, qui nos inuitat ad cælum dicens: *Venite qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Matth: 11. ô heu lamentatur Dominus: *Obliuioni datus ſum, tanquam mortuus à corde. Pſal. 30.*

Secunda conuerſio eſt hypocritarum, ſeu falſorum religioſorum, & carnalium, & diſſolutorum, & otioſorum, qui non ceſſant domos circuire ſicut mulieres: De his 1. ad Timot: 5. *Adoleſcentiores viduas de vita, quia primam fidem irritam fecerunt.* Et otioſi, non ſolùm otioſè ſed verbosè, curioſè loquentes, ſimiles mulieri. Prou: 6. *Mulier garrula, vaga, inquieta, impatiens, non valens in domo conſiſtere pedibus.* Habent iſti habitum religionis exterius, interius nullum. De his

his Ierem: 2. *Conuertimini ad me filij reuertentes, ego enim ſum vir veſter*. & ideò aſſumo vos, & hîc conuertimini ad me in toto corde veſtro, & non in parte.

Tertia conuerſio eſt peſſima. Quando anima miſera dereliquit ſuum creatorem & cõuertit ſe ad creaturam. Hæc conuerſio eſt per peccatum mortale. *Auguſt*: Peccatum eſt auerſio ab incommutabili bono ad commutabile bonum. Sic enim obtenebratur in anima. Sapientis 2. *Malitia eorum excæcauit eos*. & peioratur per bonorum naturalium vulnerationem, quia anima vulneratur per peccatum in ratione, memoria in intellectu, & corrumpitur per bonorum gratuitorum expoliationem. Vnde Luc. 10. *Homo deſcendebat de Ieruſalem in Iericho & incidit in latrones*. id eſt, dæmones. Et hi in fine aduertuntur in infernum. Pſal: 9. *Conuertantur peccatores in infernum, omnes gentes quæ obliuiſcuntur Deum*.

Peccatum quid eſt.

Peccatum quæ mala facit in anima.

ANNOTATIONES.

Conuerſio habet conuerſionem ante Deũ

DE conuerſione ſimplici, bonâ, & religioſâ: optimè Ier: 13. diſſeruit ex ore Dei: *Si conuerteris conuertam te, & ante faciem meam ſtabis, & ſi ſeparabis precioſum à vili, quaſi os meum eris*. Quis enim diſpoſitior eſt, vt à Domino conuertatur, quatenus ante faciem eius ad intuendum & obſequendum conſtituatur, quàm qui ſe liberè mancipauit Domino, & omnia deſideria & cogitationes ſuas cõſecrauit Deo? Illi ſeparant precioſum à vili, contemnunt idola, peccata, vitia, inſtruunt verò virtutes, religionem, pietatem, ſunt ceu os Domini, & inſtrumenta oris eius. Hinc de religioſis Hugo de clauſtro animæ reliquit: Habet lex clauſtralium iudices & teſtes atque conſiliarios ſuos. In lege etenim Domini duo ſunt teſtes, vita & conſcientia; duo iudices, meditatio & ſcientia; duo conſiliarij, amor Dei & proximi. Bonus teſtis bona vita, bonus iudex bona conſcientia: coram Deo conſcientia teſtis, coram hominib9 vita. Vis cognoſcere vires boni religioſi, accipe Iulij Cæſaris Cappacij ſymbolum: Aries mitis, valeroſam potentiam acuit & exercet contra regalem coronam & ſceptrum, cui indidit lemma: NVNC NOSCITO VIRES. Qui contempſerit mundum, regalia & honores propter Deum ſpreuit, animum ab illicitis & plauſibilibus abſtraxit, non habet aliud in mente & actibus, niſi vt ſit hoſtis carnis, mundi & diaboli, & quotidie victor exiſtat de ſuis expugnatoribus, & dicat: *Nunc noſcito vires*. Obſeruant boni clauſtrales quod S: Bern: in ep: ſcribit: Clauſtralis paradiſus ad ſuauem ſpirans auſtri clementiam, quaſi tot floribus vernat, quot virtutibus abundat. Dum enim officinas fratrum diabolus circuit, debet eum fugare ab oratorio deuotio, à refectorio lectio, à dormitorio ſtramenta vilia, à capitulo patientia. Iouinianus Imperator cùm poſt Iuliani Apoſtatæ obitũ

Religioſorũ iudices teſtes conſiliarij.

Nunc noſcito vires

Paradiſus clauſtrum.

Iouinianus imperator

Christi anus.

obitum electis eſſet; reſiſtit dicens. *Chriſtianus ſum, Ethnicis hominibus imperare non poſſum, nec volo.* Concordi militum clamore reſponſum eſt: ne metue optime Princeps, Chriſtianis imperabis. *Baron lib. 4. ex Sorc. Solomen. & alijs.*

Religio ſibi obſequiũ deſid:

Veri religioſi, qui votis & intentioni parere ſemper meditantur promptè, non deſiderant aliud niſi vt Deus illis imperet, religioſis imperet, conſecratis ad obſequium ſoli imperet. Mouet illos ad tantam perfectionem præſenter contemplata mors, qui quotidie aduertunt ſeſe morituros, illis etenim dicitur potiſſimum. Luc: 12. *Eſtote parati, quia qua horâ non putatis, filius hominis veniet.*

Eſtote parati.

Puta ad rationem faciẽdam de vita, ad tribuendum pro opere bono, ad eximendam animam & ſecum deducendam in paradiſum de paradiſo religioſorum. Sic enim Petrus Chryſol. in ſerm. dicit: Iuxta ſententiam cordis mei, ſi paradiſus in hac vita præſenti eſt, in clauſtro eſt. Monet illos ad tantam perfectionem & maxima benignitas Dei. Præſens enim eſt iuramento confirmata promiſſio ipſis. Ezech: 18. *Viuo ego dicit Dominus: nolo mortem impij, ſed vt conuertatur à viâ ſuâ & viuat.* Quod ſi tale iuramẽtum impiis relictum eſt, quali ergò benignitate donabitur à Deo miſericorde & propitio, liberè oblatus in obſequium Dei religioſus? Debuit eſſe Deus infeſtus infeſtis, & fact9 eſt dulcis amaris. Reſtat vt hominibus pijs & deuotis reſpondeat, Ego vobiſcum ſum in æternas æternitates. Monet quoque eos ipſa paſſio Chriſti ad ſolidam perfectionem colligendam. Vt enim canes colligunt micas ſub menſa Domini, ita religioſi veri ſub cruce guttas ſanguinis redemptionis ſuæ pretium colligunt, quibus animam refocillent, deuotionem excitent, affectus ſpirituales nutriant, & anhælare ad ſuperna faciant. Vnde in corde religioſæ virginis B. Claræ de monte Falcone Ord. S. Auguſt: diuiſo corde poſt mortem inuenta ſunt myſteria, Dominicæ paſſionis ita exactè expreſſa, vt ea exſculpta viderentur B. Iacobum de Beuania Ordin. mei orantem ad crucifixum, è latere imago emiſſo ſanguine miraculosè, inſigniuit in facie ſigno redemptionis ad gloriam. Quàmplurimos verò religioſos, & ſanctimoniales ex ſacris vulneribus ſuis Chriſtus decorauerit in manibus pedibus, & latere, plagis; nemini dubium eſt, dũ determinatio ſacræ Eccleſiæ in his acceſſerit. Ex quo colligitur, quòd memória Paſſionis Dominicæ in cordibus religioſorum ſummoperè viget & dulceſcit.

Paradiſus mũdi. — *Non vult mortẽ pecc.* — *Infeſtus infeſtis.* — *Religio colligunt guttas ſub cruce.* — *B. Clara Falconæ.* — *Iacobus de Beuania.*

Religioſi malo per accidens.

De ſecunda conuerſione quæ eſt per accidens hypocritarum & malorum religioſorum, Nota. Hi enim pietatem & iuſtitiam cum religione exercere debent, ſed vagando per plateas & diſcurrendo per domos, obliuiſcuntur ſpiritualis exercitij, dum occupantur vanis ſermonibus & occupationibus. Quocirca ad illos clamat Eccleſ: 17. *Reuertere ad Dominum,*

Reuertere ad

minum, & auertere ab iniuſtitia tua, & nimis odito execrationem, & cognoſce iniuſtitias & iudicia Dei. Conuerſio hæc nõ dicitur auerſio, ſed quædam receſſio. Nam religionis affectus non ſolùm deuotione corporis, ſed magis arcano geritur cordis, inquit Caſſiodor. ſuper Pſal. 43. Iſta occupatio vana religioſi, affectum deuotionis tepeſcere facit, ſed cor arcanum nõ ſemper mutat. Periculoſa tamen eſt talis receſſio, nam nedum ſcandalum generat, ſed animam in inſidias ponit. Dicit igitur Dominus: Conuertimini de ſua conuerſione mala. Quocircà Aug. lib. de Oper. Monach. Amputetis occaſionem turpium nundinarum, quibus exiſtimatio veſtra læditur, & infirmis offendiculum ponitur, & oſtendite hominibus, non vos in otio facilem victum, ſed per anguſtam & arctam viam regnum Dei quærere. Vidi inter ſymbola currum triumphalem, quem trahebant quatuor elephantes, & ſtatua aurea Principis erat ſuper currum. Religioſum virum exprimit currus, cor enim eius debet eſſe ceu currus triumphalis, ſtatuam SS. Trinitatis honorificè portans, & trahitur quatuor elephantibus, tribus ſcilicet eſſentialibus votis & regulâ, quam ſeruare ſeſe obligauit.

De tertia conuerſione quæ peſſima eſt. Nota. Non ſine ratione Propheta Ezech. 18. clamabat. *Conuertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris. Proijcite, & facite vobis cor nouum & ſpiritum nouum; & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Talis etenim auerſio à Deo iam latum decretum habet, ſed ipſa miſericordia executionem differt. Quocirca addidit, non erit in ruinam, ſi citò proijcietis iniquitatem & innouabitis ſpiritum. *Iſid. de ſum. bon. lib. 2. cap. 15.* Dominici contemptores præcepti, ſtatim vt auertuntur à Deo, à malignis ſpiritibus occupantur, à quibus etiã vt mala faciant perſuadentur. Hinc eſt illud Propheticum. Inimicos Dei perſequuntur tenebræ. Quæ intelliguntur dæmones. Et in Pſ. 77. *Immiſſiones per Angelos malos. Hæc ille.* *Auerſio à Deo miſeria.* Laudatur ab Oroſio Theodoſius ſenior Imperator, qui dum iuſſus eſt ob repente inuidia occidi, prçoptauit apud Carthaginem baptiſari in remiſſionem peccatorum; vt poſtquam Sacramentum Chriſti, quod queſierat aſſecutus eſt, poſt glorioſam ſæculi vitam, etiam de æternitate ſecurus percuſſori iugulum vltrò præbuit. *Baron. ſub Anno 369.* *Laus Theodoſij.* Profectò, graui dæmonum inuidiâ & horrendis inſidijs auerſum à Deo peccatorem, cum tormentis expectat orcus, quod verò cõuertatur ad Deum ſpiritus Domini expectant, elige ergo ô peccator impie vel gaudio perfici in cœlis cum Angelis, vel perpetuò affligi cum dæmonibus. *Mors bona.* Adeſt tibi gratia nunc Dei, adeſt baptiſma, pœnitentia, Euchariſtia, tuum erit vel ſubmittere colla Deo in gloriam, vel dare iugulũ dæmonibus in contumeliam. Liber es, vade. Eſto vel *Gratia hic peccati.*

Petrus pœnitens, vel Iudas crepans.

De modo conuerſionis peccatorum.

Deus ſanat ſermone.

VOcat Dominus. *Conuertimini ad me.* qui ſum medicina, qui ſolo ſermone ſano omnia. Eccl. 43. *Medicina omnium in feſtinatione nebulæ.* Sap. 16. *Neque herba neque malagma, ſed ſermo tuus Domine ſanat omnia.* Pſal. 105. *Miſit verbum ſuum & ſanauit eos.* id eſt, peccatores. *Ad me.* qui ſum Veritas Via & Vita, non poteris deuiare. *Ad me.* quia ſtipendia veſtra ſunt vita æterna. Sum via in exemplo, veritas in promiſſo, vita in præmio. Ioan: 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum, & quem miſiſti IESVM Chriſtum.*

Ad Deum cõuerti 4. pl. donum.

In toto corde veſtro. Per amoré. Exod. 7. *Si conuertimini ad Deum in toto corde veſtro, auferte de medio veſtri Baalim & Aſtaroth.* Baalim interpretatur ſuperior, ſignificat ſuperbiam. Aſtaroth interpretatur præſepe. In præſepio duo ſunt, cibus & fimus; in cibo notatur gula, in fimo luxuria: Hos deos alienos de cordibus auferre oportet. Conuerti ex toto corde, eſt diligere corde. Deut: 6. *Diliges Dominum ex toto corde & totâ animâ,* id eſt, dulciter, fortiter, ardenter.

Conuerſio in toto corde.

Conuerti, eſt diligere.

In ieiunio. Et in hoc notatur ſatiſfactio *Iſid.* ſicut equis frena ſunt ponenda, ita corda noſtra ieiunijs ſunt reſtringenda: quia immundi ſpiritus ieiunio fugantur. Sed ieiunium duplex corporale & ſpirituale: Illud eſt, à cibis & potibus ſuperfluis & delicijs abſtinere. *Iſidor:* Macerat corpus ſed cor impingueſcit, carnem debilitat, animam confortat. Facit hæc bona. 1. ſuggeſtionẽ diaboli deſtruit: Iudith 13. Caput amputauit, id eſt, ſuggeſtionem diaboli. 2. Laſciuiam carnis domat, ideò tales debent ieiunare. Matth: 7. *Hoc genus dæmonij non eijcitur niſi in ieiunio & oratione.* Hieron. Ieiunio ſanantur peſtes corporis, & oratione peſtes mentis. 3. Pœnam æternam vitare facit & ad miſericordiam Dei facit peruenire. Ionæ 3. Facto ieiunio eſt domin⁹ miſert⁹. 4. Intellectũ ſubtilẽ tribuit Daniel: 1. Poſt ieiuniũ ditati ſũt ſuper omnes ſciẽtiâ & intellectu. 5. Ad contemplationem cœleſtium ducit. Ad Rom 19. Poſt ieiunium dierum 40. Helias venit ad Horeb & vidit Dominum. Animalis verò homo dormit vt porcus, 1. ad Cor. 13. *Non percipit ea quæ Dei ſunt,* quam dulcia, pretioſa, glorioſa. Spirituale verò ieiunium eſt abſtinere à vitijs, illicitis, & omni ſpecie mali. *Greg.* In vanum caro atteritur ſi à prauis voluptatibus nón refrenatur. *Gloſ. ſup. 17. Matth.* Generale ieiunium eſt non ſolùm ab eſcis, ſed ab omnibus vitijs & illecebris carnalibus abſtinere. Ad Theſſ: 5. *Abſtinete vos ab omni ſpecie mala.*

Ieiunium eſt frenũ.

Ieiunium duplex.

In fletu & planctu. Notatur cordis contritio; quinq; autem ſunt pro quibus debent pœnitentes lugere. 1. De bonis omiſſis. Iudic. 9. Filia Iephte virginitatem ſuam fleuit duobus menſibus. Per virginitatem intelligitur ſterilitas bonorum operum. Duo menſes, ſunt defectus

bonæ

bonæ voluntatis & bonæ operationis in homine. Flere debet, quòd tempus amiſit ſine recuperatione, videt quòd mori oportet & nil boni fecit. Iſa. 38. Ezechias cùm ægrotaſſet conuertit ſe ad parietem & fleuit, & orauit Dominum vt elongaret vitam ſuam, videns quòd pauca bona feciſſet. 2. De malis commiſſis lugere debet. Ierem. 6. *Accingere cilicio, conſpergere cinere, luctum vnigeniti facito, quaſi planctum amarum valde.* Luctum & planctum pro commiſſis faciat. Iacob. 5. *Miſeri eſtote & lugete* Gloſſ. memores eſtote delictorum veſtrorum & lugete in animo pro commiſſis. 3. Pro peccatis alienis. Luc. 19. *Videns IESVS ciuitatem fleuit.* Et Ierem: 19. *Quis dabit aquam capiti meo & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo ſuper interfectos filiæ populi mei.* 4. Flendum ſuper mortuam orationem. 1. Reg. 1. Planxit Dauid ſuper Saul & Ionatham, & plangere Iuda præcepit. Saul interpretatur petitio. Significat deuotionem quæ oritur ex oratione. Ita religioſi & pij homines flere debent ſuper mortuam orationem deuotam, quæ in Gelboë, id eſt, in abundantia diuitiarum & carnalium concupiſcentiarum mortua eſt. Gelboë enim interpretatur aceruus pluuiarum, & ſignificat dictam abundantiam. 5 Flendum pro ſpirituali & corporali lapidatione, prophanatione Eccleſiæ Dei & religionis. Matth. 4. *In monte Syon viderunt ciuitatem deſertam*, Id eſt religionem, *& altare prophanatum.* Id eſt ſacerdotes. *Portas exuſtas.* Id eſt Prælatos. *In atrijs Virgulta nata*, id eſt perſonæ malæ, *& paſtoralia dirupta*, id eſt Doctores.

Confeſſio.

Scindite corda veſtra. Notatur confeſſio, quæ eſt nouacula, ſcindere debet malas cogitationes, furta, adulteria, &c. Modò enim eſt tempus putationis. Monet Dominus. Ier. 4. *Circumcidimini viri Iuda, & auferte præputia cordium veſtrorum.* Scilicet per confeſſionem: Confeſſio eſt porta per quam animæ intrant in paradiſum. Pſal. 99. *Introite portas in confeſſione.* Quia ſcilicet habentes copiam ſacerdotum, ſi non eritis confeſſi, ad miſericordiam Dei non peruenietis. Prou. 28. *Qui abſcondit ſcelera ſua non dirigetur*, qui autem fuerit confeſſus ea, miſericordiam conſequetur. Rogate ergo Deum pro conuerſione, &c.

Præputia cordium.

Porta paradiſi Confeſſ.

ANNOTATIONES.

VOcatio ad pœnitentiam. Conuertere debet cor pœnitentis ad Saluatorem Ieſum. Cùm ſit via, veritas, vita & retributio noſtra. Diſputat B. Iacob 2. Tu credis quia vnus eſt Deus, bene facis; & dæmones credunt & contremiſcunt (in hoc te minus mali ſunt, quia tu non times & illi contremiſcunt.) Diſputatio hæc eſt reprehenſio duri peccatoris. Socrates lib: 2. cap. 24. & Sozomen: lib. 4. cap. 4. referunt viſum fuiſſe crucis ſignum ſuper Ieroſolymam ſplendidiſſimum & perſpicuum luce, tantâ magnitudine vt à Caluario monte ad Olíueti protende-

Dæmones cõtremiſcunt

Crux ſuper Ieroſolimam.

tenderetur; ſcribit etiam de ea Cyrillus Hieroſolymitanus ad Conſtantium, contingit poſtridie nona- *Catholicorũ conſolatio.* rum Maij. Chriſtus enim cui Arriani diuinitatem adimebant, crucis vexillum erexiſſe viſus eſt,& Catholicos qui in tanta Eccleſiæ perturbatione relicti erant, ijſdem verbis quibus olim Apoſtolos compellaſſe. *Confidite ego vici mundũ* *Confidite, ego vici mundum.* Tunde pectus ô peccator & conuertere ad tuum ſaluatorem. Audi monentem D. Petrum 2. 1. *Miniſtratio Christiana.* *Miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute ſcientiam, in ſcientia temperantiam, in temperantia patientiam, in patientia pietatem, in pietate fraternam charitatem, in hac dilectionem.*

Pro conuerſione in toto corde Nota. In duobus talem conuerſionem B. Alb. M. poſuit, in reijciendo peccata, & in dilectione Dei. *Cur cõuerſio ad Deũ per dilectionẽ & peccatũ abominatur.* Sicut enim peccata auerterunt eum à Deo, ita renunciare & repudiare ea conuertenti ad Devm neceſſe eſt, & ſicut iram peccatis meruit, ita dilectione Deum ſibi reuocare inſtet. Nam licèt hominem potuit creare ſine homine, ſed ipſum ſaluare non poteſt ſine homine, nec iuſtificare niſi conſentiente liberâ eius voluntate. Ferebatur Elias in cælum naturâ non iuuante, ſed alij homines nec iuſti nec beati eſſe poſſunt, naturâ eos ſuâ non iuuante, ſi adulti ſunt & peccatores, ordine ſtante hoc diuino ordinario. De hoc Ezech: 11. *Auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo cor carneum, vt in meis præceptis ambulent, iudicia cuſtodiant, faciantq; ea, vt ſint mihi in populum & ſim eis in Deum.* Innuit Propheta, quod per auerſionem à bono in commutabili cor hominis efficitur lapideum, imò durius incude, quod nec donis nec minis mouetur, nec flagellis nec pœnis flectitur. Dum verò conuertetur ad Dominum Deum, iterum tribuit illi nouum cor & ſpiritum, per quod Deus ſit illius & ille Dei. Ergò vt dicit Auguſt: ſerm: 4. de verbis Domini. Conferamus nos ad te, & benè erit nobis de te. Malum eſt nobis de nobis. Quia dimiſimus te, dimiſiſti nos nobis. Refert Baron: ſub Anno 1177. Annorum duodecim puer paſcens gregem maternum, Chriſti monitu & exinde ductu Angeli, Auennonem delatus à Burgundia in Epiſcopi ac populi concionem prodijt, atq; à Deo ſe miſſum dixit vt vrbi pontem neceſſarium, ſuper Rodanum extrueret. Exceptus eſt viſo à populo: Is rogat Epiſcopum vti aliquid ad eam ſtructuram conferat, cui ille. En lapis meo in atrio eſt, tolle humeris & pontem extrue. Erat lapis pedum in longitudinem 13. in latitudinem 7. Acceſſit ille ad lapidem, frangere & minuere indecens cognouit, ergo impoſuit lapidem humeris & ad flumen detulit. Attoniti ciues, collatâ peccuniâ viritim, pontem qui videtur extruxerunt. Grauior eſt tali lapide peccator, nec ſe mouere à peccato valet niſi manum adhibeat Deus, verùm corde hominis ac voluntate liberâ obſtante, cordi tam obdurato

obdurato & graui non apponit Deus manum. Quocirca D. Aug: cont: 5. hær: dicit. Quæramus lapidem quo percutiatur incredulus, & percuſſus quaſſetur, quaſſatus comminuatur, comminutus in puluerem conuertatur, conuerſus compluatur, compluſus feratur, ſatus faciat fructum, non quod igne conſumatur, ſed quod horreo condatur. Prou. 16. *Cor hominis diſponit viam ſuam ſed Domini eſt dirigere greſſus.*

Pro jeiunio nota. Iudith in ieiunio vires vt expugnatores vrbium in tormentis bellicis ponebat. *Scitote quoniam exaudiet Dominus preces veſtras ſi permanſeritis in iejunijs & orationibus in conſpectu Domini.* At contrarium habet Ierem: 14. *Cùm jeiunauerint non audiam preces eorum.* Sed ſoluit difficultatem Iſa. 58. *Non aſpexiſti jeiunium, quia in die jeiunij inuenitur voluntas veſtra*, quaſi diceret non mea. Tunc enim debita repetitis, lites ducitis, & audi- tur in excelſo clamor veſter. Addit Eſdr: cap. 8. *Petamus ab eo viam rectam nobis & filijs noſtris, vniuerſæq́; ſubſtantiæ noſtræ.* De noctua voluit quidam bona ipſa concipere, licet magis ad ſiniſtra quam recta diſpoſita videatur fieri. & ſubduxit: *SORTEM NON DESPICE FATI.* Cur igitur de jeiunio noſtro non plus pollicere debet ſibi pœnitens, ſi rectâ intentione, ſi pro bono animæ, ſi ex doctrina Eccleſiæ, ſi ex Chriſti exemplo jeiunabit? Iuncta erant in arca, Virga, manna, tabulæ; in corde tuo ſint etiam juncta, jeiunium corporale cùm ſpirituali, in ordine ad Deum aſſequendum. Sic ſanctificabitur jeiunium tuum, munda vita, & conuocabis cœtum, nedum pauperum ſed Angelorum. Quocirca de jeiunio noſtro Petr. Rauenſ: in ſerm. Ieiunium ſcimus eſſe Dei arcem, Chriſti caſtrum, murum Spiritûs Sancti, vexillum fidei, caſtitatis ſignum, ſanctitatis trophæum. Paradinus in Symb: ponit accipitrem; qui aduerſus ſolem alas extendendo corrigit pennas, & diſponit ad celeriorem volatum, eijcit namq; pennas ruptas, truncos non tollerat, ſed nouas ſuccreſcere pennas alleuiat. Et poſuit ad legendum: *RENOVATA IVVENTVS.* Profectò, ſi tot bona confert jeiunium corpori & animæ, prout enumerauit B. Alb. Mag. jam dicendum venit quod per jeiunium renouatur juuentus pœnitentis in corpore & anima. Quocirca vt placita Deo exhibeamus jeiunia; audite B. Maximum ſerm. 1. de Quadrag. dicentem. Simus in fide fortes, in judicijs juſti, in amicitia fideles, in iniuriis patientes, in contentionibus moderati, refugientes turpiloquia, aduerſus iniqua conſtantes, in conuiuijs ſobrij, in voluptatibus continentes, in charitate ſimplices, inter ſubdolos cauti, condolentes triſtibus, in ſuſpicionibus parci, inter maliloquos taciti, inter humiles coæquales.

Ieiunij lau.

Renouatur iuuentus per ieiunium.

Quæ placita Deo ieiunia.

Pro fletu & planctu Nota. *Ambr: ſupr: Luc. lib. 9.* extollit fletum. Lachrymæ veniam non poſtulant, ſed meren-

Lacrymæ merentur veniã

merentur. Habet hæc ſententia locum de lachrymis ante Deum, inſpicit enim cor, ſecreta nouit, intentionem perſpicit. Vnde ante poſtulationem veniæ, non mirum quod mereantur veniam. Quapropter & D. Hieron: reſpiciendo lachrymas Petri ait. Petrum ter negantem, amaræ in locum ſuum reſtituêre lachrymæ. Non dicit poſtulationem, ſed reſtitutionem. Quocirca valorem lachrymarum ante Deum reſpiciendo D. Bern: de contemp: mundi dicit. Felices lachrymæ quas benignæ manus conditoris abſtergunt. Vide quo in reſpectu vel potiùs theſauro ſunt ante Dominum lachrymæ pœnitentis. Vnde non mirum, quòd nonaginta nouem oues in deſerto rèliquerit, vt perditam ouem Chriſtus animarum Paſtor inveniret. Habet quòd moueat ad fletum hominem, cùm ſe in peccato ſedentem cognoſcit. Nam cum ex fœtida terra creatus eſſet, in ſummè ſordidam incidit per peccatum miſeriam. Qualis vide materia hominis: Formauit de limo terræ ipſum Deus. In quem locum Innoc: 4. lib. 2. de vilit: hum: condit: cap. 8. dicit. Terra eſt indignior cæteris elementis, & homo adhuc ex imperfectiſſimo & limo terræ formatus eſt. Planetas fecit & ſtellas ex igne, flatus, ventos ex aëre, piſces & volucres ex aqua, homines & jumenta fecit de terra, ſed hominem fecit de limo terræ. Conſiderans ergo aquatica ſe vilem inueniet, conſiderans aërea viliorem, conſiderans ignea, viliſſimum. Vnde illis ſe præferre non poteſt, quia ſimilis jumentis factus, imò lutum eſt & cinis. Habes ergò ex origine quod defleas. Sed cùm peccati ſis ſeruus & per hoc dæmonis, ſeruis rei turpiſſimæ, indigniſſimæ, fętidiſſimæ, qui hoc tibi aliter recompenſare nequit, niſi ſolâ ignominiâ, irriſione, deſpectu, contumeliâ, pœnâ, nimio calore, nimio frigore, ſulphure, pice, reſina & omni re ſordidâ, ſordidiſſimâ, pœnali, pœnaliſſima. Ergo reſipiſce, reuertere à porcis ſiliquis cum filio prodigo, cognoſce Patrem Deum, cognoſce fratres Angelos, cognoſce quòd mercenarij patris tui cæleſtis plurimis abundant bonis in domo eius. Illis ſeruiunt Angeli, infirmitates obediunt, dæmones obſequuntur, & quibus tu ſeruiſti, illi non præſumũt accedere ad nos. Scarabeus poſitus ante roſam, dicunt ſymbola, moritur, quocirca ante odorem fugam meditatur, & ſubſcribere illi, quod militi ante pugnam meticuloſo, ſolent: *ANTE FVGAM FVGIT.* Ita profectò, ante Sanctorum conſpectum fugiunt maligni ſpiritus. Ante fugam fugiunt. Ergo conuertere ad Dominum in fletu & planctu, & dabitur tibi corona lætitiæ & palliũ honoris. B. Nilus mart: Priuſquam animæ denudentur vlcera lachrymis ſunt curanda, vt pharmaco iſto pœna valeat euitari.

Lachrymas manus Dei abſtergit.

Homo ex ſordida terra in ſordidiore deijcitur per peccatum.

Comparatio aliarũ creaturarum non eſt digna ad hominem vilem.

Pro ſciſſura cordium. Nota. Pluſima

tima ſibi conſtituunt homines ſimulachra doloris, Alij veſtimenta ſcindunt ſibi, alij ſeſe lacerant in facie & vulneribus afficiunt, alij captiuitatis ſuæ, in collo, manibus memorias deferunt, at veri doloris ſimulachrum fieri nequit, quam ſciſio cordis. Quocirca his qui verè pœnitere deſiderant dicitur. *Scindite corda veſtra & non veſtimenta.* Effluat omne malum de corde, & amplectatur cor omne bonum. Nec non immerito ſciſio cordis requiritur à pœnitente, nam ſi recedendo à Deo in ſummam calamitatem inciderat, & vnus pulex & vermis cùm eſſet, Deum ſuum plaſmatorem & præmiatorem ſuum offenderat, omni doloris ſigno iam proteſtari tenebitur dolorem, & vſq; ad ſciſionem cordis. Andronicus cùm regni faſtigio deturbatus catenis duabus vinctus ad nouum Imperatorem adductus eſſet, & eo permittente pugnis à mulieribus cæſus, euulſa barbâ, dentibus excuſſis, oculis effoſſis, camelo impoſitus, vbi lapidibus à populo, luto impetitus, palis affixus capite in terram inuerſo, à multis verubus, gladijs trāſfixus, cùm nil proficeret ſupplex dicendo, quid calamum contritum infringitis? ad Dominum cor leuauit orans. *Domine miſerere.* Si ludibria cruciatus, mala, ignes, dæmones expertus fuiſſes ô peccator! quæ te pro mortalibus manebunt in inferis, & inæternum, nedum clamares ad Dominum. *Domine miſerere.* Sed fleres, plangeres, cor ſcinderes, ſed in vanum. Conuertere igitur ad Dominum & ſcinde cor tuum nequando veniant ſine fine tempora, dum nec fletus, nec planctus, nec intrinſecus cordis dolor, proficere poterint. Sciſio cordis exprimit ſummum intrinſecus dolorem. Dolor ſiquidem ſpeciem ignis gerit, qui dum plus tegitur plus igneſcit. ita dolor ſi non reſoluitur in lachrymas ſed in ipſo corde manet, dolor ille tam intenſus eſt, vt diuidere cor, vitam eripere poterit. Quod contingit ſæpiùs vbi maritum deflent coniuges. Requirit ergò ſciſſionē cordis â pœnitente Dominus, vt oſtendat & doceat pœnitentem ſummè debere dolere; quòd quādo Deum offenderit, nec eſſe aliquid quod magis doleat, vel dolere poſſit. Nō enim poteſt quādo decidere hic dolor in pœnitente, quia quo creſcat, ſemper habet. Indignum enim & damnationem merentem vocat ad pœnitentiam, & dat media vt pœniteat, atque vitia & delicta conuertit in coronam. Dixiſti, *peccaui*: Et ille dicit: *Afferte ſtolam primam & imponite illi.* atque annulum de manu ſua digittis eius immittit, & in filiū gaudens recipit. Effundite igitur coram eo corda veſtra, & Deus adiutor veſter in æternum.

Sūmus dolor in corde non ſciſſ.

Sciſſio à pœnitentia cur requir.

SERMO III.

Ecce nunc tempus acceptabile. *2. Cor, 3.*

Tēpus oportunum ad 3. opera in tēp.

EST acceptabile tempus, ob opportunitatem temporis. Eſt opportunum ad tria: ad germinandum terræ, ad medicandum infirmis, & ad vineas putandas vinnitoribus.

Opera ſpir. in ieiun. fac.

Et hæc tria ſignificant quæ modo, id eſt tempore jeiunij facere debent pœnitentes. Debent benè operari, peccata per pœnitentiam expellere, & nociuos ſocios declinare. De primo Pſal. 118. *Tempus benefaciendi.* Sicut nulla radix herba eſt, quæ non conetur proferre folia, viriditatem; ita nec homo cuiuſcunq; ſtatûs eſt, qui hoc tempore plus ſolito non oret, bona operetur. Gen. 1. *Germinet terra herbam virentem*, id eſt, homo terrenus bonam conuerſationem, & oſtendat interiorem vitam.

Germinet terra herbam.

Herba quæ nunc non germinat, habet radicem mortuam: ita homo qui nunc bonum non facit opus nõ viuit Spiritualiter. Apoc. 3. *Nomen habes quòd viuas, & mortuus es: non enim inuenio opera tua plena coram DEO meo.*

Viuit & mort eſt.

De ſecundo, quia bona quidam faciunt & non ſibi proficiunt, quia in peccatis ea faciunt, ideò non ſufficit facere bona, ſed oportet expellere mala.

Opera bona quo non prof.

Vinum in vas non ponitur niſi vas à ſordib9 abluatur. Ita infirmus in anima, medicinam accipiat confeſſionem, contritionem, ſatiſfactionem. Mali humores per medicinam, peccata expelluntur per confeſſionem.

Medicinam accipiens tria facit.

Accipiens medicinam 3. facit. 1. Non recuſat amaram; quia vtilis, neceſſaria. Sic confeſſio licet cum pudore, contritio cum anguſtia, ſatisfactio cũ labore, non dimittenda tamen, quia ſic ſanitas reſtituitur. Eccl. 38. *Altiſſimus de terra creauit medicinam.*

Medicina de terra.

Caro peccauit ſe affligat, os ſollicitauit confitendo recognoſcat, cor concupiuit doleat, corpus commiſit puniatur. Rom. 6. *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ & iniquitati; ita nunc exhibete ea ſeruire juſtitiæ in ſanctificationem & honorem.* Vir prudens non abhorrebit medicinam, quia meliùs eſt vnam anguſtiam habere quàm viginti; & ad horam ſpinam in pede, quàm toto tempore: ita confundi in confeſſione, quam in inferno pati in ſempiternum.

Melius pati ad horam, hic quàm ſemper in inferno.

Eccl. 18. *Ante languorem adhibe medicinam*, id eſt inferni vbi jam non accipitur ſanitas.

Nebula Medicinæ.

Secundo accipiens medicinam non maſticat, ſed nebulam coopertam tranſglutit, ne ſentiens amaritudinem reijciat. Ita pœnitens non ita pœnam quam præmium attendat, nebulam viſu & guſtu ſuauem. Eccl. 20. *Medicina omnium in feſtinatione nebulæ.*

Tertiò

Tertio accipiens medicinam, dictam medici obſeruat arctam. Multò arctiorem pro anima facere debes quàm pro corpore. Da ergo locum medico, qui oſtendit tibi tempus acceptabile.

Quid verò tertium pœnitens facere debeat. Conſortia euitare malorum, ne recidiuam pateretur. Can. 2. *Tempus putationis aduenit.* De vinea ramos nociuos amputares, minus te diligis ſi malos ſocios non reijcis, reſecas, Matth. 2. *Si oculus tuus ſcandaliſat te, erue eum.*

ANNOTATIONES.

Quadragenarius numerus jeiunij, eſt complementum omniū præcedentium numerorum quadragenariorum in ſacris literis expoſitorum. Quocirca ſi illi dies quadraginta, dum plueret cœlum tempore Noë, dū̄ exploraretur terra promiſſionis, dum jeiunauit Moyſes, erant myſtici, ſolennes & ſummi, jam ſignatum & complementum illorum dierum debet ſolennius eſſe. Vnde D. Paul. meritò dixit 1. Cor. 6. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis*, cum ſcilicet dies jeiunij dierum quadraginta perſoluimus. Hinc S. Petr. Chryſol. Serm. 166. Quadragenarius iſte numerus tam ſacratus eſſe à ſæculis, tam myſticus reperitur; vt ſemper in efficiendis rebus diuinis & maximis Dei negotijs explicandis adhibitus lege inuiolabili præſcribatur. *Et infra.* Dominus author à ſæculis, in hoc numero abſconditi ſacramenti.

De euitando conſortio malorum Nota. Maris Chalcedonenſis Epiſc. immolantem fortunæ Iulianū Apoſtatam cū reperiſſet, fideiillum deſortorem appellatum aliis quoque contumelijs affecit. Cui cùm Iulianus cæcitatem exprobraret (præ ætate etenim oculorum ſuffuſione laborabat.) at ego (inquit) hac ipſa de cauſa Deo meo gratias ago, quod te qui à pietate turpiter excideris, aſpicere nequaquam poſſim. Tacuit Iulianus. Soſom. lib 5. cap. 4. Dignè conſortium malorum euitabat. Docuerunt hoc antiqui Chriſtiani, qui nedum ſocietatem malam diebus quadrageſimæ euitabant, verùm etiam cibaria ſcandaloſa abhorrebant. Nam cùm Iulianus edixit cibaria omnis generis, ita demum venalia exponi vt antea fuiſſent idolis oblata. Hoc vt cognouerunt Chriſtiani coctо frumento pro obſonio vſos fuiſſe. Et ita edictum reuocauit. Gen. 22. Montem appellauit: *Dominus videt.* An ideò quia ibi cæpit manere? an ob altitudinem aliquam ex qua alij montes vt colles videbantur? an ob eliberationem filij? Non: Sed quia ſanctè viuendo, ſanctiores dies præteritis, ducere voluit, vt teſſera ipſius non eſſet, niſi præſens Deus qui videt omnia. Præuidere Dominum in conſpectu ſuo voluit ſemper. Ieiunium quadrageſimale eſt mons quidam, quem Dominus videt. Cùm enim Niniuitæ ad ieiunium ſuum nedum infantes, ſed etiam pecudes accerſiſſent, Vt etiam illi pro ciuitatis peccato iejunâſſet. *Dominus vidit.*

Iulianum increpat Episc.

Conuerſatio mala fugienda.

Cibi in quadrag. idolis immolata.

Dominus videt.

Mons ieiunium.

Conſortium pœnitentiũ quale. Ad conſortium igitur pœnitens vocare debet innocuos, ſanctos, pios, & relinquere ſocietatem deuiam, offenſores Dei; ſcandalizatores proximi, deprauatores ſui. Ergò faciamus hoc pro ſalute ſua quod pecudes pro ſalute hominum fecerunt. *Caduceũ cũ gladio.* Ieiunemus & ſocietatem peſtiferam reijcientes ſanctorum ſocietati coniungamur. Habet Iul. Cæſ. Capaccij lib. 2. Impreſſ. Symbolum heroicum. Vbi virgæ oliuarum, ſimul gladium euaginatum & caduceum, circundant. Porrexit ſtatim legendum: *Et metu & præmio.* Inuitat nos *Metus & præmium.* certe Deus & vocat ad pœnitentiam & metu & prœmio. Si conuertimur, recedemus à malo, faciemus bona, præmium: Si non ſentiemus metum, pœnam.

QVOD NVNC DEBEAMVS BONA FACERE.

propter tria operandum bene. 1. Propter temporis breuitatem. Peregrinus propter temporis breuitatem manè arripit iter, nos neſcimus diem neque horam mortis, & viam ad cœlum habemus. Reg. 4. *Grandis tibi reſtat via, & dies breues hominis ſunt.* 1. Ioan. 7. *Hoc dico fratres* *Temporis breuitas.* *tempus breue eſt.* Sed mirum quod peccatores longiorem ſibi vitam promittunt quam boni, ſed temere, excidetur enim arbor infructifera. Ad Gal. 6. *Dum tempus habemus operemur bonum.* *Lucri magnitudo.* 2. Propter lucri magnitudinem. Modò enim plus lucratur vnus jeiunans, quàm antè quinq;, nã antiquitùs ſolùm terrena lucrabantur. Iſa. 1. *Si volueritis & audieritis me; bona terræ comedetis.* Modò autem lucrantur vitam æternam. Matth. 20. *Facta conuentione ex denario*, id eſt, vita æterna. Gloſ. quæ in centuplum plus habet. Pſal. 83. *Melior eſt vna in atrijs tuis dies ſuper millia.* Poſt mortem non lucrabuntur, nam claudetur janua regni, Matth. 25. *Vnde quodcunq; poteſt manus tua inſtanter operare, quia nec opus nec ratio eſt apud inferos quò properas.* 3. Pro- *Multitudo monitorum.* pter monitorum multitudinem non culpandi erant antiqui ſi non fructificarunt, quia paucos habebant cultores, monitores, modò ſunt plures. Hebr. 6. *Terra ſæpe venientem imbrem bibens & ſpinas profert, reproba eſt, maledictioni proxima.* Ecce nunc dies acceptabiles, tempus ſalutis.

ANNOTATIONES.

PRo breuitate temporis. Nota. *Fili, conſerua tempus, & deuita à malo.* *Cõſeruare tempus* Eccl. 4. Conſerua vt theſaurum prætioſum, vt ſanitatem conſeruas tuã, hâc namq; conſeruatione theſaurum in cœlis & perennem ſalutem conſequeris. Et quæ conſeruatio? an ſalutanda eſt B. V. Maria omni hora? vel adorandus Dominus? vel inrecogitanda beneficia Dei? vel quadratrat ipſe numerus dierum quadraginta jeiunij, vt quod adumbrauerat in famulis, ipſe per ſe jam veritate factâ & cœpta perficeret, firmaret tenera, inchoata ſuppleret, & quæ præceptis inſtituerat, roboraret exemplo, commendaſſet facto. Neq; aliter dies acceptabiles exprimit S.

Leo

Maxime ſtudendũ in Quadr. ſanctificationi.

Leo 8. de Quadr. quam quia in eis major danda eſt opera pietati Quã-uis omni tempore ſtudendum ſit ſanctificationi & mentis & corporis, nunc tamen in iſtis quadraginta dierum jeiunijs ſollicitioribus vos pietatis operibus expolite, non ſõ-lùm in diſtribuendis eleemoſynis quæ magnum habent emendationis effectum, ſed etiam in remittendis offenſionibus & peccatorum realibus relaxandis, vt conditio quam inter ſe & hominem Deus poſuit, (*Dimitte nobis debita ſicut nos dimittimus.*) non reſiſtat orantibus. Quocirca prudenter addidit in ſermone B. Alb: Mag: Bona agenda, vitia amputanda, conuerſatio mala & ſocietas tollenda, qui dies ſalutis & tempus acceptabile Deo perſoluere nititur. Neq; excluduntur rigidi religioſi, vigiles virgines, pij Mæcenates, vt non magis in virtute procedant diebus Quadrageſimæ, nam quamuis in quolibet tempore innocens vita ſit multorum, & plurimos Deo bonorum actuum conſuetudo commendet, non adeò tamen de conſcientiæ integritate fidendum eſt, vt humana fragilitate inter ſcandala tentationeſq; degente, nihil potuiſſe arbitremur, quod læderet eam, incidere. Vnde Prou. 20. *Quis gloriatur caſtum ſe habere cor! aut mundum ſe eſſe à peccato!* Et Pſal. 18. *Ab ocultis meis munda me Domine & ab alienis parce ſeruo tuo.* Hæc in ſer. 6. de Quadr. S. Leo Papa.

Conditio orationis.

Religioſi fer-…

De bonis operibus agendis. & vitijs cauendis. Nota. Cum de conſecrando Epiſcopo Cæſareæ ſub Iuliano excitatæ ingentes turbæ, nam alij Euſebium, alij Baſilium volebãt, cum Euſebius ſtetit, nihil Baſilius moliebatur præter bonum opus. Nacta enim hâc occaſione S. Baſilius in Ponticas ſolitudines receſſit, ſanctioris vitæ generi operam daturus. Quem ſecutus Greg: Nazianzenus, vt antea in literis Athenis ſocium, ſic nunc monaſticæ diſciplinæ inſtitutorem habuit. Apem ſumentem de flore mella quidam in ſymbolum poſuit, & addidit: *Vt poſſim.* Puta. *alijs iuuamen adferre & ipſa viuere hyemis & carceris tempore.* Ita S. Baſilius, nemini nocere ſed omnibus prodeſſe, bona facere, mala vitare, conuerſationem Sanctam inſtituere vt poſſet, in deſertum & ſolitudinẽ ad ſanctitatem colligendam ſeceſſit. Seneca. Epiſt. 22. Non eſt bonitas, peſſimis eſſe meliorem. Ergo ad bonitatem ſtabiliendam virtus fouenda, vitia extirpanda. Sed dices: Bonum intendo, ſed ſucceſſus non eſt. Reſpondet idem Seneca in Prou: Bonarum rerum etſi ſucceſſus non fuerit, conatus ipſe honeſtus eſt. Infantem quis conatum habere dicet ad perfectionem ſi vſum rationis nec dum habet? Attamen dicendi Roſarij partem Coninbricæ in Luſitania P. Ignatio Martinez Soc. IESV alta voce, cùm nullus recitare vellet & reſpondere illi, repente infans ſex menſes natus ab vbere matris pendens, erecto capite articulatè & diſtinctè ſtupentibus

Electio non turbos alternans.

S. Baſilius in eremo ſanctiorẽ vitam ducit.

Vt poſſim.

Bonitas non peſſimis meliorem eſſe.

Bonũ ipſe conatus honeſtus.

Roſarium alte dicit infans.

tibus vniuerſis recitauit. Author Calend. B. V. in Febr: Bonum ſucceſſum ſemper habere debet, niſi ordinatio Dei ſecreta nobis aliud diſpoſuerit. At præſertim Quadrageſimæ tempore ſucceſſus optimos in bono ſperandos eſſe. Nam quamuis nulla ſint tempora quæ diuinis non ſint plena muneribus & ſemper nobis ad miſericordiam DEI per ipſius gratiam præſtetur acceſſus, nunc tamen omnium mentes maiori ſtudio ad ſpirituales profectus moueri & ampliori fiduciâ oportet animari, quando ad vniuerſa pietatis officia illius nos diei in quo redempti ſumus recurſus inuitat, vt excellens ſuper omnia Paſſionis Dominicæ Sacramentum purificatis & corporibus & animis celebremus. *Hæc S. Leo ſerm: Quadr. quarto.*

Quadrageſimæ tempore acceſſus ad Deum maior.

Pro monitorum multitudine. Nota. Nedum plurimos monitores, puta, viros ſpirituales habemus, qui nos ad benè operandum permonent prædicando, in confeſſionibus arguendo, in fuga ex mundo demonſtrando, verum etiam omnia hæc tranſitoria monent ad bonum, retrahunt à malo, arcent à ſui delectatione, incitant ad dilectionem Dei. Benè D. Aug: Fallax in temporalibus bonis ſuauitas, labor perpetuus timor & pericuſoſa iucunditas, initium ſine prouidentia, finis cum pœnitentia. Leoni Regi animalium addidit Capaccius lemma. REGNANS SERVIO. Declarabat etiam reges debeare eſſe ſeruos, non ſolùm quia prouidendo Regno, quod adminiſtrant, ſeruiunt, at quia reſpectu Dei ſunt ſerui, licèt reſpectu hominum ſint Reges. Quocirca ad benè operandum & Deo placendum, agere tenentur Reges, quod faciunt ſerui. Et vt paucis omnia complectar, quicquid habet mundus, quicquid videt hominis oculus, quicquid ſcrutatur intellectus humanus, omnia hæc monitorem agunt, vt bene operetur: & præcipuè dum Eccleſia præcipit, dum omnes Chriſtiani hoc quadrageſimali tempore, ad culmen virtutum transferuntur. Iſidorus de ſum: bono lib: 3. cap. 6. Alios quoq; ponit monitores, ait enim: Tenui admonitione, horribili fauore etiam per quietem concutimur, & quàm grauia ſunt quæ commiſimus, & quàm dura quæ pertimeſcimus, mentis aſpectu etiam in ſomnio contemplamur. Vt apparet, omni medio nos admonere non deſinit gratia Dei. Hæc eſt namq; differentia inter bonum hominis, & bonum diaboli. Bonum hominis virtus; bonum diaboli vitium. Qui ergo voluerit extirpare diabolum ex corde, extirpet vitia & plantet virtutes. Confugiamus igitur ad præſentem miſericordiam Dei. Miteſcat ſæuitia, manſueſcat iracundia, remittant ſibi culpas omnes inuicem ſuas, nec exactor ſit vindictæ, qui petitor eſt veniæ.

Monitio à præd.

Monitio à fallacia mũdi.

DO-

DOMINICA I. QVADRAGESIMÆ.

Ductus eſt IESVS in deſertum. *Matth.4.*

QVID PER IESVM INTELLIGATVR?

RESp. Chriſtianus qui mẽbrum Chriſti eſt, ſicut Chriſtus baptiſatus, & Spiritus S. deſcendit ſuper eum, & 40. diebus ac noctib⁹ jejunauit, ſic Chriſtianus in fonte baptiſmatis emundatus, templum fit Spiritûs Sancti, vnde toto tempore jeiunare debet à vitijs quibus in baptiſmo renunciauit.

ANNOTATIO.

riſti anus à Chriſto

CHriſtianus à Chriſto cùm habeat appellationem, rectè per Chriſtum ſignificatur. Et quia IESVS eſt Saluator, & Chriſtianos vt inſtrumẽta inſtituit in Saluationem cæterorum, etiam per nomen IESVS non abs re ſignificabitur. Vnde D. Paul. Col. *Ea quæ deſunt paſſionum Chriſti, adimplemus.* Quocirca vt rectum Chriſtianum & verum ediſſerat S. Cypr. de 12. Abuſionibus, dicit. Chriſtianus nemo dicitur recte, niſi qui Chriſto moribus prout valet, coæquatur. Et Aug. de Doctrina Chriſtiana. Si Chriſtianũ te eſſe delectat, quæ Chriſtianitatis ſunt gere, & merito tibi nomen Chriſtiani aſſume. Viti in arbuſculo eleuatæ & vuas in altitudine gerenti, appoſuit dictum in Symbolis aliquis. PER TE SVRGO. Melius hæc applicabuntur à Chriſtiano Chriſto. Omnia enim quæ habet, ſperat per Chriſtum & à Chriſto habet, & in Chriſto ſperat. Per Chriſtum ſurgit, eleuatur, floret, aſcendit. Iſidorus de Sum: lib.3. cap. 16. Magna apud DEVM refulget gratia, qui huic mundo contemptibilis fuerit. Nam reuerà neceſſe eſt, vt quem mundus odit, diligatur à DEO. Quocirca, fulcrum, adiutorium, reclinatorium, & omne bonũ Chriſtianorum eſt IESVS Chriſtus, per quem viuimus, ſurgimus, juſtificamur, glorificamur. Iſa. 4. *Tantummodo inuocetur nomen tuum ſuper nos, aufer opprobrium noſtrum.* Ab Anno Dom: 43. Semper Chriſtianum nomen in ſanctitatis indicim celebrari incipit, & Chriſtus opprobrium ab illis auferendo abſtulit petranda benedictio ad illam horam? Omnia hæc ſunt exercitij Chriſtiani, ſed principaliſſimum horum ſapiens poſuit, deuitare à malo, nõ pœnæ, ſed culpæ. Quocirca D. Nilus Epiſc: & martyr. Diligentia multa à rebus terrenis oculos contine, ex illis enim fumus

riſti anus ...is di...tur.

Per te ſurgo

Contemnẽtes mundo, q̃ grat ſequ.

Chriſtianum nomen ſanctitatis.

cuſtodi Oculi

oritur, qui animam fuligine denigrare ſolet. Ad breuitatem temporis ſagax conſilium Athanaſij Epiſc: placuit. Aduerſo Nilo in Thebaidem iter dirigebat, ſed admonitus ab amicis quòd ad Tyranni mandata ad necem quæreretur, nec longè percuſſores abeſſe, proram verti iuſſit atq; Alexandriam iter dirigi; haud ita multò poſt obuiam factus inſequentibus, requiritur. Quantùm abeſt Athanaſius, reſpondit, parum abeſſe, & ſic verùm dicendo quòd parum abeſſet, euaſit. Tam ergò breue tempus eſt hominum, quantùm diſtans erat Athanaſius à perſecutoribus ſuis: immò adhuc breuiùs eſt tempus: diſtabat enim ille à quærētibus ſe cubitis aliquod, & homo mediam horam ſibi pollicere non poteſt, cùm non habeat conceſſum, niſi *Nunc* temporis *Tempus breue eſt.* Gutta, Apoplexia caſus abripiunt tempus & breue faciunt. Ad Clepſydram adſcribebat quidam: *Effluxit.* Celeriùs tranſit hominum tempus quàm ſtilla de alto, quàm arena clepſydræ dum peruertitur vt fluat. Facienda ergò bona citò & nunc, quia breue tempus eſt. Fluunt omnia & in aſſidua diminutione ſunt corpora noſtra, rapiuntur fluminum more; homo fluida eſt materia & caduca, & omnibus obnoxia caſibus. *Senec. Epiſt.* 67 Omnia tempora & dies conſiderando in Prou: Seneca dicit. Deterior, poſterior dies. Quid cauſæ? ex die an vitio hominis? Credo, vltimum.

Conſilium Athanaſij ſagax.

Parum abeſſe.

Breue hom. tēpus.

Effluxit.

Homo fluida materia.

Dies poſter: deter:

Nam tunc iudicabuntur facta hominis, & iuſtus quoque timebit. Quocirca cùm poſterior dies nobis etiam hodie accidere poſſit, operandum ſemper bonum, tum propter breuitatem temporis noſtri, tum propter iudicium particulare, quod in morte faciet cum homine DEVS.

Iudicabunt partic

Pro lucri magnitudine Nota. Maximi lucri indicium. Eccl. 7 exprimitur. *In die bona fruere bonis.* Si ex opere bono lucrum eſt, non aliud eſſe debet, niſi fruitio boni. Ita vt operans bona, illis in hoc ſæculo fruatur, (non enim aliquid Deo accreſcit ex opere noſtro bono) & in futuro ſæculo gaudeat de opere ſuo, ſpe, quod fruebitur incommutabilis boni gloria. Perquirit Caſſiodor. in Epiſt. Lucrum quærere quomodo ſit congruum, & dicit: Quærere per bella, nefas eſt; per maria, periculum: per falſitates opprobrium; per agriculturam licitum honeſtum eſt lucrum. Ager eſt corpus humanum, per agriculturam ipſius bona exercendo corporis, lucrum colligimus. *Beati enim miſericordes, beati qui perſecutionem patiuntur, beati mites.* Ecce lucrum ex agricultura corporis noſtri & lucrum magnificum. Valens Imp. Monachos & ſolitarios ad militiam ſtimulauit, quocircà miſſis in Ægypti ac Syriæ ſolitudines militibus, cœleſtem in terris vitam agentes, viros innoxios abſtrahi iuſſit, renuentes fuſtibus ad mortem cæſi, & quæ tunc facta ſunt cum eis & Eccleſijs à militibus, faciliùs mente conci-

Lucrũ bonum fruitio boni.

Quomodo lucrũ quæritur ſine damno.

Monachi coguntur ad bellum.

Concipere, quàm ſtyllo proſequi. *Baron ſub Anno* 375. Profectò tam multa cæde parum lucri ſibi, plurimũ verò religioſis Valens intulit. Nam nedum accendit in eis Spiritum & animauit ad mortem, verùm ad ſplẽdidas virtutes, orationes, gratiarũ actiones, ipſamq; ſanguinis effuſionem, diſpoſuit, eleuauit. Ita mehercule de ieiunio & opere bono quadrageſimæ diebus expleto nobis dicere conuenit, lucrum eſſe magnificum; nam cum tot legionibus Angelorum terreſtrium, meremur, proficimus, & vſque ad præmium in cœlis progredimur. Lucramur enim non terrena per ieiunium noſtrum, ſed cæleſtia. Bonus ieiunij panis, quia & à voluptatum fermento liberat, vt B. Nilus dicit: & adconſortium Angelorum diſponit, vt B. Baſilius addit: & retributionem in cælis præparat vt B. Alb. Magnus inſinuauit. Ita Dauid cinerem & panem manducando, potum cum fletu miſcendo, lucrum cæli obtinuit.

Quid per deſertum exprimitur?

Reſp. Mundus. Sicut enim in deſerto pauca ſunt manſueta animalia, ſic in mundo pauci ſequuntur Dominum, cùm tamen ipſe manum ſuam aperiat & omne animal impleat benedictione. Et quos de rore cœli & de pinguedine terræ dites facit, illi eum vt feræ beſtiæ perſequuntur, induerunt naturam leonum per ſuperbiam, vrſorum per luxuriam, luporum per auaritiam, vulpium per nequitiam.

ANNOTATIO.

Ceruo, qui refocillatur ſerpentibus venenoſis, rectè attribuemus encomium: *Creſcit malis.* At ſi mundo quem ita ſplendidum & glorioſum Monarchiæ, Regna & Imperia declarant & oſtentant, dignum verùmque dare encomium voluerimus, hoc inſcribemus: *Decreſcit bonis.* vt enim bona ſua caduca, tranſitoria, vanitatem augent, fouent, conſeruant, ita decreſcentiam ipſius pariunt parantque. Vide hominis exortum & interitum, hic homo eſt Rex mundi, ſic hæc ſunt cum homine, quod terra in terram, & fætida in fætidam conuertitur, quid ergò erit cum pompa mundi & mundo? Quocirca Iſid. de ſum. bon. lib 1. ca. 10. Ratio mundi de vno conſideranda eſt homine. Nam ſicut per dimenſiones ætatum ad finem homo vergit, ita & mundus per hoc quod diſtenditur tempore, deficit: quia vnde homo atque mundus creſcere videtur, inde vterq; minuitur. Vnde non ſine conſideratione ſanâ B. Alber. Mag. mundum ſignificari per deſertum dixit. Nam magis declinat ablatiuum quam nominatiuum; & vix genitiuum conſpexit, iam accuſatiuus contra ipſum inſtat. Vnde Gloſa Orig. dicit. Hoc de-

Ceruus ſerpẽt. refocillatur.

creſcit malis.

Decreſcit bonis.

Si homo & mũdus caduci.

Mũdi ratio ex hom ſum.

Mũdus deſertum.

ſertum eſt inter Ieruſalem & Ierico vbi morabantur latrones, & vocabatur Damin, id eſt, Sanguinis locus, propter effuſionem ſanguinis, quem latrones effundebant. Et vbi maior ſanguinis effuſio quàm in mundo, per bella, odia, auaritiam, carnalitatem, quanta effũditur copia ſanguinis! Tollitur Pater, mater, frater, amicus, conſanguineus, proximus, dominus, ſeruus, filius. Quomodo igitur mundus deſertum non appellabitur recte? Optimè de illo Bern: in ſerm. Mundus eſt, vbi malitiæ plurimum, vbi ſapientiæ modicum, vbi omnia ſunt viſcoſa, omnia lubrica, omnia opera tenebris & laqueis obſeſſa vbi periclitantur animæ, affliguntur corpora, vbi omnia vanitas & afflictio ſpiritus. Torculari ſatis ingenue adſcripſerat ſymboliſta. *PRÆMIT VT EXPRIMAT.* Ita mundus præmit iuſtos & innocentes, bonos & malos, iuuenes, ſenes, viros, mulieres, milites, languidos, nobiles, ignobiles, vt exprimat & extrudat ex hoc mundo. Dicit tacite. Non habetis hîc manentem ciuitatem. Ite, vadunt & ibunt alij, clamo deſertum. Cupio ſolitudinem. Tendo ad non eſſe.

Deſertum latronum. *Sãguis effũdi. in mundo.* *Mundi mala.* *Torcular.* *Præmit vt exprimat.* *Mũdus extrudit homines.*

Quare Ieſus à Spiritu in deſertum ducatur.

RESp. Propter exemplum nobis. Sic nos qui ſumus membra Chriſti tentabimur, propter hoc enim in vallem miſeriæ expulſi ſumus, quibus cum adiutorio ſeptiformis Spiritus reſiſtere debem⁹ vt victores coronemur. Mar. 2. *Spiritus expulit Ieſum in deſertum, & erat ibi 40. diebus & noctibus & tentabatur à ſathana eratque cum beſtijs.* Exercent *etiam per tentationes nos dæmones.* Ad Epheſ. 6. *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem tantum; ſed aduerſus principes mundi, rectores tenebrarum, contra ſpiritualia nequitiæ.* Defenſor Spiritus S. cui in baptiſmo commiſſi ſumus Rom. 8. *Quicunq; Dei Spiritu aguntur, hi ſunt Filij Dei.* Diabolus per 3. vitia Adam ſuperauit, per gulam, auaritiam, ſuperbiam; per eadem per Adam ſecundum Diabolus ſuperatus eſt. Tentauit per gulam. *Si filius Dei es dic vt lapides &c.* Orig. In pugna Chriſti prius agitur contra gulam jeiunando per quam victus eſt primus homo. Gula libidines inflammat, concupiſcentias nutrit quæ repugnat legi mentis. Hæc niſi prius refrenetur, fruſtra contra alia laboratur. Nam tria mala oriuntur ex gula. 1. Abominabilis fornicatio. Ezech. 16. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ, ſaturitas panis, abundantia & otium.* 2. Tumultuoſa altercatio, Prou. 28. *Cui rixæ, cui ſine cauſa vulnera, nonne his qui commorantur in vino & ſtudent calicibus epotandis.* 3. Secretorum reuelatio. Prou. 30. *Nullum ſecretum vbi regnat ebrietas.* Tentauit etiam Chriſtum per auaritiam. *Hæc omnia dabo tibi ſi cadens adoraueris me.* Eſt autem fugienda auaritia propter tria, quia per eam Deus amittitur. Epheſ. 5. *Hoc ſcitote quia auarus quod eſt idolorum ſeruitus*

Adam tribus vitijs à diabolo ſuperatur. *Tentatio Chriſti per gulam.* *Gula tria mala facit.* *Tentatio Chriſti per auaritiam.*

uitus non habet hæreditatem in regno Chriſti & DEI. Quia anima pretioſa venditur. Eccl. 10. *Nihil eſt iniquius quàm pecuniam amare. Talis enim animam venalem habet.* Quia homo propriè diaboli efficitur. Gen. 3. *Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ.* Terra, auarus, qui terram cœlo præponit, ideò diaboli efficitur, ab illo commendatur. Tentauit etiam per ſuperbiam: Cùm dixit, *Mitte te deorſum.* Vnde ſuperbia propter tres cauſas fugienda, quia per eam odibiles Deo efficimur. Eccl. 10. *Odibilis eſt coram DEO & hominibus ſuperbia.* Quia per eam opera bona diſperguntur: Greg. qui cæteras virtutes non ſub humilitate congregat, quaſi qui puluerem in vento portat: quia per eam elati in inferno demerguntur. Luc. 10. *Videbam ſathanam quaſi fulgur de cœlo cadentem.* Tu Capharnaum vſq; ad cœlum exaltata, vſq; ad infernum demergeris.

ANNOTATIONES.

PRo tentatione. Nota. Tentatio eſt duplex, actiua & paſſiua. Prima interdicitur. Luc. 4. *Non tentabis Dominum DEVM tuum.* Secunda eſt neceſſaria homini, nam Eccl. 2. dicitur. *Fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in timore & præpara animam tuam ad tentationem.* Tentat enim nos Dominus Deus noſter, vt palàm fiat, vtrum diligamus eum an non? *Deut. 13.* D. Aug. ſuper Pſal. 60. Vita noſtra in hac peregrinatione non poteſt eſſe ſine tentatione, quia profectus noſter per tentationem noſtram fit, nec ſibi quiſquam innoteſcit, niſi tentatus, nec poteſt coronari niſi vicerit, nec poteſt vincere niſi certauerit, nec poteſt certare niſi inimicum & tentationes habuerit. Idem S. Leo ſerm: 31. Nulla ſunt ſine tentationum experimentis opera virtutis, nulla ſine perturbationibus fides; nullum ſine hoſte certamen, nulla ſine congreſſione victoria. Vide & intellige promiſſum Abrahæ, quod ſemen multiplicare Dominus eius debuerit vt ſtellas cœli, & ecce mox offerre ſibi Iſaac filium, in holocauſtum iubet. Facit ille, præparauit gladium, ignem, vota & juſſa explet; obſtat Angelus, ictum retinet, arietem in victima oſtendit. Quid in hâc factum ordinatione diuina. *Tentauit DEVS Abraham.* Gen. 22. Tentationes igitur neceſſariæ ſunt Chriſtiano homini, in quibus ſuccumbere graue eſt, cùm non permittat nos tentare Deus vltra id quod poſſumus. Terra ſuper aquam fixa ab omni vento impetitur, & quandoq; ſimul à diuerſis, attamen terra immobilis ſtat nec fluctuat vt nauis. Quocirca tali globo terræ à quatuor ventis circumacto, ſubſcripſit in impreſiſ Capaccius: *INANES MINÆ.* Profectò, ſi tentamur, tantum quod ferre poſſimus, omnis tentatio diaboli, carnis, mundi, ſunt inanes minæ.

Tentatio. Abrahæ. *Tentamur vt ferre poſſimus.* *Inanes minæ.*

Pro tentatione in gula Nota. Euam primam parentem dum in gula tentauit, obiecit diabolus pulchrũ pomum, cuius pulchritudine & cõmenda-

Tentatio. in pomo in lapidi,

mendato ſapore, etiam Adam in tẽtationem venit. Dum verò tentat Chriſtum, lapidem obiecit. Hilar: eam conditionem propoſuit, per quam virtutem agnoſceret. Vbi Chryſol: ſerm: 11. Miſer, cupis tentare, ſed neſcis: eſurienti tenera offerre non dura debuiſti: famem non aſperis palpare ſed blãdis: inediam non horridis debueras, ſed guloſis. Verùm ad præſentiam Chriſti deperiêre tẽtatoris artes: & ſicut ſe quærenti patienter indulſit, quatenus laqueo ſuo ipſe teneretur & caperetur inde, vnde capere ſe putabat, ita à Chriſto victus, cederet Chriſtianis. Remigantibus in alto mari extenſis velis iucunda nauigatio, ſed ſæpius periculoſa, quocirca naui ipſis remis tranſuerberãti mare ſubduxit quidam: *PROPRIIS NITAR.* Quo ſecurius ſcilicet ad littus perueniam. Ita in tentatione per gulam Chriſti, non aliena diabolus aſſumpſit, ſed propria Deo. *Dic vt lapides panes fiant.* Nam ſi filius Dei es, non requires oleum ad multiplicandum vt quondam Propheta Eliſæus, non requires aliquam diſpoſitionem ad ad farinam & terram, ſed ex lapide facies panes: dices, (vt dicebat Deus: fiat lux, fiat terra, & facta ſunt.) fiant panes, & fient. Propria hæc Deo dicendo creare. Igitur & tu ſi filius Dei es, enitere hoc virtute propriâ. Summè palliata tentatio! Non cupit diabolus vt virtutem ſuam diuinam declarâſſet in lapidibus, ſed vt à bono propoſito, à merito ieiunij diſtrahat & reuocet.

Chriſtiani per Chriſtum vincunt diab.

Proprijs nitar.

Chryſol. ſerm. 13: Non dixit diabolus, dic vt ex his lapidibus fiant homines vel Angeli, vel aliquid aliud, cùm hoc potuit facere Deus; ſed vt lapides iſti panes fiant. Signum panis petit, qui ſignum ieiunij pertimeſcit. Signum panis petit, vt ieiunij ſibi tremendum refugiat ſignũ. Panem malus ingerit conſolator, vt virtutem mutet, vt propoſitum violet ieiunantis. Et ſerm. 12. idem dicebat: Non cibum parare vult, ſed vult amputare ieiunium. Vnde collige, nedum quàm ſit res ſacra ieiunare, non ſolùm quàm durè, aſtutè, malitioſè tentat diabolus, ſed quòd vincendo hoſtem Chriſtus, nos victores diaboli effecerit. Quocircà Homil. ſerm: 11. dicit Chryſologus DEVS in te ieiunat, in te eſurit; qui imo ieiunat tibi, tibi eſurit; ſic non ſibi ſicut neſcit manducare, ſic non poteſt eſurire. Ita quoque dicendũ quod nobis vincit quoque, & ideò per ſecundum Adam victus prohibetur Diabolus, quia ſcilicet nos per illum vincimus, ſicut Iſraëlitæ per Dauid Philiſtæos vincendo Goliath. Hinc D. Greg. in Reg. (auro ſcribe) Gulæ vitio reciſo multa ſimul vitia ſubiugantur.

Pro tentatione in ſuperbia. Notâ D. Aug. lib: de natura & gratia: Cætera vitia in malefactis valent, ſola ſuperbia etiam in rectefactis eſt cauenda. Quocirca Chriſtus licèt ſe demittere de pinaculo ſine læſione potuiſſet, licet de illo ſcriptum ſit, quod intulit tentator, non tamen ſe

men ſe

men ſe demiſit. vis rationem? Prima eſt, vt ſuperbiam parentum priorum euinceret, qui volebant eſſe ſicut Dij. Secunda, vt nos licèt bonis ſpiritualibus prædiuites, ſuperbiam cauere præmonſtraret. *Quanto maior es, humilia te.* Expendit Chryſ. ad finem ſerm. 12. Satis hominem probare vult, cui non aſcenſum pro uidit ſed ruinam & lapſum. Inquit. *Mitte te deorſum.* Male tentabat Chriſtum: Non enim filij Dei eſt mittere ſe deorſum ſed aſcendere ſurſum. Hominis enim eſt ad ima cadere, Dei verò eſt aſcendere ſurſum. Sed prodidit ſe in ſuis conſilijs diabolus. Eleuat ſuos vt præcipitet, lapſus quærit, præcipitia ſuadet. Meliùs dixiſſet: Si filius diaboli es, mitte te deorſum. Sed hoc non potuit dicere Chriſto, quem iuſtum, ſanctũ, Prophetam, & fortè filium Dei ſuſpicabatur eſſe; neque voluit dicere hoc, ne quomodo ſuis daret occaſionem euitandi a ſuo dominio. Qui enim filius diaboli eſt, ſi demittet ſe cogitatione deorſum ad ſedem Luciferi & inferorum dominium, citò recedet ab eo. Conſtantinopolim in Anno 396. excidio punire decreuerat Deus, & cuidam viro ſancto prædicere excidium commiſit, inquit Baron: Populus vt expiaret crimina, publicas preces ad Deum direxit, inſtituit. auertit Deus iram. vt verò eliberaret ſeruum ſuum, qui prædixerat à tumultu & linguâ; die quâ hæc accidere debebant, & populus cum Arcadio ex vrbe exceſſit, ignea nubes aliquandiu vrbi imminens viſa fugit omnia concremare, terra quoque interim horribili motu concuſſa: populus ſpectãs in precem effuſus deorſum ſeſe in terram proſtrauerunt, meliorẽ frugem elegerunt, nube diſcuſsâ in vrbem remeantes, illæſam eam, Deo miſerante receperunt. Si ergò es filius diaboli ob crimina mitte te deorſum, humiliter te proſterne, & ſaluus Dei miſericordiâ euades. Concludendo ſermonem vndecimum Chryſol: dicit: Ieiunijs vicit, vt nobis vincendi vires, vincendi formã taliter largiretur. *Vincendi forma ieiuniũ.*

Pro tentatione ex auaritia Nota. omni arte & potentiâ, dum quis in ſibi propoſitum hoſtem inſurgit, mouet omnes vires. Vnde de aquila pugnante prouerbio dicitur, vnguibus roſtro & alijs armatur in hoſtem. Ita tentator hic proceſſit contra Chriſtum, gulâ, ſuperbiâ, eorumq; ſequacibus & vmbris inſurrexit tentando, modò ipſam auaritiam mouet. Greg: Auaritia enim non ſolùm pecuniæ eſt, ſed & altitudinis, cùm ſupra modum ſublimitas ambigitur. Quales erant qu bus dicebatur (eritis ſicut Dij. Fecit inſidias in deſerto, fecit in templi pinnaculo, nunc ſtruit & in monte altiſſimo. Sed vbique Chriſtus victor, tentator victus & confuſus? Quibus modis ſtrauit, hîc iſtis ſuccubuit Adã. Vergit ſermonem Chryſol. ſerm 13. ad hominẽ in tentatione: Aduertite fratres, ſi poſſit ſæuus inimicus quãuis ſæpè *Omni vi & arte in hoſtem.* *Tentatio grauis diaboli.*

uis ſæpè victus homini cedere, qui audit & ſentit Dominum Deum, & tamen adhuc tentare non deſinit, ſed bene Amb. in quadr. Epiſt. Tentamenta ſi ad bellatorem fortiſſimũ reſpicias, ludus eſt & vmbra certaminis. Dicit, dabo hæc, ſi cadens adoraueris me. Conditio grandis, datum nullum; offert quæ Dei ſunt, Deo authori, quæ authoris ſunt, repromittit, ſuadet vt adoret ab omnibus adorandus. O auſum diaboli! Deo dicit, adora me; ſed mox ſenties Dei virtutem, iudicem in pœnis. Adorabis in inferno eum ſtridens & eiulans, quem ad te adorandum temerarius deſertor inuitas. Igitur ô Chriſtiane audi quæ ad te dicit: Ad magnam menſam ſediſti, ſcito, quoniam talia te oportet præparare, Hoc eſt ſi Chriſtus vicit tentatorem tuum & viam tibi vincendi monſtrauit & dicit, ſcito, quod talia te oportet præparare; vincere, triumphare de hoſte, & in iuſtitiæ comitem auaritiam, cõmune nobilitatis malum, ſuperbiam & gulam, mentis ac ingenij euertricem, quibus ceu potiſſimis telis diabolus tentando Chriſtum inuaſerat nos quoque inuadit, clypeis his. *Non in ſolo pane viuit homo ſed potiùs in verbo Dei.* Et: *Non tentabis Dominum Deum tuum, & adorabis Deum & illi ſoli ſeruies*, inuigilabis. Adjurabat quondam S. Britius Epiſc: recens natum puerum, quis eſſet Pater eius. Et infans. Non tu pater meus es. Ita tu in tentatione ô Chriſtiane dices tẽtatori: Non tu damnate Pater meus es, ſed qui eſt in cœlis & te detruſit ad inferos. Pſalmiſta dicet Domino. *Pater meus es tu.* Sic vt pila percuſſa eleuatur, tu quoq; à terrenis ad cœleſtia eleuaberis.

Fortiſſimo ludus.

Vincere debet Chriſtianus.

Quid per miniſterium Angelorum accipiatur.

RESp. Glorioſa remuneratio victorum, in qua Angeli miniſtri exiſtent. Matth. 4. *Reliquit eum diabolus & ecce Angeli acceſſerunt & miniſtrabant ei.* Gloſſ. ſicut in hoc agone militia noſtra præſtruitur, ita in obſequio Angelorum glorioſa remuneratio edocetur.

ANNOTATIO.

AMbr. *de offic.* Non eſt glorioſa victoria, niſi vbi fuerint laborioſa certamina. Quocirca pro forti certamine & glorioſâ victoriâ, remuneratio expectatur ſoleniſſima. Vnde in Epiſt. idem. Ambr. Deus ipſe omnium rector ac Dominus, cùm omni Angelorum militia certamen tuum expectat, tibiq; contra diabolum dimicanti parat æternitatis coronam. Quomodo igitur miniſtri Dei non miniſtrabunt victoribus? Iuſtinianus Imp: Anno 557. ad Colchos cum exercitu ſtetit, ſacrificij cauſâ cum delectis equitibus receſſit longiùs extra caſtra. Iuſtinus dux inſperatè contra Perſas mouit. Iuſtinianus è reditu hoſtibus obui-

obuiam inopinato factus, licet numero præſtarent, internecioni eos dedit. Perſarum Ducem ſuperbiſſimum ob rem malè geſtam excæcari Coſroas iuſſit: Iuſtinus verò meruit vt poſt Auguſtus proclamaretur. Majori remuneratione & incomparabiliter victoria Chriſtiana compenſatur, cùm ipſe victor ſemper Auguſtus & in æternum pronunciatus coronabitur in cœlis. *Hilarius:* Victo autem à nobis calcatoq; diaboli capite, Angelorum miniſteria & virtutum in nos cæleſtium officia non defutura oſtenditur. Et ita cognoſcet victor & probabit, quod cecidit horrenda flamma chymeræ infernalis Leuiathan.

SERMO SECVNDVS

Cùm ieiunâſſet IESVS quadraginta diebus. *Matth, 4.*

QVID SIT AGENDVM?

REſp: Ieiunandum, exemplum enim nobis dedit. *Greg.* Omnis Chriſti actio noſtra eſt inſtructio. Inuitat verò nos ad jeiunandum tribus de cauſis. 1. Propter opportunitatem. Conueniebat enim refrenare gulam, per quam victus in paradiſo primus homo. Portæ & feneſtræ claudantur, per quas aditus aduerſarijs patuit. Pſal. 68. *Operui in jeiunio animam meam,* ne ſcilicet hoſtes aditum ad eam inueniant. 2. Propter eruditionem. Gloſ: Ieiunat vt tentetur, & quia jeiunat tentatur. Docet, quod qui bona incipiunt, jeiunium &c. ſtatim impugnantur. Thob. 4. *Bona eſt oratio cum jeiunio & eleemoſyna.* Ieiunium ſine his non eſt tutum. Solus peregrinus non vadit vbi latrones ſunt. Dæmon jeiunantem impugnat, vt per vanam gloriam ſuperbiat, vel per auaritiam vt hoc in burſam ponat. Inducias habet, dum non dimittit peccatum vel bona non facit, vbi hoc erit, rupit inducias diabolus, & impugnat opera bona. *Inſidiaberis calcaneo eius.* Gen. 1. Calcaneum finis operis eſt, vt hominis quoq; eſt, inſidiaberis ne ad finem operis & perfectionis perducat. Ideo debet ſe orationibus ſanctorum munire ne ruat in peccatum. 3. Propter vtilitatē. Prima quia dæmon expellitur, qui per luxuriam tentat. Vt lupum fames eijcit de ſylua, ita dœmon luxuria tentans, per ieiunium. *Hoc genus Dæmoniorum non eijcitur niſi in oratione & ieiunio.* Hoſpes delicatus non moratur in hoſpitio, vbi non recipitur iucundè. Luxuria eſt delicata, odit hoſpitem & ſocietatem ieiunantem Matth. 12. *Cùm immundus Spiritus exierit ab homine ambulat per loca &c. Piſces in arido moriuntur, luxuria in ieiunij auſteritate.* Iſa. 1. *Putreſcent piſces ſine aqua.*

Terent, ſine cerere & Bacho friget Venus. Secunda vtilitas, quia ieiunium eſt Dei reconciliatiuum, ieiunium enim pœnale eſt. Ita Niniuitis miſertus eſt Ionæ 3. Aduerte, ieiunium in peccatis non placet Deo, vt ferculum lutoſum oblatum Principi, Iſa. 58. *Ieiunauimus & non aſpexiſti: quia voluntas noſtra in die ieiunij inuenitur.* Diabolus ſemper ieiunat & à peccatis non ceſſat. Meliùs eſt abſtinere à peccatis quàm à pane, quia veneno delectationis animam occidit & ſemper ieiunandum à peccatis. Oſeæ ſecnndo. *Sanctificate ieiunium,* & mittam vobis frumentū, oleum. Eccl. 3. *Qui ieiunat à peccatis, iterum faciens eadem quid proficit humiliatio eius.*

Eſurijt autem Chriſtus tripliciter: Reputatione in pauperibus. Chriſto enim reputatur fieri tripliciter ſi quid eis impenditur. Matth. 25. *Eſuriui & dediſtis mihi manducare.* Ideò non contemnendi, ſi Regi familiaris eſt, non deſpicimus eum ſæpè in vili ſacco frumentum bonū, in concha lapis pretioſus, ſub paupere habitu anima pretioſa. 2 Nuncupatiuè: Cibus eſt eius conuerſio peccatorum. Ioan. 4. *Ego habeo cibum manducare quem vos neſcitis.* Gen. 27. *Affer hædos vt benedicat tibi pater.* 3. Affectiuè: Matth. 12. *Eſuriit & videns ficum, animarum ſalutem appetijt.* Eſuriens nullum panem reſpuit: ita Chriſtus nullum ſenem, iuuenem, peccatorem reſpuit. Act. 20. Petrus vidit vas in quo erāt varia animalia, facta ad eum vox: Surge Petre accipe. Quærit panem oſtiatim Dominus & pulſat, & multi eum ieiunum abire permittunt.

ANNOTATIONES.

QVid agendum ſit quadrageſimali tempore. Diuus Hieronymus ad Demetr. Virg. de ieiunio docet: Ardentes diaboli ſagittæ, ieiuniorum & vigiliarum frigore reſtringendæ ſunt. Et hoc nobis in exemplum propoſuit Saluator; Iſidorus verò de ſumm: lib. 2. cap. 44. ad hominem duplicem reſpexit & perfectum ieiuniū deducit. Hoc eſt (inquit) perfectum & rationabile ieiunium, quando noſter homo exterior ieiunat, & interior orat. Tunc enim homo ſpiritalis efficitur, Angelis coniungitur, Deoque liberius copulatur. Pſal. 17. *Rugiebam à gemitu cordis mei.* Ecce oratio interioris hominis. *Humiliabam in ieiunio animam meam.* Pſ. 34. En ieiunium hominis exterioris; Inuitat ergò nos Dominus ad perfectū ieiunium hoc tempore opportuno Quadrageſimali, inuitat & ad bellum cum hoſtibus animarum noſtrarum. Erat Romanis mos, vt ſignificando bellum hoſti, veruecem mitterent in prata hoſtium. Diabolus veruex in prata hominis deſcendit, bellum indixit nobis & animab⁹ noſtris; nos igitur indicam⁹ ſibi quoq; bellū, non paſcamus eum in pratis noſtris, nec cuſtodiamus illum, ſed recedamus ex pratis in Eccleſias, ieiunia obſeruemus, domemus carnem, obſtruamus oculos, ſepiam⁹ aures, veruex diaboli non inueniat paſcua.

paſcua in nobis. Immundi enim ſpiritus ibi ſeſe magis inijciunt, vbi plus viderint eſcam & potum, vt dicit. Iſid: de ſumm: lib. 2.c. 44.

Pro opportunitate ieiunandi. Nota. *Greg: hom: 6. in Matth.* Ipſe auctor omnium in quadraginta diebus nullum omnino cibum ſumpſit, nos quoq; quantùm poſſumus, quadrageſimali tempore carnem noſtram per abſtinentiam affligamus. Qui enim per carnis deſiderium decalogi mandata contempſimus; dignum eſt, vt eandem carnem quaterdecies affligamus. Vel ſicut in lege debemus offerre decimas rerum, ita ei offerre contendamus decimas dierum. Inter ſymbola video guttam ſenſim ſuper durum lapidem ſtillantem, cui vt legatur adiunctum: *Hinc ſpes.* Vis ſenſum? Gutta cauat lapidem, ſpes eſt quod per aſſiduam continuationem & longitudinem temporis lapis perforabitur. Profectò ex ieiunij diebus, quo Chriſti ſequimur exemplum, ſpes Chriſtianorum eſt, quod tam opportuno tempore proficuum & ſalutare nobis erit. Iudith 4. *Scitote quia exaudiet Dominus preces veſtras, ſi permanſeritis in ieiunijs & orationibus in conſpectu Domini.* Quocirca Chryſoſt: in Hom. 13. Vt autem diſcas quàm magnum bonũ eſt ieiunium, & qualiter ſcutum eſt aduesùs diabolum, ipſe ieiunauit non eo indigens, ſed nos inſtruens. Ergò ipſe ſe interimit, qui præcepta medici non ſeruat. *Ceſarius in admonit.* 2. In Quadrageſima non ieiunare peccatum eſt; qui alijs diebꝰ ieiunat, accipiet indulgentiam, qui in quadrageſ. non ieiunat, ſentiet pœnam.

Peccatum in Quadr non ieiunare

Pro eruditione. Nota. Ieiunauit vt tentetur. Solis filijs Dei tentatio contingit, quiâ illi ſoli exeunt in deſertum vt tentarentur. Filij diaboli non exeunt vt tententur, quia non deſiderant vincere. Quod ſi quis ieiunat & non tentatur, non deſperet nec dicat: quia perdidi fructum ieiunij mei. nam etſi non profuit tibi ieiunium vt tenteris, tamen profuit vt à tentationibus non vincaris, *Hæc Chryſoſt. Hom. 5. in Op. Imperf.* Aliam eruditionem noſtram ponit D. Greg. in Hom. 16. in Matth. Tentatorem ſuum mergere in abyſſum poterat, tamen virtutem ſuæ potentiæ non oſtendit, vt nobis præberet exemplum, vt quoties à prauis hominibus aliquid patimur, ad doctrinam excitemur potiùs, quàm ad vindictam. Aliam dat doctrinam & eruditionem Chryſoſt. Vt quadrageſimi noſtri ieiunij poneret menſuram, quadraginta diebus ieiunauit: non tamen ita nos vt ipſe ieiunauit obligat, nullus enim ſic ieiunauit vt ille. Nam licet Moyſes & Helias ieiunabant 40. diebus, tamen ſine refectione aliqua non erant. Chriſtus verò nil comedit nec bibit, quocirca & diabolus illum eſſe Filium Dei ſuſpicatus fuit. Et nedum non comedit nec bibit, ſed nec eſurijt, quod natu-

Soli filij Deo tentantur.

Si non tentaris in ieiunio quod lucrũ.

Cur tẽtator non repreh.

Menſura Quadrag.

Non obligat ad te ieiunium vt ipſius erat.

naturam humanam excedit. Vnde dum poſt 40. dies eſurijt diabolus, hominem & non Deum fuiſſe exiſtimauit. Hinc Chryſoſt. Cùm vidit ieiunantem Chriſtum deſperauerauerat, aut ſenſit eſurientem, cœpit iterum ſperare, quod illum proſternere poſſet. Hinc collige, quod tentant illi Deum qui volunt ieiunare ſine potu & cibo 40. diebus, vel quod poſt paruam comeſtionem, vnâ hebdomada ieiunio ſeſe macerant. Rationabile enim eſſe debet obſequiũ hominis. Neq; enim ieiunij noſtri panis talis eſt, ſicut erat S. Prophetæ, qui ſumptis ſubcinericio pane & aquâ, ambulauit in fortitudine eius quadraginta diebus & noctibus. Hieron: ſuper illud 1. Tim. 5. *Noli aquam bibere.* Prudenter Deus vult ſibi ſeruiri. Non vt nimietate debiles fiant, & pòſt medicorum ſuffragia requirant. Quod verò poſt tentationem tertiam iuſſit ire ſathanam ad inferos, docuit quod tentare non poteſt quantum vult diabolus, ſed quantum permittitur ipſi, nec permittit Deus niſi quantum ferre poſſimus, & quod poſt tentationis reſiſtentiam, miniſtrant Angeli victoribus. Romani ita elati erant victorijs & ſimul attriti bellis, vt proprium ſibi aſſererent axioma: *AGERE ET PATI FORTIA ROMANVM ESSET.* Ita Chriſtianus dicere deberet, qui ſe peregrinum eſſe in hoc mundo profitetur, orare, jeiunare, miſereri, Chriſtianum. Hæc noſtra fortitudo, hæc noſtra paſſio, hæc noſtra promotio eſt. Tob. 12. Hæc tria magis ſunt bona quàm theſauros auri recondere. Aurum ſit terræ vt terra fulua, argentum eidem vt terra alba, noſter theſaurus de cœlo, ad cœlum. *Beati qui nunc eſuritis quia ſaturabimini* Luc. 6.

Qui tētāt Deum in ieiunio

Noli aquam bibere.

Permittit tentari Deus.

Agere & pati fortia Romanorum eſt

De vtilitate ieiunij. Nota. Matth. 6. *Pater qui eſt in abſcondito reddet tibi ieiunium.* Alios quandoq; copia inopes facit, vt patet in prodigo. Sed qui factus eſt inops ob mandatum Chriſti, qui virtutem Chriſtianam in eleemoſyna poſuit, & in ieiunio fœlicitatem radicauit, erit ditior omni diuite in terris, excedet Iobi diuitias, quas retinuit, dum à ſterquilinio ſubleuatus cum gaudio vixit. Sanat enim ieiunium vulnera peccatorum, & cicatrices Dei miſericordia emendat, vt dicit Pet. Rauennas. Vt verò cognoſcas quæ ieiunia ſunt vtilia, Audi Ambr: in ſer: Quadr: Qui non præterit vnam diem ieiunij. Qui (inquit) conſtitutum numerum vna die manducando præterit, non vt vnius diei violator accuſatur, ſed vt totius Quadrageſimæ tranſgreſſor arguitur. Niſi hoc ob debilitatem nimiam faciat. Bonum bene faciendum. Si damna lucis rependis per ieiunium, nunquam fouere lucem negligere debes. Currebas cum homine, curre cùm ſanctis, & ſanctorum regulam tene. Ieiunium etiam in veſperum ſine delectione cibi quadrageſimalis reprehenditur. Quod enim reproba-

probauit Eccleſia, non excitandum erit, quocirca Iſid: de ſum: lib: 2. cap. 44. Spernitur jeiunium quod in veſperum delicijs compenſatur. Totâ enim die epulas in cogitatione ruminat, qui ad explendam gulam veſpere ſibi delicias præparat. *Ecce in die jeiunij veſtri inuenitur voluntas.* Alia litera legit, voluptas. Improbantur enim deliciæ à Propheta; ſicut lites, percuſſio, contentio. *Bern. ſerm:* 8. Ieiunium non ſolùm delet peccata quæ commiſimus, ſed etiam repellit futura, quæ committere poteramus. Cùm verò jeiunas ad veſperam, carnes, capones, & optimè condita in veſpere ſumis, excitas incentiua carnis, nec quietam noctem tibi vis, ſed abſtinentiam in libidinem, in ſomnia grauia, & commotiones carnis, commutare intendis. Quis creſcere poteſt malis? ipſe venenoſus ſerpens draco, & crocodilus. Tu ergo qui ſpumanti carni delicias in cibo offers, creſcere malo deſideras ante Dominum. *Humiliabam in jeiunio animam meam,* inquit Pſalmiſta Pſal. 34. Et quæ eſt humiliatio in jeiunio? non caro vitellina, non aues delicatæ, ſed panis cinere conſperſus, ſimplex refectio, aquæ potus. *Bern. ſerm:* 38. Ieiunio breui jeiunium redimitur ſempiternum. Gehennam meruimus vbi nullus cibus eſt, nulla conſolatio, nullus terminus. Quomodo ergò in cibum tuum delicata vocas, cupis, conſtituis? Accendis illecebram, occaſiones captas, impudicitiam per hæc excitas. Ergò muta naturam fide. Etiam & tale jeiunim non eſt vtile, quod debilitat jeiunantem. *Fulgentius ad Probam cap.* 13. Ieiunijs adhibẽda temperies, vt corpus noſtrum nec ſaturitas excitet, nec inedia immoderata debilitet. Vtraq; enim noſtris aduerſariis militat, quia vna vtilitatem jeiunij præcedentis adimit, altera facultati jeiunij ſubſequentis obſtitit. Saturitas facit vt inaniter jeiunemus, debilitas facit ne jeiunare poſſimus. Vnde debilitato Prophetæ dixit Angelus. *Surge comede grandis ſibi reſtat via.* Aquæ in ignem ſtillanti, quidam addidit: *EXTINGVESCERE SVETA.* Quaſi dicat. Hæc eſt natura aquæ, extinguere ignem. Ita debilitas corporis nimia, extingueſcere conſueuit virtutes eorumq; ſucceſſus & profectus in anima. Quare ſicut non licet viuere vt edas, ita licet edere vt viuas. Viuas verò Deo & animæ.

Creſcel remedis. — *Carnes in ieiunio non comed.* — *Humiliari in ieiunio.* — *Gehenna fugatur per ieiuniũ.*

Ieiuni um ſine ſaturitate. — *Ieiuni um ſine debilitate.* — *Extinguere ſueta.*

Quid ſit credẽdum (Puta) in ieiunio Chriſti.

RESp. Duo de Chriſto credenda. 1. Potentia diuinitatis. Cum enim 40. diebus & 40: noctibus ieiunauit, diuinæ potentiæ fuit. 2. Infirmitas noſtræ carnis. Cum dicitur. *Poſtea eſuriit.* Gloſſ: Eſuries ſignum eſt infirmitatis & noſtræ humilitatis, & ſic in inſtrumentum in moribus, & in fide.

Potentia diuinit. in ieiunio Chriſti, & infirm. ſignum

ANNOTATIO.

Ex ieiunio cognoſcitur Deus.

QVod attinet potentiam diuinam, non ſolùm homo ſed & dæmones ex tanto ieiunio continuo ſine eſurie & inedia, non hominem ſed DEVM fuiſſe exiſtimabant; Sed quod illi exiſtimauerunt, nos credere oportet. Omnis enim ſapientiæ Chriſtianæ diſciplina eſt, creatorem & creaturam cognoſcere. Maior diſciplina, ſi Chriſtum Deum verum & hominem verum profitebimur. *Chryſoſt.* Magis ex eo quod per tot dies nõ eſuriit intelligere debuit quia Deus eſt, quàm ex eo quod poſt tot dies eſurijt, quia homo eſt. Nam non eſurire, diuinæ eſt naturæ. Sed ſicut diabolus omnes homines excæcabat, ita modò viſibiliter à Chriſto eſt excæcatus. Antidoto ſalutari quale eſt Oruietanum, Hyacintina & ſimilia, jure merito addunt: *VENENA PELLO.* Eo namq; fine compoſita dicuntur. Si Chriſtus omnia tentamenta & venena diaboli repulit, ipſumq; authorem dicendo: *Vade Sathana*, proſtrauit & ad inferos detruſit, jam antidotum eſt chriſtianitatis & Deus verus, cùm venenoſum & antiquum ſerpentem ſacro jeiunio pro nobis deuicit.

Cognoſcere Creatorem.

Venena pelli.

Chriſto antidotum Chriſtianitatis.

Quod attinet infirmitatem noſtram, aduerte. Imbecillitas Chriſti ex jeiunio, magis ex voluntate quã ex neceſſitate proceſſit. Dicit enim Hieronymus: Aſſumptio iſta non ex imbecillitate Domini venit, ſed de inimici ſuperbia, qui voluntatem ſaluatoris neceſſitatem putat. In quo collige quod natura noſtra in Chriſto humilitatis & infirmitatis argumentum, incitat in nobis reſpectu Dei juſtificantis nos ſubiectionem, & reſpectu noſtri ad mortificationem, ne quomodo in jactantiam & faſtum deducamur cogitatione & mente. Adducam humiliationem & ſubiectionem cuiuſdam Guilielmi Cantabrigenſis in Anglia, quâdam nocte contremuit totus & tanto ſudore perfuſus fuit, & tantum excitauit ſtrepitum, vt ſocij mirantes conarentur eum excitare. Tandem ait; ſe ante tribunal judicis ſummi raptum, vbi petita fuit à me totius vitæ ratio; in qua reddenda, cùm ſe expedire non potui à criminibus objectis à dæmonibus, quæ accurate ſcripta habebant, ſententiâ latâ abreptus fui in æternas pœnas. Circumſpiciens B. V. Mariæ opem implorauit, & precibus eius dimiſſus fuit. Nec vana hæc viſio, reperit enim chartam in manu quæ grauiora vitæ ſuæ crimina continebat. Quare proxima luce ea confeſſione expiauit, & poſtea tam auſterè vixit, vt omnes obſtupeſcerent. *Hæc B. Iouius ſub Anno 1268. ex manu ſcripto Vaticano.*

In Adã nos incitat natura noſtra in Chriſto.

Guilielmus ante tribunal Chriſti ſiſtitur.

Charta peccatorum ſcripta à dæmoni.

DOMI-

DOMINICA II QVADRAGESIMÆ.

Hæc eſt voluntas DEI ſanctificatio veſtra. *Ad Theſ: 1. 4.*

A PECCATIS SANCTIFICEMVR.

ORabat Dauid Pſ. 118. *Doce me facere voluntatem tuam.* Docet ergo, vt abſtineatis vos à fornicatione &c. Sanctificatur qui à peccatis mundatur. Sponſa Chriſti munda eſſe debet. Ad Epheſ. 5. *Chriſtus dilexit Eccleſiam & tradidit ſemetipſum pro ea, vt illam ſanctificaret mundans lauacro aquæ &c.* Mundat autem aqua baptiſmi & lachrymarum. *Iſidor*: Lachrymæ pœnitentis apud Deum pro baptiſmate reputantur; ſed quid prodeſt, ſi quis lauetur & ſordidis veſtibus induatur? & anima ſtatim in vitioſam conſuetudinem relabatur, Exod: 19. *Vade ad populum & ſanctifica eos hodie & cras, lauentq; veſtimenta ſua,* id eſt mores. Eccl. 9. *Omni tempore veſtimenta tua ſint candida.* Stultus qui peccata plangit, & non deponit. *Greg.* Sordidas facit lachrymas qui vitæ munditiam ſubtrahit fletibus ab oculis DEI.

Vade, ſanctifica po-pulum.

ANNOTATIO.

ECce *Dominus elegit te hodie vt ſis, ei populus peculiaris.* Deut. 26. Quem elegit Dominus ad ſuam voluntatẽ faciendam, illum elegit in populum peculiarem, vt ſint ſcilicet juſti & Sancti. Vnde Prou. 11 *Voluntas eius in his, qui ſimpliciter ambulant.* Quid eſt ſimpliciter ambulare? Et bonam voluntatem habere? Et quæ eſt voluntas bona? Docet D. Aug. de ver: relig. Qua appetimus recte honeſtè que viuere, & ad ſummam ſapientiam peruenire. Ergò à primo ad vltimum. Populus peculiaris Dei eſt, qui ſimpliciter ambulat, qui bonam voluntatem habet, qui rectè & honeſtè viuit, qui deſiderat ad ſummã ſapientiam peruenire. Talis verò eſt qui à peccatis liber, à virtutibus ſanctus eſt. Vnde Auguſt. Iſta ſunt ſanctitatis causâ ſeruanda. Pudicitia corporis, caſtitas animæ, & veritas doctrinæ. Ad currum triumphalem non erubuit quidam adſcribere. *Seruus curru portatur eodem.* Cur non reſpexit in ſcripto, differentiam Domini à ſeruo? cur eundem honorem militi & Duci tribuit? cur in eodem curru ſedere ſeruus debet, in quo triumphat Dominus? Merita faciunt, virtus exaltat, fortitudo extollit, vt in eodem triumphali curru trophea recipiant ſeruus & Dominus, ſit que alter-

Ele-ctio in popul. pecul.

Voluntas Dei in his qui ambulant ſimpl.

Voluntas bona.

Pop. peculiar. quis.

Sanctitatis causa.

Seruus curru portatur eodem.

alter Seruilius Imp. Maiora tribuit DEVS plaſmatis à ſe, quem videt ſanctum & à peccatis ſanctificatum, nedum in regno ſuo collocat ipſum? ſed ad ſanctitatem ſuam pertrahit. *Eſtote Sancti ſicut ego ſanctus ſum.* Leu. 19. Quocircà incitando ad ſanctitatem. Hieron. dicit in Epiſt. Si vis habere partem cum Chriſto, Chriſti exemplo tibi viuendum eſt. Si Sanctorum cupis cōſortium, á cogitatu malitiæ & nequitiæ corpus emunda, quia non niſi ſanctos & iuſtos, ſimplices, innocentes, & pueros cæleſtis aula ſuſcipiet.

Solùm ſanctos cælum ſuſcipit.

Voluntas Dei eſt, vt in bono exercitemur.

Volutas DEI exercitari in bono.

Primo Pet. 2. sic eſt: *Voluntas Dei vt benefacientes obmuteſcere faciatis.* Si ergo benefacitis, voluntatem Dei impletis, immò ex Deo nati eſtis. Ioſ 4. Qui benè facit ex Deo eſt, qui malè non vidit Deum, immo nec videbit in æternum. Deus enim benefacit benefacientibus Pſal. 124 *Benefac Domine bonis & rectis corde.* Attende quod dicit. *Obmuteſcere faciatis.* Magna virtus bonorum factorum qui nos apud Deum creſcere & obmuteſcere aduerſarios, & amicos non erubeſcere faciunt. *Auguſt.* Qui nos amant quærunt quod laudent in nobis, qui autem oderunt detrahunt nobis, nos autem in vtroque iudicio conſtituti vitam noſtram ſic cuſtodire debemus & famam, vt non erubeſcat laudatores ſed detractores. Qui in iudicio obmuteſcent. Mat. 22 *At ille obmutuit.*

ANNOTATIO.

Pſalmo 29. *Vita in voluntate eius.* Benè expertus Dauid voluntatem Dei, nam ſi in voluntate noſtra eſt excidium & mors, iam in voluntate Dei erit vita. Quocirca 2. Mach. 1. *Det vobis cor omnibus, vt colatis eum & faciatis eius voluntatē corde magno, & animo volenti:* Volūtas ergò Dei cū ſit, vt exercitemur in opere bono, vitam exercitabimur nobis æternam. Hinc S. Paulus 1. Tim. 4. Exhortabatur Timotheum, *Exerce teipſum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio* quæ fit per opera miſericordiæ *admodicum vtilis eſt, pietas autem ad omnia vtilis eſt.* In quibus verbis non arguit opera miſericordiæ. Nam Eccl. 44. dicitur: *Sunt viri miſericordiæ.* Viros dicit non fœminas, vt oſtendat opera miſericordiæ corporalia, eſſe magni valoris ante Deum, ita quod dicat Chriſtus: *Eſuriui & dediſtis mihi manducare &c.* Sed diſtinguit opera miſericordiæ in valore, ab operibus pietatis. Vt enim excedit anima corpus, ita virtus circa bonum corporis proximi, minor eſt virtute, quæ eſt circa animam proximi, quod eſt officium pietatis. Imò minus valent opera miſericordiæ ſine pietate. Vnde Ioā. 6. *Caro non prodeſt quicquam.* Et Eccl. 44. addidit. *Sunt viri miſericordiæ quorum pietates non defuerunt.* Quàm concinne B. Nilus Epiſc: & Martyr in Sent: Trop: Cunctis rebus anima præferatur, & virtutis

tutis curſus indefatigate conſummabitur. Ita exercitatum in bono B. Mauritium ordinis mei in Hiſt: lego: Cùm matri ipſius proximè ad partum forma præcellenti apparuiſſet, dixit ei: Paries filium ſanctitate magis quàm genere illuſtrem: Erat enim ex genere Regum Hungariæ natus. Non receſſit à bono virtutis in tota vita ſua, ſed vigili exercitio proficiebat in contemplatione & ſtudio pietatis atq; religionis. Quocirca dum juſta perſolueret ipſi Epiſcopus Laurienſis, ad eleuationem Sanctum illud cadauer oculos aperuit inſpectandæ hoſtiæ gratiâ, & idem fecit ad eleuationem calicis. *Hæc Michael Pius, ad Annum 1336.*

Caluaria cũ radiis.

Conſpicio in Symb. Caluariam pij hominis, quam radius è cœlo illuſtrat, ornatum adſcriptum: *INGENIO EXPERIOR FVNERA DIGNA MEO.*

Funera digna experiri.

Fortè memor mortis hic fuit, nec ex meditatione hac defluebat ille. Docebat eum. Eccl. 7. hanc ſapientiam. *Memorare nouiſſima & non peccabis*; Deo funera digna ingenio experiebatur.

Nouiſſima.

Sed quia magis hoc ſpectat ad timorem ſeruilem quàm ad filialem, ideò voluntas Dei ponitur in perficiendo bono, non verò in ſpeculando malo damnatorum. Bonis enim ex opere dictum Pſ. 124. *Pax ſuper Iſrael.* Hoc eſt, ſuper videntes Deum & opere complentes mandatum ipſius. *Beati eritis, cùm feceritis quæ præcipio vobis.* Ioan: 13.

Pax ſuper Iſrael.

Voluntas Dei eſt vt in vtroq; confirmemur.

Hoc eſt, vt à peccato ſanctificemur & in bono exercitemur. Ioan. 3. *Hæc eſt voluntas eius, qui miſit me, patris; vt quod dedit mihi non perdam ex eo.* Sola perſeuerantia facit vt non perdamur. *Bern.* Abſque perſeuerantia nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor conſequetur. Illi verò perduntur, qui non perſeuerando à Deo ſeparantur. Pſ. 72. *Perdidiſti omnes, qui fornicantur abs te, mihi autem adhærere Deo bonum eſt.* Fornicantur, qui derelicto Deo vero ſponſo in mundo luxuriantur: voluntas igitur Dei ſemper & perſeueranter impleatur. 1. ad Hebr: 5. *Semper quod bonum eſt ſectamini inuicem & in omnes, ſemper gaudete, ſine intermiſſione orate: hæc eſt enim voluntas Dei in omnibus nobis in Chriſto IESV.* Iſidor: Tunc Deo placet noſtra conuerſatio, quando bonum quod inchoamus ſine perſeueranti complemus. De hac triplici voluntate ad Rom: 12. *Reformamini in nouitate ſenſus veſtri, vt probetis quæ ſit voluntas Dei bona, beneplacens & perfecta.* Bona à malo ſanctificari, beneplacens bonum operari, perfecta in vtroque confirmari, ſeu firmum eſſe.

Perſeuerantia non perditnos.

Perſeuerentia commendatur.

Voluntas trip.

ANNOTATIONES.

Optimus gubernator nauis nil in intentione & oculis habet, quã viam ſuam tenere & ad portum fæliciter peruenire. Ita vir iuſtus ſine intermiſſione non aliud deſiderat, cogitat & perficit, quam non recedere à via ſua bona. Ita enim Iob: 17 *Et tenebit iuſtus viam ſuam.* Admonebat

Iuſtus viam teneat.

Eccl: 5. *Non te ventiles in omnem ventum, & non eas in omnem viam.* Eſto firmus in via Domini: B. Nilus Epiſc. & M. in Sent: Tropol. Ita curras vt vincas, hoc eſt indeſinenter, per virtutis enim ſemitã currere oportet, donec vitæ ſtadiũ exuperemus. Plura quidem ille poſſidet bona, qui rectè cœpit, (dimidium enim facti qui benè cœpit habet.) ſed indeficiens bonum non conſequitur, niſi qui in bono ſpiritus perſeuerauerit in finem. Vnde Apocal. 2. *Ecce miſſurus eſt Diabolus aliquos ex vobis in carcerẽ vt tentemini, & habebitis tribulationem diebus decem. Eſto fidelis vſq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Perpende cur poſuit: *Dabo coronam vitæ*, & non poſuit dabo coronam gloriæ, vel regni cœleſtis? Perſeueranti in bono ad finem, promittitur nedum vita æterna, ſed corona vitæ: vt ſcilicet pro vita ſanctè & rectè ducta, non ſolùm coronã iuſtitiæ recipiat, nec ſolùm vitam æternam, ſed etiam coronam vitæ. De quo Pſalm. 114. *Placebo Domino in regione viuorum.* quaſi diceret: Non ſolùm placui hîc Domino, cùm eripuit me à morte & donauit vitam, & dedit vitam non ſubiectam omni malo ſed cumulatam omni bono, & dedit nedum fælicem vitam, ſed etiam ſecuram ac ſempiternam; verumetiam placebo illi in regione viuorum vehementer & omnibus modis. Superabit enim Deus deſiderium hominis, quo placere ſtuduerunt Deo in terris. Refert Tritemius de Ruperto Abbate Ord. S. Benedicti: quod cùm idiota eſſet, orabat continenter Deiparam, vt ſibi à filio donum ſapientiæ exoraret; cui apparens B. V. Maria dixit: En tibi omnium ſcripturarum arcana patebunt; ita, vt neminem hoc tempore habeas tibi ſimilem. Non ergò tepeſcas otio, & gratiam tibi datam ne negligas. Si ſapientia infuſa requirebat exercitium & proſecutionem continuam, quid de virtute & profectu in bono dicendũ erit? perſeuerantia ſola ditabit. Quocirca Eccl. 2. *Væ his qui perdiderunt ſuſtinentiam, & qui dereliquerunt vias rectas. Quid facietis cùm inſpicere cæperit Deus? Malos malè perdet, & vineam ſuam alijs locabit agricolis.* Matth. 21. *Oues meæ vocem meam audient, & ego do eis vitam æternam.* Ioan. 10.

Indeſinenter currẽdi.

Tentatio eſt carcer diabol.

Corona pro perſeuerãtia.

Corona vitæ. cur non.

Placere in regione viuorum.

S. Rupertus infuſ ſcientiam habet

perſeuerantia in bono ditat.

Audi vt habeas vitam æternam.

Voluntas Dei eſt, vt in cælo glorificemur.

Ioan. 6. *Hæc eſt voluntas Patris mei, vt omnis qui videt filium & credit in eum, habeat vitam æternam.* Dicit: *Credit in eum.* Si ſcire deſideras, vtrum verè credas in Chriſtum, Matth. 16. *Signa qui credunt, ſequentur, in nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, ſuper ægros manus imponent.* Dæmonia ſunt peccata. Eiecta de Magdalena ſeptem dæmonia. Greg. Vitia & peccata, linguæ nouæ, verba ædificatoria, & bona. Linguæ antiquæ verba nociua & praua. 1. Reg. 2. *Recedant vetera de ore veſtro.* Serpentes ſunt motus ſenſualitatis. Qui ſerpenti cõſentit,

Voluntas Dei vt glorificemur.

Signa ſi verè credis.

Dæmonia ſignificant peccata.

Serpentes

ſentit, paradiſum vt Eua perdit. Serpentes tollimus, cùm concupiſcentias reſtringimus: mortiferum eſt ſcandalum, iniuria facto aut dicto illata. Iacob. 4. *Eſt inquietum malum lingua plena veneno mortifero.*

Mortiferum.

Si accepta iniuriâ non inflammamur per ſuperbiam, non ſuffocamur per inuidiam, non diſrumpimur per iracũdiam; tunc mortiferum bibimus, & non nobis nocet: bibe pro Chriſto, quod pro te bibit Chriſtus; ſed leue eſt, ſi inſpicimus quid biberit ad patibulum, qui nos inuitat ad Chriſtum. *Manus imponent*: ſunt adiutoria charitatis, remedia pietatis, ex quibus conualeſcunt qui ægri ſunt ſpiritualiter vel corporaliter.

Manus impoſ.

ANNOTATIO.

Voluntati diuinæ bona & perfecta tribuẽda.

VOluntati diuinæ, vt omnia perfectiſſima & ſummè optima adſcribere cõuenit, ita quod intellectu creato imperſpicabile nec poſſibile eſt aſſequi, eidẽ voluntati tribuendũ erit. Quapropter rectè B. Alb. M. differuit: Voluntas Dei eſt, vt in cælo glorificemur. Daniëlis 4. Iuxtà voluntatem ſuam facit Deus, tam in virtutibus cœli quàm in habitatoribus terræ.

Facit DEVS iuxtà voluntatem ſuam.

Quid obſecro fecit in virtutibus cæli? ſi Angelos intelligimus, fecit hoc, vt glorificati poſt lapſum luciferi, nunquam à gloria cæli decidant, ſed firmati in perpetuum in ea glorificentur. Et quia homines paulò minùs minuit ab Angelis, etiam eos in loca Angelorum lapſorum glorificandos voluit transferre. Vnde 1. Ioan. 2. *Qui facit voluntatem Dei, manet in æternum.* hoc eſt, in æternas æternitates, in quibus manebit Deus.

Voluntas Dei in habitationibus terræ.

In æternũ.

Baron: libro 6. habet: Sub ãno 493. Theodoricus Gotthorum Rex, dum perpetuam firmare pacem cum Clodoueo Rege Franc. expetijſſet, affinitatem petijt cum illo. Percuſſerunt pacem & contraxerunt affinitatem, nam Theodoricus qui iam affinitatem cum Regib9 Burgundiorum & Viſigotthorum tenebat, accepit à Clodoueo filiam in conſortem Audeflendam. Fortunæ placidæ conſortium erat, ſed cum animo contemplor verbum Dei Incarnatum, quid aliud cogito, niſi quod in perpetuam pacem & gloriã contraxerit naturam humanam filius Dei Rex regum: Erat autem antè natura humana Audeflenda, nam in peccatum inobedientiæ & originis ex audacia deflenda primorum parentum defluxerat, & varijs peccatis ac vitijs audaci conſenſu in mortalia inciderat: verùm eam hanc naturam Audeflendam aſſumpſit filius Dei ad ſuam perſonalitatem, reliquit aditum & conceſſit, vt immortalis quoque vitæ & gloriæ ſuæ participes fierent. *Vbi ego ſum illic & miniſter meus erit.* Ioan. 12.

Pax & affinitatem.

Audeflenda filia regis Franciæ.

Natura humana Audeflenda.

Rectè B. Nilus: Cùm Euâ prognati ſimus, neceſſe eſt vt affligamur, verùm ſi iucundè tribulationes ſuſtinemus, in benedictionem nobis maledictio vertetur. Qualem benedictionem? gratiæ in via, gloriæ in patria. Tantam declarationem ergà genus humanum;

Tribulatio in benedictionem vertitur.

Benedictio, gratia & gloria.

Homo dominus & hæres

manum, nedum ipſe Deus, ſed ipſi quoque Angeli quotidie nobis commonſtrant & commendant dicendo *Eſtis facti Domini terræ, & hæredes cæli.* Domini in creatione, hæredes in redemptione. Sed hiſtoriæ rem adducam concludendo: Eſt imago B. V. Mariæ Romæ in templo S. Mariæ in Porticu: hanc ad B. Gallam Symmachi Conſulis & Mart. filiam Angeli detulerunt, aureis lineis in lapide pretioſo Zephirino Angelorũ manibus efformatam, multa luce circumfuſam, quare vehementer commota Ioanem Pontificem poſteà martyrem tota de re commonefecit. Qui cũ ad eam acceſſiſet, campanæ totâ vrbe ſponte concreparunt nemine pulſante, viditq; imaginem in aëre ſuſpenſam, quam tunc Angeli in Pontificis manus depoſuerunt. Eadem imago ſolenni pompâ iuſſu Calixti tertij per vrbem circumlata diuturnam peſtem depulit. Hanc Paul. II. in ſacellum Pontificis intulit, ſed alrera die in propria æde collocata diuinitùs eſt. Tempore Adriani itidem tempore peſtis delata à Romanis. Vbi Iudæus conuerſo in tergum vultu imagini illudit, & facies eius auerſa perpetuo ſic hæſit, Iudæa quoq; ne imaginem aſpiceret faciem auertens, oculis capitur. Leo X. Anno 1518. concordiam Chriſtianorum contra Turcam inſtantem impetrãdo à Deo, in ſupplicatione deferri iuſſit, quam cum Patribus purpuratis nudis pedibus proſecutus eſt. His tantiſq; miraculis quid aliud propoſitum eſt, niſi quòd Chriſti fidelibus gratia in terris, gloria in cælis data, donataq; ſit.

Imago B. M. Virgin. Portiu.

Angeli B. V. M. imaginẽ efformant, collocant.

Imago B. V. Peſte depulit.

Illuſio imagini B. V. punita.

B. V. profligat Turcas.

SERMO II. IN EADEM DOMINICA II. QVADRAGESIMÆ.

Aſſumpſit IESVS Petrum, Iacobum, & Ioannem, & duxit in montem, & transfiguratus eſt. *Matth. 17.*

Hîc format B: Albertus M. ſermonem ſuper Euang. Matth 15 de filia quæ à dæmonio vexabatur: ſed quia nunc Eccleſia legit Euangeliũ de Transfiguratione Domini in monte Thabor, ideò alium formabimus ſermonem.

Quo-

Quomodo eos aſſumpſit?

DIcit Pſal. 88. *Domini eſt aſſumptio noſtra, & Sancti Iſraël Regis noſtri.* Belarminus exponit: Dominus ex beneplacito ſuo non ex meritis noſtris aſſumpſit nos in populum peculiarem: ac noſter rex dignatus eſt eſſe: Quocircà à Prophetis Deus dicitur, Sanctus Iſraëlis: Ita dicere poſſumus, quia aſſumpſit Apoſtolos ex dignatione ſua non ex merito. Hebræi leguntin Pſalmo, aſſumptio noſtra, protectio noſtra. Ita quoque dicere poſſumus, quia Apoſtolos accepit in ſuam protectionem, defenſionem: Vnde B. Alb. M. in cap. 9. Lucæ, Aſſumpſit plùs ſtringens intùs quàm vocans extra. *Adhæſit anima mea poſt te, me ſuſcepit dextera tua.* Pſal. 62. Vel aſſumpſit, quia in magnam prærogatiuam illos ordinauit. Petrum in clauigerum regni cæleſtis Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cælorum.* Iacobum maiorem, qui primus inter Apoſtolos martyrio coronari debuit, Actorum 12. *Occidit Herodes Iacobum fratrem Ioannis gladio.* Gloſſ. Ambroſij qui primus inter Apoſtolos ſolium ſacerdotale accepit. Puta in cælo per Martyrium. Ioannem verò aſſumpſit, quia ei Matrem ſub Cruce debuit commendare. Vt ſcilicet viſa ipſiùs gloria, non abhorreret ad crucem ſtare, & matrem conſolatricem habere. Vel aſumpſit (inquit Chryſoſt: hom. 57.) Quoniam alijs potiores erant. Intende autem quoniam Matth. non ocultat eos, qui ſibi præpoſiti ſunt; hoc enim & Ioannes fecit præcipuas laudes cōmemorans Petri. Ab æmulatione enim & vanâ gloriâ mundus fuit Apoſtolorum chorus.

Aſſumptio eſt protectio.

Cur tres aſſumpſ.

Iacobo maior aſſumptus.

Soliū ſacerdotale in cælo

Vana gloria non in Apoſt.

ANNOTATIO.

MErito aſſumptionem hanc comparabimus ad aſſumptionem Abacuc Prophætæ, qui vnà cum prandio deportatus fuit ex Iudæa in Babylonem, ab Angelo apprehenſus in vertice cum capillis capitis ſui. Dan. 14. Vbi tunc erat pondus hominis terreni, vnde capilli vim robuſtam nec ad euellendum mobilem acceperunt? quomodo vir collegit audaciæ ſtimulum, vt per aëra deportatus in impetu Spiritus Angeli, non timeret? quomodo pulmentum liquidum in alueolo non effudit nec dimiſit?

Cōparatio aſſumptionis Abacuc, ad aſſumptionē in Thabor.

Factum Angeli erat factum Dei. Angelus apprehendebat Deus, alleuiabat grauia. Propheta confortatus, Angelus miſſus, Deus præſens aderat. Quocirca Daniel de medio leonum ad Habacuc vocem reſpondit. *Recordatus es mei DEVS & non dereliquiſti diligentes te.* Argumentum hoc legentibus plus infirmum quàm firmum ſed extaſis deuotionis efficiebat. Comparantur hæc ad aſſumptionem in montem Thabor Apoſtolorum. Liber animus, voluntas libera, ipſorum dulciter corda intùs ſtringebantur, & molliter ad extra

Deportatio Abac.

promouebantur; vt non aſcendentibus alijs hi aſcenderent, qui teſtes conſtituti viſæ gloriæ Domini & facierum Moyſis& Heliæ eſſent, exprimerentq; gentium parentes Sem, Cham & Iaphet, ex quibus filij ſuper montem ſtellatum & chriſtallinum aſcendere meritis Chriſti & ſanguine debuerant. *Hilar. cap:* 12. *in Matth.* In tribus aſſumptis de trium origine, Sem, Cham & Iaphet, futura electio populi oſtenditur. Dicitur Deut. 4. *Vos qui adhæretis Domino viuitis vniuerſi.* Cognouit & expertus eſt hoc Daniel qui inter feroces & famelicos leones viuebat: magis experti ſunt Apoſtoli, qui transfigurati Domini faciem videntes & veſtes, jam ſe viuerè in æternum exiſtimabant. *Bonum eſt nos hîc eſſe.* De S. Catharina filia S. Brigidæ Ioan. Vaſtonius refert. Cùm Tyberis Romæ inundauerat plurimum, & interitum Romani extimuerent, aduolarunt ad ſanctam, orant vt deſcenderet ad ferocientem fluuium preces oppoſitura, illa fuſis lachrymis ſuam indignitatem fatetur. Tum Romani inuitam, domo exportatam ſeuientibus vndis obiecêre. Mox vt illa pedibus attigit aquas, confeſtim retrorſum abiêre nec alueum ſuperare viſæ. Ita ad montem Thabor aſſumpti Apoſtoli, omnes aquas tribulationum mundi & miſeriarum in hac valle, ipſo aſpectu luminis in facie Chriſti & veſtibus, retroceſſuras imò annihilaturas cognouerunt. *Non erit amplius neq; luctus neq; clamor neq; vllus dolor, quia priora abierunt. Bonum nos hîc eſſe* dixerunt. Lux hæc, gloria vera.

Sem Cham & Iaphet.

Adhærentes Deo viuunt.

S. Catharina Brigitta.

Tactu pedum Tyberis reſtringitur.

Cur in montem ſeorſum?

Reſp. Ad maiorem exultationem ipſorum. Dicitur enim Pſal. 88. *Thabor & Hermon exultabunt, tuum brachium cum potentia.* Suple, dum conſpicient. Thabor interpretatur veniens lumen. Ad montem ergo venientis luminis aſſumuntur gaudij & exultationis gratiâ. Hermon qui eſt mons paruus, & interpretatur Anathema ſignat Apoſtolos humiles, qui à viſione Dei & gloriâ æternâ conſequendâ erant, ſic alieni donec aſcenderet Chriſtus in cœlum & aperiret illud, ceu eſt alienus anathemate percuſſus à viris Eccleſiæ & Eccleſia Sancta. Montes hi Thabor & Hermon diſpoſiti manent erſùs terram promiſſionis; vnus ad orientem alter ad occidentem vt habet Belarmin⁹ ſuper hunc locum: Exultare ergo debebat in hoc monte oriens & occidens, oriens erat Ioannes, qui ſupra pectus Domini recubuit, & cui dictum erat. *Sic eum volo manere.* Occidens, eſt Petrus, qui negare debuit Chriſtum cum juramento; occidens Iacobus qui primus occidere debuit per Martyriũ pro Chriſto à conſortio Apoſtolorum, & excidere à choro per gladium Herodis. Exultabant igitur Thabor & Hermon, occidens & oriens, viſa claritate ſole lucidiori, & conſpectis locutionib⁹ Moyſi & Heliæ cùm

ſtæ cum Domino. Remig: aliam ponit rationem cur in montem reducti? Docuit(inquit) quia neceſſe eſt omnibus, qui Deum contemplari deſiderant, vt non in infimis voluptatibus jaceant, ſed amore ſupernorum ſemper ad cœleſtia erigantur. Et vt oſtendat diſcipulis quatenus gloriam diuinæ claritatis non in huius ſæculi profundo quærant, ſed in cæleſtis beatitudinis regno.

Mons ſuper- [illegible]

ANNOTATIO.

MAximam exultationem Thobias habuit, dum cæcus factus vidit poſt filium ſuum: nam & reducem ſalutauit, & medicum dilexit. Incomparabilis exultatio Apoſtolorum, nam filium Dei in gloria crediderunt & cognouerunt, atque è medio tenebroſæ ignorantiæ reducti ſunt ad ſapidam intelligentiam. *Chryſoſt. Hom. 57.* Cur non confeſtim eos ducit factâ promiſſione de gloria ſua in monte, ſed poſt dies ſex vel vt alius Euang. poſt octo? & horum dierum ſpatio vehementiori concupiſcentiâ repleti, qui aſſumendi erant ſollicitâ mente accederent. Ex quo collige transfigurationem propter ipſos Apoſtolos fuiſſe factam, ac proinde ſummam ex viſione tantæ gloriæ exultationem concepiſſe. Dicitur Ieremiæ 31. *Benedicat tibi Dominus, pulchritudo iuſtitiæ, mons Sanctus.* Exponunt hoc alij de Ieruſalem reparatâ, dum ex Babylone ſunt reuerſi in Iudæam, quaſi admirando ruinam & reædificationem dicerent homines, ô Ciuitas in qua iuſtitiæ ſedes eſt! mons ſancte, in quo beneplacitum eſt Deo ſuum ſibi domicilium conſtruere, bene tibi dicat & faxit Deus. At quicquid ſit de littera, S. Thomas cum Hieronymo & Hugone apponunt hæc Iechouæ benedicenti: Benedicat (inquiunt) tibi Ieouach, hoc eſt, Chriſtus, qui eſt pulchritudo & domicilium iuſtitiæ (Hebræum enim Neueh vtrumq; ſignificat) & mons Sanctitatis, in quo habitant fideles. Benedicebat ergò in hoc Monte Thabor Apoſtolos ſuos Chriſtus, pulchritudo iuſtitiæ. (nam Hieron. dicit: Qualis futurus eſt tempore iudicandi, talis Apoſtolis apparuit) Mons Sanctus. Qui & Montē Thabor ſanctificauit, & in illo ad ſe Moyſen & Hæliam vocauit, & qui factus eſt Mons Sanctorū atque ſanctitatis noſtræ ſpeculum. Vt ſicut Moyſes legem dedit & Elias pro gloria Dei æmulator extitit, ita illi legis obſeruatores gloriæ æmulatores exiſtant, & fierent manſueti vt Moyſes & zelantes vt Elias pro Chriſto & animâ, Quam Propheticè dicebat Dauid. Pſal. 88. *Miſericordia & veritas præcedent faciem tuam, beatus populus qui ſcit jubilationem.* Præceſſit miſericordia Chriſti, dum eos aſſumpſit in montem: præceſſit veritas, dum veram gloriam illis quantum ſuſtinere poterant demonſtrauit, beatus populus Apoſtoli, qui cognouerunt hanc jubilationem, quam Angeli exhibent laudantes & benedicentes in cœlis Deum trinum & vnum.

Bene-dictio DEI.

Qualis

Qualis fuit hæc transfiguratio.

IN monte ex conſortio Domini reſplenduit facies Moyſi. Exod. 33. Ob quem ſplendorem non poterant intendere, niſi velaretur in faciem filij Iſraël 2. Cor. 3. Veritas vt excedit vmbram, ita incomparabiliter illuxit facies Saluatoris ex conſortio vnitæ ſibi Deitatis. *Reſplenduit ſicut ſol,* inquit Matth. 17. Quærit Remigius. Si facies Domini reſplenduit ſicut ſol, & ſancti ſicut ſol fulgebunt: nunquid erit æqualis claritas Domini & ſeruorum? Nequaquam. Sed quia nihil lucidius inuenitur ſole, idcircò ad manifeſtandum exemplum futuræ reſurrectionis & facies Domini reſplendere & juſti fulgere dicuntur ſicut ſol. Et hæc ſit in Iſaia 52. declaratio. *Egrediatur vt ſplendor juſtus eius, & Saluator eius vt lampas accendatur.* En comparatur ſplendori & lampadi. Quocirca dum ſoli comparatur in Euangelio facies Chriſti, qui ſplendori & lampadi in Iſaia comparatus fuit, jam conſtat & hanc comparationem ad ſolem deficientem eſſe. Plus enim reſplenduit facies eius quàm ſplendet ſol, & multò magis deficiens comparatio in Iſaia prædicta. Sed vaticinia prophetarum, erant ceu velamenta tranſparentia, velatum aliquomodo declarantia.

ANNOTATIO.

IN transfiguratione non ſubſtantia tollitur, ſed gloria commutatur. Certè transformatus eſt Dominus in eam gloriam, quâ venturus eſt poſteà in regno ſuo. Transformatio ſplendorem addidit, faciem non ſubtraxit. Vnde transfiguratio non inducit hîc aliam figuram, ſed nomine figuræ dicitur transfiguratio, propter figuras radiorum ab ipſo in magnifica gloria refulgentium. Illi enim in oculis intuentium varias figuras depinxerunt, ſicut faciunt radij cuiuſlibet corporis luminoſi Eccl. 43. *Radios in eos igneos exſufflans ſuos.* Per modum enim linearum radij exeunt, & incidentes oculis intuentium, varias figuras depingunt. Et ita transfiguratio vocatur, à Matth. & Marco. Antè, in colore vultûs humani, erat ſpecioſus formâ præ filijs hominum, nunc reſplendens ſuper ſolem in vultu diuino humanato, ſpecioſus factus eſt præ vultibus Angelorum. Et indè colliges, mirabilem humanitatis noſtræ futuram glorificationem. Dicitur enim Pſal. 88. *Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt totâ die, & in juſtitia tua exaltabuntur.* Lumen vultus Dei, vt hanc ambulent viam, eſt illuminatio intellectus ad legem & voluntatem Dei, ex qua ambulatione ſequitur bona conſcientia & gratiarum actio; ideò dicitur: in nomine tuo exultabunt, jugiter laudantes Deum. Et qui ita ambulant, magis ac magis proficiunt ad Dei notitiam & amicitiam, ideò exaltabuntur ad gloriam ſempiternam, vbi in lumine vultus Dei ſede-

ſedebunt inter choros Angelorum, qui ambulabāt inter juſtificationes ſanctorum. Viro magnanimo, forti, prudenti & ad alta nato, & educato ſubſcribebat quidam: *Vndiq; Princeps.* Omna enim confirmant Principem, ſi ex Patre, matre, & majoribus eſt Princeps. Si inter ſapientes Princeps, inter victores Princeps, inter Principes Princeps. At nulli melius addi hoc poteſt, quàm ſi aliquis inter Sanctos Sanctus, inter juſtos juſtus, inter glorioſos in cœlis glorioſus apparebit. Hîc vere eſt: Vndiq; Princeps. *Cypr: de Repar: lapſi.* Dicere nulla vox de gloria Dei ſufficit, effugit omnem ſermonem atque omnem ſenſum humanæ mentis, excedit decus illud, illa pulchritudo, illa virtus, illa gloria, illa magnificentia.

De veſtimentis Saluatoris in monte Thabor.

Veſtimenta Chriſti ſplendida.

VEſtimenta mutata ſunt, & facta candida, qualia fullo ſuper terram non poteſt facere, dicit Euang: Quocirca clarè Matth. *Facta alba ſicut nix.* Splēdida & candida nimis Mar. 9. B. Alber. M. ſupr. 9. Lucæ. Ex majeſtate luminis in corpore ſic reſplēduit veſtis quam induerat, quod tota incanduit immixto ſibi lumine corporis, quod ad illum candorem nullo genere artis deduci potuiſſet. Pſal. 103. *Præcinctus lumine ſicut veſtimento.* Hoc eſt, non jam apparebat veſtis, ſed lumen & candor, quaſi ad lumbos præcincta fuiſſent. Quod nedum ſacerdotem ſummum, Regum maximum, ſed ipſum quoq; Deum demonſtrabat. Ex glorioſis namq; veſtibus cognoſcimus Pontifices & Reges.

ANNOTATIO.

ORnatus tantus & ſplendor veſtium, ornatum corporis Chriſti reſuſcitati figurabat, & omnium in Chriſto & per Chriſtum reſurgentium ſignificabat gloriam. Quocirca nec ars, nec ingenium ſplendorem tantum dare veſtimento poteſt, quali decorata fuerant veſtimenta Chriſti. Dicitur Gen. 87. *Fecit tunicam polymitam filio Ioſeph*, coloribus ſuis ſplendorem ſtellarum ſuperantem. Exponit B. Albert: Mag: Specioſior millies veſtis apparuit Chriſti, candida vt nix, ſplendidior radijs ſolis. Iob. 40. *Circumda tibi decorem, & in ſublime erigere, eſto glorioſus & ſpecioſis induere veſtibus.* Ad tam magnificam faciem, ſublimitatem, decorem & glorioſitatem, quàm ſpecioſis veſtibus oportebat veſtiri! B. Ioanna à cruce S Franciſci Tertiaria rapta in extaſim, vidit varias matronas, quarum vultus & veſtes inſtar ſolis radios emittebant. Vide qualia ſunt in cœlis ſanctorum veſtimenta: quid dicemus de veſtimentis Reginæ cœli & Regis Regum? Non quidem erunt qualia apparebant Chriſti in Monte Thabor, quia ceſſabit id quod erat corruptibile & materiale, ſed alijs immortalitatis veſtibus, quo-

Ornatu veſtium corporis eſt figura.

Veſtis polymita.

Specioſæ veſtes.

B. Ioanna S. Fr.

Veſtes Sanct.

Veſtes immortalitatis.

quorum typus erat in veſtimentis Chriſti: in hac transfiguratione, veſtiemur.

De apparitione Moyſi & Eliæ.

Apparuerũt Moyſes & Elias

CHryſoſt. hom: 57. Ponit rationes cur hi duo apparuerunt. 1. Turbæ Eliam aut vnum ex Prophætis eſſe Chriſtum dicebant, vnde capita Prophetarum adduxit, vt differentia ſeruorum & Domini appareat. 2. Accuſabant Iudæi IESVM ceu transgreſſorem legum, & blaſphæmum, gloriam Dei vſurpantem ſibi. Ideo Moyſen adduxit datorem legum, & Eliam Zelatorem pro gloria DEI. 3. Docuit quod vitæ & mortis habeat poteſtatem, ideo mortuum Moyſen & viuum Eliam conſtituit. 4. Monſtrabat gloriam crucis, & timentes Apoſtolos mori releuebat. Dicebant enim de exceſſu ad paſſionem cum illo. Moyſes enim præſentabat ſe Tyranno Pharaoni pro plebe, & Elias Achab Regi. 5. Eos adduxit vt Apoſtoli ipſorum priuilegia zelarent, & fierent manſueti ſicut Moyſes, vt Num. 12. dicitur, & Elias erat Zelator. Eccl. 48. *Surrexit Elias quaſi ignis.* Verba eius quaſi facula ardebant. Hilarius ponit hanc: Quia cum his teſtibus Iſraelem judicaturus eſt, per quos prædicatus Saluator fuit venturus.

ANNOTATIO.

QVærunt aliqui, an Moyſes & Elias apparuerunt in corpore proprio vel aſſumpto, an in perſona propria, vel Angelorum miniſterio, qui hanc viſionem exhibebant. ℞. Moyſes in propria perſona videbatur, quia aliter nil valeret ſuum teſtimonium, ſed non erat ibi in corpore proprio ſed in corpore ſibi ab Angelis aptato ad apparitionem ſenſibilem. Corpus enim proprium putridum erat, & non eſt credibile quod tunc reſurrexerit ad peragendam viſionem. De Helia autem conſtanter dicendum, quòd ibi in corpore & anima de paradiſo fuerit tranſlatus, & peracto teſtificationis myſterio in paradiſum reuectus. *Hæc B. Albert. Mag. in 9. Lucæ.* Vnus ergo de inferno venit de lymbo Patrum, alter de paradiſo. Sed dices ante Chriſti deſcenſum nullus liberatus de lymbo. Dico à pœna lymbi, non à loco, liberatus non erat, & à lymbo quo ad locum & Samuel exiuit 1. Reg. vlt. Dices quod ſi Chriſtum in gloria Deitatis ſeu Dei patris aſpexit, tunc & à pœna lymbi liber fuit, nam pœna lymbi eſt carentia viſionis? Reſ. Viſa fuit Chriſti majeſtas, fulgor Deitatis per cauſam non per eſſentiam. Eſſentialiter enim fulgor ille erat claritas corporalis; & ſic Deum Moyſes immediate Deum non vidit Si noſtram doctrinâ concupimus docent nos aſcenſum in cœlum, & deſcenſum in infernum; vt hæc timeamus, illa verò appetamus Pſal. 54. *Deſcendant in infernum viuentes,* contemplatione ſcilicet & concutiantur. Gen. 36. *Lugens ad filium meum deſcen-*

deſcendam in infernum. Aſcendam in cœlum & in paradiſum contemplatione, Pſal. 106. *Aſcendunt in cœlum & deſcendunt in infernum, anima eorum in malis tabeſcebat.* inferni puta, & exultabant in bonis cœli.

DOMINICA III. QVADRAGESIMÆ.

Cùm immundus ſpiritus exierit ab homine. *Luc. 11.*

QVID PER IMMVNDVM SPIRITVM ACCIPIATVR?

Reſp. Diabolus. Immundus, quia delectatur in corporibus immundis. Lucæ 8. Expulſi ab obſeſſo intrauerunt in porcos immundos. Immundus Spiritus dicitur, quia homo qui habitaculum eſſe mũdum debuit Spiritûs ſancti, per peccatum illum inquinare laborat, ſuggerit ſuperbiam, iram, &c. Et ita ſedes ſpiritus ſeptiformis, fit per ſeptem peccata in corpore inquinata

ANNOTATIO.

Immundus ſpiritus, non per naturam dicitur; nam Lucifer erat, ſeu lucem habens inter Angelos ſupremam, ſed per effectum; qui enim eam lucem & claritatem perdidit, cadendo ab extremo in extremum, ex ſummo cælo ad ima & profundiſſima, terræ quaſi immundus effectus eſt ex mundiſſimo. Vnde Matth. 10. *Dedit eis poteſtatem Spiritum immundorum.* Puta quia, facti ſunt per ſuperbiam immundi, & à mundis ſunt deiecti. Vel quia immundorum ſpirituum Chriſtus incendium eſt, ſicut dicit Ambr. Vt igitur eſt immundus ille qui tangit carbones poſt incendium; ita diabolus ad ignem condemnatus immundus eſt. Apoc. 18. *Habitas vbi ſedes eſt ſathanæ.* Sed clariores ab effectu rationes enumerauit B. Alb. Magnus cur immundus vocaretur, Quocirca admonet B. Iſidor. libr. 3. de ſumm. cap. 5. Malignus ſpiritus hoc quod intra nos mundare cupimus ſine intermiſſione tentat iterum ſordidare. Sancti autem eorum inſidias præſago ſpiritu præcognoſcunt, & quicquid in ſemetipſis terrenum ſentiunt, indeſinenter operibus ſanctis atque virtuoſis exhauriunt, vt de immundis puri inueniantur. Fælix S. Martinus, qui dicebat: *Quid hîc adſtas, cruenta beſtia, nihil in me funeſte reperies Abrahæ me ſinu recipiet.* Rectè huic adſcribemus: VENENA PELLO. Nullum enim in vita crimen ille admiſit, qui ſic diabolum repulit.

Immũdus, quia ſordidat opera.

Venena pello.

Quid per loca inaquoſa ſumatur?

Inaquoſa loca ſunt religioſi & pœnitentes.

RESp: Religioſi, & verè pœnitentes. Inaquoſa, hoc eſt, arida: arefaciunt enim ſe per carnis mortificationem, & ſunt (vt dicit Gloſ.) ab omni humore libidinis immunes, vel inaquoſa ſunt, per intùs compũctionem lachrymoſam; irrigantur enim aquis gratiarum, vt ligna viridа paradiſi. Cùm ergò diabolus expulſus per baptiſmalem innocentiam, vel per veram pœnitentiam, ambulat per ſanctos inaquoſos, per arefactionem voluptatis, ambulat callidè tentans eos, & non valens fugere greſſus ſuos dicit: *Reuertar vnde exiui.*

ANNOTATIO.

Quæ ſunt loca ſana.

ANima mea ſicut terra ſine aqua tibi. pſ. 142. Sunt loca ſana, ſicca, alta, perflabilia & plana iuxta naturaliſtas. Talia eligere debent religioſi & pœnitentes, ſicca à concupiſcentiæ humore, alta per contemplationis ſuſpenſionem, plana per virtutis æqualitatem, perflabilia per Spiritûs S. conſolationem. De primo ſicco veſtigio eduxit per mare. Exod. 14. De 2. Iſa. 58. *Suſtollam te ſuper altitudinem terræ, & dabo tibi hæreditatem Iacob Patris tui.* De 3. Iſa. 49 *In omnibus planis erunt paſcua eorum.* De 4. Cant. 4. *Surge aquilo & veni auſter, perfla hortum & fluent aromata.* Talia perambulat explorãdo loca, & quærit per tentationẽ & obſtinationẽ, cupit vt coruus requieſcere in cadauera; requieſcere vult, vbi ſit habitatio dæmoniorum & cuſtodia ſpiritûs immundi, & non inueniens dicit: *Reuertar vnde exiui.* Quocirca verè pœnitentes cauti eſſe debent contra eiuſmodi hoſtem. Inde Iſidorus lib. de ſumm: 3. cap. 5. Multi decipiuntur à diabolo & ignorant ſe eſſe deceptos, Oſeæ teſtimonio declarante. cap. 7. *Comederunt alieni robur eius & ipſe ignorauit.* Alieni, maligni ſpiritus ſignificantur, qui virtutes mentis comedunt, ſed hoc corda negligentium non intelligunt. Draconi cum ſeptem capitibus addiderat ad legendum Areſius: *EVVLSO VNO NON DEFICIT ALTER.* Ponebat de capite auulſo. Ita profectò diaboli aſtutia procedit, ſi auelis vnam tentationem, non deficiet alia. Eſt enim aduerſarius hominis ad vltimum punctum vitæ. *Inſidiaberis calcaneo eius Gen. 3.* Puta omni tempore inſidias ſtrues, ſed in vltimo termino vitæ hominis te firmum hoſtem, inſidiatorem, exterminatorem conſtitues. *Iſidorus:* Cùm in tota vita diabolus hominem præuaricari cupiat, ampliùs tamen in fine molitur decipere. Conſtituet ſe Vehemoth, id eſt animal, vt te in terrenis bonis & amore eorum decipiat. Conſtituet Leuiathan, id eſt ſerpens de aquis, vt te volubili aſtutiâ & deſperatione à propoſito & deſiderio Dei remoueat. Conſtituet te auem, rapacem, ne inimicis parca; sauem blandem, ne aliena reſtituas; paſſerem, vt tur-

Diaboli ambulatio.

vt turbatus moriaris. At tu cogita ſemper illum eſſe coruum infernalem, furem tuæ gloriæ cœleſtis, falſum promiſſorem qui, diem tibi proximo morti pollicetur, & damnati notam, ex turpitudine ipſius collige. Et vbi ille arcet venena veneno, vt te confundat, interimat ceu hydra, tu arceas medicamine Chriſti. Sanctiſſimo viatico & memoriâ meritorum paſſionis Chriſti & Sanctorum.

Quid per domum quam immundus ſpiritus repetit, exprimatur?

Reſp. Sunt illi, à quibus ejectus fuit in baptiſmo per collatam ſibi innocentiam, Vel à quibus exiuit poſt pœnitentiam. Licet enim pœnitentium domus mundata per confeſſionem, compunctionem; ſed quia vacantem eam inuenit ab executione ſatisfactionis, aſſumit alios, & ingreſſi per recidiuationem habitant ibi.

ANNOTATIO.

Perfectum conſtituit opus, non tàm inchoatio quàm finis. Quocirca. Pſal. 26. *Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram.* Quid exponere vult requiram Antecedentia, hoc eſt dicit, deſiderium, oculi faciei animæ meæ tuam pulchritudinem requirunt, cætera faſtidiunt, & ſemper erit ſtudium meum, vt conſpectum tuum requiram, non ſolum vt in alio ſæculo reuelatâ facie vultum tuum videam, ſed etiam in hoc ſæculo, hoc vnum agam; vt me reſpicias, reſpiciendo illumines & accendas. Arguit incipientes & non perficientes Ier. 14. *In omnibus his, non eſt reuerſa ad me præuaricatrix ſoror eius Iuda in toto corde ſuo, ſed in mendacio, ait Dominus. Reuertere auerſatrix Iſrael ait Dominus, & non auertam faciem meam à vobis, & non iraſcar in perpetuum.* Neq; in alio pœnitentia Dauid collaudatur quàm in perſeuerantia, ne quando amplius offenderet Deum. Ambr: de Dauid lib. 1. Peccauit Dauid, quod ſolent Reges; ſed pœnitentiam geſſit, fleuit, ingemuit, quod non ſolent Reges. Confeſſus eſt culpam, & obſecrauit indulgentiam. Quis neſciat quod turmatim etiam iunctæ cyphræ nil ſignificent? Appone his in capite vel vnam vnitatem numeralem, adiuncta numerabit. Ita dicendum & de tribus partibus pœnitentiæ: Si ſatisfactio defuerit quæ eſt initium confeſſionis & periodus confitentis, duæ præmiſſæ partes cædent, & vitijs cædent. Hinc Apoc: 2. *Age pœnitentiam, & prima opera fac.* Quid eſt prima opera? Peccata facere commiſſa. (Verè vt plurimum ita fit) Abſit. Prima, id eſt potiſſima, virtuoſa, & ſancta opera, vt Amos 5. *Odi malum, & dilige bonum.* Deploranda infœlicitas Iſraëlis, de quibus, quod immundus ſpiritus reuerſus fuerit in domum eius, expoſuit ex textu Euang. Matthæi S. Cyrillus. Inquit enim.

Peccauit Dauid, & Reges ſolent peccare.

Ciſræ à vanitate

Quod hoc exemplum ad Iudæos ſpectet Matth. expreſſit dicens: *Sic erit & generationi huic peſſimæ.* Quamdiu enim erant in Ægypto viuentes ritu Ægyptiorum, inhabitabat in eis ſpiritus malignus, qui expulſus eſt ab eis, quando mactauerunt agnum in figura Chriſti, & liniti ſunt eius ſanguine, & ſic euitauerunt deſtructorem. Ego ponam conſequentiam, ergo ad Domum eorum reuerſus eſt immundus ſpiritus, cùm agnum figuratum, cuius ſanguine redemptus eſt mundus, nec ſuſceperunt nec ſuſcipere volunt. *Bern. in ſerm.* Sub Chriſti ſcapulis abſcondimur, protegimur, refrigeramur, alimur, fouemur.

Parabola de eiecto ſpiritu ad Iudæos ſpectat.

Scapula Chriſti.

Quid per ſeptem nequiores ſpiritus intelligatur?

De peccato iactare.

Reſp. Hæc ſeptem. Primus: De peccato ſtultè ſe iactare, de ebrietate, ſtupro, occiſione &c. Et hoc grauius eſt quam ſimpliciter peccare. Prou. 2. *Qui lætantur cùm male fecerint, & exultant in rebus peſſimis.* Ad Phil. 4. *Quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum.* Alia litera habet, *in pudendis.*

Iurare falſe.

Secundus. Peccatum commiſſum iuramentis negare. Tales qui iurant quod nil debeant ſuis creditoribus. Hi enim furto & rapinæ etiam iuramentum ſuperaddunt. Nequam ſpiritus eſt peccatum committere, nequior iurare.

Tertius, qui de peccato à ſe commiſſo alium infamat innocentem, vt ipſe ſe excuſet. Tales erant ſenes qui Zuzannam de adulterio infamarunt innocentem. Nequior iſte Spiritus eſt, quàm ſit adulter.

Quartus. Cauſam peccati in Deum retorquere. Ita Adam, *Mulier quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi & comedi.* quaſi diceret: Tu dediſti mulierem hanc mihi: & Eua, ſerpens decepit mihi. q. d. Niſi ſerpentem creâſſes, non eſſem decepta; vnde tibi non mihi imputa. Ita multi dicunt, ſi Deus noluiſſet ego non peccaſſem, immutabiliter mihi hoc præordinatum eſt.

Quintus. Peccati grauedinem annulare. Ita multi fornicationem, laſciuia, exactionem ex ſubditis, nullum dicunt peccatum: & tamen pro peccato comeſtionis vetiti pomi oportuit Chriſtum crucifigi. Ier: 8. de illis: *Attendi & auſcultaui; nemo, quod bonum eſt loquitur.* Dicit: Quid feci? Leuia putant peccata, ideò de eis non pœnitent vt debent. Nequior ergò ſpiritus, contrà ſcientiam; peccata quaſi nulla vel leuia defenſare.

Sextus. Peccati deteſtatores impugnare. Tales ſunt, qui prædicatores peccata deteſtantes odiunt, impugnant. Sap: 2. *Dixerunt impij, circumueniamus virum iuſtum, quia inutilis, contrarius, grauis ad videndum nobis, abſtinet ſe à vijs noſtris.*

Septimus, vt pro ſe oretur refutare. Sic aliqui immerſi voluptatibus,

bus, vanitatibus, vt moleſtum illis ſit, quod pro conuerſione ad Dominum aliquis pro illo oret. Dicunt Deo: *Recede à nobis.* Iob: 22. *Fluuius ſubuertet fundamentum eorum, qui dicebant Deo, recede à nobis.*

ANNOTATIONES.

Septē ſpirit, 7. dæmones. Ipſa litera demonſtrat, quod immundus ſpiritus dæmon alios ſeptem dæmones nequiores ſe aſſumat. Vnde Chryſoſt: hom: 44. in Matth. Iudæos 7. dæmones inhabitant. Incolunt autem animas Iudæorum dæmones peiores prioribus, nam tunc temporis in Prophetas ſæuiebant, nunc ipſi Domino Prophetarum inſidiantur, atq; ideò à Veſpaſiano & Tito peiora paſſi fuerunt, quàm in Ægypto & in Babylone, tunc enim eis aderat diuina prouiſio & gratia Spiritûs ſancti; nunc verò hâc etiam curâ priuantur, propter quod virtutis maior penuria nunc, & erumna intenſior, & dæmonium exactio ſæuior.

Beda hoc in loco. Poteſt hoc accipi de quolibet Hæretico, ſchiſmatico, & malo Catholico; inuenit ſcopis mundantem domum gratiâ baptiſmatis, ſed nullâ boni operis induſtriâ cumulatam. B. Albertus Magnus ſuper Euang. Lucæ ſimulationem exponit ſeptem Spiritus. Vera ſuperbia ſumit ſecum falſam humilitatem, vera inuidia falſam fraternam charitatem & correptionem, vera ira falſam manſuetudinem ſub pallio Zeli latentem. Vera acidia, mundanorum gaudiorum placentiam mentientem ſub tegumento debilitatis. Vera auaritia, ſimulatam prouidentiam. Vera gula, apparentem neceſſitatem, indigentiam. Vera libidinis immunditia, ſimulatam in exterioribus mulierculárum conſolationem. 3. Reg. 22. *Ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophætarum eius.* Eſt enim ſimulatio magis efficax ad decipiedum. Vnde Aug: ſimulata æquitas, non eſt æquitas ſed duplex iniquitas. Nequiores ſunt hi ſpiritus, (inquit) Ven. Beda. Quia non ſolùm habebit illa ſeptem vitia quæ ſeptem ſpiritualibus ſunt contraria virtutibus, ſed etiam per hypocriſim ipſas ſe virtutes habere ſimulabit. *Simulatio 2plx iniq.* *Simulatio virtutum.*

Pro iactantia de peccato. Nota. Palliata iactantia de peccato. Exterius quidem lætatur & ridet, interius verò corroditur à peccato. Vnde Eccl. 27. Leo venationi inſidiatur ſemper, ſic peccata operantibus iniquitatem ſemper inſidiantur vnde falſo ridet, infeliciter iactat, lætatur palliatè. Gregorius Nazian: iu Poëmate de virtute humana dicit. Id facio quod mens mea damnat & odit, oblectorquè malis, mortemq; in pectore fixam, rideo ſardonico riſu. Quis iſte eſt ſardonicus riſus? Alij dicunt quòd mos erat ſardone, vt parentes cũ exceſſerint annum ſeptuageſimum à filijs Saturno ſacrificarentur. Quod cùm faciebant, ridebant ac mutuo ſe complexibus ſtringebant, vt ſcilicet eiulatum compeſcerent. Alij dicunt, *Peccata inſidiantur homini.* *Riſus Sardonicus.*

dicunt, herbam in inſula Sardone naſci dictam Sardone, quæ pota vel comeſta mentem adimebat, tandē diductis labijs more ridentium, mori cogebat. Tales profectò ſunt qui ſe iactant de peccato & rident, & exultant in rebus peſſimis. *Aug. ſerm. 24. de Temp.* Nequaquam rident ex animo ſed exterius cachinos edunt, interius enim crucian-tur delictorum conſcientiâ, quocirca riſus illorum caninus: ſicut enim canis cum maximè ex ira & rabie ringit ridentis ſpeciem & ſimilitudinem exhibet, ita his quorum viæ peruerſæ & infames greſſus eorum ſimulate & palliate ridenti. Vidiſti viatorem nocte peregrinantem & ſolum, quandoq; cantat eundo, veruntamen cantum illum non voluptas ſed timor ſuadet, eludit cantu metum. Ita hos timor intus ex horreſcere facit, extra autē fingit lætitiā Faxit Deus vt talem riſum & lætitiam, cantus excitet ad fletum. Cùm enim peccauit D. Petrus negando Chriſtum cantauit gallus, ad quem locum dicit D. Ambroſ. Cantauit gallus vt amaro fletu crimen rebellionis expurget. Iactantia de malo & de peccato, vt majorem nequitiam & crimen exprimit nefandum, ita lætitiam & cantum pœnitentiæ incipit Pſal. 50. *Tibi ſoli peccaui & malum coram te feci, miſerere mei Deus.*

Riſus caninꝰ

Viatoris cantus.

Galli cantus

Pro juramento falſo. Nota. Dicitur Zach. 8. *Iuramentum mendax ne diligatis.* Reſumit Prophæta quod Deut. 5. prohibitum fuit: *Non vſurpabis nomen DEI tui fruſtra, quia non erit impunitus qui vanè nomen eius aſſumpſerit.* Iſid: de ſum: lib. 2. cap. 31. Contra retorquentes juramenti verba & intentum dicit. Quacunq; arte verborum quiſque juret, Deus tamen qui conſcientiæ teſtis eſt, ita hoc accipit, ſicut ille cui juratur intelligit. S. Thom: 22. 45. Qui perjurare paratus eſt, antequam perjuret jam perjurus videtur, quia Deus non ex operibus iudicat, ſed ex cogitationibus & ex corde. Dignum notatu refert exemplum Vinc: Belu: in Spec: Hiſt: lib: 13. cap. 77. Chriſtianus à Iudæo mutuo acceperat ſummam pecuniariam, quam ſoluendam ſuper altare S. Nicolai juramento firmauit. Poſt tempora repetit Iudæus pecuniam, ille reſpondet ſe jam redditam ſibi. Negat Iudæus, tum Judex de reddita juramentum decreuit. Chriſtianus baculo doleato impoſuit aurum, & accedendo ad juramentum, dedit tenendum baculum judæo; & jurauit judæo quod plus quoq; dediſſet quàm mutuo accepiſſet. Poſt falſum juramentum abijt & obrutus ſomno in terram ſe deiecit, caſu currus celeriter dum ducitur, compreſſit hominem & occidit, fractus ibi baculus aurum manifeſtauit: Fit rumor, acceſſit & judæus, monetur vt aurum recipiat, nam vindex Deus perjurum declarauit. Renuit ille, & dixit, ſi S. Nicolaus in cuius altari præſtiterat mihi juramentum à morte ipſum reuocauerit, ego Chriſtianus ero. Re-

Iuramentū mendax

Iudæus factus Chriſt.

ero. Reuixit mortuus, & fidem Catholicam judæus amplexatus eſt. En fraus nemini patrocinatur nec falſum juramentum Deum fallere poteſt. Benè admonebant adjurantes D. Greg. Quicunq; jurat in templo, juret in illo & in eo qui habitat in ipſo. Et qui jurat in cœlo, jurat in throno Dei & in eo qui ſedet ſuper eum. Secretam virtutem Crocodili qua necat, perſequitur & inficit res, eſt quod minuat & detineat, ſcilicet vna penna Ibidis impoſita illius capiti. Vndè quidam appoſuit Crocodilo ſub penna emorienti Ibidis: OBRVTA VIRTVS. Ita quidem aſtutia & malitia hominum jurantium, poteſt obruere creditoris virtutem, & veritatem, ſed fallere Deum vt fallit hominem, non excogitabis medium, ſed ſemper de Deo verum erit. *Omnis homo mendax*, ſolus Deus verax.

Qui iurat in templo DEO iurat.

Deus verax.

Pro infamante alium. Nota Grauiſſimum eſt & ſummè iniquum, peccatum ſuum in alterum reijcere. In eum quadrabit dictum Iob. 15. *Concepit dolorem & peperit iniquitatem.* Concepit enim peccatum, & offenſionem DEI admiſit; & vltra progrediendo, dum ſuo peccato infamat alterum innocuè, nil aliud facit, quàm quod pariat iniquitatem. Iſidor: libr: 2. cap. 33. Sic gignuntur ex peccato peccata, vt dũ non euitantur parua incidatur in maximis, & dum defenduntur admiſſa nec lamentantur, ex flagitio ad ſuperbiam itur. Vnde fit vt duplicati ſit criminis reus, qui & admittit ſcelera per voluntatem, & defendit ea per contumatiæ tumorem. Quid igitur ex his Iſidori verbis concludendum venit, dum quis ſua ſcelera in alterum inijcit & deponit? Væ animæ eorum, quoniam reddita ſunt eis mala. *Iſa.* 3. Cùm oportune aliquid aderat ad proprium malum, tunc habebant Græci prouerbium: *CAPRA AD FESTVM.* Ad feſta enim Bachi neceſſaria erat capra. Quocirca in prouerbium deducebant: CAPRA AD *FESTVM.* Sic profectò contigit, dum aliquis crimen ſuum imponit innocue alteri. Eſt capra ad feſtum inferis. Conſidero ex duobus malis, maximum. Inducere ad peccatum ſcienter, malum eſt & damnabile. Quocirca D. Aug. ſerm. 2. in feſto Decollationis D. Ioan. Bapt. dicit: quod inducens ad iuramentum, cùm ſciuiſſet quòd falſe iurare deberet, ante tribunal Domini ſtatutus eſſet & flagellatus, quod licet in raptu fuiſſet, vulnera tamen à flagris inſanabilia recepit. Quantum ergò malum erit, in innocentem ponere ſcelus proprium? Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, dicit Auguſtinus Qui ponis tua peccata in alium, peccatum Rex in te eſt, illo regis illo regnas, iam exulauit cõſcientia, exulauit Deus à te, ipſum peccatum in te regnat. Laudo quendam, qui dum innocens quidam condemnatus eſſet ad mortem, & duceretur ad ſupplicium, vt hoc vidit &

Quàm graue ſuum peccatum in alterũ ponere.

Capram ad feſtum.

Inducere ad peccatum & imponere crimen proprium alicui, quod eſt damnabilius.

dit & audiuit cauſam, reus illius mali, retinuit; executorem & coram iudice faſſus eſt peccatum, & innocentiam damnati propalauit, atquè ipſe pœnam ſuſtinuit: Hæc author Hiſtoriæ ſelectæ. Nullus renaſcitur in Chriſti corpore, niſi prius naſcatur in peccati corruptione, dicebat Auguſt. in libr. de Bapt. paruul: Hæc fecit iſte, qui ſe reum peccati confeſſus eſt.

Pro retenſione peccati in Deum.

In Deo non ponenda occaſio peccati.

Nota: Si eſt grande peccatum in hominem innocentem ſua peccata imponere, quam graue nefandumq; ſcelus erit, in Deum peccata retorquere, & quæ ille libere fecit, coactionem ad peccatum Deo adſcribere? Neque arguere licet, quia creauit rem, cuius occaſione homo peccauit; nam non eâ intentione creauit ea, vt ſint occaſio ad peccandum. Sicut etiam creauit ſolem vt luceat & calefaciat, atquia per calorem induratur lutum, liquefit cera, hoc eſt ex diſpoſitione calefacti, non ſolis. Nequè arguere licet quod non impediat malum, quia opera noſtra operatur Dominus, ſed non ſine nobis. Sicut enim arbitrij libertas Dei auxilium non excludit, ita nec Dei gratia libertatem arbitrij. Vnde Prou. 20. *A domino diriguntur greſſus viri.* Et c. 15. *Vir prudens dirigit greſſus ſuos.* Non ponuntur hæc vt contradictoria, ſed vt cõiuncta ad opus hominis. Deus enim eſt ſuprema cauſa; liberum arbitriũ noſtrũ eſt cauſa media: agit verò cauſa prima non ſine media; quocircà

Opera noſtra non ſine nobis operatur Deus.

in te torque peccatum, & non in Deum. Quare effertur laudibus Ioanna Luſitaniæ Princeps; hæc quoties in aliquod Chriſti aut Dei genitricis incurrebat ſimulachrum, mirâ animi & corporis ſubmiſſione, repetere ſolita erat verba iſta: Domine Devs meus, miſerationum domine; auerte faciem tuam à peccatis meis. Coniungebat orationem humilem gratis Dei, vt opera eius fierent ex Deo, & ex voluntate ipſius. Refert Baron: lib: 8. ſub Anno 689.

Luſitaniæ Princ. pia oratio.

Quod Iuſtinianus Imp: futili ex cauſa (quod tributum non excuſsâ Imperatoris imagine peccunia recepiſſet) fœdere cùm Saracenis diſſoluto in maximum diſcrimen Remp. conjecit, quod ſuo ac totius Rom: Imp: malo poſtea ſenſit. Quid futilius & vanius hoc facto perſentimus? Dico? Futilius eſt peccata ſua in Deum retorquere, & imaginem proprij facti, Dei imaginem ſupponere. Permittit quidem Deus, quia te paratiſſimum ad peccatum conſpicit. Noſti ignem, noſti aquam, vade vbi vis.

Caſus in pecunia imagine.

Nil vanius quam peccatum in Deum retorquere.

Pro annulatione grauedinis peccati. Nota. *oſtendit Iſid. lib: 2. de Sum: bono cap. 29.* Quòd aliquis poteſt malè loqui tripliciter, corde, linguâ, & factis. Corde loquitur malè, cùm interiùs cogitationes noxias meditatur & cogitat. Linguâ malè loquitur, qui pro eo quod malè agit flagelatur, & murmurat. Factis malè loquitur, qui malè viuendo exemplis ſuis alios ad prauè viuendum informat.

Loqui aliquis triplici modo.

mat. Talis locutio mala triplex, eſt illius qui nullum aut leue exiſtimat eſſe peccatum. Dictum enim à Chriſto: *Non exibis, donec adminimum perſolueris quadrantem.* Quid eſt minimus quadrans? minimum tuum peccatum, de quo dicitur. *Non exibis, donec perſolueris.* Acrum habuit exactorem quondam S. Dominicus, noluit illum dimittere tranſuector per flumen niſi perſoluerit. Dicebat equidem: Deus tibi retribuat. At ille: Denarium volo. Dicit S. Pater: Deo gratias fili. Sed ille ſolutinem requirebat. Inſpexit cœlum & pòſt demiſit oculos in terram, & conſpexit obulum, & ſic perſoluit. Durus erat exactor, durior erit peccatori ille, qui dixit; *Non exibis donec ad minimum perſolueris.* Sunt quidem parua peccata quædam, ſed & hæc excreſcunt in grauia. Hinc Iſidor: lib. 2. cap. 29. Dum quædam parua vitiorum verba non euitamus, in magno linguæ prolabimur crimine, & dum facta quædam non grauia liberè ac ſine metu committimus, ad potiora ſcelera & horrenda, peccandi conſuetudine labimur. Quærunt naturalium indagatores Philoſophi, quomodo ferox equus, leo horrendus, Pardo Sylueſtris cognoſcit ſuũ Dominum & patronum? & reſpondent: Vi ſuperum. Natura quidem occultè hoc illis indicat, ſed talem innoteſcentiam ſuperi interius mouent. vndè vt principali agenti tribuitur via motionis ad cognoſcendum ſuperis; quod ſi naturaliter cognoſcunt ſuum bonum & malum, imò ſibi fauentes & odioſos animalia quæ ratione carent; multò magis homo lumine illuſtratus ab alto, peccati malum cognoſcit, & à graui ſcelere, abhorret, & facto. Verùm induratio & cæcitas quæ proueniunt ex grauitate & conſuetudine peccati, leue fingunt eſſe & quaſi nullum peccatum. Vnde Eccl. 5. *Ne ſequaris in fortitudine tua concupiſcentiam cordis tui, DEVS enim vindicans vindicabit.*

Cognoſcit homo peccatum graue.

Pro deteſtatorum peccati, impugnatione. Nota. Iudicium condemnans aliquem ex ore ipſius, quã graue ſit? docet Saluator, qui dicebat: *Ex ore tuo te judico ſerue nequam.* Luc. 19. Non enim habet quod loquatur amplius qui faſſus eſt jam peccatũ. Tale iudicium habet in ſe, qui deteſtatorem peccati impugnat; cor enim eius iudicat ipſum quàm malè agat, ſed iniquitas ſtimulata ab inferis loqui aliud ore inſinuat. Et ſicut in bonis loquitur Spiritus ſanctꝰ & inſinuat quid loquantur; ita in malis diabolus loquitur, quos inſtruit ad impugnandum, nec permittit conſcientiæ dicere. Ier. 7. *Prouocant ſemetipſos in confuſionem vultûs ſui.* De peccato Iuda dicitur, quod nemo Iudæorum ſit, qui neſciat malum quod fecerunt, & tamen non ſunt ad conuerſionem. Dicitur Ieremiæ 17. *Peccatum Iuda, ſcriptum eſt ſtyllo ferreo, & vngue adamantino exaratum, ſuper latitudinem cordis eorum.* Quomodo igitur ignorabitur, dum ſic exaratum permaneat? Sed quis falſam lætitiam digno-

Iudicium ex ore alicuius.

Deteſtatoris peccatorum impug.

Peccatum Iuda.

dignoſcet? Non inconcinnè quidam illi, qui extrà lætus, & intra triſtis fuerat, ſubduxit: *LÆTO LETVM.*

Læto letũ.

Coniuncta etenim eſt ſemper illius lætitiæ mors, & mallet potiùs iam mori, quàm viuere. Agit tamen vt appareat non ille qui eſt intùs, ſed qui & qualis eſt extrà. Ita ille qui impugnat Prædicatorem, Confeſſariũ, amicum deteſtantem peccata, habet in corde exaratum, quod eſt odibile & abominabile Deo peccatũ, ſed foris ſecùs, vt impugnet, facit; & ita conſcientiæ ſuæ & animæ, tyrannidem exacuit.

Tyrannus cõſcientiæ.

Satiùs eſt eiuſmodi mentibus facere, quod Toletani Patres & Synodus Cæſarauguſtana in Hiſpania decreuerant: Voluerunt, vt vxores Regum poſt illorum obitum, ſecundas non inirent nuptias, ſed depoſito regio indumẽto inter ſanctimoniales degerent, & hoc pacto inuadendæ tyrannidis occaſionem auferebant.

Vxores Regũ ſecundas nuptias non habent.

Ita poſt nuptias cum Chriſto nullus appetat nuptias ſecundas, quæ fieri nequeunt niſi cum diabolo, ſed depoſito regali veſtimento diaboli; quod eſt, impugnatio virtutis & defenſio peccati, inter pœnitentes veros cõnumeretur, & ſic tyrrannidem conſcientiæ & animæ ſuæ, euadet. Ita admonebat & ipſe D. Ioan. 13. *Chariſſimi, ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quicquid petierimus accipiemus ab eo.* Ergo vbi cor reprehendit, lingua iam taceat.

Cor reprehen[dit] dic[it].

Pro his qui nolunt vt pro conuerſione illorum oratio fiat. Nota. Nullus ſpiritus nequior iſto; non ſatis erat mala facere, bona negligere, Deum cauſam peccati ſtatuere, virtuoſos infamare, ſed velle quoquè ne ſit oratio pro te ſemper, præſumit ſæua perturbata conſcientia. Dicitur Sap. 17. Quid ergo non præſumet indurata & iniqua conſcientia? Dabat quidam titulum ſuæ portæ: *ET FECI ET FREGI.* Neſcio intentum ſcriptoris: ſed inquieta, ſæua, obdurata & iniqua cõſcientia, nil aliud intendit in opere, niſi facere mala frangere bona. Aut facere ſcyllam & charybdim, frangere fanum & regnum. Quid igitur mirum, ſi orationem pro ſe faciendam prohibet, (quæ medium eſt ſingulare à Deo mortalibus conceſſum ad aſſequendum bonum & cœlum) qui bonum malum, & malum bonũ confundit & exoptat. Optimè Seneca in Epiſt: 96 ô te miſerum, ſi contemnis hunc teſtem, conſcientiam.

Et fe[ci] & fregi.

Facere mala, frange[re] bona.

Conſcientiæ teſti[s].

DOMINICA IV. QVADRAGESIMÆ.

Accepit IESVS panes diſtribuit. *Ioan. 6.*

QVID PER QVINQVE MILLIA VIRORVM DETVR INTELLIGI? RESP.

Christianus mille milliū præpōderat.

RESp. Quilibet Chriſtianus. Per piam enim animi compaſſionem quãtum ad proximum, & per deuotam ad Deum dilectiónem, & per ſanctam cogitationem, & per vtilem & mundam locutionem, & per bonam & iuſtam operationem, quilibet homo hîc quinque millia repræſentat. Sicut enim millenarius ex multiplici numero ſurgit & conſiſtit, ſic etiam multiplex & pia compaſſio: multiformis enim eſt deuota dilectio, ſimiliter multimoda & ſancta cogitatio; multiplex etiam cogitatio, locutio, bona operatio, & per quodlibet horum mille retributiones à Domino poteſt homo promereri; mille enim ex his poteſt merita lucrari. Dicuntur verò viri quinque millia fuiſſe nõ mulieres: ſicut enim viri fortiores ad laborandum, ita in quinque prædictis ſe debent ſtrenuè exercere.

ANNOTATIO.

PEnſanda ſemper ſunt verba Diui Chryſoſt. ſuper Matt. 11. Grandis violentia eſt, in terra naſci & cęlum rapere, & habere per virtutem, quod non poſſum habere per naturam. Regnum cælorum vim patitur; quia gloria Domini Iſrael Patribus debita, à Prophetis nunciata, à Chriſto oblata, fide gentium occupatur & rapitur. Ex qua collige ſententia, quod virtus minima Chriſtiana valoris ſit nedum quinque millium ſed mille milium. Tantillo enim ſuo merito virtutis, inæſtimabile præmium ex congruo lucratur, accipit & poſſidet. Dicebat ſuæ obſeruantiæ diligentiam Ierem: 15. *Non ſedi in conſilio ludentium,* Ingens certè perfectio, in occaſione mali poſſidere. Sed maior perfectio affirmatiuam in obſeruatione boni cuſtodire. Chriſtiani hoc hominis eſt, agere & exercere bona. Validior enim eſt conſequentia, quòd qui facit bona, odit mala; quàm econtrà Ieremias igitur vitare mala potuit, ſed mereri per virtutem & bona finaliter non potuit. Ipſis Chriſtianis per merita Chriſti mereri conceſſum eſt. Idcircò inæſtimabilis valoris ſunt merita Chriſtiana, vt non ſolùm per 5. millia ſignificentur, ſed etiam per mille millia. Vnde Auguſt. de vita Chriſti: Vis ſcire quis eſt verus Chriſtianus? qui omnibus miſericordiam facit, qui nullâ mouetur iniuriâ, qui alienum dolorem vt ſuum ſentit, cuius menſam nullus pauperum ignorat, qui coram hominibus inglorius habetur, vt coram Deo & Angelis glorietur, &c. Deſcribit Chriſtianum ex meritis & virtutibus quaſi ex veris proprietatibus Chriſtiani. Seuerus Imperator aſſumpſerat in benignitatis ſymbolum Leonem, cui aſſidebat fœmina vnâ manu haſtam terræ infixam ſuſtinebat, alterâ fulmen demonſtrabat, & porrigebat legendum. *INDVLGENTIA AVGVSTI.* Exprimebat tali ſymbolo, nolle regnare iuxta nomen ſuum; ſcilicet, ſeuerè, ſed in tran-

tranquilitate & pace, minando non percutiendo. Magna indulgentia Auguſti, ſed ſi cōſideraueris Chriſtianos ſub potenti manu Dei, qui exaltat eos etiam in die viſitationis, & opera ſua in ipſis coronat', eiſq́; operantibus cooperatur, nec capillum vnum perire de illius capite decreuit; tunc veriùs adſcribes nomini Chriſtiano: *INDVLGENTIA AVGVSTI DEI.*

Quid per quinq́; panes hordaceos & duos piſces figuretur?

RESp. Hæc quinq;. Pœnitentialis ſatisfactio: ſancta prædicatio; mortis recordatio: Sanctorum imitatio: Dominici corporis & ſanguinis participatio. Duo piſces ſunt; ſpes diuinæ pietatis, & dulcedo charitatis.

Primus panis peccatori neceſſarius vt reſumat vires gratiæ Dei. Abacuc intriuerat panes in alueolo, & ductu Angeli Danieli detulit ex Iudæa in Babylonem. Daniel intelligitur peccator, lacus erga ſtulum mundi; ſeptem leones ſeptem principalia peccata, à quibus niſi per gratiam Dei quis tutus? Et ſicut panis eſt frangibilis in fruſta, ita ex quinque conſiſtit vera pœnitentia. Ex contritione, confeſſione, oratione, carnis maceratione, & eleemoſynarum largitione.

De ſecundo pane. Matth. 4. *Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore DEI.* Diuiditur in quatuor fruſta. Per verbum enim Dei virtutes commendanrur, & vitia extirpantur, peccatoribus ſupplicia oſtenduntur, juſtis æterna gaudia promittuntur. De his 2. Tim. 2. *Omnis ſcriptura diuintûs inſpirata vtilis eſt ad arguendum, corripiendum, erudiendum, docendum.*

De tertio pane. 3. Reg. 19. Helias excitatꝰ ab Angelo, inuenit panem ſubcinericium & vas aquæ. *Comedit & ambulauit in fortitudine illius.* Per juniperum quæ ſpinas pro folijs habet & tamen proijcit vmbram, intelligitur punitiui ſæculi delectatio: talis excitandus, vt cogitet ſe citò in cinerem reuerſurum. Conſideret quoq; quod gaudia ſæculi tranſeunt vt aqua; & ſic perueniet ad menſam Domini, quam Horeb ſignificat. Pſ. 101. *Cinerem tanquam panem manducabam &c.*

De quarto Pane. Exempla Sanctorum mirabiliter confortant hominem contra aduerſa & proſpera mundi. Item accipit ex exemplis eorum, ſpem veniæ & deſiderium gloriæ. Num. 14. Ioſue & Caleph reuerſi ex terra promiſſionis dixerunt: *Sicut panem populum terræ deuorabimus.* Leuitici legitur olim in lege tria genera panum habebantur, panes oleo lincti, panes in ſartagine frixi, & panes ſimilanei ſimpliciter in clibano cocti. Per primos intelliguntur Apoſtoli, quos Dominus vnxit in Pontifices huius mundi. Per ſecundos, Martyres in ſartagine paſſionis frixi.

frixi. Per azimos & ſimilaneos, virgines & continentes; quorum ſtudium eſſe in corpore & anima mundos.

De quinto Pane. Ioan: 6. *Ego ſum panis viuus qui de cœlo deſcendi, ſi quis manducauerit &c.* Ad hunc dignè ſumendum, requiritur munditia cordis, oris, operis.

ANNOTATIONES.

HÆliſeus viginti panibus hordeaceis pauit centum homines; Chriſtus quinq; millia virorum duobus. Quia non entia vt entia ei ſubſiſtunt. *Vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt.* Rom. 4. Confundantur etiam hîc Manichæi: qui dicunt, quod panes & omnia huiuſmodi creata ſunt à malo Deo, quia boni Dei Filius Ieſus Chriſtus panes multiplicauit, nam ſi creaturæ à malo fuiſſent, nequaquam bonus mala multiplicâſſet. Romani dum fidem alicui obligabant, duas manus dextras inuicem jungebant, ornatas duabus palmis, ſupra quas nomen Iehoua depingebant; infra verò vigilans canis jacebat, & ſubſcribebant: FIDES ROMANORVM. Iul: Cæſ: Capac: lib: 2. Impreſſarum. Chriſtus verò ad ſtabiliendam fidem quod ſit nedum verus homo ſed verus quoq; Deus, panes duos cum piſcibus duobus in ſymbolum poſuit, à cuius vna parte quinque millia virorum, ab altera duodecim cophini fragmentorum. Vox ab ore virorum Iechoua, Saluator Deus de Deo. Ad cophinos expreſſum: OPVS DEI.

Pro pane 1. Nota. Panes pœnitentiæ ſunt quinque. Primus panis compunctionis, Pſ. 79. *Cibabis nos pane lachrymarum.* Iſte ſubuertit caſtra diaboli, Iudic. 7. *Videbatur mihi panis ſubcinericius ex hordeo voluî, & in caſtra Madian deſcendere, & ſubuertit tabernaculum.* 2. Panis afflictionis, ex conſideratione Paſſionis Chriſti, Deut: 16. *Septē diebus comedes panes afflictionis, quoniam in pauore egreſſus es de Ægypto, vt memineris diei egreſſionis tuæ omnibus diebus.* 3. Panis compaſſionis proximi, Eccleſ. 11. *Mitte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas,* id eſt pauperes, *& poſt multa tempora inuenies eum.* Eſa. 58. *Frange eſurienti panem tuum.* 4. Panis timoris ex conſideratione futuri ſupplicij, Tob: 2. *Manducauit panem cum luctu & tremore, memorans ſermonis Amos. Dies feſti veſtri conuertentur in lamentationem & luctum.* 5. panis ſuſpirij ex dilatione præmij. Pſ: 41. *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte.* Hæc B. Alb. M. ſuper Ioannis c. 6. Conſolatur Iſid. lib: 2. de ſum: bono. cap: 13. pœnitentes. Quamuis quiſque ſit peccator & impius, ſi ad pœnitentiam conuertatur, conſequi poſſe veniam creditur. Ergò in hac vita dum eſtis, Deū per pœnitentiam glorificate: verùm qui pœnitet, non reuertatur ad peccatum, ceu canis ad vomitum. irriſor enim eſt non pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet, nec videtur Deum poſcere ſubditus, ſed ſubſannare ſuperbus. *Iſid: ibid: cap: 16.* Oliuarum veteres rami abſciſſi, vberius faciunt pullurare truncum. Ita

pœni-

pœnitentia quò acrior, tanto efficacior. S: Antonius Abbas dum flagellaretur à Dæmonio, vidit poſtmodum Chriſtum aſtantem ſibi & ait: Vbi fuiſti Domine] vbi fuiſti? cui Chriſtus; Ego hic adfui & vidi pœnitentiam tuam: ſi præſens eſt in via pœnitenti, erit præſentior in patria. gaudium enim ei eſt ſuper pœnitentiam agente, & in cælis.

Pro pane. 2. Nota. Panem hunc ſubſtantialem excedere, vndè non corpus ſed animam paſcit. Pani Deo qui totius mundi voluptatum mæcenas conſtituebatur ab antiquis, vt dicit Alex: ad Alexandro Genialium lib. 3. cap. 11. Fœtida capra offerebatur, ſic ex paſtu corporis, non niſi fætidus olor. Paſtus verò animæ ex verbo Dei audituq; illius ac conſeruatione procedens, nil fœtidum licèt ſapidum, nil graue licet alicui minus ſuaue confert; ſed omnia cœleſtia, Angelica, diuinæq; voluntati complacentia tribuit. Hinc D. Maximus Hom. 1. de ieiunio. Fruſtrà diabole iterum per eſcam ſupplantare conaris, ſufficiat tibi cibos ſuadendo illicitos in paradiſo Adam per te fuiſſe deceptum: nec eſuries me vincit, nec tuis ſuaſionibus cedo, voluntas enim Dei cibus eſt meus, Verbum Dei mihi eſt perfecta refectio. Referunt aliqui qui admiranda ſcripſerunt & Ducibus Radziuilouijs in Regno Poloniæ conſecrârunt, quod ad montis Vogieſi Tractum ſubtilis & candida effodiatur farina, ex qua ab incolis Burcken omnis generis conficiuntur panes; quæ quidem terra niſi miraculo dederimus vera eſſe non poteſt, at fortè eſt pinguedo terræ, cuius ſuccus ſolis æſtu concretus in farinam abit. Sed ſit ſiue naturalis ſiue miraculoſus hic ſecreti actus, inſtruit tamen & ceu quodam gnomone demonſtrat, quod præter vſitatum panem aſſeruatur alius tum corpori tum animæ in alimentum, & profectò alius non eſt quàm verbum Dei. *Dixit & facta ſunt.* Suſcipit id homo, & jam non ille ſed Chriſtus in eo viuit. De quali pane Chronicon Prædicatorum ab Antonio Luſitano conſcriptum, dum Roſtangum meminit ex ordine ſuo, qui à Clemente Pont: Max: ad Archiepiſcopatum Neupotenſem in Achaia Græciæ, ex Epiſcopatu Sidonienſi tranſlatus fuerat; ita meminit Verbo, vita, exhortatione, conſilio, alijſq; virtutibus, gregem diligentiſſimè pauit. Quocirca hanc expreſſam reliquit B. Maximus Epiſcopus Taurinenſis inter hos panes differentiam ſua in homilia 3. de Ieiunio. Reficit quidem diabole eſuriem corporeus panis, ſed Verbum Dei cunctis fidelibus ſubſtantiam ſempiternæ ſalutis operatur. Varijs ex generibus conficiuntur panes, ex ſemine, hordeo, ſiligine, tritico, carnibus, piſcibus, glandine, fructibus, Amigdali, Dactilorum &c. Sed nullam in terra ſemen genus inuentumq; humanum reperietur, quod fructum illum ſubſtantiamq; generet, quam tribuit

Pani capra offerr.

Paſtus corporis & animæ.

Verba Dei perfecta refectio.

Panis ex farina terræ.

tribuit gignitq; panis verbi Dei. Quare admonendo Leo Pont: Max: Serm: 3. de Quadrageſima dicit ad auditores verbi diuini. Deliciæ noſtræ ſint opera pietatis, & illis cibis qui nos ad æternitatem nutriunt impleamur. Lætemur in refectionibus pauperum, quos impendia noſtra ſatiauerint. Iucundemur in veſtitu eorum, quorum nuditatem indumentis neceſſarijs texerimus. Corallus extractus è mari fit pulchrior & fortior. Ita à pane hoc terreſtri terraq; ſeparatus, fit pulchrior homo & fortior: nam verbo Dei, carne & ſanguine Chriſti ſuſtentatur & paſcitur, fortius & ſuauius quam pane ſubcinericio quondam Eliſæus. Vndè non mirandum eſt quod in talia fruſta hîc panis diuiditur qualia hic B. Alb. Magnus enumerauit. Fœlicius enim ſeminatum verbum in corde pœnitentis radicatur & germinat, quàm ſemen terrenum. Nam vt dicit D. Auguſt. in Tractatu 24. ſuper Ioann. Etiam in manu Chriſti panes erant ceu quædam ſemina ab eo qui terram fecit multiplicata, quo voluit mouere ſenſus; quatenus inuiſibilem Deum per viſibilia cognoſcerent, deſiderarent, quomodo ergo ſeminata in corde hominis verba Dei non magis multiplicabuntur?

Pro Pane 3. Nota. Dicitur Pſ. 106. *Errauerunt in ſolitudine, viam ciuitatis non inuenerunt.* In mundo qui eſt ſolitudo peregrinorum, via ad ciuitatem æternitatis, nonſolùm eſt nobis requirenda, ſed etiam panis ad victum. Via, Chriſtus eſt; Panis, meditatio mortis: qui hunc panem in vita guſtatum non maſticauerit, viam ex peregrinationis valle non indagabit in cœlum. Pſal. 101. *Cinerem tanquam panem manducabam.* Quis hæc audiuit ô Dauid? Conſpergere panem lachrymis & cinere ſalis loco condire ſufficit pœnitenti, quem videlicet modum ſuadet Eccleſia in die Cinerum, cùm capita conſpergit cinere ad pœnitentiam. Verùm non hos tantum cineres Dauid animaduertebat, ſed illos præcipuè, in quos per mortem ſuam cineres & fauillas, conuerti debuit. Cogitabat enim plus magiſué de illis quàm de pane corporis. Quocirca dixit: cinerem ceu panem manducabam. Et hoc per cineres quadrageſimales intelligit Sancta mater Eccleſia dicendo: *Memento homo quia cinis es & in cinerem reuerteris.* Eoſdem cineres mortis B. Ambroſius Senenſis Sanſedonius Ordinis Prædicatorum quotidie ante oculos verſari non ceſſauit, nam cùm panes refectionis ſumere debuit, flexis genibus orabat cùm fletu prolixius vt ſignificaret non hunc panem corporalem fuiſſe verè cibum hominis; ſed panem pœnitentiæ, panem meditationis mortis, panem vitæ æternæ. Quocirca 12. Moral. Greg. Qui conſiderat qualiter erit in morte, ſemper pauidus erit in operatione, nil quod tranſeat appetit, cunctis vitæ præſentis deſiderijs contradicit, & pœ-

Cinerē manducare.

Memēto quia cinis eſ

Panis eum deuotione ſui meditationis.

ne ſe mortuum conſiderat qui moriturum ſe minimè ignorat, perfecta enim vita eſt mortis meditatio, quam dum juſti ſolicitè peragunt, culparum laqueos euadunt. Referunt medicinarum indagatores, quòd ex pane ordinario recenti diſtillato in vaſis vitreis, fit medicina contra Epilepſim. Summa vis panis & mirabilis effectus. Diſtillata verò in cogitatione, ruminata in intellectu, amplexata in voluntate hominis mors, non Epilepſim tantùm tollit & vertiginem, ſed mortis æternæ remedium, & antidotum eſt. Caluariam igitur tuam ante te habeto, quæ etſi eſt quoddam noſtri ſimulachrum doloris, attamen generabit in nobis deſiderium virtutis & amorem rectum, quo itur ſecurius in via ſalutis.

Mortis conſideratio-nis effectus.

[P]anis pro Epilepſi.

Caluaria ſimulachrum doloris.

Pro 4. Pane Nota. Mirabiles effectus ex imitatione Sanctorum deduxit B. Alb. Magnus Nam ſi exemplum prauum inducit quandoq; hominem, incitatq; ad bonum, (ſicut de S. Adalberto Archiep: Gneſnenſi legimus quod ad mortem Epiſcopi Pragenſis horribiliter morientis & ſeſe à ſpiritibus atris trahi ad inferos confitentis, retraxerit ſe à ſæculo & lubrica vita,) quid non operabitur exemplum rectum viri Dei & Sancti? *Cic.* 2. *Officiorum* Studioſè plerique facta principum imitantur. Illorum enim altus gradus, cùm nil leue, prauum & inhoneſtum exquirit, ſi aliqua agunt, ea, ceu norma boni & lex quædam ab omnibus eliguntur. Sed lamentabatur D. Bernardus ſerm. 12. ſuper Cantica. Poſt Deum pauci, ad Deum omnes ire volunt. Vnde requiritur non regis ſed Sancti, non Principis ſed ſerui Dei exemplar in hac via ſalutis & itineris poſt Deum eiuſq; voluntatem. Ergo vt Seneca dicebat Epiſt. 11. nobis coſtituamus. Inquit ille: Aliquis vir bonus nobis eligendus eſt, & ſemper ante oculos habendus, vt ſic tanquam illo ſpectante viuamus & omnia tanquam illo vidente faciamus. Licet enim nemo hominum ſit ſine naturali lumine & ratione, vt diſcernat bonum à malo; attamen quia voluntas non eligit ſemper id quod ratio perſuadet: requiritur aliquis manuductor & ſollicitator voluntatis. Arduum enim eſt res magnas lucidè abſq; exemplo oſtendere, dicit Plato de regno. Quidam ad ſalicem infrugiferam vitem fertilem pro Symbolo poſuerat deditq; legendum. *Mutuo fit copia nexu.* Inſinuabat, quod inutilis homo & non virtuoſus poteſt fieri fulcrum alteri ad virtutes fructiferas, ſi præbuerit vel ipſo ore exemplum bonum. Quam igitur excellentiam ille habebit, qui viri perfecti & ſancti exemplo moderabitur dies, actus, cogitatuſuè ſuos. Tam verò exempla ſanctorum perneceſſaria ad imitandum manent, vt Moyſi ex ore Dei dictum fuerit. Exod. 25. *Fac ſecundum exemplar quod tibi monſtratum eſt.* Concludendo adfero exemplar viuū boni & recti: Frater Ioan. Hiſpanus fidei

Imitatio facta Principum.

Pauci poſt Deum v[olunt].

Conſtituatur vir ad imitandum.

Niſi ſit magno ſine exemplo.

Mutuo nexu.

Fac ſecundum exemplar.

fidei ſacræ acerrim⁹ defenſor, & humilitatis ſacræ eximius cultor; nam â Carolo V. Imp. oblatum Epiſcopatum Granatenſem conſtanter recuſauit, hic vt vidit genitorem ſuũ captum pulchritudine vnius Iudææ, deſcendiſſe ad ritum & obſeruantiã Iudaicam, vocauit eum ad iudiciũ, & dignas ſui ſceleris ſuſtinuit pœnas *Hæc Antonius Senenſis in Chronic. FF. Ord. Prædic. fol.* 300. Imitabatur in hoc conſtitutionem Sixti IV. qua dirè in eos inſtat, qui relapſi hæretici, ſchiſmatici, falſificatores litterarum Apoſtolicarum, & qui ad infideles pro hibita detulerint.

Patrè filius & religio ſua ſacerdos defert iudicio

Pro 5. pane nota. *Domine da nobis ſemper hunc panem.* Ioan. 5. Ex quo enim audierunt, quia non Moyſes dat panem è cælo, ſed Pater dat è cælo verum panem & dat vitam mũdo. Dixerunt: *Da nobis ſemper hunc panem.* Verus enim panis eſt Chriſtus non veritate panis naturaliter, ſed veritate vegetationis, quia vegetat ad diuinum eſſe & æternum. Vegetat verò ſpiritualiter hominẽ, & omnia ſpiritualis vitæ deperditæ in nobis reſtaurat. Ille igitur panis Moyſi non erat de cælo vero, puta Trinitatis. Vnde erat figura iſtius panis veri qui de cælo Trinitatis deſcẽdit Sed de cælo aëreo. *Chryſoſt.* De aëre cũ rore panis ille cecidit ſupra caſtra eorum. Et ſi quando Apoſtolus dixit præcipuè 1. Cor. 10. *Omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt.* Intelligitur, manducauerunt in figura, non in re. Qui enim eorum hanc figuram intellexerunt ſpiritualiter, illi panem de vero cælo Trinitatis, in figura manducauerunt: panis verò Trinitatis mẽbris nos Chriſti incorporat, & dulcedine Deitatis delectat. Sicut ad Cor. 10. *Vnus panis multi ſumus in Chriſto quod- quod ex vno pane participamus.* Quidam Soli lucenti, atque tenebras diſſipãti addiderat: TE SINE QVID MOLIAR? Omnes Solem orientem adoramus; ſed veriùs id Sacratiſſimo huic pani adſcribemus; nemo enim viatorum ſine hoc viatico ad cælum Trinitatis perueniet. Iob: 3. *Antequam comedã ſuſpiro.* Oportet priùs digerere per pœnitentiam culpam, tum comedere ſanctum verumq; panem.

Verus panis Chriſtus eſt.

Spiritualiter mãducare dupliciter.

Suſpirium in Comedendo.

Pro primo piſce Nota. *In Domino confido, tranſmigra in montem ſicut paſſer.* Pſalmiſta dicit Pſal: 10. Quod ex tali confidentia & pietate, & miſericordiâ Dei præparauerit animæ ſuæ habitaculum in monte cæli. Aliud enim accidere debuit peccatori ob peccata iuxtà illud Pſ: 72. *Deiecisti eos dum alleuarentur.* Sed pœnitentibus hic piſcis ad refocillãdum à Deo eſt relictus, vt ſpe impietate Dei transferantur ad cœleſtia. Pſal. 100: *Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* q. d. condeſcendis clementer ſubditis, & ſeueritatem dulcedine temperas. Aliquis in ſymbolis odoriferæ ſuaiter roſæ, oppoſuit duas cępas acriter olentes, & ſubſcripſit: PER OPPOSITA. Dicebat quod hæc ſunt oppoſita grauis odor & ſuauis, tamẽ vnum oppoſitorum non tollit alterum;

Piſcis ſpes in Deo.

Confidere in Domino.

Per oppoſita Deus procedit nobiſcũ.

rum; ſed roſæ ſuum, cæpe ſuum cō-ſeruant odorem. Equidem oppoſita ſunt peccatum & Dei miſericordia. ſed in hac hominum vita peccatum dulcedine miſericordiæ Devs temperauit ad tempus, atque medicinam ſalutis ex miſericordia atque ſuâ iuſtitiâ confecit. Facit quod Ionathas 1. Reg: 14. fecit: Poſt victoriam Philiſthinorum inuenit mel & ſummitatem virgæ in eo intinxit: Deus verò iuſtitiam ſuam miſericordiâ & pietate ljniuit. Hinc Auguſt. ſerm. 16. de verbis Domini: Citò feciſti rem mortiferam, ſed remedium citò inueniſti.

Iuſtitia linita melle.

Pro 2. piſce. Nota. Dulcis charitas eſt, quæ procedit ob amorē Dei & proximi. De qua 1. Cor. 13: *Si habuero omnem fidem ita vt montes transferam, & diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, etſi tradidero corpus meum ita vt ardeam, ſine charitate nihil ſum, nihil mihi prodeſt.* Leuit. 6. *Ignis ſemper ardebit in altari, quem nutriet ſacerdos:* vt non extinguatur: figuralis locutio ſuperinducit charitatem in nobis, in qua hæc noſtra exercitatio requiritur, vt per ſingulos dies manè ſubijciamus ligna, id eſt opera charitatis adimpleamus. Dicit Pſal. 136. irridendo homines otioſos Iudœos: *In ſalicibus ſuſpendimus organa noſtra.* q. d. in rebus nihili, quæ nullum nobis profe-runt fructum, organa modulationis internæ & externæ, per charitatem Dei & proximi ſuſpendimus, proiecimus, obliuioni dedimus. *Greg. in paſtorali:* Sicut ratione dilectionis nil pretioſius eſt Deo, ita nihil deſiderabilius diabolo: extinctione charitatis. Vnde quiſquis ſeminando iurgia dilectionem proximorum perimit, hoſti Dei familiarius ſeruit. Piſciculo tali omnes Sancti refocillati, ſpem charitatis à Deo obtinuerunt in paradiſo. Qui verò ſine charitate deceſſerunt, cum diuite vociferante ad Abraham, vt mittat Lazarum, non conſequentur charitatem. Vnde D. Aug. de laude charitatis: Charitas eſt actio rectitudinis oculos ſemper habens ad Deum, eſt glutinum animarum, eſt ſocietas fidelium. Actio non frigida, non fracta, non fugax. Sit exemplo Zacharias Luc. 1. Ingreſſus eſt ad altare incenſi, & deſcendit ad illum Angelus & nunciauit filium Ioannem. Ergò non magis appetas piſcem aſſum, quàm Chriſtum in cruce paſſum.

Piſcis charit.

Quid per duodecim cochinos intelligatur?

RESP: Duodecim præmia ſeu gaudia, quæ ex prædictis panibus & duobus piſcibus reportantur. Ex pane pœnitentiæ duo cophini. Primus, baptiſmalis innocentia. Secūdus, fructuoſa iuſtitia; qui enim verè pœnituerit, recipit baptiſmalem innocentiam, & venit ante Deum cum multo fructu iuſtitiæ & bonorum operum. Ex pane verbi DEI, colliguntur duo cophini; quorum vnus eſt, auditus Angelicæ modulationis,

tionis, alter plenitudo cognitionis. Qui enim libenter audit verba prædicatorum, tandem audiet cantum Angelorum, & videbit ibi, & cognoſcet omnia, quæ hîc audiuit. 3. Ex pane tertio, id eſt: memoriâ incinerationis, colliguntur duo cophini, videlicet animæ glorificatio, & corporis dotatio. Qui enim ſe ex memoria ſuæ mortis emendauerit, & animæ & corporis glorificationē aſſequetur. 4. Ex quarto pane reportantur duo cophini; vnus eſt sāctorum ſocietas, alter Angelorum æqualitas. Qui enim ſanctos fuerit imitatus, ſanctis in cælo ſociabitur, & Angelis æquabitur. 5. Ex pane Euchariſtiæ colliguntur duo cophini; vnus eſt iucundæ viſionis, alter ſuauiſſimæ fruitionis. Qui enim dignè nunc ſumpſerit corpus & ſanguinem Iesv Chriſti, tunc eum facie ad faciem videbit iucundiſſimè, & fruetur etiam ex eo ſuauiſſimè.

Ex 1. piſce ſpei colligitur vnus cophinus, id eſt: corona gloriæ: qui enim ſemper ſpem infatigabiliter extendit ad ſupercæleſtia, apprehendet coronam gloriæ ſempiternæ. Ex 2. piſce charitatis colligitur vnus cophinus, id eſt: plena poſſeſſio ſupercæleſtis curiæ. Qui enim veram habuerit charitatem, cum ipſa ſit regina mundi, per ipſam omnium bonorum domini plenus poſſeſſor conſtituetur.

ANNOTATIONES.

PRo primo cophino. Nota. In adultis quoniam requiritur pœnitentia de peccatis commiſſis, dum ad ſacrum accedunt fontem; rectè ex pœnitentia cophinum baptiſmalis innocentiæ concludebat B. Alb. M. Vnde contra Donatū Aug: lib: 4. Vices baptiſmi, Paſſio, fides, conuerſio cordis, ſupplent. De alio verò cophino nempè iuſtitiâ per pœnitentiā clarè Greg: ſuper Pſal. 7. Pœnitentia eſt vnum ex perfectis donis deſcendentibus à Patre luminum. Vnde pœnitentiam in præſenti pro peccatis faciens tribunal Chriſti ſecurus aſpiciet. Compunctio enim facit animam horreſcere purpurā, deſiderare cilicium, amare lachrymas, fugere riſum.

Potentia ad baptiſmum in adultis nec.

Tribunal q̄s reſpicit.

De cophinis ex verbo Dei Nota. *Greg. ſup: 1. Regum.* Prædicator in vmbra redemptoris requiem habet. Quod ſi talis eius requies & tanta, quid mirum ſi hos cophinos ex verbo Dei auditores colligunt. Proferebat verbum lapidibus Venerabis Beda, cum viſum iam amiſerat ſeductus à quodam quod ibi populus magnus foret: ex audiuit verba; Benè dixiſti Venerabilis Pater. En muti lapides à verbo Dei audito didicerunt loqui.

Vmbra p̄dric.

Lapides loquuntur.

De cophinis ex incinerationis memoria. Nota. 2. Cor. 5. *Si vnus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt. Et pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, vt & hi qui viuunt iam non ſibi viuāt, ſed ei qui pro eis mortuus eſt & reſurrexit.* Hoc conſidera & tantos Cophinos ex memoria mortis colliges. Hic enim ſermo de morte iuſtorum intelligitur.

ligitur, non verò de quacunq; morte. Ita enim Sap. 3. *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt.* Ergo audi tonitruum. Vbi te inuenero, ibi te iudicabo. Refert Ælianus lib. 6. Quòd Pericles Athenienſium Dux legem ſcripſerit, vt nemo ad Rempublicam gubernandam accedere permitteretur, niſi qui vtroq; parente ciue natus eſſet. Contigit quod legitimi filij Periclis morerentur; nothi verò relicti, & poteſtas illis ex præſcripto patris gubernandi rempublicam fuit adempta. Ita Deus natum in fide Catholica & mortuum Catholicè ſolùm admittit ad gubernacula. Sedebunt & iudicabunt nationes, nothos verò & non Catholicè natos, educatos, mortuos, retrudit à regno Dei non recipient glorificationem animæ, nec dotes corporis.

Nothos non ſuſcipit cælum.

Ex quarto pane, ſocietate Sãctorum & adæquatione Angelis. Nota. Dicitur Deut. 26. *En Dominus elegit te hodie, vt ſis ei populus peculiaris.* Non poteſt autem eſſe peculiarior, quàm vt dicit Chriſtus Ioan. 12. *Vbi ego ſum illic ſit & miniſter meus.* Inter ſanctos, puta, angelos, & cum Sanctiſſima Triade. Ergo illud diſpoſitione noſtrâ amplectemur, quod 1. Teſſ. 5. innuitur. *Ipſe Deus pacis ſanctificet vos per omnia, vt integer ſpiritus veſter & anima & corpus ſine querela in aduentum Domini noſtri IESV Chriſti ſeruetur.* Veſpaſiani ſtatuam exprimebant ſymboliſtæ: Alis aquilinis ſuſtentabatur tabernaculum, ad cuius faſtigium aduolitabat aquila cum inſcriptione: *PROVIDENTIA DEORVM.* Me hercule, ſocietas Sanctorum & Angelis adæquatio, ab ipſo Deo effectiuè eſt, & ipſe eſt qui dirigit ad hoc greſſum hominis, nemine id de condigno promerente.

Veſpaſiani ſtatua.

Cophini ex quinto pane Euchariſtiæ duo. Nota. Dicitur Apocal. 2. *Vidi thronum magnum & candidum, & ſedentem ſuper eum, à cuius conſpectu fugit cælum & terra.* Antequam enim Deus factus eſſet homo, & ſancti & peccatores fugiebant à Deo ob horribilia peccata. Sed cùm factus homo, dedit homini corpus in cibum, ſanguinem in potum; cœlum communione cum ipſo, & videndi faciem Dei atque fruendi. Refert Ælianus l. 9. Themiſtocles Hieronẽ venientem cum æquitatu ad ludos Olympicos vetuit certamen ſpectare dicens Eũ qui maximi periculi ſe ſocium non præbuiſſet; non æquum eſt, vt communis feſtiuitatis particeps fieret. Ergò qui pugnat cum mundo, carne, diabolo, fortiter & continuè pugnat, & qui ſanctus eſt ſanctificatur adhuc.

Pro cophino ex piſce ſpei, Nota. Dicitur Eccl. 27. *Homo ſenſatus in ſapientia manet vt Sol.* Puta, non obſcuratus ſol. Sapientia eſt ſpes firma in Deo: *Sperate in eo omnis congregatio populi, Deus adiutor veſter in æternum.* In hac ſpe ceu in ſole permanendum eſt.

Pro vltimo cophino ex charitate Nota. Iſa 31. *Cuius ignis eſt in Sion & caminus in Ieruſalem.* Ille ſcilicet Chriſtus ac-

ſtus accendat in cordibus noſtris. Alias non ſunt prunæ, quibus calefiant; nec focus, vt ſedeant ad eum, vt Iſaiæ 47. dicitur, audies.

DOMINICA V. QVADRAGESIMÆ.

Abraham pater veſter exultauit, vt videret diem meum: vidit & gauiſus eſt. *Ioan. 8.*

Quis ſit dies Domini, de cuius viſione gauiſus eſt Abraham?

SEcundum Gloſſam Abraham in Spiritu vidit diem incarnationis Chriſti, vidit etiam diem æternitatis eius, & ex hac viſione mirabiliter exultauit. Vnde Gloſſa. Incertum eſt, an diem temporalem quo erat venturus in carne, an diem æternitatis: Sed vtraq; Abraham vidit. Vnde ineffabile gaudium illi: quanti enim eſt videre Verbum apud Patrem, & quod ipſum caro factum eſt? Et licet teſtimonio Gloſſæ hos dies viderit, dici etiam ſaluâ fide poteſt, quod vidit etiam in Spiritu & vero intellectu diem redemptionis, diem videlicet paſſionis IESV Chriſti, per quam redemptum fuit omne genus humanum. Nihil enim naſci profuit, niſi redimi profuiſſet. *Gregor.*

ANNOTATIO.

GEn. 18. Apparuerat Dominus Abrahæ in conualle Mambre, ſedenti in oſtio tabernaculi ſui, cùm eleuaſſet oculos, procul apparuerunt ei tres viri. Quis lætitiam exprimet Abrahæ ſuſcipientis Deum in perſonis trium virorum? Si verò vidit in ſpiritu oculis fidei & cordis, diem, id eſt lucem de DEO fulgentem Chriſtum naſciturum in carne, & pro homine vt redemptorem paſſurum: quanta exultatio illius tunc erat? Hinc Gen. 18. *Num celare poſſum Abraham quæ geſturus ſum cùm futurus ſit in gentem magnam?* Sed de hoc vide annotationem ſequentem. Maximo igitur gaudio exultauit cùm vidit in conceptione Spiritus incarnaturum & peccati tenebras purgaturum. Expreſſit in ſe exultationem Iſaiæ 50. *Videbis & afflues & mirabitur & dilatabitur cor tuum.* Arguebat quondam Græcos Plato in Timeo: Græci pueri eſtis & non eſt in vobis vlla cana ſapientia. *Cana ſapientia.* Profectò exceſſit omnes ſapientes, Græcos, Perſas Arabes, & omnes Philoſophos mundi Abraham, nam dies æternitatis in Chriſto, & dies redemptionis in ſpiritu, vidit. Conſequenter ſuperauit omnem viſionem intellectus creati. Ad altum mare cùm deduxiſſet,

xiſſet bellum Andreas Doria, contra Tuniſium & Turcas, ſtellam erexit in ſuprema nauium, cum ſcripto: *Vias tuas Domine demonſtra mihi.* Altiora ſunt, ante Aduentum Chriſti, videre jam ceu præſentem Chriſtum, & ante paſſionem, videre quaſi nunc pateretur, ſed cui Dominus oſtendit viam ad tantum myſterium, credendum & intelligendum, maiorem recepit gratiam, quàm ſi ſine lingua loqueretur, ſine oculis corporalibus aliquis per(ocultum Dei donum, (quot plurimis contigerat) videret. Excedit quidem potentias naturales, vt in nunc temporis, videat omnes differentias temporis, homo. Sed quia in vno nunc æternitatis continentur omnes differentiæ temporis & Deo æterno, eleuatus intellectus ad intelligendum ſupernaturalia, medio ſupernaturali, cognoſcet ea melius, quam quæ cognoſcit, & videt in nunc temporis.

Quando diem jſtum vidiſſe creditur Abraham?

Dici poteſt quod tunc, cùm niſus fuit proprium filium immolare. Legitur enim in Geneſ. 22. Quod Dominus ad manifeſtandam obedientiam Abrahæ, immo ad oſtendendam ipſi paſſionem Iesv Chriſti præcepit ei, vt filium ſuum, quem diligebat Iſaac in monte Moria immolaret. Igitur Abraham de nocte conſurgens nemini quod facturus erat, indicans, ſtrauit aſinum ſuum, ducens ſecum duos juuenes, & filium, & iuit iter duorum dierum. Tertio die relictis juuenibus infra cùm aſino, & acceptis lignis & igne ſolus cum filio montem aſcendit. Cui cùm filius in mortem propriam conſenſiſſet, & Pater extracto gladio jam filium eſſet immolaturus, clamans Angelus inhibuit ei puerum occidere: Et cum poſt tergum reſpiceret, vidit arietem inter vepres hærentem cornibus, quem arripiens immolauit. Et tunc Dominus creditur ei reuelaſſe redemptionem totius generis humani faciendam per Paſſionem dilectiſſimi filij Iesv Chriſti, ſupra qua redemptione vltra quam dici poteſt, exultauit.

Et Nota, quŏd Abraham interpretatur pater multarum, & ſubintelligitur gentium, & ſignat Deum Patrem, qui per creationem Pater eſt totius generis humani. Iſaac interpretatur riſus vel gaudium, & figurat Iesvm Chriſtum, qui riſum fecit matri ſuæ in natiuitate, quia ipſa eum peperit abſq; dolore. Quando etiam natus fuit, gaudium fuit Angelis, ſuſcitatum ab Angelis, etiam tunc gaudium fuit paſtoribus, immò omni fideli populo nunciatum.

Nota etiam, quod ſicut tradunt Hebræi, in monte Moria poſtea à Salomone templum factum fuit, & in eodem loco, vbi Abraham aram erexerat, altare fuit conſtitutum. I. Tunc igitur verus Abraham in montem Moriam aſcendit immolare fili-

re filium ſuum, quando Deus Pater Iudæis & gentibus poteſtatem permiſſiuè dedit, vt filium ſuum vnigenitum IESVM Chriſtum in monte Caluariæ, qui erat conterminus ciuitati Ieroſolymitanę crucifigerent. 2. In hoc autem, quod filius non fuit læſus ſed aries immolatus; notatur, quod non fuit paſſa diuinitas, ſed anima & caro Chriſti, quæ quodammodo inter vepres hæſit, quia licèt non eſſet peccatrix, tamen videbatur ſimilis carni peccatrici. 3. Vepres enim vel ſpinæ ſignant aculeos peccatorum: Signant etiam punctiones pœnalitatum, in quibus Virginis filius ſecundùm carnem veriſſimè hæſit, quamdiu in hoc ſæculo antequam crucifigeretur, vixit.

ANNOTATIONES.

ID quod ex Gloſſa adductum fuit, idem habet D. Aug. Tract. 45. in Ioannem. Dicit enim: Incertum autem poteſt eſſe, vtrum dixerit temporalē diem Domini, quo erat venturus in carne, an diem Dñi. qui neſcit ortum, neſcit occaſum. Sed ego non dubito Patrem Abraham totum ſciſſe. Ait enim ſeruo ſuo quem mittebat. Pone manum tuam ſub femore meo & jura mihi per Deum cœli. Quæ fuit iſta juratio? Niſi quia ſignificabatur de gente Abrahæ venturum in carne Deum cœli. Certum igitur ſignū eſt, quod viderit Deum, & cognouerit incarnandum, ſed quando & in qua viſione viderit hoc, reſtabat quærendum. Vnde B. Alb. Magnus ſecundo loco id proponit. D. Gregorius ad propoſitum Hom. 18. in Euang. Tum diem Domini Abraham vidit, cùm in figura ſummæ Trinitatis Angelos hoſpitio recepit. Et profectò tunc in ſpiritu, diem, & nullam noctem dubitationis habendo de Deo in tribus perſonis, vidit, & fide recepit. Vnde 18. Gen. *Loquar ad Dominum, cùm ſim puluis & cinis.* Quaſi diceret, quē Fili⁹ Dei, Deus de Deo, carne aſſumptâ humanâ ad perſonam diuinam, reaſſumet. Hic ergò puluis, quem credo cum Chriſto in natura humana aſſumenda, reaſſumendum; ab illo, loquar ad Dominum. Ex primo parente Adam natus filius erat Cain, filius peſſimus: ex malo & inobediente, natus peior & magis inobediēs. Ego qui natu inferior sū ex inferioribus & peccatoribus, quid bonitatis de ſeipſo affirmabo: ita intendit Pater Abraham, ſum ego cinis & puluis, ſed tota ſpes & fiducia mea, quod talem puluerem Verbum caro factum reaſſumet, ideo loquar ad Dominum humilis puluis ſed ſpe futura adumbratus & protectus. Igitur tunc diem Domini vidit Abraham. Chryſoſtomus verò Homil. 54. in Ioan. expoſitionem habet, quam intulit B. Alb. Magnus. Quod viderit diē Chriſti in immolatione arietis. Dicit enim: Diem etiam ſuum dicit Chriſtus, diem crucis: quem Abraham in oblatione arietis & Iſaac præfigurauit. Per hoc oſtendens quod non inuitus ad paſſionem venit, & oſtendens illos eſſe alienos ab Abraham, ſi in quibus ille exultauit illi dolent.

D. Fulgentius ad Monimum lib: 2. cap. 3. dicit; quod etiam tunc vidit Abraham diem Chriſti cùm promiſit illi. Gen. 12. *Semini tuo dabo terram iſtam, & ædificauit ibi altare Domino qui viſus eſt ei.* Altaria non ædificantur niſi Deo, vt Moyſes de Noë juſto dicit, nam ad ſacrificandum erectum fuit. Quæritur an Patri vel Filio altare ædificauerit? Nam cui altare conſtruitur illius quoq; nomen inuocatur. Certè enim profitendum eſt, aut Patrem viſum Abrahæ, aut Filio Dei ſacrificâſſe. Sed cum Arrianis quæſtio, ſi Deum Patrem Abrahæ viſum dicunt, & ipſi ſoli ſacrificium immolatum, in eo quod viſus fuerit Pater, non erit tanquam inuiſibilis Pater inuiſibili Filio præponendus: ſi autem Filius viſus eſt & ei ſacrificium Sanctus Patriarcha obtulit, non eſt patri filius in aliquo præponendus, neq; enim illi Abraham ſacrificium offerret, ſi potiorem illo quenquam alium crediſſet. Sed pulchrè Pſal. 4. *Sacrificate ſacrificium juſtitiæ, & ſperate in Domino: multi dicunt quis oſtendit nobis bona.* Et reſpondetur: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultûs tui Domine, dediſti lætitiam in corde meo.* Dic quod lumen vultûs Dei? Filius Dei. Deus de Deo, lumen de lumine. Ille dat lætitiam in cordibus noſtris, quocirca & Abraham vidit in oblatione illa & lætitia cordis filium Dei, quē figurabat Iſaac, filius Abrahæ.

Quid à nobis qui diem hunc paſſionis Chriſti expreſsè vidimus, requiritur?

TRia ſpecialiter. Primum eſt, vt ab illis vitijs pro quibus diluendis paſſus eſt Dei Filius, caueamus. Secundum. Vt ei jugiter gratias agamus. Tertium eſt, vt ei etiam vices bonorum operum rependamus. Nota. Quòd quatuor fuerunt peccata Adam & Euæ videlicet. 1. Inobedientia, quâ præcepta Dei non ſeruauerunt. 2. Superbia, quâ ſimilitudinem Dei perperam appetierunt. 3. Auaritia, quâ boni & mali ſcientiam ſitierunt. 4. Gula, quâ de fructu vetito guſtauerunt.

Vnde ab his 4. prædictis cauere debemus, quia ſunt radices & originalia omnium peccatorum. 1. Contra inobedientiam loquitur Dominus Luc. 18. *Amen dico vobis, quicunq; non accepit regnum Dei ſicut puer, non intrabit in illud.* q. d. ſicut bonus puer obedit Patri & Matri, obedit etiam magiſtro ſuo; ſic quilibet Chriſtianus debet obedire mihi; debet etiam obedire plebano ſuo in omni ſalutari mandato, alioquin non intrabit in regnum meum. 2. Contra ſuperbiam dicit Dominus Lucæ 13. *Omnis qui ſe exaltat humiliabitur &c.* Eadem verba dicit Lucæ 18. Legitur etiam Lucæ 10. quod cum diſcipuli dixiſſent: Domine, etiam dæmonia ſubijciuntur nobis in nomine tuo. Reſpondit illis: videbam ſathanam ſicut fulgur de cœlo

cælo cadentem: q. d. Cauete vobis à vana gloria, ne à gratia & gloria ſicut ſathanas excidatis. 3. Contra auaritiam dicit Lucæ 12. *Videte & cauete ab omni auaritia*: quia non in abundantia cuiuſquam vita eius eſt ab his quæ poſſidet. 4. Contra gulam ait Lucæ 21. *Attendite vobis, ne forte grauentur corda veſtra in crapula, & ebrietate & curis huius vitæ, & ſuperueniat in vos repentina dies.* Item gratias agere debemus Domino pro eo, quod nobis ſanguinem ſuum fudit: vnde ſacerdos quotidie dicit in Miſſa: *Gratias agamus Domino Deo noſtro.* & reſpondetur ei: *dignum & iuſtum eſt.* Vnde legitur Apoc. 5. quod exercitus cæli magnificas gratias egit agno, quoniam occiſus erat, & redemerat eos Deo in ſanguine ſuo.

Tertiò requiritur à nobis, quod filio Dei etiam vices bonorum operum rependamus, quia per ſanguinem ſuum redempti ſumus, vnde Petr. in Can. 2. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius.* Conſequemur veſtigia eius, ſi corde, ore, & opere, & rebus noſtris, ſanguini ſuo fideliter ſeruiamus. Quod nobis præſtare dignetur, &c.

ANNOTATIONES.

QVàm iuſte & digne prædicat B. Alb. Mag. vt illa caueamus vitia, pro quibus diluendis paſſus eſt Chriſtus: ſed heu, dolendi mores hominum! contingit modò quod Iob 24. dicitur. *Dedit illi Deus tempus pœnitentiæ & illi abutitur, eo in ſuperbiam.* Pompeius Præfectus oræ maritimæ in ſignum claſſis aſſumebat ſcillam, quæ valido ictu marina feriebat, iugulabat, at inde alia & alia oriebantur. Ita quidem tollere peccata & eradicare cùm debeamus nos multiplicata multiplicamus, & abutimur temporibus pœnitentiæ. Heu quàm facilis ad infernum via eſt! clauſis etiam oculis illicitur! dicebat Bion. Fæliciſſim⁹ inter alios Iob. 45. *Ipſe me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere.* Vt vèro peccata caueamus, quatuor grauia in peccatis conſideranda ſunt, ex quibus homo nunquam ſe extricare valet, niſi Deus ipſum liberauerit. Primum, conſidera tenebras, quas incurrit peccator per auerſionem ab in commutabili bono, & conuerſionem ad commutabile. Hæ tenebræ maiores ſunt, quàm Eclipſis ſolis ſuper terram, nam ſolus Deus lumine ſuo illas pellere poteſt homo peccator non poteſt; in tenebris enim nil agere boni poteſt, ſed eſt vt cæcus. Alterum conſidera culpam: Hoc eſt, crimen cõmiſſum contra gratiam benefacientis tibi Dei. Quod quidem in ſe continet ingratitudinem, malitiam & iudicium. Ipſe Deus à crimine poteſt hoc liberare, ſi contulerit gratiam & virtutem ex ſua miſericordia. Tertium conſidera maculam, hanc peccator incidit in læſione & diminutione naturalis boni. Vul-

nus in facie, macula turpis; quanta erit in anima macula, dum mutilata & læſa ad bonum agendum, cogitandum? Dum verò Deus per meram gratiam reintegrat & conſolidat vulnera naturalis boni; tum maculam tollit. Vltimo conſidera: Reatum. hoc eſt, obligationem ad æternam pœnam, vbi erit fletus & ſtridor dentium, vbi nec pœnitentia, clamor, nec deteſtatio peccati valorem habebunt. Ipſa miſericordia infinitæ bonitatis Dei, qui non vult mortẽ peccatoris, ab hoc liberare nos poterit. *Ego ſum qui deleo iniquitates tuas propter me.* Iſaiæ 43. Cautio igitur ſummè neceſſaria homini, vitare ea quæ diluit Chriſtus ſuo ſanguine. Quàm peſſimè ille facit, qui ſubſtantiam ſuam offert Deo & ſeipſum diabolo; ſed cum & ſe & ſubſtantiam ſuam offert diabolo multò iniquior eſt. Tales ſunt fermè omnes peccatores. Acceperat Philippus reſponſum in æde Trophonij, vt caueret ſibi à curru: ceu oraculum ſeruauit ille, & nunquam aſcendebat currum. Maior eſt & delectabilior vita animæ quàm corporis, vnde cauenda ſunt peccata carnis & omnia inficientia animam, ne ob delicias corporis occidamus animam, offendamus Deum. Audiamus Cic. Præter culpam & peccatum, homini nihil poteſt accidere, quod ſit horribile atque pertimeſcendum; & quæ parua videntur delicta, nec à multis intelligi poſſunt, ab his etiam diligentius eſt declinandum. *Offic.* 1.

Pro agendis gratijs Deo. Nota. Trenorum 3. *Recordare paupertatis meæ, transgreſſionis, abſintij, & fellis.* Et reſpondet Hieremias: *Memoria memor ero & tabeſcet in me anima mea.* Exodi 12. cum lactucis agreſtibus præcipitur comedi agnus, ſuccus amarus amaricare debet cor noſtrum, quod innocens filius Dei pro nobis occiſus ſit. Ad Theſ. 5. *In omnibus gratias agite.* Nam ſicut ad locum ſuum reuertuntur flumina vnde exeunt, vt iterum fluant; ita flumina gratiarum per gratiarum actionem reflectuntur in Chriſtum omnis gratiæ fontẽ, vt ſcilicet iterum ad nos gratos defluant. Plinius dicit de Elephante, quod illi Regem adorant, genua ſubmittunt, coronas porrigunt. De quo etiam Martialis:

Quod pius & ſupplex Elephas te Cæſar adorat,
Hic modo qui tauro tam metuendus erat,
Non facit hoc iuſſus, nulloq; docente Magiſtro,
Crede mihi, numen ſentit & ille tuum.

Equidem pro paruo beneficio tantas refert gratias Elephas Regi, quas igitur tu ô homo nõ debeas referre pro tam ſummo beneficio accepto Deo. A manu Domini habes dona ſanitatis, ab ore illuminationem in doctrina, à pedibus dum te circuiens quæſiuit, à brachijs quia te in eis ſupportauit; à dorſo quia flagella pro te ſuſtinuit; à capite, quia ſpinis & arundine colliſum, alia beneficia à locis clauorum, à lancea & latere, & innumerabilia à paſſione Domini bona & ſumma æternaque colligis, multam igitur gratiarũ actio-

actionem referes. Gratiarum actio beneficijs reſpondeat. Auguſt. in Soliloqu. ſed impoſſibile Dei beneficijs reſpondere. Ergò, quod boni & virtutis in nobis eſt, Deo id adſcribere debemus, alioquin fures ſumus. *Bern. ſuper Cant. ſerm. 12.* Eſt prouerbium: Si aquam hauris, puteum corona. Dicit enim Varro l. 5. de ling. lat. Erat Romæ dies feſtus, dictus Fontinalia, quo die coronas in fontes proijciebant, vt à quibus liquores ad ſitim reſtringendam acciperent, eiſdem gratiam hoc ritu referebant: Fonti beneficiorũ Deo, age gratias.

Pro tertio à nobis requiſito, Nota. Heſiodus dicebat: In referenda gratia debemus imitari agros fertiles, qui multò plus afferunt quàm acceperunt, etenim ſi in eos, quos ſperamꝰ nobis profuturos nõ dubitamꝰ officia conferre, quales in eos eſſe debemus, qui iam profuerunt: Deꝰ autem, & prodeſt, & profuit, & eſt profuturus homini: *Sine me nil poteſtis facere.* Summum ergò illi officium conferendum à nobis. Sed antequã bonum pro bono reddamus, illius recordemur dicti Ionathæ filij: *Et quis ego ſum ſeruus tuus, vt reſpiceres ſuper canem mortuum, cui ego ſum ſimilis.* Nulla ſunt opera noſtra talia, vt rependatur ceu aliquod bonum pro bono. Sed tamen Rex de menſa ſua illi obtulit. Ita licèt nihili opera noſtra, illa tamẽ gratus recipit à nobis Deꝰ. Ceruo alas Carolus Borbonius addiderat dicens: CVRSVM INTENDIMVS ALIS. Nimium ſuccurſum & promptitudinem bellantibus offerrebat ille. Opera noſtra cùm ſint opera Dei, erunt opera noſtra ceu alæ; opera Dei ceu ceruus. Quid facient alæ ſine curſu cerui? Nihil. Attamẽ aliquid ingerebat tale ſymbolum. Ita cùm quid boni rependimus Deo, nobis non Deo præſtamus gratiam; at Deus optimus adſcribit nobis ceu noſtra fuerint propriè opera. Vnde D. Auguſt: lib. 10 Confeſſ. cap 6. admonet hominem & incitat ad amandum Deum, vt ſci licet pro bono opere Dei in nos effuſo, nempe pro amore eius, amorem quoque reddamus. Dicit enim: Cælum & terra & omnia quæ in eis ſunt, ecce vndique mihi dicunt vt te amem: altiùs autem tu miſereberis, cuius miſertus eris: alioquin cœlum & terra ſurdis canunt laudes tuas. Ergo omne quodcunq; facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri Iesv Chriſti facite, gratias agentes Deo & Patri per illum, vt ad Colloſſ: 3. dicitur.

IN DIE PALMARVM.

Adduxerunt pullum ad Ieſum, & impoſuerunt illi veſtimenta, &c. *Matth. 21.*

QVI SVNT DISCIPVLI, A QVIBVS PVLLVS SOLVITVR?

Miſericordia & veritas. RESp. Sunt miſericordia & veritas. Miſericordia quæ, vt pro nobis Dominus crucifigeretur induxit. Veritas, quia hoc quod Patribus promiſerat ad effectum perduxit. Pſal. 88. *Miſericordia & veritas præcedent faciem tuam.*

ANNOTATIONES.

Myſticus ſenſus vnde eſt. HIeronymus ſuper illud. Vt adimpleretur quod dictum eſt. Cùm hiſtoria aut impoſſibilitatem habeat aut turpitudinem, ad altiora tranſmittimur, id eſt: ad myſticum ſenſum. Quia ergo ſedere in paruo ſpatio, puta de monte olíueti ad Hieruſalem, in vtroq; animali Chriſtus non potuerit, recurrendum eſt ad alterum ſenſum. Et ſic fecit B. Alb. Magn. cùm duos diſcipulos, miſericordiam & veritatem, vocauerit. Ad quem ſenſum Rabanus. *Dicite Filiæ Sion.* *Ieruſalem duplex.* Hiſtorialiter Sion dicitur Hieruſalem, quæ ſita eſt in monte Sion: myſticè verò Eccleſia pertinens ad ſupernam Hieruſalem. D. Hilarius innuit diſcipulos miſſos Petrum & Philippum: illi enim ligatos erroris vinculo ſoluerunt populos. Philippus Samariam ad fidem reduxit; Petrus Cornelium ad Chriſtum primitias gentium adduxit. *Camelus Chriſti figura.* D. Gregorius miſericordiam Domini conſiderando, comparat Chriſtum ad camelum: Sicut enim camelus ſpontè ſe ad ſuſcipienda onera inclinat, ita Chriſtus ſponte ſuſcepit pro mundo paſſionem & humiliauit ad mortem. Miſericordia & veritas præceſſerunt faciem eius dicentis; *Dicite Filiæ Sion; Ecce rex tuus venit.* Quis alius rex venit Hieroſolymam ſuper aſinam præter Dominum IESVM? Nullus, ſed ille ſolus venit. Sap. 15. *Tu Deus noſter ſuauis & verus es & patiens & in miſericordia diſponens omnia. Si enim peccauerimus, tui ſumus; ſi non peccauerimus, apud te ſumus.*

Quis ſit iſte aſellus?

Aſellus crux patibulum. REſp. Crucis patibulum. 1. Quia aſellus portat in humeris ſuis ſignum crucis. 2. Quia natus ad labores & onera, ſicut crux tulit peccata mundi. Ad Coloſſ. 2. *Chyrographum decreti*, id eſt, peccatum Adæ, quod

quod erat contrarium nobis, tulit de medio, & affixit illud cruci. 3. Quia aſellus ſignificat debilitatem, virtus enim Chriſti quaſi infirmata videbatur in cruce. Pſal. 21. *Deus Deus meus, reſpice in me; Ego ſum vermis & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis.*

1. Hic aſellus ſtabat in biuio, quia gentiles & Iudæi diuerſis vijs ibant, per ſanguinem Filij Dei & per fidem crucis fuerant redimendi, & Chriſto lapidi angulari per crucem adunandi. 2. Stabat ante januam, quia crux apertura erat januam regni. 3. Stabat ligatus, quia nullus inueniebatur innocens & mundus qui ſaluaret genus humanum. 4. Duo diſcipuli, miſericordia & veritas; ſoluerunt eum & adduxerunt ad Iesvm.

ANNOTATIONES.

Hieronymus cum Hilario, per aſinam intelligunt Synagogam; per pullum, liberum & ferrocem populum gentium. Iudæa verò ſecundùm Deum, mater eſt gentium. Sed quia myſticum ſenſum B. Alb: Mag: aſſumpſit, ideò etiam aſellum myſticè expoſuit. Crucem nimirum paſſionis Chriſti. Inquit ergo Remigius: Dominus ſuper aſellum ſedens Hieroſolymam tendit, quia præſidens Chriſtus & in hoc ſæculo regit, & poſt hanc vitam ad viſionem cœleſtem introducit animas. Sed quicquid ſignificet hic aſellus, non aliud erit, niſi Chriſti miſericordiarum ſumma amplificatio; quod deuotus Alb: Magn: non immeritò crucem expoſuit paſſionis Domini noſtri Iesv Chriſti. Ad lumacem taciturnam nec alicui nociuã addidit quidam dum eſſet ad ignem poſita: *VRGET SILENTIA MÆROR.* Ita amor Chriſti erga populum ex vna, & mæror calamitatis ex altera p rte, vrgebat filium Dei ad paſſionem: quocircà noua ceremonia authoritate puerorum, obſequio & acclamatione ingreſſus eſt Hieruſalem, ſedens in aſello, vt commoueret & incitaret Iudæos, ad id faciendum quod ante volebant. Clarè Chryſoſt: hom: 26. in Matth: Nunquam Dominus ſibi adhibuit miniſteria iumentorum, nec ramorum virentia circà ſe ornamenta conſtituit; niſi quando Ieruſalem vt pateretur, aſcendit. Excitauit enim eos non vt facerent quod priùs noluerant? ſed vt poſſent facere quod priùs volebant. Ergo poteſtas eis data eſt non mutata voluntas. Dicitur Abacuc 3. *Cornua in manibus eius, ibi abſcondita eſt fortitudo eius, ante faciem eius ibit mors, egredietur diabolus ante pedes eius.* Beda conſiderando hanc Prophætiam dicit: Figura eſt grammaticè dicta Hyppallage. Et eſt ſenſus; Manus Chriſti & membrorum ſunt in cornibus crucis, ſcilicet, affixæ. Et ibi abſconditur omnis fortitudo hominis, vt Dei virtus appareat. Et ideò virtute diuinâ ante faciem ſic in cruce confixi, vadit mors & ſtimulus mortis peccatum, & ante pedes ſic ſtantis, egreditur & conteritur diabolus.

Quid

Quid ſignificant veſtimẽta quæ pullo ſuperponuntur?

Veſtimenta in aſino q̄d ſig. Gaudio ſuperpoſito ſuſtinuit crucẽ

RESp. ſignificant fructum redemptionis & gloriam reſurrectionis. Ad Hebr. 12. *Ieſus ſuperpoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contemptâ.* Duplex verò ſuperpoſuit gaudium: primum, quod habiturus erat ex fructu redemptionis humani generis. ſecundum quia, cum gloria erat reſurrecturus, & cùm carne quâ paſſus fuerat ad patris dexteram reuerſurus.

ANNOTATIO.

DIuus Hieron: ad myſticum ſenſum veſtimenta expoſuit. Veſtis Apoſtolica quæ iumento ſuperponitur, vel doctrina virtutum vel diſcretio ſcripturarum & Eccleſiaſticorũ dogmatum intelligi poteſt, quibus niſi anima fuerit inſtructa & ornata, ſeſſorem habere Dominum non meretur. Verùm in expoſitione ſua B. Alb. Magnus ad propoſitum magis reſpexit, ideò de Chriſto expoſuit veſtimenta, & gaudio propoſito illius ex paſſione.

Nullus tale gaudium habuit, quale propoſuit ſibi Ieſus. Curtius neſcio quale propoſuerat, dum in Chaos ſeſe demiſit, ſcio quod triſtitiam recepit & ſempiternum dolorem. Antiqui gaudiũ reputabant vt inter diuos deosuè numerarentur, ſed tale gaudium vanum, cùm aliquis magis voluerit fieri ſuum anteceſſorẽ diuum, quàm viuum. Ælianus libr. 5. narrat. cap. 12. Conuocatâ concione Demades Athenienſium. ſurgens, decreto iuſſit vt Alexander ſcriberetur Deus decimus tertius: At populus impietatis magnitudinem non ferendam ducens, Demadi irrogauit mulctam centum talerorum, quòd Alexandrum mortalem & hominem aſcripſiſſet Olympicis. Vana gloria, titulus falſus, honor impertinens. At Dominus noſter Ieſus Chriſtus propoſuit ſibi gaudium verum Sanctiſſimæ Trinitati cognitum, & ſuæ diuinitati non repugnandum. Propoſuit generis humani veram ſalutem, & gloriam reſurrectionis perennem. Illi gaudium & lætitiam obtinebunt, fugiet dolor & gemitus, & dicent: *Ego autem in Domino gaudebo & exultabo in Deo Ieſu meo.* Abac. 3. Gaudium autem Chriſti de fructu animarum & profectu fidelium. Ad aquilam dum paſcitur de cæli rore addiderat quidam lemma: *DIVINO NVMINE PASCOR.* Magis attribuendum eſt id homini, qui egreſſus eſt in ſalutem cum Chriſto ſuo, illum enim pauit diuina gratia, ac magis pauit & cum maiori affectu, quàm dum paſcit pullos ſuos Pelicanus proprio cruore. *Bern:* Gaudium ſolummodò verum eſt, quod de creatore concipitur. Ergo magis gaudium erit quod concipietur de creatore & ſimul ſaluatore. Ex tam profuſo gaudio lachrymæ erumpent.

pent. Veſtimenta ergò Chriſti ſuper aſinum ſtrata ſunt tantum gaudium propoſitum & fructus ſuæ paſſionis.

Quid ſignificant veſtimẽta, quæ in via proſternantur?

RESp. Corpora noſtra. Pſal: 101. *Omnes ſicut veſtimentum veteraſcent.* Sancti Martyres in via Chriſti proſtrauerunt coccinea veſtimenta, quia corpora ad ſupplicia tradiderunt. Coccus enim ſanguinei coloris eſt. Confeſſores hyacinctina, quia vigilijs, ieiunijs, macerabant corpora, & cor ad ſuperna eleuatũ habebant. Hyacinthus enim aërei coloris. Virgines proſtrauerunt biſſina. Candida enim & immaculata corpora filio Dei, qui candor eſt lucis obtulerunt. Biſſus enim eſt lini Ægyptiaci candidiſſimi genus. 1. ita & nos proſtrare debem⁹ corpora noſtra: ſed heu plures ſunt, qui incommodum carnis fugiunt libentiùs ad tabernas quàm ad Eccleſiam vadunt, & offerunt corpora meretrici, fornicationi. Itẽ veſtimenta proſternere debem⁹ candida & noua, ſed multi polluta, inueterata emortua volunt mittere in Viam, ſed dicitur. *Subter eos ſternetur tinea & operimentum eorum vermes erunt.* Hic admonet Apoſt: ad Rom. 12. *Obſecro vos fratres per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiã viuentem ſanctam, Deo placentem.*

ANNOATTIO.

REmigij hæc expoſitio eſt, quod proſtratio corporum per veſtimenta intelligatur. Corpora enim ſunt tegumenta animarum, & martyres corpora dederunt pro Chriſto; aut qui corpora per abſtinentiã domant. Sed nota, quod corpus dupliciter deducitur à corporeitate in communi; & corpus organicum, quod eſt per membra inſtrumentũ animæ, ad exercenda opera. Illa ergò congeries membrorum operãtium dicitur corpus. Tale ergò corpus proſternendum eſt, vt anima & corpus, intellectus, voluntas & memoria, ſint proſtrata pedibus IESV. 1. Teſſ. vlt. *Vt integer veſter ſpiritus corpus & anima ſeruetur.* Conſidero candidatos, & veſtes Candidatorum in Patricio Senenſi de Regno & Regum inſtitutione ſcribentis, lib: 9. tit. 2. Magiſtratum petituri in Comitium deſcendebant, omnium oculis ceu ſerui venalitij exponebãtur, de quorum ætate, genere, virtute, vitâ iudicabant; ſtabant vocati abſque interiori tunicâ, amicti tantùm ſuper nudo, vt honeſta cicatricis quaſi virtutis indicia, populo oſtendere poſſent. Aliquando arguebantur illorũ natales, ætas, mores. Videte velim quæ ſubiectio, conditio requirebatur, & qualis proſtratio in eligendo miſero candidato? Tu verò qui non ad dignitatem caducã, ſed ad regnum es vocatus æternum per Chriſtum, quomodo in hac vita de-

Corporis proſtratio, eſt veſtimentorum ſub pedibus Chriſti.

Corpus dupliciter intelligitur.

Candidatorũ veſtis.

beas te humiliari, & corpus tuum proſternere Deo diligenter conſi dera: *Humiliamini ſub potenti manu Dei, vt vos exaltet in die viſitationis.* 1. Petr. 5. 4. Reg. 10. dicitur: *Quia ſtudioſè egiſti quod rectum erat, filij tui vſq; ad quartam generationem ſedebunt ſuper thronum Iſrael.* Sedebunt illi, qui corpora ſua proſtrauerunt Domino; non in æuum, ſed in æternum in throno, iudicantes 12. tribus Iſrael. Data erat lex Exod. 22. Si pignus à proximo tuo acceperis veſtimentum, ante ſolis occaſum reddes ei; hoc enim eſt veſtimentum eius vnicum, nec habet aliud. Cùm proſternimus nos cum corpore & animâ Deo, accipimus quaſi in pignus bona à Domino, ſed quia vnica eſt hæc veſtis animæ noſtræ corpus noſtrum, ante occaſum Solis & iudicij diem vltimi, reddet pignus noſtrum Chriſtus. Imò maximè proſtratis ad pedes IEsv Chriſti, reddentur corpora in particulari iudicio illorum, ad obtinendam gratiam vlteriorem manifeſta, dum ad ſepulchra ipſorum relucebit gratia miraculorum. & incorruptio corruptibilis corporis; vt ſint teſtimonio, quod pignus fuerant per Spiritum ſanctum, redemptionis Chriſti non inanum:

Veſtimentũ in pignus ad occaſum.

Qui ſunt frondes qui in via proijciuntur?

RESp. Sanctæ eleemoſynæ, quas quilibet Chriſtianus ab arbore iuſtæ ſuæ hæreditatis, vel ab arbore proprij laboris decerpere debet, & iactare in viam crucifixi. Et Nota, quod veriſſimùm eſt, quod quidam horum frondium fuerunr frondes oliuarum, quia tranſitus Domini tunc erat per montem Oliueti. Oliua verò profert oleum dolores lenificans: Vnde per frondes oliuarum ſignantur eleemoſynæ, quæ dantur ex poſſeſſione talis hæreditatis, quæ bonâ conſcientiâ poſſidentur. Ioan: etiam dicit 12. quod cum ramis palmarum proceſſerunt obuiam Chriſto; ſed palma corticem habet aſperam & amaram. Vnde per ramos palmarum exprimuntur eleemoſynæ, quæ ex iuſtis laboribus manuum offeruntur. Et nota, quod quidam offerunt frondes aridos, tales videlicet, qui tunc dant eleemoſynas, quando bona ſua non poſſunt diutiùs poſſidere. Alij offerunt ramos veneno infectos, qui putant redimere animas ſuas talibus eleemoſynis, quas per vſuras & alias iniquitates conquiſierunt.

ANNOTATIO.

REmigius. Illi ramos arborum præcidunt, qui dicta & exempla Sanctorum Patrum quærunt ad ſuam vel filiorum ſalutem. Et quoniam inter alia exempla & dicta Patrum eſt miſericordia. *Eſtote miſericordes ſicut & Pater meus miſericors eſt.* Lucæ 6. Ideò & ramis oliuarum miſericordiam & eleemoſynas per frondes B. Alb: M. expoſuit. Hier: 17. *Erit quaſi lignum viride, quod ad humorem mittit*

mittit radices ſuas, quod in tempore ſiccitatis non erit ſollicitum, nec aliquando deſinet fructum facere. Fælices rami tales, qui frondes habebit in vmbraculum, fructus in vitam beatam. Quod ſi ex fructibus eorum ſatiabitur Chriſtus in perſona pauperum, audiet illas beatæ laudis à Domino voces. *Eſuriui & dediſtis mihi manducare, mihi enim feciſtis quod vni ex his minimis feciſtis.* Ad nos igitur ſermo Ezech. 36. *Vos montes Iſrael ramos veſtros expandite & florete & fructum facite populo meo Iſrael.* Sed dices, plurimi ſunt qui largas eleemoſynas contulerunt & damnati ſunt, vt in Cap. 11. Lucæ dicũt. Bonauentura & Beda quomodo igitur eleemoſyna erit tanti valoris vt Tobiæ 4. verificetur. *Eleemoſyna ab omni peccato & morte liberat.* Non ſtatuimus nos quod ſola opera miſericordiæ ad ſalutem ſufficerent, & quod etiam nefarie viuens eleemoſynarius non experiatur ſupplicium æternum. Damnata enim hæc hæreſis, & Aug. ſerm. 30. de verbis Domini defendit alio modo eleemoſynam. Primo, vt cætera quæ alibi ſcriptura ab homine requirit non omittantur, puta fides, pœnitentia, charitas. Secundò, vt in eum miſericordia prius conferatur, qui fecit eleemoſynam. Ita enim diſponit ad veniam peccatorum mortalium eleemoſyna, & liberat à pœnis peccatorum, ex priuilegio ſpeciali, ſi formaliter ſummatur, ſic enim auget gratiam conſeruatq; & cuſtodit à peccatis futuris, nam inter opera ſatisfactoria magis ſatiſfactorium eſt. Igitur ſeruatis ſeruandis conclude de eleemoſyna Ita quoq; intelligitur Marc. vltimo. *Qui crediderit & baptiſatus fuerit ſaluus erit.* Seruatis ſeruandis, puta præceptis Domini, & monitis Eccleſiæ. Nam ſalix alijs in alimentum eſt, alijs verò in nocumentum, apes & capræ colligunt ex illa cibum, cætera peccora infirmitatem? Ita fides alijs in ſcandalum & petram offenſionis eſt ſicut & Chriſtus, alijs in ſalutem.

Quid ſignificant illi, qui præcedebant & ſequebantur laudando.

RESp. Bonos Chriſtianos qui gratias quotidie agunt ſuper beneficijs exhibitis, & qui per deuotas orationes ſatagunt digni inueniri diuinis beneficijs in patria exhibendis.

ANNOTATIONES.

DIuus Hieron: Eandem habet expoſitionem. Populus (inquit) præcedebat & ſequebatur, qui ante & poſt Euangelium Domino crediderunt & conſona voce confeſſionis Ieſum laudauerunt. *Chryſoſt.* At illi qui præcedebant Prophetando de Chriſto ventura clamabant, & qui ſequebantur laudantes clamant de aduentu iam adimpleto. Habet Ælianus de Themiſtocle libr. 9. Cap. 18. qui dicebat, ſi mihi quis duas vias monſtraret, alteram ad infernum du-

num ducentem; alteram ad tribunal, multò libentiùs ingrederer eam, quæ rectà ad infernū tenderet. Iudicium deſperati, en duæ viæ monſtrantur hodie, vna, ab eis qui præcedunt Chriſtum, altera qui ſequuntur Chriſtum, ſed quia omnes laudant Dominum, neuter ad infernum, neuter ad tribunal durum venit, ſed ſapientiam ipſorum narrant populi, & laudem eorum nunciat Eccleſia. Ad conſequendam laudem de actibus hæroicis quam ardua homines attentant, omnia, ſe & ſua nihili penſant, vt meritò quidam militem pugnantem cum dracone efformauerit, dixeritq;: *Ardua per præcepi gloria vadit iter.* Ad conſequendam verò laudem veram in cælis, quâ fruuntur cum gloria Angeli vix aliquis reperitur, ipſa plebs, & pueri gloriam Chriſto dabant: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* In creatione mundi dicit ſcriptura: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Nunc verò in reformatione & recreatione mundi, quod ea quæ nobiliora in terris fecerat, vidit valde mala; rarus tamen adfuit qui cum Apoſtolis, pueris hebræorum & turba præcederet Chriſtum vel ſequeretur illum. Verificabitur ergò illud Prou. 16. *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, impium autem in diem malum.* Quia fungendo liberi arbitrij munere ſuâ voluntate cecidit, & à recta ratione deflectēdo, multa ſcelera commiſit. Quocircà Chriſtus ad faſciculum tritici addidit decretum, ſeruate in horreum, ad zizania verò colligite ad comburendum.

Gloria mundi per ardua.

IN COENA DOMINI.

Vos vocatis me Magiſter & Domine. *Ioan: 13.*

QVARE IESVS MAGISTER VOCETVR?

QVia docet nos exemplis & verbis. Act: 1. *Cœpit facere & docere.* Vt verò doceat perfectius, ſe nobis exhibet ceu librum legendum. Apoc: 5. *Vidi in dextera ſedentis ſuper thronum librum ſcriptum intùs & foris & ſignatum ſigillis ſeptem.* Iſte liber eſt IESVS Chriſtus, ille enim ſedet ad dexteram Patris, intùs ſcriptus literis multiplicis bonitatis; extra multiplicis aſperitatis, flagellis, ſpinis, clauis, lanceâ, ſigillis ſignatus ſeptem, quia ante ſæcula prærordinatum fuit, filium Dei naſci, circumcidi, mori, ſepeliri, reſurgere, ad cælos aſcendere, & inde ad iudicium redire; ſex aperta iam ſigilla vltimum aperietur.

Nota tria in iſto Magiſtro principaliter

paliter. 1. Exhibet exemplum admirandæ humilitatis, vt legitur in Euangelio: *Si ego Dominus & Magiſter laui pedes veſtros. &c.* 2. Cum diſcipulis Paſcha facit eximiæ charitatis. Et ipſe nobiſcum tunc Paſcha manducat quando ei cor noſtrum in igne ſuæ paſſionis aſſum per martyrij deſiderium proponimus ad edendum. 3. Vocat nos vocatione quadriformis vtilitatis. Ioan. 11. Martha dicit Mariæ: *Magiſter adeſt & vocat te.* Hoc eſt: Vocat animam primò vt operetur. Cant: 2. *Surge propera, &c. amica,* per charitatem. *Columba*, per ſimplicitatem. *Formoſa*, per caſtitatem; ſurge à lecto corporis; *propera & veni,* vt opereris, hyems inertiæ receſſit, tēpus putationis & laboris aduenit. Secundò vocat, vt in ipſo ceu in libro meditetur. Cant. 2. *Surge propera amica mea, ſpecioſa mea & veni columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ oſtende mihi faciem tuam.* Foramina petræ, vulnera pedum manuum Domini, cauerna eſt oſtium lateris, ibi tranſlata anima meditetur vt columba, Tertiò vocat, vt coronetur. *Veni de libano ſponſa mea veni.* Anima quæ es in Libano per cordis puritatem corporis caſtitatem, veni, per fidem, ſpem, charitatem, *Coronaberis* coronâ gloriæ & ſerto exultationis. Quartò vocat, vt ſecum delicietur. *Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa, meſſui myrrham cum aromatibus, comedi fauum cum melle, bibi vinum cum lacte meo.* Anima quæ mihi cohæres eris vt ſoror & ſponſa mea: Veni in hortum deliciarum, meſſui myrrham. Congregandi electos qui propter me paſſi ſunt, qui odorem mundo dederunt, exhibeo illis fauum diuinitatis meæ cum melle humanitatis, bibo cum illis vinum exultationis, cum lacte maternæ conſolationis.

Vocatio Chriſti.

ANNOTATIONES.

Pro Magiſtro.

MAgiſtrum vocabant Chriſtum Apoſtoli, non ex aliquo fauore & affectu ſed verè, magiſter enim erat ſuper omnes magiſtros, ideò adiungit. *Sum etenim.* Vnde Chryſoſt. Iudicium illorum aſſumit, non gratiam. *Origenes*, ſic eum vocant, quia in eis non nequitia dominabatur, ſed Verbum Dei. Profeſſio quaſi erat eius docere. Vnde verè Magiſter & Profeſſor dici merebatur. Magnus enim erat ſapientiâ & poteſtate. De ſapientia ad Coloſſ. 2. *In ipſo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei abſconditi.* Et Matth. 22. *Magiſter ſcimus quia verax es & viam Dei in veritate doces.* Eſa. 50. *Aperuit mihi aurem vt audiam eum tanquam magiſtrum:* De potentia verò. Quia 20. Ioan. dicitur. *Dominus meus & Deus meus.* Apoc. 19. Habet in veſtimentis & femore ſcriptum. *Rex regum & Dominus Dominantium.* Benè ergo, reuerenter & verè, dixerunt, vocando eum Magiſtrum & Dominum. Et dignus plagis qui id de Chriſto negauerit. Athenienſes ita erant ſuperſtitioſi, vt Atarbem eò quòd paſſerem Æſculapio ſacrum ad necem verberaſſet, ad necem adiudicarent.

Chriſtus verus Magiſter.

Chriſtus verus Dominus.

Paſſer. Sacer.

rent. Neq; in hoc rationem imprudentiæ & inſaniæ recipiebant, ſed omnibus ſacra Dei præſeferebant. *Ælianus lib. 5. cap. 17.* Sunt hæc ſacra Chriſti. Magiſterium & Dominium. Dicit enim. *Docete omnes gentes baptiſantes eos*, vt Magiſter. Et in cœlos aſcendendo legitur, *poſtquam Dominus IESVS &c.* Legitur Abac. 2. *Scribe viſum & exara eum ſuper tabulas vt percurrat qui legerit.* Id eſt, vt ſine difficultate intelligat. Talis eſt Magiſter noſter, ſcripſit nos in manibus ſuis, capite, latere, pedibus, & qui percurrit & vidit crucem eius, legit facile, quod Chriſtus paſſus eſt pro homine, verus Meſſias, Deus & homo. *Humiliauit ſemetipſum factus obediens.* Videte ergò & credite, atq; exemplum ex exemplari dilectionis, humilitatis, obedientiæ, Sacramentorum, pœnitentiæ, ſumite.

Pro Paſcha Spirituali Nota. Cor ad eſum prohibitum in lege veteri. Quid cauſæ! Arbitror, quia in corde eſt vita principaliter, nam primum viuens & vltimum moriens aſſignauit Ariſtoteles. Noluit Deus vt homo in aliquo alio poneret vitam, niſi in ſolo Deo. Hoc cor, in quo eſt vera vita, maſticandum nobis eſt, nec aliud comedendum ob conſeruandam vitam. Iſidorus de ſum. lib. 3. cap. 49. In propoſito regis ſeu rectoris eſſe debet, nunquam deuiare à veritate, quod ſi caſu titubare contigerit, mox reſurgere oportet. Docet, quod in ipſa veritate Deo, ſit manendum, quia ille vita ille via eſt. Paſcha apud Deum eſt inquit B: Abl: Mag: deſiderium pati & mori pro Chriſto. Cibus Paſchalis, cor aſſum igne paſſionis eius, ſuſpiria deſiderabilia ſunt azimus panis, potus delectabilis lachrymæ amantis. Neque te moueat, quòd Paſchalia hæc dixerimus. Nam clamans, ipſius deſiderium cor eſt hominis. *Fili præbe mihi cor tuum.* Nec ad aliud quàm ad cibum delicatiſſimum. Sicut enim Angelus redux Tobiæ dicebat, *Ego cibo inuiſibili vtor.* Ita Sanctiſſima Trinitas, vtitur corde hominis in delicijs quas ipſe ſibi delegit. Quocirca D: Aug: Cùm Deus coronat merita noſtra, non aliud coronat niſi dona ſua. Vult omnia noſtra vt ſint eius, & quæ ſunt eius, ſint proportione quadam, & noſtra. Docebat quidam. Virtuti nil inuium. Quod ſit tam potens eſt virtus, vt nullo terreri & retineri poſſit; quantæ velim potentiæ erit præmium Dei quod huic præparauit. Si delectabatur in mandatis Dei quæ dilexit nimis Dauid, delectabitur & Deus pientiſſimus nobis, in corde noſtro, quoniam illud dilexit nimis. Inſere igitur pectori tuo, quod Deum colendo cuncta facies protinus, & à Deo tuo, cuncta recipies benignius.

Pro vocatione ad meditandum vt in libro. Nota. Summa vis in vocatione Principum, vix enim ſibillum ceu vocis initium & murmur ſentiunt aut nutum digitti attenderunt, & mox cuncti mouentur &

præſto ſunt. Vocationis diuinæ ſibillus nedùm authoritatem regiam ſed dulcedinem habet, vt quemq; etiam ſopore preſſum excitare potens maneat. Samuel Propheta poſtmodum dormiebat grauatus ſopore, audiuit loquentem ad aurem Dominum, ſurrexit celerauit & dixit. *Ecce ſum* Remiſſus ad eum qui ſibi demulcerat aures, & audiuit miranda Dei. Quid ſi non ad corporis autem ſed ad aurem animæ vox directa fuiſſet Dei, qui puerulus non feciſſet? Superaſſet Danielem vel norma ipſius eſſet. Vocat igitur animam Deus ad meditandum in ſe, ceu in libro quodam intus & foris deſcripto. Liber eſt in cruce extenſus, liber fuit in templo docens, liber productus omnem Philoſophiam ſuperans, ex virgine illæſa naturam humanam educens. Pſ. 118. *In corde meo abſcondi eloquia tua.* Abſcondi vt rem pretioſam, neceſſariam, beatificantem. Greg: Hom: 15. Verba Dei, quæ aure auditis, corde retinete, cibus enim mentis eſt ſermo Dei: & quaſi acceptus cibus ſtomacho languente reijcitur, quando auditus ſermo in ventre memoriæ non tenetur; Sed quiſquis alimenta non retinet, huius profectò vita deſperatur. Vt ad meditationem accendamur ex verbis Pſal: 38. *Concaluit cor meum intra me & in meditatione mea exardeſcit ignis*, adducit D. Aug. Sunt quædam Sanctæ deliciæ in libris, ſunt gaudia ſpiritualia ex diuinis eloquijs ſcrutatis & inueſtigatis, ex dulcedine inuentionis quam præceſſit labor inquiſitionis. Chriſtianus homo debet eſſe ſimilis animalibus, quæ quia ruminabant munda dicebantur. Quando legis vel audis, manducas, quando inde cogitas, ruminas, & ſis animal mundum, & ruminando delectaris. Diuerſis in regionibus ſunt lapides qui vt lucernæ igne conſumuntur & lucent, aliqui verò ceu carbones accenduntur & pro lignis ſeruiunt. Dandum eſſet illis lemma. *EXARDESCIT IGNIS.* At ſi meditationi ardenti hæc comparanda veniunt, tepeſcunt omnia. In ea enim tantus calor, vt hyemis aſperitas cædat, ſicut de S. Heduigi Regina dicitur, quod in loco orationis & meditationis eius, pediſſequæ recalleſcerent. Tanta leuitas acquiritur, quòd pondus terrenum ſuper aera firmetur. S. Dominicus Patriarcha Ord. Sac: Præd. in oratione & meditatione ſubleuabatur in aëra. Tanta reuerentia, vt meditantem diuina, Angeli ad Sydera eleuent. Teſtis Maria Magdalena, quæ multoties in die ſupra montem pœnitentiæ eleuabatur ab Angelis, ob reuerentiam vitæ Angelicæ poſt pœnitentiam & Chriſti vocationem. Quocirca Demetriadem Virginem hortabatur D. Hieron: Ama ſcripturas Sanctas & amabit te ſapientia; hæc monilia in auribus & in pectore tuo hæreant.

Pro vocatione ad oſtium lateris. Nota. Iob. 14. *Vocabis me, & ego reſpondebo tibi.* Non eſt ſuauior vocatio,

quàm

quàm ad oſtium lateris. Si quis enim introierit per iſtud oſtium, ſine dubio ſaluabitur. Accede igitur vocatus & reſpondeas optatæ intentioni Dei. Non venias ad iſtud oſtium, vt iterum ferias, nam diſſipat impios rex ſapiens (vt Prou. 20. dicitur) & incuruat ſuper eos fornicem, ſed accede, vt in latere ipſius domicilium conſtituas, & per oſtiū tale, ad beatitudinem peruenias. Vnde cùm oſtium lateris Chriſti conſpicis, ſedulò contemplare, non aliud eſſe, quàm delicias animæ, ambroſiā & fauum nectare plenum. Ad oſtium Rex Aſſuerus. Eſter 6. Vt ſenſit quendam adeſſe, ingredi ipſum juſſit, & quæſiuit. Quomodo honorabitur quem rex voluerit honorare. Et datus eſt honor ille Mardochæo. Ita ſtanti ac contemplanti oſtium lateris Chriſti, extemplo paratur illi atq; tribuitur perennis honos. B. Iacobum de Beuania Ordinis Sacri mei fœliciſſimum comprobatorem dicti offerro, qui dum ad imaginem crucifixi oraret, atq; in oſtio lateris cor & rationem conſepeliret, profluxit è latere ſanguis in faciem eius, teſtimonium hoc præbens. In ſignum prædeſtinationis. Dicitur Pſal. 18. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua? Super mel ori meo.* Equidem B. iſte cognouit, quod dulcia fuerunt eloquia Domini ſuper mel ori eius, cùm tam miraculoſo ſanguine aſperſus & inter beatos conſcriptus fuiſſet. Nam de melle cœli, melluit, de lumine cœli, luminoſus apparuit. Vt dicebat D. Aug: lib. 9. Confeſſ: cap. 4. Vocatio hæc rectè coronatio dicetur, nā ad coronationem vocati non veniunt, niſi à lateris Chriſti oſtio, ſuſcipiantur, & tranſmittantur.

Pro vocatione ad delicias, Nota. Finis proportionatur principio. Si vocationes præcedentes ad delicias erant, hæc vocatio erit ſuccus & terminus deliciarum. Vocat ad delicias ſuas animas noſtras Deus, quas non eſt lingua ſufficens enarrare, ratio concipere. Delicias hominis, dicit Chryſoſt: lib. 6. de ſacerd. in ſumptione Sacramenti Euchariſtiæ has eſſe. Qui ſummunt corpus Domini emigraturi de corpore mundâ conſcientiâ, more ſatellitum eos ſtipant Angeli, & ipſa anima virtute corporis Chriſti ab eiſdem ſubleuatur in cœlum, & tanquam leones ignem ſpirantes fiunt diabolo terribiles. Quod ſi præſens ſub ſpeciebus Sacramenti Deus in hæc gaudij & deliciarum genera deducunt hominem, quàm ſpecioſus & magnificus erit animæ præſens in ſua eſſentia Deus. Erit fons deliciarum, origo gaudiorum in æternas æternitates. Tantas & tales delicias vt inſinuaret Chryſoſt: Hom: 2. in Matth: dicit de Chriſto. Natus eſt ſecundùm carnem vt tu naſcereris ſpiritu, natus eſt ex muliere, vt tu deſineres filius eſſe mulieris. Hæc erant ex parte Dei indicia, ex quibus homo elicere clariſſimè poſſit, quod ipſi inenarrabiles Deus præparauerit in cœlis delicias

delicias, quæ millies mille modis ſuperarent quaſcunque humanas & tranſitorias. D. Aug. lib: 4. Conf. cap: 1. Quid ego ſum Domine, cùm mihi benè eſt? Sum ſugens lac tuum ac fruens te cibo, qui non corrumpitur. Ponam in medium alterum ſignum ſummæ dulcedinis, & deliciarum cæleſtium; ex Tertulliano dicente de reſurrectione carnis. Caro abluitur, vt anima emaculetur: caro vngitur, vt anima conſecretur: caro ſignatur, vt anima muniatur: caro manus obumbratur impoſitione, vt anima ſpiritu illuminetur: caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, vt anima de Deo ſaginetur. Vide quæ pro anima facit Deus in via peregrinationis, quàm ergo incredibilia illi retribuet in gloria æternitatis? Delicias ſuas dixit eſſe cum filijs hominum, ideò ad tales ac tantas delicias non Angelos ampliùs vocat, ſed homines. Beatus ergò qui creaturis valedicit, naturæ vim facit, concupiſcentias carnis feruore ſpiritus refrenat, audiet namq;: Voca operarios & redde illis mercedem, vt mecum ſint & delectentur.

IN DIE S. PASCHÆ SERMO PRIMVS.

Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, itaque epulemur in azymis ſinceritatis & veritatis.

Notat B. Albertus Magn. Agnus typicus, quem olim Iudæi cum azymis & lactucis agreſtib⁹ comedebant, Paſcha vocabatur. Vnde diſcip. Matth: 26. *Vbi vis paremus Paſcha?* Et Chriſtus: *Deſiderio deſideraui manducare Paſcha vobiſcum.* Luc: 22. Apoſtolus verò hoc loco paſcha appellat Ieſum Chriſtum. Ipſe enim eſt verus agnus, quem in figura obtulit iuſtus Abel, ſanctum ſacrificium, immaculatam hoſtiam. Ipſe eſt agnus; de quo dicit Iſa 53. *Quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet.* Dicit ergò Apoſtolus, itaque hoc Paſcha epulemur in azymis ſinceritatis, quantum ad dulcem affectionem, & veritatis quantum ad bonam operationem. Notat 2. Ad eſum agni typici multa requirebantur, quæ ſpiritualiter intellecta à nobis etiam requiruntur, qui verum agnum Ieſum Chriſtum ſacramentaliter mãducamus. Primum requirebatur, vt aſſumeretur agnus abſque macula, maſculus anniculus. Vt Exod: 3. Innuebatur quod non per fæminam,

nam, ſed per Ieſum maſculum de B. V.M. immaculatè conceptum & natum, & ſine omni maculâ tam originali quàm actuali exiſtentem, ſaluari nos oportebat. Et cùm annus per duodecim menſes labatur, & menſis dicatur à mene, quod eſt defect9, præterea agnus ille anniculus, ideò Chriſtus ſuſcepit 12. pœnalitates noſtras. Verè eſuriuit, ſitiuit, frigus & æſtum patiebatur, doluit & mortuus eſt.

Secundum requirebatur, quod Exod: 12. dicitur: *Hæc eſt religio Phaſe, Omnis alienigena nõ comedet ex eo.* Quo innuitur, quod qui per excommunicationem ſequeſtrati ſunt ab Eccleſia & conſortio fidelium, vt Ethnici & publicani non debent accedere ad communionem corporis IESV Chriſti, aliter peccant mortaliter.

Tertium requirebatur, vt Ex. 12. Si quis circumciſus non fuerit, non veſcetur ex eo. Innuitur quod Chriſti corpus ſumpturi debent circumcidere cor, linguam & manum. Cor à veneno rancoris & odio, linguam à periurio & turpiloquio, manus à malis operibus & immundis attactibus.

Quartum requirebatur vt dicitur ibidem: *Renes veſtros accingetis.* Innuitur corpus Chriſti ſumpturi, renes in quibus eſt ſeminariũ luxuriæ, accingere debent cingulo caſtitatis. Qui cingulus conficiendus eſt ex fune, quo erat ad columnam ligatus. Vnde 12. Iob: Baltheum regum diſſoluit & præcinxit fune renes eorum h. e. iactantiam corporalis fortitudinis diſſoluit, & fune ſpiritualis roboris, renes electorum, caſtitate, præcinxit.

Quintum requirebatur, vt calceamenta in pedibus habeant. Exo. 12. Sumpturi Domini corpus, corio recordationis ſuæ mortis, & exemplis ſanctorum, pedes affectuum ſuorum munire debent, contra auaritiam & inquinamenta ſæcularia.

Sextum requirebatur. Tenentes (inquit) baculos in manibus, hoc eſt; Recordare debent, quòd ſint peregrini & aduenæ ſuper terram, & quod baculum ſanctæ crucis oportet eos in manibus operationum deportare.

Septimum requirebatur. Vt comederet cũ feſtinatione, id eſt: ardore ſancti deſiderij ſumere Chriſti corpus debent. Qui enim ardenter eſurit, comedit feſtinanter.

Octauum requirebatur. Quod os ex eo non confrigeretur. Id eſt non nimis ſubtiliter debent de Sacramento perſcrutari, ſed ſimplici fide oportet eſſe contentos. Perſcrutator enim maieſtatis opprimetur à gloria. Os enim confringit qui vult ad medulam peruenire. Hoc ad plenum hîc nõ poteſt fieri. In patria verò bibemus medulam atque fruemur.

Nonum requirebatur. *Non efferretis de carnibus foras.* Innuitur, quod nil de ſacramento debet efferri de Eccleſia in ore vel peplo, quòd multoties

toties mulieres condemnandæ à Deo fecerunt.

Decimum requirebatur. Aſſas igne carnes edent, hoc eſt, non coctas. Innuitur, quod non aquâ luxuriæ feruẽtes, ſed igne Spiritꝰ ſancti & charitatis ardentes accipere debent corpus Domini.

Vndecimum requirebatur. *Non comedetis ex eo crudum.* Exprimitur quòd ſaltem ſine deuotione mentali nullus hoſtiam accipere debet: Crudum quaſi ſumit corpus Domini, qui non aſſum prunis deuotionis ſumit.

Duodecimum requirebatur. Caput cum pedibus eius & inteſtinis vorabitis: Hoc eſt, communicaturi fidem integram de diuinitate & humanitate Chriſti debent habere. Quaſi enim caput tantùm manducat, qui credit ſolùm diuinitatem; & pedes quaſi manducat, qui credit ſolùm humanitatem. Caput verò & pedes ſine inteſtinis manducat, qui infirmitates eius & miſerias confiteri formidat, ſicut quidam hæretici qui credebant Ieſum ſine dolore paſſum, ſicut ſagitta traijcitur per aërem.

Tredecimum requirebatur. Vt ſi quid reſiduum fuerit igne comburerent. Id eſt ſubtilitates fidei, quæ ſupra nos ſunt, igni Spiritus S. quem Dominus venit mittere in terram, debemus committere.

Quartum decimum requirebatur. Vt edant azymos panes cùm lactucis agreſtibus Id eſt, ſine tumida conſcientia, & fermento, communicaturi, puri, humiles, contriti amaritudine veniant.

Quintum decimum requirebatur. Vt in plenilunio hoc, eſt 14. luna comederent agnum. Id eſt, non pueri accedant ad Sacramentum, ſed quibus eſt quaſi luna plena; id eſt, quorum fides & ratio à vero ſole ſufficienter illuminata Chriſto.

ANNOTATIONES.

PRo annotatione primâ B. Albert. Magni, juuat D. Leonis Papæ ſermo decimus de Quadrageſima. Dicit enim. Inter omnes dilectiſſimi dies, quos multis modis honorabiles habet Chriſtiana deuotio, nullus eſt excellentior feſtiuitate Paſchali, per quam in Eccleſia Dei vniuerſarum ſolennitatum dignitas conſecratur. Siquidem etiam ipſa Domini ex matre generatio fuit impenſa huic Sacramento: nec alia fuit Dei filio cauſa naſcendi, quàm vt cruci poſſet affigi. In vtero enim virginis ſuſcepta eſt caro mortalis, in carne mortali completa eſt diſpoſitio paſſionis, effectumq; eſt ineffabili conſilio miſericordiæ Dei, vt eſſet nobis ſacrificium redemptionis, abolitio peccati, & ad æternam vitam initium reſurgendi. Conſiderantes verò quid per crucem adepta eſt vniuerſitas mundi, meritò ad celebrandum Paſcha 40. dierum jeiunio præparamur. Hæc ille. Erit igitur dies Paſchæ inter ſacros Eccleſiæ dies, ceu quædã nobiliſſima gentiliũ arma, adornata præcioſiſſimo encomio, &

mio & ſculpto. In exemplo, Prouincia Barij in Regno Neapolitano, vbi etiam Ser: Rex Poloniæ poſt fælicis memoriæ Reginæ Bonæ deceſſum ſucceſſionem retinet, habet talia arma: Scutum in quatuor partes ſectum, vbi duo campi ſunt nigri coloris & duo albi, diſponuntur in formam crucis, per medium nigrorum eſt paſtorale ſeu Epiſcopale exaratum inſigne. Decus profectò eximium armorum. Ita & dies Paſchæ, eſt dierum aliorum ornamentum decus & miſeriarum terminus. Vnde Apoſtolus. *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Itaq; epulemur in azymis ſinceritatis & veritatis.* Eſt etiam ceu oſculum Patris cum filio dies ſacer Paſchæ, de quali oſculo 1. Reg. 14: *Dixit rex Abſaloni: Reuertatur in domum ſuam & faciem meam non videat.* Et permanſit biennium, donec noua interceſſione Rege moto vocatus eſt Abſalon & intrauit ad Regem & adorauit ſuper faciem terræ coram eo, & oſculatus eſt Rex Abſalon. Poſtquam enim Chriſtus in horto adorauit ſuper terram Patrem, poſt quam in cruce dixerat: *Deus Deus meus, vt quid me dereliquiſti.* In die reſurrectionis oſculatus eſt Pater filium & victorem ſedere à dextris fecit. In cuius ſenſum de Chriſto Agno D. Aug in ſermone de reſurrectione Domini. Ipſe adiudicatus eſt vt agnus, & occiſus veluti ouis, ab Ægypto nos redemit & ſaluauit nos de manu diaboli, quaſi de manu Pharaonis: & cōſignauit noſtras animas proprio ſpiritu, & membra cordis noſtri ſuo pretioſo ſanguine. Hic eſt qui confuſione mortem induit, & diabolum in planctum conſtituit: hic eſt qui iniquitatem percuſſit & iniuſtitiam, ſicut Moyſes Ægyptum ſterilitate damnauit. Hic eſt qui nos de ſeruitute eripuit ad libertatem, de tenebris ad lucem, de morte ad vitam, de tyrannide in regnum ſempiternum. Quocircà Diu. Leo Papa in Epiſt. Decretalium. 63. dicit Paſchaſius Epiſcopus Lilybetanus. A paſſione Paſcha nomen accepit, licet tradant interpretes linguæ Hebrææ Paſcha tranſitum dici de Ægypto. Hinc Io. 13. *Cùm veniſſet hora vt tranſiret Ieſus de hoc mundo ad Patrem.*

Pro ſecunda Notatione B. Alb. Magni Nota. Deut. 16. *Tribus vicibus per annum apparebit omne maſculinum tuum in conſpectu Domini Dei tui.* Erat verò vna dies ex illis apparendi dies Paſchæ. Quocirca & Chriſtus, licèt legi non ſubiacebat, tamen ne contrarius legi videretur, apparebat adimplendo legem in conſpectu Domini. Deferunt pro inſigni Principatus Citrenſis Indicem horologij quatuor alis aquilinis expanſis ventilatum. Ita Dominus Ieſus obſeruando legem deducebat celeriter vltimum terminum obſeruationes legales, vt ſuas inchoare nos didiceret, nos in conſpectu Dei debere apparere non tribus vicibus in anno ſed omni die, horâ, momento. De quo Pſ. 16. Prouidebam Do-

minum

minum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi ne commouear. Ionathas pugnando cum Philiſthæis laſſus, inuento melle & guſtato refocillatus eſt. 1. Reg. 14. Qui inuenit panem Angelorũ mel inuenit, medicinam inuenit, robur inuenit. D. Ambr. de Sacram. Qui vulnus habet medicinam quærit. Vulnus eſt quia ſub peccato ſumus, medicina eſt cæleſte & venerabile Sacramentum.

Pro Primo requiſito ſpirituali. Nota. Conditiones non modicæ: Agnus ſit ſine macula, maſculus anniculus. Profectò ſi ſignificatum conſiderabimus, non potuit fieri ex hominibus niſi Chriſtus. Alij omnes maculati originali peccato, magis capri quàm agni, cùm procliues ſint ad peccandum à natura, in anno, quis vſus rationis apud nos? Chriſtum requirebant hæ conditiones. Rectè dictum eſt de alijs ad Philip. 3. Omes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Ieſu Chriſti. ô ſi videret tempora moderna, quid diceret? Verificatur illud D. Bern. ad Eugenium. Circuit ſedulus explorator, blanditur, obſequitur, manibus & pedibus reptat, ſi quomodo valeat ſe ingerere in patrimonium crucifixi. Exhibet laborem vt bos, ſimulat ſanctitatem vt ouis. Dona appendit pro columbis, & aliquando numulariorum exhibet marſupium. Non igitur eius potuit eſſe agnus iſte niſi Chriſtus, nã alij fæminæ ſunt ob comptas veſtes; alij ob vitam immũndam capri. Perpulchrè Aug. de Chriſto Hõ. 11. ſuper 4. Matth. *Ductus eſt Ieſus in deſertum.* Cùm inimicus Dei Filium tanta mirabilia facientem videret, voluebat ſecum vt arbitror atq; admirans dicebat: quis eſt iſte, qui me neſciente ingreſſus eſt mundum? ſcio quidem quia de fæmina natus, ſed neſcio vnde conceptus eſt. Aſtat ecce mater, ſed patrem inueſtigare non poſſum: partum video, ſed non agnoſco naſcentem: & quod ſtupori meo accreſcit, inconſueta lege pariendi, etiam edito filio mater reſultat vt virgo. Cùm iacet in cunabulis paruulus, ſuffundit lachrymis vultum, ſimilemq; ſe eſſe mortalem vagitibus prodit. Audio quæ ſuſtinere non poſſum, homo natus honoratur vt Deus.

Pro ſecundo requiſito Nota. Dicitur Pſal. 92. *Domum tuam decet ſanctitudo.* Vnde indignus & alienigena & repulſus ad eam non intrabit. *Intende ad viſitandas omnes gentes & non miſerearis qui operantur iniquitatem.* Pſal. 58. Etſi Ethnicus vel excommunicatus eſt ille alienigena. De vltimo Greg: in Regiſt: libr. A nullo debet ſuſcipi quem Romana depellit Eccleſia. Eſt Capitanata prouincia in Regno Neapoli, quæ pro inſigni defert Angelum gladio ferientem draconem. Profectò ita inſidiatur excommunicatus eccleſia donec redierint ad pœnitentiam. Tam enim eſt atrox excommunicatio quam fuerat primis parentibus

tibus atrox Angelus è paradiſo eijciens primos parentes noſtros. Dicitur Ezech. 44 *Poſuiſtis cuſtodes obſeruationum mearum in ſanctuario meo vobiſmetipſis.* Puta, in maledictionem & peſſundationem veſtram. Vnde etiam Iob: 36. *Cauſa tua quaſi impij iudicata eſt, cauſam iudiciumq́; recipies.* Sed quouſq; Domine in hoc carcere detentus fuero? Cùm ingemueris tunc ſaluaberis. De clementia reliquit quidam Hiſtoricorum: Clementia Iulij Cæſaris & Caroli V. erat æqualis, & fortaſſis in Carolo maior fuit. Et ſic verum eſt. Quo quiſque eſt maior, magis eſt placabilis iræ. Sed nullus clementior Deo & Saluatore noſtro Ieſu Chriſto. Dixiſti peccaui; & ille dicit: Remittuntur tibi peccata tua.

Pro tertio requiſito Nota. Satis clarè docuit talem Circumciſionem Apoſtolus 1. Corint. 5. dum dicit: *Scripſi vobis non commiſceri, ſi is qui frater nominatur inter vos eſt fornicator aut auarus aut idolis ſeruiens aut maledicus aut ebrioſus aut rapax cum huiſmodi nec cibum ſumere.* Tam verò neceſſaria eſt circumciſio carnis ſpiritualis, vt Seneca Epiſt. 12. dixerit. Multis ſeruiet, ſuo qui corpori ſeruiet, huius nimius amor, nos timoribus inquietat, ſolicitudinibus onerat, & contumelijs obijcit. Non talem retrahet honor regius, non dignitas Cæſarea; ſed percutiet maxillam iudicis Iſraël, vt dicitur Micheæ 1. Apemen ducitur in exemplum, de qua 2. Eſdræ, cap. 4. Erat concubina regis ſedens iuxta regem ad dexteram, auferebat diadema de capite eius, & ſibi imponebat & palmis cædebat regem manu ſiniſtrâ. Ecce ad quam ignominiam deducit non circumciſio manus, incircumciſum cor & lingua. Vnde Hieron: in Epiſtolis: Quocunq; pergimus, nobiſcum inimicum portamus. Et Ariſt. Politic. 1. In prauis ac malè diſpoſitis corpus dominatur animæ. Igitur peruigili aure audiamus quod Hierem. 4. dicitur: *Circumcidimini viri Iuda, & auferte præputium cordium veſtrorum.* Nam circumciſio Chriſti eſt noſtra inſtructio.

Pro quarto requiſito. Nota. D. Auguſt. in Pſal 92. ſuper verba: Præcinget ſe virtute, inquit. Nos cingimur ad operandum, ſuccingimur ad ambulandum, accingimur ad pugnandum, præcingimur ad miniſtrandum. De 1. Iſa. 11. Erit iuſtitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius. Quia non benè operatur cuius lumbi per fluxum defluunt, nec benè accepta eſt Deo operatio, in qua delectamenta carnalia fides non reſtringit. De 2. Pſal. 44. *Accingere gladio tuo ſuper femur potentiſſimè.* Gladius enim verbi Dei peccatores tranſuerberans femur præmit, quando in nobis illecebras occidit. Ita B. Paulus *Caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo.* 1. Cor. 9. De 3. Petri 1. *Propter quod ſuccincti lumbos mentis veſtræ, ſobrij, perfecti ſperate in eam, quæ offertur vobis gratiâ.* Et ad Epheſ. 6. *State ergo ſuccincti lumbos*

bos veſtros in caſtitate, præparati ad iter cæptum in profectu meritorum. De præcinctione verò Iob: 12. dicitur Baltheum regum, &c. Hoc eſt, in miniſtris ſuis ſæculari pompâ, depoſita aſperitate & humilitate præcinctus illis miniſtrat. Sic fecit Chriſtus, ideò in gloria indutus decore corporis, dum Angelorum & beatorum ſibi decorem adhibuit. Sed quod attinet præcinctionem renum, illa perſuadet Innocentius de vilitate conditionis humanæ ſcribens: ô extrema libidinis turpitudo, quæ non ſolùm mentem effæminat, ſed corpus eneruat; non ſolùm maculat animam ſed corpus & perſonam fædat: Et Hieron. in quadam Epiſt. ô ignis infernalis luxuria, cuius materia gula, cuius flamma ſuperbia, cuius ſcintillæ praua eloquia, cuius fumus infamia, cuius cinis inopia, cuius finis gehenna! Tali cingulo ab Angelo præcinctus fuerat Diu⁹ Thomas Aquinas, dum ſuperauit dæmonis inſultus & fæminæ malitiam titione Hinc Iſa. 5. *Non ſoluetur cingulum renum eius.*

Pro 5. requiſito Nota. Romanorum calceamenta lunulis adornata, indicabant dignitatem & authoritatem nobilitatis antiquæ, atq; plurimis trophæis exornatæ. Sed maioris myſterij atq; documenti erant calceamenta Iudaica, in quibus Phaſe conſumendum fuerat. Repreſentabant namq; Chriſtum mortuum, in merito totius generis humani, cuius mors Chriſtianorum ſpes, & recordatio ipſius, eſt medicina animæ à peſtifero morbo. Illa recordatio ſerpentis in deſerto & aſpectus vim tenebat curandi corpora à vulneribus, ſed quia figura erat mortis Chriſti & crucis, iam quid altiùs figuratum tenebit, curabit ſcilicet animas ab inferis. Vnde monendo B. Bern. dicit: Attendite me pendentem in cruce, caput inclinatum ad te ſalutandum, os clauſum ad te oſculandum, brachia extenſa ad te amplexandum, manus perforatæ ad tibi largiendum, pedes affixi ad te expectandum. Campaniæ fælici, quam nũc Prouinciam vocãt Neapolitani Lauoro, adnotata fuit tali ſymbolo & inſignijs: Duo Cornucopia plena varijs ariſtis, fructibus & plantis in crucem diſpoſita corona regalis adornat & conſtringit: ſi licebit ad noſtrum propoſitum hæc deducere, talia inſignia magis exprimunt fæliciſſimam & ineffabilem Chriſti paſſionem, omnia enim bona quibus etiam Angeli in cælis fruuntur, nobis contulit; imò ipſius ſedula recordatio hîc nos Beatos & in æternitate coronatos & glorioſos efficit. Quare D. Aug. ſuper Ioannem: Fratres vt à peccato ſanemur, Chriſtum crucifixum intueamur: quomodo qui intuebantur illum ſerpentem, morſibus non peribant ſerpentium: ſic qui intuentur fide, mortem Chriſti ſanantur à morſibus peccatorum. Sed illi ſanabantur à morte ad vitam temporalem, hi vero

hi vt habeant vitam æternam. Hoc enim intereſt inter figuratam imaginem & rem ipſam, figura præſtabat vitam temporalem, res ipſa cuius figura erat præſtat vitam æternam.

Pro 6. requiſito. Nota. Talem conditionem peregrinationis exẽplificauit Chriſtus in ſeipſo vt Ierem. 14. dicitur. *Quare quaſi colonus.* (alia legit litera) quaſi peregrinus, *Futurus es in terra & quaſi viator declinans ad manendum?* In hæc verba B. Alber. cap. 24. in Lucam. In hac ſpecie omnes ſancti ſe peregrinos efficiunt, quia non ſe reputant hîc habere manentem ciuitatem ſed futuram inquirunt, De quo & Gen. 15. *Scito prænoſcens quod peregrinum ſit futurum ſemen tuum in terra non ſua.* Præcipuè verò accedentibus ad Sacramentum Corporis Chriſti vt peregrini accedere debent iuxta monitum D. Petri 1. 2. *Obſecro vos tanquam aduenas & peregrinos abſtinere vos à carnalibus deſiderijs, quæ militant aduerſus animam.* Ipſa enim crux ſancta tunc deportanda in anima & corpore, vt audire poſſimus. *Hodie mecum eris in paradiſo.* Talem peregrinationem & ſic ſolertes peregrinos deſcripſit D. Maximus Epiſc: Taurinenſis in ſermone Dominicæ Palmarum, dum de Iuda traditore tractat: Ager Chriſti ſanguine emptus eſt peregrinis. Peregrinis inquam qui erant ſine domo, ſine patria, & toto orbe exules jactabantur requies Chriſti ſanguine prouidetur, vt quibus non eſt in mundo poſſeſſio, ijs in Chriſto ſit ſepultura. Iſtos autem peregrinos quos dicim⁹ niſi deuotiſſimos chriſtianos qui renunciantes ſæculo & nihil poſſidentes in mundo in Chriſti ſanguine requieſcunt? Chriſtianus enim qui mundum non poſſidet, hîc totum poſſidet Saluatorem. Ideò autem peregrinis Chriſti ſepultura promittitur, vt qui ſe à carnalibus vitijs tanquam peregrinum & alienum cuſtodierit, is Chriſti requié mereatur. Sepultura enim Chriſti quid eſt aliud, niſi requies Chriſtiani? Hæc ille. Fertur in Franconia ſeruari morem antiquum, vt in diebus quibus majores Litaniæ peraguntur, in ſacris ædibus non ſimul & vnam melodiam, ſed ſinguli ſingulas per choros ſeparatim canunt, ſtant puellæ & adoleſcentes mundiori habitu amicti, frondentibus ſertis caput coronati & ſcipionibus ſaliginis inſtructi, ſacerdotes quàm ſuauius cantare cognoſcunt, ex more veteri aliquot vini conchos dari adjudicant.

Exprimunt hi adoleſcentes cum puellis peregrinos optimos. Illi enim amictu mundiſſimo paupertatis & humilitatis ornati, cœleſtem melodiam concinentes, exprimunt virgis ſuis crucis Chriſti ſignum; illi virtutibus & carnis maceratione coronati, virginea corda & mentes deferunt. Illis nedum à Domino prouidetur vinum & panis quo ſuſtentantur, ſed etiam ſepultura mercatur ſanguine Chriſti. Vnde ad Apo-

Apoſtolos Chriſtus Lucæ 22. Nonne deſuit aliquid vobis, cùm fuiſſetis mecum? Ita peregrinanti S. Dominico cum ſocio, cùm præ inedia ſocius ſancti incedere non valeret, iuſſit eum ſecedere ad quandam inter arbuſta arborem, & portare id quod ibi eſſet. Iuit, attulit, & inuolutum telâ panem mundiſſimum inuenit, comedit, & retulit. Quærenti demum à ſancto: Quis illum panem ibi poſuiſſet? dixit: Vel iterum eſuris? Et ille, non; ſed miror quis ibi depoſuerit talem panem & in tam munda tela? Cui ille: ſi ſatur es, non quæras, ſed Dominum laudes. 1. Pet. 4. Nolite peregrinari in feruore, qui ad tentationem vobis fit.

Pro ſeptimo requiſito. Nota. Videtur eſſe contra politicam, feſtinanter comedere: Canum mos non hominum eſt. Sed exponentes gratiam Dei ſuâ gratitudine, quod eos mirabiliter eduxerit Dominus de Ægypto, feſtinatio neceſſaria erat, quâ explicarent feruorem grati animi maiorum eductorum de captiuitate. vt ſicut citò comedere erat illos neceſſe in captiuitate vt laboribus darent tempora multa, ita ex ſummo deſiderio libertatis datæ poſt mare rubrum, feſtinanter gratias agere debuerant. Attamen quod myſterium Sacramenti Euchariſtiæ attinet, non debet fieri moroſa feſtinatio: quia dicit Apoſtolus 1. Cor. 11. *Probet autem ſeipſum homo & ſic de illo pane edat, & de calice bibat; qui enim manducat & bibit indignè iudicium ſibi manducat & bibit.* Sed feſtinus debet fieri ſpiritus, in ardore deſiderij ſancti. Expoſuit hoc D. Maximus Taurinenſis Epiſcopus, in quo conſiſteret ardoris feſtinatio. *Homil. 3. de Ieiunio.* Rectè ſanè frater frequentabis Eccleſiam, ſi greſſus tuos lethalibus laqueis auida illa non implicet & inuoluat vſura. Rectè orabis Dominum tuum, ſi præcibus tuis obuia tibi cordis tui non obſiſtat inuidia. Rectè contundes manibus pectus, ſi omnem inde furorem malignæ voluntatis excuſſeris. Iuſtè etiam dabis denarium pauperi, ſi alij illum pauperi non tuliſti. Hæc eſt chariſſimi religioſa eſuries, hic fidelium paſtus animarum, vt ieiunium noſtrum ſanctificet caſtitas, ornet patientia, benignitas foueat, miſericordia lætificet, commendet humilitas. *Hæc ille.* Et quia in Sacramento Euchariſtiæ ſumptæ alia ratio eſt, quàm in hominum pane, dicit enim Auguſt. in libro Confeſſ. ex ore Chriſti: Nec tu mutabis me in te ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me: idcirco cum ſancto deſiderio, deuotione humili, oratione feruidâ, reuerentiâ timoroſâ, feſtinandum mente, contremiſcendum corpore, accedere ad altere conuenit.

Pro octauo requiſito. Nota. Dicitur Pſal. 63. *Accedet homo ad cor altum & exaltabitur Deus.* Quaſi diceret, ſcrutamini ſcripturas, myſteria fidei, altum cor, intellectu per-

quirite, cur ergò nunc prohibet oſſa attingere vel minuere ſeu ſcrutari Sacramenti myſterium ſub ſpeciebus panis & vini? At Pſalmiſta, non de altitudine altâ, ſed de profunditate alta intellexit, non enim elatum cor exaltabit Deum, ſed profundum humilitate & ſubiectione cor hominis, exaltationem Dei in ſe conſeruat. Doceant id viri duo magni: Vnus qui dicebat. Matth. 8. *Domine non ſum dignus vt intres in domum meam.* Alter qui lætanter ſuſcepit Chriſtum, dum dicebat illi Ieſus. *Hodie in domo tua oportet me manere.* Laudatur vterq; nam primo dictum. *Non inueni tantam fidem in Iſraël.* Alteri dictum. *Hodie ſalus huic domui facta eſt.* Quo illi meruerunt à Domino tantam gratiam? Humili reuerentiâ & reuerentiali timore. Ille enim, non audet honorando recipere, & ille non audet honorando non recipere. Iob dicebat: *Si voluero me iuſtificare, non potero ei reſpondere vnum de mille.* Ita noſtra iuſtitia nulla ergà dignam ſumptionem Sacramenti corporis Chriſti, ſed ille vocat ad cœnam & compellit beneficijs & gratia ſufficit accedenti quòd ſuadebat Ioſias 4. Reg. 23. Noluit quod fieret Phaſe niſi priùs Iudæa purgaretur ab idololatria. Vnde Chryſoſt. Hom. 5. in Matth. Corporalis cibus cùm inuenit ſtomachum à diuerſis humoribus occupatum, amplius lædit, magis nocet, & nullum præſtat auxilium: ita & ille ſpiritualis cibus ſi aliquem reperit malignitate pollutum, eum magis perdit, non ſuâ natura, ſed recipientis vitio. Ergò non diſcurrere velis, quomodo hic Deus continetur, quomodo anima Chriſti, Deus, & corpus ſumitur: ſed crede, & te humilia.

Pro nono requiſito. Nota. Obtulerat Melchiſedech panem & vinum extra Eccleſiam: addit Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromatum; Melchiſedech panem & vinum ſanctificatum dedit nutrimentum, typum Euchariſtiæ. Efferre & dare ad refectionem ille potuit figuram, ſed nunc figuratum non licet efferre, vel ſi quomodo licet ſacerdoti efferre id ob infirmos tantum, vel ob adorationem & indulgentias cóſequendas. In perſecutione verò Chriſtianorum, licebat domum efferre ad communicandum ſuo tempore, ſed hoc ſpeciali permiſſione Eccleſiæ: ſed cùm malitia creuit hominum, & abuti eiuſmodi Sacramento non horruerunt aliqui, prohibuit demum id Eccleſia. Et hoc eſt quod B. Alb. Magnus adnotabat. Sed dices: Leuitici ſacerdotes etiam offerebant panem & vinum, & non erat in illis tantum myſterium, vt in Melchiſedech pane? Reſpondetur: offerrebant illi non ſimul nec tanquam præcipuam & vnicam ſacrificij materiam, ſed ad holocauſta & victimas addebant certam partem ſimilæ oleo conſperſæ & certam menſuram vini. vt dicitur, Num. 28. & Exod. 23. quæ omnia non erant

erant vna & præcipua pars oblationis. Melchiſedech verò primus fuit, qui incruentum ſacrificium obtulit, panem & vinum, quo ſacerdos in æternum dictus eſt, ideò aliam reuerentiam aliamq; honoris maieſtatem requirit. Hinc Bern. ô ſacrum & nobile conuiuium, Sacramentum Sacramentorum, amor amorum, dulcor dulcorum.

Pro decimo requiſito. Nota. Præcipitur Leuit. 6. Ignis ſemper ardebit in altari, quem nutriet ſacerdos vt non extinguatur, ſubijciens manè ligna per ſingulos dies. Quòd ſermo fuerit non tam de materiali igne quàm de ſpirituali, indicebant verba hæc. *In altari ſacerdos manè.* Ad quid enim in altari iubetur nutriri, cùm in alio loco commodius nutriri poterat, & ſine læſione & ſpurcitia altaris. Et cur ſacerdoti nutriendus iubetur, cùm Leuita hoc potuiſſet facere, vel aliquis mundus puer? Et cur mane ſubijcere debet ligna tantùm, cùm dies plurimis horis cōſumeret ligna multa, & nox quoque ligna requireret, vt ignis non extinguatur? Vnde optimè aſſas igne charitatis carnes poſuit manducandas B. Alb. Magn. De quali igne dicit S. Leo Papa ſerm. 7. Quadrag. Virtus & ſapientia fidei Chriſtianæ amor Dei eſt & amor proximi, neque vllo caret pietatis officio, cui ſtudium eſt colere Dominum & iuuare conſeruum. Et ſerm: 10. Sit ſanctus Dei populus, ſit benignus: ſanctus, vt declinet prohibita; benignus vt faciat imperata. Quamuis enim magnum ſit habere fidem rectam ſanāque doctrinam, & multâ laude digna ſit circumciſiô gulæ, lenitas manſuetudinis, puritas caſtitatis; nudæ ſunt tamen omnes ſine charitate virtutes, nec poteſt dici in qualibet morum excellentiâ fructuoſū, quod non dilectionis partus ediderit. Quare Ioan. in epiſt: 4. *Qui non diligit non nouit Deum, quoniam Deus charitas eſt.*

Pro vndecimo requiſito Nota. Carnes crudas comedere ferale eſt & vitioſum, cùm nec ſint munda nec ad ſumendum licita; cur igitur vetuit ne crudas carnes comederent? Hoc ipſum aſtruebat, de comeſtione ſpirituali debêre intelligi. Nam nec lupus licèt eſuriens ſuas carnes comedit, nec herbas, niſi morbo laboraret, ſed terram quærit ad comedendum. Maximè ergò in his verbis alius ſenſus, præcipuè quem B. Alber. Magnus indagauit, perquirendus fuit. Nempe, deuotio ſaltem mentalis. Ita docebat Iob. 3. *Antequam comedam ſuſpiro.* Vnde Deut. 4. *Vos qui adhæretis Domino, viuitis vniuerſi.* Adhæret autem Deo qui Domino incorporatur: incorporatur verò per ſpiritualem manducationem. Ita 1. Cor. 10. *Patres noſtri omnes eandem ſpiritualem eſcam manducauerunt & omnes eundem ſpiritualem potum biberunt. Bibebant autem de ſpirituali conſequente eos petrâ, quæ eſt Chriſtus.* Quæ quidem ſpiritualis manducatio non eſt ſine deuotione & ſuſpirio. Ita SS. Patres ex Iſa. 16. *Emitte Domine agnum dominatorem terræ, ad montem filiæ Sion. Vtinam diſrumperes cœlos.* Altum ſuſpirium, re-

quiritur & alta deuotio; nam vt inquit S. Auguſt: Deus carnem ſuam tribuit cordi & ori. vt ſcil. os oret, cor Dei dona meditetur. Quocirca aliqui in ſymbolis ponunt in medio cordis oculum, ad innuendum quod omne intentum & omnis cogitatio, nedum eſſe debeat circumſpecta, ſed omnibus patens & plana, quæ nec Deum offendat nec proximum lædat, ſed ſit cum laude Dei, & ædificatione proximi.

Pro 12. requiſito Nota. Ariſt. l. 8. Ethicorum dicit: Pater tria beneficia dat filio, cauſam eſſendi generãdo: cauſam nutriendi educando: & cauſam dicendi informando. Optimus Pater Deus, ne filij ſui pereant, ſed nutriantur & loqui poſſint, vno hoc requiſito quod nominauit B. Albertus M. id totum inſinuauit. Rectè credendum eſt de Deo & homine Chriſto ne pereat, caput pedes & inteſtina in ipſo confiteatur vt nutriatur, nec aliquam in hoc hæreſim admittat, vt cum Deo & Chriſto colloqui valeat. Hinc Bern. in Epiſtol: Sacramentum Dei altiſſimi ſuſcipiendum eſt non diſcutiendum, venerandum non diiudicandum, fide ſortitum non innatum, traditione ſancitum non ratione adinuentum. Dicebat Dominus Moyſi Exod. 19. *Veniam ad te in caligine nubis.* Chriſtus enim ad nos, dum viatores ſumus, venit in fide Catholica, quæ licèt ænigmatica ſit; nihilominus omnia nobis ſalutifera de Chriſto altius & excellentius manifeſtat, quam vires humani intellectûs poſſunt ex ſe ipſis capere. Hinc D. Maximus: Magnus profectus eſt fidei, cùm tãtùm de Deo poteſt cõcipere, quantùm ſermo non poteſt explicare.

Pro 13. requiſito. Nota. Figuram alicuius rei certò annihilari neceſſe eſt, vbi figuratum aduenerit. Ceſſare debuit & in ignem mitti antiquum Paſcha, adueniente Paſchâ Chriſto. Et ſi quis id percipere quod Chriſtus ſit Paſcha noſtrum nequit, ei committat qui dixit. *Ignem veni mittere in terram & quid volo niſi vt ardeat?* Vnde D. Thomas. *Præſtet fides ſupplementum ſenſuum defectui.* Innuendo, quod ea quæ ſuperant hominis ſenſum, igni Spiritus Sancti committenda ſunt. Quare 2. Par: 16. dicitur. *Oculi Domini contemplantur vniuerſam terram, & præbent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum.*

Pro 14. Requiſito. Nota. Quoniam renouamus in Sacramenti ſumptione memoriã paſſionis Chriſti, & debitas reddimus gratiarum actiones pro inæſtimabili beneficio noſtræ redemptionis; jam neceſſum erit cum lactucis agreſtibus, hoc eſt, cum contritionis amaritudine de peccatis, ſumere. Dicitur Heſter 4. Non fuiſſe licitum indutum ſacco vel habitu ſeruili Regis Aſſueri aulam intrare: ita non licet ad hoc Sacramentum indutum peccatis accedere, ſed humilem & contritum neceſſe eſt venire; quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus verò dat gratiam. *D. Ambroſius in oratione ante miſſam facien-*

facienda. Quantâ cordis contritione & lachrymarum fonte, quantâ reuerentiâ & tremore, quanta corporis caſtitate atq; animi puritate illud diuinum & cœleſte myſterium eſt celebrandum, vbi caro Domini in veritate ſumitur, ſanguis in veritate bibitur? Quis digne hoc, niſi tu dignum feceris? *Auguſt.* Panis hic non ſolùm ſuſtentat quos viuos inuenit, ſed reſuſcitat etiam ſæpè illos qui morui ſunt. B. Nilus Martyr. Balneum animæ bonum oratio eſt lachrymoſa, at cum oratione memor ſis cujus rei gratiâ lachrymas effundis. Vndè Iudith 2. *In Spiritu contrito & humiliato ſeruiamus illi.* Ergo ſi ad Dominum ſeruus manducare accedit, cum timore, & amore cum deuotione & feruore accedere ad hanc menſam debet, ne percutiatur cum Oza, qui arcam Domini tetigerat. Aureis litteris ſcribenda doctrina B. Nili Mart: & Epiſc: Priuſquam animæ denudentur vlcera, lachrymis ſunt curanda, vt pharmaco iſto pœna valeat euitari.

Pro 15. Requiſito. Nota. Ideò ratione vti debet jam & diſcretione gaudere, qui accedere debet ad ſacram Synaxim; quia 1. Cor. 11. dicitur. *Quotieſcunq; manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat.* Quod facere pueri ætate nequeunt. Et illud Apoſtoli: *Probet autem ſeipſum homo & ſic de illo pane edat.* adultos concernit, non pueros, qui nondum vſum rationis habuerunt. Quare meritò arguuntur Græci, qui pueris baptiſatis hoc Sacramentum conferunt. Nam ſi dicit D. Dionyſius baptiſatis hoc Sacramentum dandum, intellexit de adultis baptiſatis. Nec ſtringit pueros quod Ioan. 6. dicitur: *Niſi manducaueritis carnem & biberitis ſanguinē non habebitis vitam in vobis.* quia vſum rationis non habent. Sed quando jam pueri aliqualem vſum rationis incipiunt habere, vt poſſint deuotionem concipere huius Sacramenti, tunc poteſt eis hoc Sacramentum conferri. Concludendo adnotamus illud Zachariæ 9. *Quid bonum eius & quid pulchritudo eius, niſi frumentum electorum & vinum germinans virgines.* Non ergò innocentia conſideranda in pueris ad dandum eis Sacramentum, quia ipſum Sacramentum hoc ſumptum, generat virgines.

IN DIE S. PASCHÆ SERMO II.

IESVM quæritis Nazarenum crucifixum? ſurrexit non eſt hîc. *Marci 16.*

QVIS SIT ILLE QVI QVÆRITVR?

RESP. IESVS Nazarenus crucifixus. Nota quod quærens niti debet vt ſit ſimilis ei quem quærit. Omnis enim Chriſtianus qui dicitur à Chriſto, ſpiritualiter debet eſſe IESVS Nazarenus, verus Nazarenus, & Crucifixus. Primò debet eſſe IESVS, id eſt, Saluator: nam ſaluare debet proximum, eleemoſynâ, mutuo conſilio.

Secundò, debet eſſe verus Nazarenus: Erat lex quintuplex Nazarenorum. 1. Nouacula non aſcendebat ſuper capita eorum, ſignificatur per illam dolus & malitia: Caueat Chriſtianus ne ſicut nouacula acuta faciat dolum. vt Pſal. 51. & ne per malitiam & nequitiam gratiam ſpiritus ſeptiformis præcidat à capite mentis ſuæ. 2. Non bibebant quicquid inebriare poterat. Cauere debet Chriſtianus ab ebrietate. Eccl. 31. *Multos exterminauit vinum.* Vinum ſuperborum corda arguet in ebrietate potatum. Gloſſa: Ebrietas multos ſubuertit, quæ ſenſum minuit, iram excitat, libidinē inflammat, animi ſecreta reuelat. 3. Non comedebant quicquid de vinea erat, ſignificatur Chriſtianum fugere debere fornicationem & luxuriam. Luxuria enim vna eſt quæ creſcit in vinea Sodomorum, & certè vua hæc erit fellis, & botrus iſte erit amariſſimus. Malitia quippè vnius horæ in inferno, obliuionem facit luxuriæ maximæ. 4. Non ingrediebantur ad mortuum: ſignificatur quod cauere debet eos qui vacant operibus mortuis. Non ſedeat in tabetnis cum aleatoribus laſciuis. Pſal. 17. *Cum Sancto Sanctus eris. & cum peruerſo peruerteris.* Philoſophus. Sæpè candido innocenti ſocio, malignus comes rubiginem ſuam affricuit. Caueat eos etiam qui impiè agunt & furantur. Prouerb. 1. *Fili mi ſi te lactauerint peccatores, ne acquieſcas eis. Si dixerit: veni nobiſcum inſidiemur ſanguini, omnem prætioſam ſubſtantiam reperiemus, implebimus domos noſtras ſpolijs, ſortem mitte nobiſcum, marſupium ſit vnum omnium noſtrûm, fili mi ne ambules cùm eis: pedes enim illorum currunt ad malum.* Puta, æternum. 5. Si coram illis aliquis moriebatur, maximè occidebatur, polluebantur. Cauere Chriſtianus debet ne detrahat vel conſentiat detrahenti. Prou. 23. *Noli eſſe in commeſſationibus eorum, qui carnes ad conueſcendum conferunt.* Tales ſunt detractores Deo odibiles, qui carnes humanas ad veſcendum conferunt.

Tertio Chriſtianus debet eſſe quaſi crucifixus & ctuci affigatur clauibus 4. Timore mortis, judicis, carceris, tortoris: & quaſi transfixus lanceâ charitatis ſit.

ANNOTATIONES.

SYmbolum poſuerat quidam cor, & addidit lemma: *Aut eſt aut non.* Intelligebat de ſinceritate, Non enim poteſt habere medium, ſed vel erit ſinceritas in corde vel non erit. Ita hoc nomen IESVS nulli hominum conuenire propriè poteſt & totali-

totaliter; cum de illo ſolo dictum ſit Abacuc 3. *Ego autem in Domino gaudebo & exultabo in Deo IESV meo.* Et Patriarcha Iacob Geneſis 49. de illo loquitur: *Salutare tuum Domine expectabo.* Improprie verò & ſecundum aliquid poteſt denominari homo Saluator ſeu Iesvs, quomodo & B. Alb: Magnus Chriſtianum nominauit. Dicitura Chriſto chriſtianus, à Saluatione proximi Saluator. Nomen igitur Iesvs, proprium homini Chriſto. Iſidorus lib. 1. cap. 16. de Summo bono. Homo Chriſtus Ieſus nequaquam alter in humanitate, alter in Deitate eſt; ſed in vtraque natura idem vnus eſt, nec purus homo conceptus eſt, nec purus homo editus eſt, nec poſtea meritum vt Deus eſſet accepit: ſed Deus Verbum, manente incommutabili eſſentiâ quæ illi cum Patre & Spiritu Sancto eſt coæterna, aſſumpſit carnem pro ſalute humanâ, in qua & impaſſibilis pati, immortalis mori, & æternus ante ſæcula temporalis poſſet oſtendi. Poteſt verò hoc nomē Ieſus conuenire homini per quandam aſſimilationem ad Ieſum Saluatorem mundi, ſi nimirum ſtudia poſuerit homo pro Saluatione proximi. Maximus profectò hic eſt titulus Chriſtianorum. Ad maximum aliquando titulum vocatus fuerat Alexander Magnus à Dario, at ille altiorem adhuc requirebat. Refert Val: Max: lib: 6. cap: 4. Darius vt virtutem Alexandri vno & altero prælio expertus fuit, diuidebat Regnum cum illo, & filiam in matrimonium, cum decies centum millibus talentûm illi propoſuerat; at ille quid altius tertio prælio prætenderat. Dicebat quidem Alexandro Parmenion: Ego ſi Alexander eſſem vterer hâc conditione & titulo? ſed reſpondebat ille, & ego ſi Parmenion fuiſſem. Inſatiabilis animus alios perquiſiuit ſibi titulos. Verùm Chriſtiano altior titulus jam dari non poteſt, quàm ſi vocatur Ieſus & Saluator.

Proſequitur B. Alber. M. quibus modis Chriſtianus ſaluator nominari poteſt. Triplicem verò determinauit. De primo Eccl. 17. *Eleemoſyna viri quaſi ſacculus cum ipſo, & gratiam hominis quaſi pupillam conſeruat, & poſteà reſurget, & retribuet illis retributionem.* Commentator in lib. 1. de anima dicit: Oculus lapideus non eſt oculus niſi ſecundùm figuram: ita oculus durus in pauperem, non eſt oculus Chriſtianus ſed tyrannicus, oculus verò miſericors, Chriſtianum decet. Qui igitur ſic ſaluas proximũ, ſuum eſt illi Iesvs. D. Leo Papa ſerm. 4. de collectis: Miſereantur pauperum qui ſibi volunt parcere Chriſtum. Faciles ſint in alimenta miſerorum, qui cupiunt ad ſocietatem peruenire fidelium. Non ſit vilis homini homo, nec in quoquam deſpiciatur illa natura, quam rerum conditor ſuam fecit. Cui enim laborantium licet negare quod Chriſtus ſibi profitetur impendi? Iuuatur conſeruus & gratiam confert Dominus, cibus egeni, regni cæleſtis eſt pretium, & largi-

largitor temporalium, hæres efficitur æternorum. Vnde autem iſta exigua impendia, tanta æſtimari taxatione meruerunt? niſi quia pōdera operum charitatis lance penſantur, & cùm amatur ab homine quod Deus dirigit, meritò in eius aſcenditur regnum, in cuius tranſitur affectum. Hæc ille. Erit in exemplũ Tobias, qui cùm eſſet diues, dederat ad Chyrographum decem talenta Gabelo in Rages; factus verò pauper & cæcus, miſit ad eum filium cum Chyrographo; hunc duxit Angelus, & non ſolùm decem talenta recepit, ſed & filiam Raguelis cum hæreditate eius in ſponſam obtinuit, & reuerſus Patri viſum reſtituit. Hoc totum figura eſt eleemoſynæ. Vnde D: Auguſt: in Epiſt: Si vis eſſe mercator optimus, fenerator egregius; da modicum vt recipias centuplum, da temporalem poſſeſſionem, vt recipias æternam beatitudinem. Hinc Prou. 19. *Feneratur Domino qui miſeretur pauperi & viciſſitudinem ſuam reddet ei.*

De 2. Medio, ſcilicet mutuo, Eccl. 12. dicitur: *Benefac juſto & inuenies retributionem magnam; etſi non ab ipſo, certè à Domino.* Nam ſi mutuum dare præcepit Deus, jam nedùm ille obligatus erit fœneranti qui mutuat, ſed etiam Deus retribuet ei, quod juxta mandatum eius Deut. 15. fecerit. Habet hiſtoria ordinis Prædicatorum: Peregrinantes fratres gratiâ prædicationis, quidam pauperculus homo piſcator domum vocauit ad pauperculam menſam, cùm vidiſſet quòd diuites eos non vocauerint, expoſuit piſciculos & millij paulùm, & quia ſolùm duos ſolidos habebat; vno panem, altero potum prouidit. Dum factis gratijs diſceſſerunt, inuenit ille piſcator in ſacculo duos ſolidos: miratur lætus, & cùm expendit eos, alios duos in ſacculo inuenit, & quoties expendebat, toties alios iuuenicbat, donec factus diues; non ceſſabat retributio diuina. Hinc Lucæ 6. *Mutuum date nihil inde ſperantes, & erit merces veſtra multa, & eritis filij altiſſimi, quia ipſe benignus eſt ſuper ingratos & malos.* Mutuum dicitur, quaſi de meo, factum, tuum. Quàm fœlix es qui proximo mutuas, & de tuo facis eius, nam ſi pro illo retribuetur tibi à Domino, vt ſapiens dicit, iam non æquale recipies, ſed ſupererogantur reddet tibi mutuũ: quia diuitijs nedum his terrenis reddet, ſed abundanti gratiâ in via, & incomparabili retributione in cœleſti patria. Bona fortuna eſt (inquit Ariſtot. 2. Phyſic.) quando aliquod bonum magnum euenit; infortunium verò, quando aliquod magnum malum. Et quod maximum eſt bonum, niſi Deus, qui ſe feneranti & mutuanti retributorem donat? & quod malum majus quàm, cùm nolle mutuare proximo ſuo, quando eguerit ipſe non inueniet qui ſibi mutuum daret? Quâ enim menſurâ menſi fueritis eadem retribuetur & vobis.

De tertio medio nempè conſilio

Plato

Plato & Socrates dicit: Conſilium res ſacra eſt. Quod ſi ſacra, iam honoratiſſima & meritoria res erit. Quapropter inueſtigando vnde proueniat conſilium ſanum, vnus Philoſophorum Bias dicit: Ex eruditione, experitia rerum, & ex exprimento atque deliberatione. Sed fortè non de quocunque conſilio dicit B. Alb: Magn. ſed de illo quod ex miſericordia procedit. De quo D. Auguſt. dicebat lib: 5. de ſerm. Dom. in monte. Conſilium miſericordibus congruit: illorum enim conſilium non poteſt eſſe; niſi rectum, ſanum & ſacrum. Quod etiam innuebat Greg. in Moral: diſtinguendo, quibus dandum conſilium. Dicit enim: Dare ſtulto conſilium, charitatis eſt: dare ſapienti, oſtentationis; dare verò tempore peruerſitatis, ſapientiæ eſt. Iſid. l. 3. de ſum: c. 3. inuitat ad eiuſmodi conſilium procedens ex miſericordia & charitate, dum inquit: Charitas in dilectione Dei & proximi conſtat; ſeruat autem in ſe dilectionem Dei, qui à charitate non diuiditur proximi. Qui enim à charitate fraterna ſecernitur, à diuinæ charitatis participatione priuatur; nec poterit Deum diligere, qui noſcitur in proximi dilectione errare. Chriſtus Deus & homo eſt, totum ergò Chriſtum non diligit, qui hominem odit. In hoc igitur fundamento ſtabiliuit B. Alb. Magn: appellationem hominis Chriſtiani, quod nimirum ſit ſaluator proximi, quia ex charitate & miſericordiâ ſaluat per eleemoſynam, datum mutuum, & conſilium cum auxilio, proximum ſuum. Ita enim non obijcietur illi: Malum conſilium conſultori peſſimum.

Secundò. Chriſtianus (inquit B. Alb: M.) debet eſſe verus Nazaræus: dicitur Pſal: 76. *Meditatus ſum nocte in corde meo, & exercitabar & ſcopebam ſpiritum meum.* Si aliquis ſcripturæ ſacræ locus eget meditatione & examine, certè & iſte de Nazareno. Nam licèt Chriſtus ſit Nazarenus loco, cõceptione, nutritione, ob quod Nazarenus vocatus fuit. vt Matth. dicitur cap. 2. attamen Ioannis 1. dixit Nathanaël: *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?* Non dubitanter tamen Nazareum B. Albertus M. Chriſtianum debere eſſe dixit: quia & Nathanaël non ſimpliciter negat, ſed dubitando interrogat. vt ex contextu apparet. Nazareth enim interpretarur flos, qui ſignificabat Chriſtum, de quo Cant. 2. *Ego flos campi, & lilium cõualium.* Significat etiam bonũ Chriſtianum. vt pſ: 21. *Germinabit iuſtus ſicut lilium, & florebit in æternum apud Dominum.* Valerius Max. l: 6. c. 4. dicit: Spartanus quidam nobilitate & ſanctitate præſtans, cùm ad Magiſtratũ non fuiſſet electus, lætanter dixit: Summè lætor, quod Patria mea meliores ſe viros haberet. Equidem nullus imaginari poteſt melior Nazarenus Chriſto, ſed patricipatiuè etiam Chriſtiani boni, poſſunt Nazareni vocari, qualiter ex ſimilitudine legis Nazaræorum. B. Alb. M.

eos vocauit. At fateri neceſſe eſt, quod ſicut omnes tituli Regales non ſunt niſi à Rege; ita & hic titulus non eſt niſi à Chriſto: ab illo Nazareno, nos ſumus Nazareni; ipſe eſt Pater noſter, ipſe poſſeſſor noſter, ipſe creator noſter. Perpulchrè D. Auguſt. Soliloqu. cap. 31. Dic mihi ſupplici ſeruo tuo Deus meus, dic miſericors miſero tuo, per tuas miſerationes, vnde eſt tale animal homo rationalis? ſum à te: tu factor mei. ego opꝰ tuum. An quiſquam ſeſe faciendi erit artifex? Quicquid eſt, à te eſt; quia ſine te nihil eſt. Quicquid viuit, per te viuit; quia ſine te nihil viuit. Gratias tibi ago Domine Deus meus, per quem viuo ego, & per quem viuunt omnia. Gratias tibi lux mea, quia illuminâſti me, & inueni te & me. Hæc ille. Quomodo verò ad tantam excellentiam titulorum perueniat homo, vt Saluator & Nazaræus dici poſſit. Iſidorus inſtruit de ſummo bono lib. 2. c. 4. Sciendum, quòd noſtra ſit iuſtitia, quod rectè agimus, & Dei gratia, eo quod eam mereamur. Hæc enim & dantis Dei & accipientis eſt homi nis, ſicut & panem noſtrum dicimus, quem tamen à Deo accipere poſtulamus.

Tertiò Chriſtianus (inquit B. Alb. Magnus) debet eſſe crucifixus. Nulla maior fuit maledictio, nulla deterior confuſio, quàm crucis imprecatio. Deut. 21. *Maledictus omnis qui pendet in ligno.* In quem locum Chryſoſt. Tanta confuſio tunc temporis fuit, vt nullus de crucifixo memoriam. niſi in maledicto haberet. Erat crucifiendus apud populum, ſicut Ioſeph apud maleuolos fratres & vltra. Gen. 35. *Oderant eum nec poterant ei quicquam pacificè loqui.* Refert Val. Max. libr. 9. cap. 11. Sariaſter aduerſus Patrem ſuum Tigranem Armeniæ Regem, ita cum amicis conſenſerat, vt omnes dextris manibus ſanguinem mitterent atq; eum inuicem ſorberent. Non minor furor erat plebis in abominabiles crucifigendos. At quoniam nos Chriſtus redemit de maledicto legis. cum pro nobis factus eſt maledictum, ſuſcepit enim (inquit D. Chryſoſt.) crucem, vt nominis eius recordarentur in maledicto, idcircò B. Alb. Magnus docet, quod Chriſtianus debet eſſe crucifixus & lancea transfixus. Iam enim poſt crucifixionem Chriſti, crux decor, vita, & ianua in cælum. Et verificatur illud Gen. 27. *Qui maledixerit tibi,* (ô Chriſtiane) *ſit ille maledictus; & qui benedixerit, ſit ille benedictus & benedictionibus repleatur.* De tali crucifixione gloriabatur Diuus Paulus ad Phil. 3. *Configuratus ſum morti Chriſti, ideo nemo mihi moleſtus ſit, ego enim ſtigmata Domini noſtri* IESV, *in corpore meo porto.* ad Gal. vlt. Ad eandem monet nos D. Petrus 14. *Chriſto igitur in corpore paſſo, & vos eadem cogitatione armamini. Qui enim paſſus eſt in carne, deſijt à peccatis, vt iam non hominum deſiderijs, ſed voluntati Dei quod reliquum eſt in carne viuat temporis.* Commentat

in lib.

in lib. 2. de anima dicit. Omne ens naturale deſiderat permanſionem ſempiternam. Sed hoc à ſuo principio corruptibili non poteſt habere. Fælix qui id poteſt habere per Chriſtum & crucem eius quod ex ſe non poteſt. Ergò ſi ſpiritus Domini non permanebit in æternũ in homine quia caro eſt, nos facta carnis mortificemus, vt in ſempiternum permaneamus & viuamus. Audi Caſſiodorum in Pſal. Beati immaculati ſcribentem. Quis mortem temporalem metuat cui vita æterna promittitur? quis labores timeat, cum ſe in aperta requie nouerit collocandum? Non confundetur cum loquetur inimicis ſuis in porta. *Aug. in ſoliloq:* Signaſti me ſanguine tuo, vt memoriale tuum ſemper eſſet apud me, & nunquam recederet à corde, qui propter me noluiſti recedere à cruce.

Quæ ſunt perſonæ à quibus quæritur?

RESP. Erant Maria Magdalena, & Maria matet Iacobi minoris & Maria filia Salome, vxor Zebedæi. Significant hæ tres Mariæ tres vires animæ, per quas anima Deum quærit. Maria Magd. quæ interpretatur Domina in turri, ſignificat vim rationalem. Anima enim in ratione ſedens quaſi in turri eminenti, proſpicit ex ipſa omnes inſidias inimici. Maria Iacobi, quæ interpretatur Domina luctatrix. exprimit vim iraſcibilem, per quam anima vanis & immundis peccati illecebris ſiue delectationibus iraſcitur, eaſq; abijcit & conculcat. Maria Salome, quæ interpretatur Domina pacifica, ſignificat vim concupiſcibilem, per quam anima pacem veram, quæ exuperat omnem ſenſum; hoc eſt, ſummum bonum vehementer concupiſcit & quærit.

ANNOTATIONES.

MAnus Dei noſtri eſt ſuper omnes, qui quęrũt eum in bonitate 1. Eſdræ 8. Explicuit & vtilitatem quærendi, in ipſo capite dicti, & modum quærendi in termino ſermonis. Quærebant Chriſtum Iudæi, vt occiderent; quærebant Phariſæi vt tentarent, quærebant Pontifices veteres, vt accuſarent populo & Pilato; non quærebant in bonitate. Ideò illis dicitur Ioan. 8. Quæretis me & in peccato veſtro moriemini. Qui verò in bonitate eum quærunt, ſicut quæſiuit Zach. 8. *Eamus & deprecemur faciem Domini, & quæramus Dominum exercituum*, vadam etiam ego ſicut quæſiuit Pſalmiſta Pſal: 94. *Venite adoremus & procidamus ante Deum, ploremus coram Domino, qui fecit nos.* Sicut quæſiuit Magdalena: *Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum dicito, ego tollam eum*, quæſiuit in bonitate & manus Dei ſuper eam, dum tetigit ipſam. Hinc Sophonias cap. 2. *Quærite Dominum omnes manſueti terræ, quærite iuſtum, manſuetum, ſi quomodo abſcondamini in die furo-*

rùs Domini. B. Alb. Mag: Dum conſidero inductas perſonas ad quærendum Dominum, occurrit in mentem Ptolomæus Rex, de quo Val: Max: lib. 6. cap. 6. Ptolomæus Rex filio ſuo (inquit) reliquit tutorem Populum Rom. Senatus ne fruſtra fides eorum exiſtimaretur petita, M: Æmilium Lepidum Pont. Max. virum integerrimum, ad gerendam pueri tutelam Alexandriam miſit, quem ſimul procuratorem externarum Prouinciarum conſtituit. Cùm verò incunabula regia eius beneficio conſeruata pariter ac decorata eſſent, incertum filium Regis reddiderunt, patriſné fortuna magis an tutoris majeſtate gloriari deberet. Magnas equidem pietate & ſanctitate perſonas quærentes Dominum propoſuit B. Alb. Mag. at ſi recto decernendum judicio, non eò ſunt magnæ quia tales quærebant, at quia talem quæſierunt. Hinc Pſal. 104. *Lætetur cor quærentium Dominum.*

Quæret igitur homo cum Magdalena Chriſtum; cùm ſubjugabit rationi ſenſuales affectus, ne inimicus contra ipſum valeat. Ex tali enim ſubjectione, fit homo inimicus inimicis Dei, & amicus amicis. Imò, nil cogitabit niſi quomodo obediat & placeat Deo. Vndè contra inobedientes ſibi quid dicat Deus, *Leuit. 26. Ponam faciem meam contra vos & corruetis coram hoſtibus veſtris, & ſubijciemini his qui oderunt vos. Sin autem nec ſic obedieritis mihi, addam correptiones veſtras ſeptuplum propter peccata veſtra, & conteram ſuperbiam duritiæ veſtræ, daboque vobis cælum deſuper quaſi ferrum, & terram æneam: conſumetur in caſſum labor veſter, non proferret terra germen, nec arbores poma præbebunt.* Scrutator naturarum Ariſtot: in lib. de Cauſis cap. 3. inquit: Omnis anima nobilis habet tres operationes, animalem, intellectualem, & diuinam. Vide quâ regula docuit ſubiectionem; intellectui ſubijcit animalem operationem, & hanc ſubjicit operationi diuinæ. Vt nimirum id faciat ſolùm homo, quod recta ratio homini indicat, & quod Deus mandat. Quocirca B. Nilus in Sent: Tropologicis: In opera & orationes animam diuidere oportet, ita enim haud multos in nobis introitus diabolus inueniet. Placuit meditandi mihi ſtemma populi Irpini, quæ nunc eſt Prouincia Regni Neapolitani: eſt ſcutum ex ſpicis frumenti, cathenis ligatum aureis, in cuius medio ſtella cum ſeptem radijs reſplendet. Adumbrat hominis rationem pietate & virtute conſtrictam, quam non aliud lucentem & floridam reddit, niſi obedientia Deo cum fidei rectitudine. Vndè petebat Pſalmiſta Pſal. 118. *Intellectum da mihi & viuam.* Quaſi diceret, Lumen naturale quod mihi dediſti, illumina ab alto; vt perfecte intelligere valeam quæ mihi mandaſti, & rectè perficere, quæ juſſiſti.

Quærit verò homo Chriſtum per vim iraſcibilem cum Maria Iacobi, qui luctam facit cum mole vitiorum. Et quia omne vitium turpe eſt, quocunq;

cunque valeueris medio illud, nemini tamē gratum erit. Vnde Seneca de moribus: Nihil intereſt quo animo facias, quod feciſſe vitioſum eſt, quia facta cernuntur, anima verò non videtur. Illud quod boni ſemper reprehendunt, quod Deus abhorret, quod virtuoſi fugiunt; ita à natura eſt reiectum, vt nullo pacto reparari, nullo caſu meliorari poſſit. Val: Max. l. 8. c. 12. refert, pictorē quendam equum ab exercitatione venientem induſtrioſo labore comprehendere deſideraſſe. Cùm verò naribus ſpumas adijcere fruſtra & diu haud valuiſſet, indignatione accenſus, ſpongiam multis coloribus imbutā tabulæ illiſit, fortuna ad nares equi direxit, & deſiderium pictoris expleuit. Itaq; quod ars adumbrare non valuit, caſus effecit. Sed tam ſunt infelicia vitia, quod licèt ſub ſpecie boni concipiantur, non tamen aliquando arte vel caſu in rationem boni aſſumentur. Semper malum, & vbiq; malum eſt. Inde Seneca de moribus: Educatio & diſciplina mores faciunt, & id vnuſquiſque ſapit, quod didicit. Quærere igitur Chriſtum per vim iraſcibilem docuit B. Alb. M. non vt vitio quæras illum, nec vt ſub ſpecie boni luctam contra virtutes inſtituas, ſed vt per iraſcibilem eradices vitia & virtutes plantes, luctam in hoſtes animæ non in amicos inſtruas. Audi Sapientem Prou. 4. *Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos. Dirige ſemitas pedibus, & omnes viæ tuæ ſtabilientur. Ne declines ad dexteram neq; ad ſiniſtram, auerte pedem tuum à malo.* Apo: 6. Vidit Ioannes quòd ſtellæ ceciderint ſuper terram, ſicut ficus quæ ſuos emittit groſſos, qui nullam in arbore firmitatem habent, dum ſunt immaturati; & cælum receſſit ſicut liber inuolutus. Hi qui dicunt bonum malum & econtra, vt ſtellæ ſibi videntur, ſed cadent, quia non habent firmitatem in cœlo, & ſerabitur cœlum ab eis, ceu liber ſeratus in quo legere non potes. Iſidorus lib. 2. de Sum: bon: cap: 43. Perpetrare flagitium aliquod, mors animæ eſt. contemnere pœnitentiam & permanere in culpa; deſcendere in infernum poſt mortem eſt. Eccl. 9. *Viri iuſti ſint tibi conuiuæ & in timore DEI ſit tibi gloriatio, & in ſenſu ſit tibi cogitatus DEI, & omnis enarratio in præceptis altiſſimi.* Quærit verò ille Chriſtum cum Maria Salome, qui illum quærit in pace regnantem. Commentator in lib. 2. de anima Comm: 3. dicit: Principium commune omni animato eſt, augeri, nutriri, & diminui eſſentialiter. Conſiderauit hic etiam hominem, ſed ad ea ſolùm quæ illi conueniunt ex grauedine naturæ & inchoatione vitæ. Altiora conueniunt homini, ſi conſiderabitur vt ordinatus ad Deum. Ita enim illi non diminutio, ſed perpetuitas in æuum adſcribenda erit. Vnde B: Alb: Magnus dixit: Per concupiſcibilem anima pacem veram, hoc eſt, ſummum bonum, vehementer concupiſcit, & quærit. Quicquid enim

homo poteſt in vita præſenti diuitiarum obtinere, nequaquam minimã partem appetitus animæ valet ſatiare, & nihilominùs vana potiùs inſipiens eligit, quàm cœleſtia, in quibus eſt plena ſatietas. Lamentabatur Iſidorus in ſoliloqu: Quamuis quiſque in ſæculi gloria fulgeat, quamuis purpurâ, auro quis reſplendeat, quamuis cultu pretioſo redimitùs emineat, ſemper tamẽ in pœna eſt, in anguſtia, in mærore, in diſcrimine: in ſericis ſtratis cubat, ſed turbidus: in pluma jacet ſed pallidus: in lectis aureis ſed turbatus: breuis eſt huius mundi fœlicitas. Sapiens ergò portionem ſuam quæret in terra viuentium, vbi nec rubigo, nec macula, nec tinea, corrodit. Perſuadebat hoc Iſidor: de Sum: bono dicendo: In vita hominis finis quærendus eſt, quoniam Deus non reſpicit quales antea viximus; ſed quales circa finem vitæ erimus. Si itaque vitæ finis & vltimus dies nobis proſpiciendus eſt, jam & ipſe Deus, qui eſt finis omnium & vita, nobis perquirendus erit.

Cum quibus aromatibus quæritur?

SAnctus Marc. Euang. dicit. *Emerunt aromata vt venientes vngerent IESVM.* At quæ fuerint armata? non explicauit. Erant ad minus Myrrha & aloë, nardum & balſamum, ex quibus confecerunt vnguentum. Per prima duo, quæ vermes arcent & corpora conſeruant ne corrumpantur; intelligitur virtus caſtitatis, quam vermes luxuriæ non audent contingere. Per nardum, quæ herba humilis eſt, ſed multum odorifera, intelligitur humilitas. Cùm enim rex eſſet in accubitu diuinitatis ſuæ, nardus humilitatis B. Virginis, ſpargens odorem ſuum, traxit eum in terram ad conſortium noſtræ humanitatis. Per balſamum quod mirabiliter eſt calidum, ſignificatur feruor charitatis. Aquæ enim multæ cupiditatis, non poſſunt extinguere feruorem veræ charitatis.

ANNOTATIONES.

PRo primo aromato Nota. Sicut odor & fœtor ſunt aduerſa, ita caſtitas & immunditia: vndè ſicut odor caſtitatis in aromata odorifera aſſumitur, ita fœtor immunditiæ ab odoriferis repellitur. Quærendus ergò Dominus cum caſtitatis virtute. Inquit 7. Phyſic: Comment. Magnes, virtutem ſuam amittit quando fricatur cum oleo. Magnes eſt caſtitas, quâ è cœlo attractus fuit filius Dei ad vterum Virginis; ſed in hominibus amittit caſtitas virtutem, ſi fricabitur ſordidæ cogitationis oleo. vndè addendum eſt præſeruatiuum caſtitatis, vt cum aromato hoc quæramus Chriſtum. *B. Nilus in ſententijs Tropologicis.* Matres virtutum, caſtitas & compaſſio. Quo pacto igitur ſine vlla vel alia Chriſto militare poteris? Noli contemnere caſtitatem, nam ipſius organum creato-

rem carnem factum hominibus exhibuit: nec compaſſionem neglige, hæc enim ex cœlo nobis ſalutem noſtram detraxit. *Hæc ille.* Addit B: Alb: Magnus aliud præſeruatiuum cauendi omnia vitia. Dicit enim: Super 12. caput Lucæ. Myrrha ſignificat vniuerſalem virtutem ordinatam contra putredinem omnium vitiorum. Audi Caſſiod: Sex ſunt quæ incorruptam conſeruant caſtitatẽ; ſobrietas, operatio, aſperitas cultûs, inhibitio ſenſuum, raritas ſermonis cùm honeſtate, euitatio oportunitatis, & perſonæ, & loci, & temporis. & qui tali præſeruatiuo vſus fuerit, in conſeruanda caſtitate; ſentiet quod Exodi 5. dicitur: Moyſes cùm ex præcepto Dei vellet populum de Ægyptiaca ſeruitute liberare, videns populus Pharaonem iratum, cœperunt clamare ſuper Moyſen dicendo: Fætere feciſti odorem noſtrum coram Pharaone, ex quo locutus es de noſtro exitu, permittebat enim nos comedere carnes, cœpe & allia: nunc autem poſtquam cœpiſti tractare hoc, afflixit nos duriſſimè. Ita caro dicet aduerſùs animum caſtum. Quieſcebamus in voluptatibus noſtris, diabolus non moleſtabat nos, nunc angit ieiunium, conturbant vigiliæ, frangunt orationes, attædiant prædicatores, vrgent nos diabolicæ ſuggeſtiones, fætere nos feciſti diabolo. Greg. 24. Moral. Hoſtis noſter quantò magis nos ſibi rebelles conſpicit, tantò magis expugnare contendit; eos verò debellare negligit, quos quieto iure ſe poſſidere ſentit.

Pro ſecundo aromato. Nota. Iſaias ex ore Dei cap. 57. dicit. *Hæc dicit excelſus & ſublimis habitans æternitatem & cum humili ſpiritu, vt viuificet ſpiritum humilem.* Viuificare cuius eſt, eiuſdem erit & viuificata conſeruare; maximè igitur humiles ceu odoramenta ſua cõſeruabit qui humiles viuificauit. Ad mundi amplitudinẽ varium iter iuxta oportunitatẽ temporum, aptandam dicit Seneca in lib. de Prudentia. Inquit enim: Si prudentiam amplecteris vbiq; idem eris, & prout rerum ac tempori, nec te in aliquibus mutes, ſed potiùs aptes; ſicut manus quæ eadem eſt, & cùm in palmam extenditur, & cum in pugnum aſtringitur. Sed ad culmen virtutum & cælorum aſcenſum hoc iter; præcipuum humilitas, quam recomendabat Mater IESV Chriſti Virgo Maria: *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.* De quo & D. Bern: in quadam Epiſt. Fode in te fundamentum humilitatis, & peruenies ad faſtigium charitatis: vis capere celſitudinem Dei, cape humilitatem Chriſti. Pſal. 100. *Non habitabit in medio domus meæ qui facit ſuperbiam.* Quis ergò habitabit? Humilis. Quia Apoc. 3. dicit Angelus Ioanni. *Ego dedi coram te oſtium apertum, quod nemo claudere poteſt; eo quod modicam habeas virtutem.* Hoc eſt, quia humilis es. Hinc B. Alb. Mag. humilitatem, aromatum nardi, cum quo perquirendus eſt Deus, nominauit. Gen. 44. dixit Ioſeph fratribus. *Niſi venerit vobiſcum frater veſter minimi-*

minimus, non videbitis ampliùs faciem meam. Quaſi innueret, humilitatem ceu quandam per ſubmiſſionem minimã virtutem, dare faciem Dei viatori videndam in æterna fælicitate.

Pro tertio aromato Nota. Quærendus ſcilicet Dominus cum Balſamo charitatis. Ariſt. l. 9. de animalibus dicit: Apes omnes cùm aliqua illarum in alueo moritur, cadauer foras educunt. Mors hominis animæ eſt, vbi charitas deeſt, vnde talis eijcitur à conſortio ſanctorum. 1. Cor. 13. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans: etſi habuero omnem fidem ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum: etſi tradidero corpus meum ita & ardeam, nihil mihi prodeſt.* Hinc Apoc. 3. *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum & probatum, vt locuples fias.* Qualem Angelus mercimoniam aliquando vendebat; aurum in cælo terrenum non habet locum: terrenum enim aurum quid aliud, niſi fulua terra & conſpiſſa? Angelus mercatus eſt dilectione DEI, dilectionem à Deo, ideò perſuadet Ioanni vt eandem conſeruaret & acquireret ab illo. Ad Coloſ. 3. *Super omnia charitatem habete quod eſt vinculum perfectionis.* Et de tali charitate loquebatur B: Alb: Magnus, dum balſamum Charitatem nominauit. Eſt namq; charitas alia quæ non ex Deo eſt, illa verò non de corde pura, non de conſcientia bona, ſed de fide ficta procedit, quæ non ad Deum nec ad proximum vt proximus eſt, ordinatur. Anaxagoras Philoſophus poſt diuturnam peregrinationem in patriã redijt, vbi cùm poſſeſſiones deſertas vidiſſet, dixit. Non eſſem ego ſalus niſi iſtæ perijſſent. Innuebat. Non eſſem Anaxagoras Philoſophus, ſi prædia curauiſſem, ſed cultor extitiſſem terræ. At ego ad propoſitum noſtrum: Non poteſt homo ſaluus fieri, niſi amor impurus, charitas inordinata vileſcat & reijciatur; amor verò ſanctus odorem ad Deum effundat. Ad Phil. 1. *Oro vt charitas veſtra magis ac magis abundet.* Nulla verò ita abundare poteſt charitas, niſi ad Deum & ad proximum propter Deum. Nam charitas non ſecundùm Deum ad proximum, magis ac magis abundare non poteſt, quia deficere eam neceſſe eſt, & annihilari: quæ verò ſecundùm Deum eſt, augetur magis ac magis. Verſa & mãduca: inſultabat Tyrannno D. Laurentius. Meliùs eſt nobis mori, quàm derelinquere legem Dei: optimi Iſraëlitæ inſonuêre. Concludendo ſermonem de Aſcenſione B. Leo dicit: Reſiſtamus ergò dilectiſſimi huic tam peſtifero malo, & charitatem ſine qua nulla virtus poteſt nitere ſectemur, vt per hanc quâ ad nos Chriſtus deſcendit dilectionis viam etiam nos poſſimus ad ipſum aſcendere, cui eſt cum Deo Patre & Spiritu ſancto honor & gloria, in ſæcula ſæculorum.

Vbi inueniendus per Angelum oſtendatur?

RESP: In Galilæa in monte. vbi conſtituit Ieſus diſcipulis ſuis, vt Matt. 8. Galilæa interpretatur rota vel reuelatio, mons autem ſtabilis eſt & firmus. Igitur inuenitur & videbitur Dominus in patria ſupercæleſti, vbi eſt æternitatis indeficiētia, quod per rotam ſignificatur, vbi etiam eſt omnis ſcientia, quod nobilitatur per reuelationem; vbi nihilominus erit omnipotentia, quæ notatur per montem. Mons enim eſt multarum partium aggregatio. Rogate ergò Dominum, vt veri imitatores IESV Nazareni Crucifixi eſſe mereamur, & viribus animæ noſtræ conferat beatæ æternitatis indeficientiam, omnem ſcientiam, & plenam ſuper omnia bona ſua potentiam.

ANNOTATIONES.

LIcet homines puri, dij eſſentialiter nominari non poſſunt, quoniam dicit Pſal. 81. *Ego dixi dij eſtis & filij excelſi omnes, vos autem ſicut homines moriemini, & ſicut vnus de Principibus cadetis.* attamen denominatiuè Dij nuncupari poſſunt. Ariſt. Ethic. 7. Homines dicuntur fieri dij propter virtutum excellentiam. Homines etiam Chriſtiani denominantur dij per adoptionem filij Dei. Apoſtolus: *In quo clamamus Abba Pater.* Rom. 8. Quapropter homini Chriſtiano inueniendus eſt verus Deus, à quo nuncupatio ſua eſt. *Quærite eum dum inueniri poteſt.* Iſa 55. Hinc B: Alb: Magnus dicit: Ibi quærendus & inueniendus eſt, vbi oſtenditur ab Angelo. Seneca de 4. virt. monet: Interdiu animo tuo requiem dato, & requies ipſa plena ſit ſapientiæ ſtudijs & cogitationibus bonis. Nulla profectò nobilior requies, quàm in Deo, quia etiam nulla verior ſapientia, nulla felicior cogitatio. Quærendus ergò in Galilæa, non motu corporis, ſed motu intellectûs; nam tali theſauro iam pridem fruſtrata eſt Galilæa. Erant tempora, dum ibi conſeruabatur Chriſtus cum diſcipulis ſuis, ſed nunc conſeruatur cum ſanctis in Galilæa ſupercæleſti. Ibi enim aſcendit ſpretis tranſitorijs bonis & delectationibus mundi, & eſt ad dexteram patris. Hinc reuelatio interpretatur, quo prophetabatur, quod hæc terreſtris Galilæa, erat reuelans alteram indeficientem Galilæam, quæ in nulla iam tranſmigratione & rotatione erit, ſed ipſa reuelatione & contemplatione vitam & diuturnitatem in ſæcula referet. Quærendus ergò eſt Dominus in Galilæa ſupercæleſti. At dices: Quomodo viator quæret Dominum in patria? Terra & cælum, diuerſi termini? corpus & ſpiritus diuerſum iter requirunt. Sed quærendus dominus hîc initiatiuè, per fidē, ſpem & charitatem, eleuando ſemper ſpiritum noſtrum in cælum, vbi ſolutis carnis vinculis, cum Domino regnabimus in æuum. Caſſiodor. ſuper

verba Pſal. 13. *Extendens cælum ſicut pellem.* dicit: Benè Dominus cælum dicitur extendere, vbi meretrices & publicanos dum conſtat admittere. Nam cùm ſint cæli per iuſtitiam iuſtorum, facti ſunt ex gratiæ largitate peccatorum. Omnes igitur viatores habent campum quærendi & inueniendi Dominum, hîc per virtutes quærendi & inueniendi ac per gratiam poſſidendi, & ibi in gloria cæleſti per fruitionem inueniendi & tenendi. Vnde Cant. 2. Quæram quem diligit anima mea. Et ſanctus Patriarcha Gen. 32. *Non te dimittam, donec benedixeris mihi.* Dicet verò bene cùm audieris: *Poſſide regnum, quod tibi paratum eſt.* Ibi erit æternitatis indeficientia: quoniam ille ante mundū & ſæcula, terminum ponens ſæculis. & ipſe in ſæculum permanēs, rector Dominus & omnium creator ibi reſidet, & ante ſæcula permanens in æternum manebit. Hinc dicitur Moyſi Exodi 3. *Dices ad populum: Qui eſt miſit me.* Et quoniam viuere viuentibus eſt eſſe, vt dicitur l. 2. de Anima: Vita quæ maximè propriè in Deo eſt, imò ipſe ſuum viuere, erit ſicut ſuum eſſe, & ſuum intelligere, indeficiens in æternitate, imò omnium erit vita & æternitas. Neque illa diſtinctio hîc valebit, nobiliùs habet eſſe in mente, veriùs autem in noſtra apprehenſione, quia illa æternitas excedit omnem apprehenſionem & intellectum creatum; vnde non materialiter ſed eminenter erit intelligenda indeficientia æternitatis.

Quid in cælo poſſidet.

Æternitatis indeficientia.

Rectè Metaph. 4. dicitur: omnes homines non decipiuntur, niſi in eo quod neſciunt; aut in eo, cuius cognitio non eſt valde manifeſta.

Eſt quoque ibidem omnis ſcientia, vt B. Alb. M. dicebat. De qua quidem ita D. Aug. l. de libero arbit. Non aliam putes ſapientiam niſi veritatem, in qua tenetur & cernitur omne bonum, nullo loco eſt, nunquam deeſt, foris admonet, intùs docet, dementes in ſe omnes in melius commutat, à nullo in deterius commutatur, nullus de illa iudicat, nullus ſine illa bene iudicat. In illa enim æternâ beatitudine, inter ſcientiam & ſapientiam Dei non requiritur diſtinctio: ſed id quod eſt ſcientia, eſt & ſapientia; imò eſt & eſſe Dei. Vnde D. Paulus ad Rom. 11. coniungit ſcientiam & ſapientiam in illo dicens: *O altitudo ſapientiæ & ſcientiæ Dei.* Eſt ibidem & omnipotentia, dicit B. Alb. M. non quòd Deus non ſit omnipotens dubitabat, vel quod ſit aſſerebat B. Alb. M. quia eſſentiam id ex ſcientia & indeficientia patuit, cùm ab illo omnium eſſe, intelligere, & poſſe noſtrum defluit, ſed inſtruere deſiderabat, quod aſcendentibus in cælum, ſicut indeficientiam tribuit, & ſcientiam præſentiū præteritorum & futurorum atque poſſibilium donat, ita & omnipotentiam largitur; quam cùm habere naturaliter & miraculosè non valerent, per viſionem Dei atque donorum ſu-

Omniſcientiam.

Omnipotentiam.

rum ſupernaturalium largitionem poſſiderent. Hinc Diuus Paulus ad Philipen. 4. Omnia poſſum in eo, qui me confortat. Quanta igitur non poterit, cùm illi Deus eſſentialiter aderit?

DOMINICA IN OCT. PASCHÆ. SERMO.

Quia vidiſti me Thoma, credidiſti. *Ioan. 20.*

Quæ ſunt creden. à Chriſtiano.

GLoſſa. Dominus hîc fidẽ credentibus cõmendat, nam æternam illis beatitudinem promittit. Et quia ſine fide impoſſibile Deo placere, vt ad Hebr. dicitur 11. Duo idcircò de fide conſideranda.

Quid ſummoperè credere debeamus?

IN ſymbolo Apoſtolorum & in libris Patrum orthodoxorum multa credenda proponuntur, breuiter proſequendo ſex credenda Chriſtiano:

Primò. Credere debes vnigenitum Dei filium, ſecundùm carnem, quam aſſumpſit ex Virgine, in cruce mortuum eſſe, & reſurrexiſſe die tertiâ. Ad hæc enim oſtendenda Dominus dixit Thomæ Ioannis 20. *Inſer digitum huc, &c.*

Secundò oportet credere ipſum filium Dei claues Eccleſiæ Petro & ſucceſſoribus conceſſiſſe. Ioan. 20. *Inſufflauit in diſcipulos & dixit: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittentur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Vbi Gloſſa: Remiſeritis vel per vos, vel per ſucceſſores veſtros. Item alia Gloſſa: Quos dignos remiſſione iudicaueritis. Clauibus ſcilicet poteſtatis & diſcretionis. Caueant igitur ne propter opera ligentur excommunicatione, ſed ab omni peccato mereantur miniſterio ſacerdotis abſolui.

Tertiò crede, te certiſſimè moriturum Collationes patrum habent. Hoc eſt omnium vitiorum peremptorium, vt credas te quotidie de hoc ſæculo migraturum. Aug. Velimus nolimus, omnes moriemur. Nihil enim morte certius, & nihil hora mortis incertiùs. Adhoc admonent nos oſſa in cæmiterijs, dicunt enim illud Eccleſ. 38. *Memor eſto iudicij mei, ſic enim erit & tuum, mihi heri tibi hodie.* Credamus igitur nos ſe quotidie morituros.

Quartò crede te rationem de omnibus actibus redditurum. 2. ad Cor. 5. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt recipiat vnuſquiſq; propria corporis prout geſſit ſiue bonum ſiue malum.* Præſidebit verò iudicio Fortiſſimus, vt per nullius poten-

tiam opprimatur. Sapientiſſimus, vt nullius allegationib⁹ circũueniatur: juſtiſſimus, vt nullius pecunijs corrũpatur. Ergò tua maturè diſpone, culpas dilue, ne pollut⁹ appareas.

Quintò, crede impios cùm dæmonibus æterna tormenta paſſuros. Eccl. 39. Sunt ſpiritus qui ad vindictam creati ſunt, & in furore ſuo confirmauerunt tormenta ſua, &c. Et Matth. 25. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis eius.*

Sextò, crede electos cum Deo perpetuo regnaturos. Matthæi 25. *Venite benedicti Patris mei poſſidete vobis paratum regnum.* Et Apoc. 20. *Erunt ſacerdotes Chriſti & Dei, & regnabunt cum eo mille annis.* Hoc eſt, æternaliter.

ANNOTATIONES.

Nullus ſine fide ſaluatur.

PRO primo credendo Ariſt. libr. 6. Phyſic. Præter verbum nulla eſt affirmatio vel negatio. Ita equidem præter Chriſtum Dei Verbum & fidem eius nulla ſalus, omnis verò eſt condemnatio. Hinc D: Paulus ad Gal. 2. *In fide viuo Filij Dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Et in hoc quid ſit credendum, poſuit dictum primum B: Alb: Mag: Leuit. 5. vt Orig. habet. Dum offerebatur aries pro peccato, non fiebat propitiatio, niſi emptus fuerit ſiclo ſancto. Siclum eſt fides Catholica, aries cor contritum & humiliatum. Niſi ergò verâ fide fiat, nihil prodeſt. Aug: de verbis Dom: Nullæ diuitiæ majores & honores, quam fides Catholica, quæ homines peccatores ſaluat, cæcos illuminat, infirmos curat. Iam à principio natiuitatis ſuæ fidem plantabat Chriſtus, vt homines Deũ crederẽt venturum, & diabolus regnum ſuum cognoſceret amiſſurum: non enim ille vult mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Inde Iſidor: de Sum: bon: lib: 1. cap. 16. Quamuis ordinem noſtræ liberationis neſcierit diabolus; ſciuit tamen; quòd pro ſalute Chriſtus aduenit: ſed quòd ſuâ idem nos morte redimeret, ignorauit; vndè & eum occidit. Nam ſi ille Chriſtum per mortem redimere humanum genus ſciuiſſet, non eum vtiq; peremiſſet. Talem fidem in Chriſtum Concil: Trid: Seſſ: 6. Can: 21. determinauit: Si quis dixerit Ieſum Chriſtum à Deo hominibus datum fuiſſe vt redemptorem cui fidant, non etiã legiſlatorem cui obediant. Anathema ſit. Hinc Greg. 35. Moral: Niſi quis fidei ſoliditatem tenuerit, diuinam præſentiã non cognoſcet.

Illa ſides eſt tenenda quã Eccleſia Romana prædicat.

Pro ſecundo credendo. Nota. Matth. 16. *Et ego dico tibi; quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiã meam, & portæ inferi, non præualebunt aduerſus eam.* Summa declaratio eſt propoſiti. De qua etiam vaticinatum Iſa. 54. *Sicut in diebus Noë juraui, ne inducerem aquas diluuij vltra ſuper terram; ſic iuraui; vt non iraſcar & non increpem te. Montes enim commouebuntur, & colles contremiſcent; miſericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur. Dixit miſerator tuus Dominus.* Hinc illa Eccleſia cui

ſia cui præeſt D. Petrus, Catholica vocatur; eò, quòd vniuerſaliter ſit per omnem mundum diffuſa. Apoſtolo atteſtante Rom: 1. *Gratias* (inquit) *ago Deo meo pro omnibus vobis, quia fides veſtra anunciatur in vniuerſo mundo.* Sed dices: Dicitur in Actis Apoſt: cap. 8. *Miſerunt in Samariam Petrum & Ioannem Apoſtoli.* Et cap. 11. Arguitur ab eis Petrus quod introierit ad viros præputium habentes. & cap. 15. Non à Petro ſed ab Apoſtolis & ſenioribus miſſum decretum & inſcriptum Antiochiã. Ergò non eſt primatus circa Petrum? Ad 1. dicitur: Etiam filij Iſraël miſerunt Phinæes ſummum ſacerdotẽ & decem Principes cum eo ad filios Ruben & Gad. Et Pater miſit filium in mundum. Et ex Antiochia præcipui Magiſtri miſſi, Paulus & Barnabas Hieroſolymam ad Apoſtolos: non tamen per hoc ſuperioritas & prælatio tollebatur. Faciebat Petrus ex zelo & bono Eccleſiæ, vt licet caput in Samariam iret. Ad 2. dicitur. Quærelæ fidelium reſpondebat non ex poteſtate aliqua ſed ex ratione. Si enim authoritatem tunc attendiſſet: diceret, Paſtorem oues arguere non debent. ſed quando reſpondet, Doctor manſuetudinis fuit. *Ita Greg. lib. 9. Epiſt. 39.* Ad 3. dicitur: Ita eſt quod datũ & inſcriptum fuit communi nomine, ſed ad præcidendam occaſionem diſcordiæ & diſſenſionis. Et hoc ſeruatur in Concilijs, quorum firmitas licèt ab vno pendeat ſummo Pontifice, ſubijciuntur tamẽ ſubſcriptiones, & Potifex ſummus addit adfuiſſe fratrum conſenſum. Id etiam actícatur in concilijs ſupremis à Principibus, vt innuant concordes ſententias interfuiſſe. Sed inferes: Chriſto in Epiſcopatu Hieroſolymitano ſucceſſit, & iniſtitutum religionis Chriſtianæ cæptum Hieroſolymis. Major ergò Petro Iacobus erit. Reſpond: Eccleſia Hieroſolymitana, eſt mater Eccleſiarum ratione antiquitatis, & quorundam priuilegiorum: ſed Romana mater eſt ratione authoritatis, cui Petrus præfuit & vniuerſæ Eccleſiæ. Bern: lib: 2. de Confid: ad Eugenium. Iacobus vnâ Hieroſolymitanâ contentus Eccleſiâ vniuerſitatem Petro cædit. Et Leo de Petro ſer: 3. De toto mundus eligitur, qui & vniuerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctiſque Eccleſiæ Patribus præponatur. Sed contra Clemens apud Euſeb. lib: 2. cap. 1. dicunt: Iacobus juſtus Apoſtolorum Epiſcopus. Dico. Eſt locus corruptus, legi debet Hieroſolymorum. Ita enim legitur in Græco Vaticano. Nam ipſe Euſeb: cap: 14. Petrum Apoſtolorum maximum & primum Principem vocat.

Pro 3. credendo. Nota. Quam rectè ſapiens: Vnus introitus eſt omnibus ad vitam, & ſimilis exitus. puta, à vita. Similis equidem quia ad non eſſe in mundo, donec viuificemur per Chriſtum. At non ſimilis, quia non eodem modo omnes moriemur, ſed certiſſimum quod omnes *Credẽdum eſt nos omnes eſſe morituros.*

mnes moriemur. Vnde B. Nilus in Sent: Tropolog: Exitus nouiſſimi cùm gemitu recorderis, hinc enim animæ compunctio oritur aſſidua. Mortem certam, ſed omnibus modo non eodem. Expreſſit Iſid: de ſum: bon: lib: 1. cap. 30. Doctus pariter & indoctus moriuntur, ſed morte carnis non pœna damnationis, omnia autem pergunt ad vnum locum dum morte corporali ad terram & juſtus & impius reuertitur, retributio autem diſſimilis. Quid plus habet ſapiens à ſtulto, niſi quod illuc pergit vbi vita eſt. Ergò omnes in terram pariter redeunt, nam vbi vita eſt, non pariter pergunt. Fœlix dies cui & accipere lucem, proſpere & reddere placidè contingit. Sed hoc poſtremum plurimi caſus variant, & multa incommoda diſturbant. De Tullo Hoſtilio habet Val. Max. lib. 9. Cap. XII. Ille fulmine ictus cum tota domo conflagrauit, ſingulare fatum, accidit, vt columen vrbis in ipſa vrbe raptum, nec funeris honore à ciuibus decorari potuit. Cæleſti flammâ in hanc conditionẽ redactum, vt eoſdem penates & regiam & rogum & ſepulchrum haberet. Rectè Eccl. 10. *Cùm morietur homo hæreditabit ſerpentes & beſtias & vermes.* Non tamen omnibus ſic vitæ fatales termini, Iſaiæ. 55. *Quia in lætitia egrediemini & in pace deducemini, montes & colles cantabunt coram vobis laudem & omnia ligna regionis plaudent manu.* Equidem omnium terribilium mors terribiliſſima eſt quod manifeſtatur in figura Danielis 8. Vidit ille arietem habentem excelſa cornua & vnum altero excelſius, & ventilabat cornua contra orientem occidentem, aquilonem & meridiem; & omnes beſtiæ non poterant ei reſiſtere: attamèn remedium etiam Seneca lib. de natur. quæſt. reliquit: Effice tibi (inquit) mortem familiarem cogitatione, vt cùm ſors tulerit, poſſis illi etiam obuiam exire. Sed auream induco doctrinam Diui Iſidori de Sum: bono lib. 3. c. 66. Venturi exitûs ignorantia incerta eſt, & dum mori quis non exiſtimat tollitur. Vnde vnuſquiſque feſtinet, ſine in iniquitatibus ſuis rapiatur, ſimulq; finiatur vita cum culpa. Nam incentor diabolus, eos quos viuentes accendit ad vitia, ſubitò morientes pertrahere molitur ad tormẽta. Hinc Sap. 1. *Nolite zelare mortem in errore vitæ veſtræ, neq; acquiratis perditionem in operibus manuum veſtrarum.*

Pro quarto credendo Nota. Brutus cum prælijs penè totam Luſitaniam occupâſſet, & ſola vrbs Cinania pertinaciter arma retineret, redemptionem ab illis tentauit. at illi legatis dixerunt. Ferrum nobis à maioribus quo tuerentur vrbem relictum, non verò aurum, quo ab Imperatore auaro libertatem emerent. Contrarium nobis luctatoribus ad patriam Chriſti meritis conceſſam euenit. Non ferrum nobis proponitur quo in vitam noſtram agamus eamq; quàm celerrimè ſuſtolamus relictum, ſed aurum ope- *In iudicio reddenda ratio*

rum

rum bonorum, & certitudo rationis reddendæ Deo altiſſimo. Hinc Eccleſ. 11. *Lætare iuuenis in adoleſcentia tua & in bono ſit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ & ambula in vijs cordis tui & in intuitu oculorum tuorum, & ſcito quod pro omnibus his adducet te DEVS in iudicium.* Talem rationem reddendam Iſid: lib. 1. de ſum: cap. 30. deſcribit. Ad diſtricti examen iudicis nec iuſtitia iuſti ſecura eſt niſi in pietate diuina: vt & ipſa iuſtitia quâ quiſq; iuſtus eſt Deo iuſtificante iuſtificetur. Alioquin apud Deum, & ipſa peccatum eſt. Iob. Innocentem & iuſtum ipſe conſumet. Conſumitur quippè à Deo innocens, quando ipſa innocentia liquidius requiſita & diuinæ innocentiæ comparata, nihil efficitur, niſi & ibi miſericordiæ pietate homo iuſtificetur: conſumitur item à Deo impius, quando examinis diuini ſubtilitate requiritur, eiuſq; de tecta impietas iudicata damnatur. Declaratum in figura Apoc. 20. Ecce vidi thronum magnũ & candidum, & ſedentem ſuper eam, à cuius conſpectu fugit cælum & terra. Greg: Quid faciet virgulta deſerti, vbi concutietur Cedrus paradiſi? 1. Petr. 4. Si iuſtus vix ſaluabitur, impius & peccator vbi parebunt? Chryſoſt; ſuper Matth: Accuſat peccatorem propria conſcientia, quam polluit; Creator, quem offendit: culpa, quam cõmiſit, diabolus, cui ſeruiuit: ſcriptura, quã transgreſſus eſt: creatura, quâ abuſus eſt: tempus, quo expeccatus eſt. Tot igitur teſtibus qualiter valebit quis reſiſtere. Obmuteſcet peccator. Crede igitur te rationem redditurum, & ita ſtudebis rectè operari, & omni curâ cauere mala.

Pro quinto credendo Nota. Satis declaratum Eccl. 39. quòd dæmones totâ vi fortitudinis ſuæ, totâque malignitate furoris ſui impios cruciabunt. Declaratum quoque quod ignis, grando, fames, ſitis, mors advindictam creata beſtiarum dentes, ſcorpij, ſerpentes, romphea exterminabunt jmpios. Refert Val. Max. tormentum Euripidis Pöetæ lib. 9 cap. 12 Ab Archelai regis cæna in Macedonia domum hoſpitalem repetens, canum morſibus laniatus obijt. Aliquid maius impios expectat. Non debita erat crudelitas tãto ingenio Euripidis, at impijs & blaſphemantibus Deum, ſummè debita immiſericors pœna. Vnde Iſa. 1. *Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini nequam, filijs ſceleratis.* Apoc. 6 *Vidi & ecce equus pallidus, & qui ſedebat ſuper illum, nomen illi mors, & infernus ſequebatur illum.* Greg: in verba Matthæi. Proijcite eum in tenebras exteriores. In inferno erit frigus intollerabile, fætor importabilis, tenebræ palpabiles, flagella cædentium, horrenda viſio dæmonum, confuſio peccatorum, defectio omnium bonorum, erit mors ſine morte, defectus ſine defectu; quia mors ſemper incipit ibi, & defectus neſcit deficere. Sed hæc pauca enumerantur.

Peccator poſt mortẽ quamam la incurrit.

Ma-

tur. Maximum hoc malum, Deum ſuum Creatorem in æternum non conſpicere, & redemptorem nunquam ſuum Saluatorem experiri. Tantum iam malum, ſequitur miſeriarum, chaos: pœnarum mare: malorum, omnimoda farrago. Væ impio in malum: dicit Iſa. 3. retributio enim manuum eius fiet ei. Vidit Ieremias vt legitur cap. 1. ollam ſuccenſſam & virgam vigilantem. Erit enim iuſtus iudex ponens vindictam offenſæ ſuæ in manus diaboli, & erunt in peccatorem iracundi ceu olla ſuccenſa, erunt vt baculus tenuis, qui non frangitur, ſed vigil eſt in omnes aëris plagas. Hinc admonebat B. Nilus Martyr: Qualem libram iudicis ſubiturus ſis, aſſiduè mediteris, & quicquid in vita tua adulterinum erit, emendabitur. Iſidorus l. 1. c. 31. Ne aliquis æquales pœnas omnium cogiter dicit; Ignis non arſit ad ſupplicium trium puerorum, ſed arſit ad comburenda ligamina vinculorum; ita ignis gehennæ lucebit miſeris ad pœnā cognoſcendam, beatis ad conſolationem.

Peccator amittit regnum cæleſte. Pro vltimo credendo Nota. Tritum Polonis à Rege I. Sigiſmundo prouerbium: *VIRTVS LABORE NITESCIT.* Equidem ad tantum recipiendum præmium, quod eſt Deus, æternus, immortalis, incorruptibilis, nulla merita cenſentur, niſi ad comparationem panni menſtruo deformati ſqualore. At de congruo aliquam meretur virtus mercedem, præcipuè laborioſa & infatigabilis pro anima. Iuuat propoſitum Seneca lib. de 4. virt. Iuſtitia (inquit) non noſtra conſtitutio, ſed diuina lex eſt, & vinculum ſocietatis humanæ. Ille igitur qui legem poſuit, legem cuſtodiet, pro his quibus legem dedit. Et quia legem dedit, vt veniant benedicti & accipiant regnum cœlorum; illud ex iuſtitia ſua & miſericordia noſtrî præſtabit. Hinc B. Alb. M. dixit: Crede electos perpetuò cum Deo regnaturos. Dan. 2. *In diebus regnorum illorum ſuſcitabit Deus regnum cæli, quod in æternum non diſſipabitur.* Eſt literalis ſermo de regnis terræ. Igitur aliquis audebit concludere, quod fuerit ſermo Perſarū vel Chaldæorum, & Iudæorum regnū transfuturum ad regnum cæli? Diſtorta cogitatio. Electis ſuis tale cælum præparauit Dominus: *Dico vobis*, inquit Matth: 8. *quòd multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham & Iſaac & Iacob in regno cælorum: filij autem regni*, id eſt, Iudæi; quibus promiſſio erat, *eijcientur in tenebras exteriores.* Ita cæterarum gentium, hæreticorum, gentilium, Schiſmaticorum vana ſpes: illorum enim fructus inutiles, & ad nihilum apti. vt Sap. 4. dicitur. Columba Noë cùm non inueniſſet vbi pes eius requieſceret, reuerſa eſt in arcam. vt Gen. 8. dicitur. Ita beati viatores, cùm non inueniant nolendo, vbi requieſcerent in mundo, illorum non alia requies, niſi regnum cœlorum. B. Nilus M. in ſent. Tropol. Si cælum deſideras, nihil

nihil tibi cum terra, haud enim hæc illa ad iſtud tendere permittit. Vbi quale fuerit gaudium quis enarrabit? Non æqualis pœna, nec æquale præmium erit. At licet inæquale omnibus, illud tamē quod minimum eſt, ſuperat ſummum terrenum bonum. Vnde Abac: 3. *Ingrediatur putredo in oſſibus meis & ſubtus me ſcateat vt requieſcam in die tribulationis & aſcendam ad patrem noſtrum.*

Quæ ſit beatitudo, quam ſi crediderimus reportabimus?

Breuibus ſe expedit B. Alb: Mag: Notat illud Boethij, Beatitudo eſt ſtatus omnium bonorum congregatione perfectus.

ADNOTATIO.

Sinus Abrahæ & regnum cœlorum quaſi coincidunt, ideò quod de hoc ſinu dictum, etiam de cœlorum regno intelligendum. Matth. 16. Mendicus portatus ab Angelis in ſinum Abrahæ. In quem locum D. Hieron. Sinus Abrahæ eſt requies beatorum pauperum. Hæc autem ante paſſionem & aſcenſionē Chriſti fuit in lymbo inferni, hoc eſt, in ora inferni ſuperius, iuxta infernum in quo antiqui juſti Patriarchæ & Prophætæ fælicem aduentum Domini expectabant. Vocatus ſinus, quia capacitatem habuit animas continentem, & occultationem. Abrahæ vocatus, quia Abraham prima via fuit credendi juſtitiam Dei, & primus de requie illa habuit promiſſiones. Vt Matth. 8. *Multi venient ab oriente & occidente & recumbent cum Abraham Iſaac & Iacob in regno cœlorum.* Iſte igitur fuit ſinus Abrahæ, modò autem poſt ianuæ cæleſtis apertionem, ſinus Abrahæ eſt regnum cœlorum, in quo beati collocantur in manſionibus à Chriſto paratis. vt Ioā: 14. *Vado parare vobis locum.* Quorum vox interior deſcribitur in Pſal. 72. *Quid enim mihi eſt in cœlo & à te quid volui ſuper terram? Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum.* At obijcies contra hæc illud Iob. 17. *In tenebris ſtraui lectulum meum.* Et illud: *In profundum infernum deſcendent omnia mea.* Reſpondeo: Lymbus Patrum erat in tenebris, quia viſionem Dei non habebant, ſed tamen aliquid lucis habuerunt gratiæ interioris propter fælicem fidem & ſpem, quia redemptorem expectauerunt. Secundum verò diſtinguendo docet Greg: Infernus dicitur aër in quo habitant tētatores: inferior infernus dicitur terra in qua tentati & afflicti habitant homines; profundiſſimus autem infernus dicitur locus pœnarum cum ſuis lymbis patrum, puerorum, & purgatorij. Ideo dixit profundum inferni.

Sed quod attinet ſtatum beatitudinis qui eſt aggregatio omnium bonorum, hoc Apoſtolus ad Rom: 8. exponit dicens: *Non ſunt condignæ paſſiones huius ſæculi ad futuram gloriam.* Quaſi diceret, fieri poteſt afflictio in hoc *Beatitudo cæleſtis quanta?*

 ſæculo

ſæculo vt exuberent ceu mare aliquod at beatitudo cæleſtis multo altius exuberans eſt, nam comparatio afflictionum ad gloriam illam fieri nequit, cum ſuperexcedat infinite bonum illud cuncta mala mundi. Bern: in medit: ô anima mea ſi continue oportet nos tormenta perferre, ſi ipſam gehennam longo tempore tollerare, & Chriſtum in gloria ſua videre poſſimus, eius ſanctorum & collegio ſociari nonne eſt dignũ pati quod triſte eſt, vt tanti boni tantæq; gloriæ participes habeamur? Ariſt: lib: 4. Polit: habet. In omni ciuitate ſunt tres ſpecies hominum, diuites, pauperes, & mediocres, quarum vltima eſt optima. Ponderauit res ad lancem terminabilis & fugacis boni, at ſi bonum incommutabile ſpeculatus fuiſſet, aliud reddiſſet judicium. Ibi enim omnes diuites nullus pauper eſt: Non eſt enim tibi nec luctus nec clamor nec dolor nec egeſtas, quia prima abierunt. Hinc Iſid: de Summ: lib: 3. cap. 62. Qui vitæ futuræ præmia diligenter excogitat, mala omnia vitæ præſentis æquanimiter portat: quoniam ex illius dulcedine, huius amaritudinem temperat: & ex æternitate illius, breuitatem huius deſpicit tranſitoriam. Fælicio-res igitur oportet nos fieri quàm illi quos eduxerat Moyſes ex Ægypto; nam redeuntibus exploratoribus & illorum è terra promiſſionis, portantibus de triplici excellentiſſimorum fructuum genere illius terræ, animati ſunt Iſraël ad prœlium vt terram obtinerent. At vbi audierunt illam terram habere gigantes potentes, commoti ſunt, turbati ſunt, tremor apprehendit eos, dicebant: *Vtinam mortui fuiſſemus in Ægypto.* Infælices homines retractarunr bellum & omnia bona ob ſi Gigantes. Fæliciores nos ſimus, hanc terram deſideramus nullo reſpectu laborum & dolorum habito, adimplebitur enim in nobis illud Exod. 1. *Quantò magis orprimebant eos, tantò magis multiplicabantur & creſcebant.* Igitur laboremus & oremus Dominum. Dux naualis prælij in Tuniſim Andreas Oria ad ſtellam lucidam, quam in ſua Capitana naui efformauerat, id legendum porrigebat: *Vias tuas Domine demonſtra mihi.* Concludo cum B. Nilo Martyre. Cũ operi manum adhibes, lingua cantet, mens verò oret, Deus enim à nobis vt ſui memores ſimus exigit.

In cælo omnes diuites nullus pauper

DOMINICA II. POST PASCHA.

Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oues meas. *Ioan. 16.*

QVÆ EST CAVSA QVOD SE BONVM PASTOREM PROTESTATVR? Ad hoc

AD hoc vt paſtor ouium irrationabilium vtilis ſit patrifamilas, requiruntur quatuor. Primò: Vt ſit fortis, quo lupo & latrunculis obſiſtere poſſit. 2. quòd ſit ſapiens, vt inter paſcua ſalubria & nociua diſcernere ſciat. 3. quòd ſit vigil, ne videlicet eo dormiente grex ſibi commiſſus diripiatur. 4. quod ſit benignus, ne videlicet oues extrauagantes baculo percutiat, ſed eas ad viam cum modeſtia reuocet, & cum lenitate earum debilitatem ſupportet. Et propter has cauſas Dominus ſe bonum, hoc eſt, vtilem paſtorem appellat.

De primo Iob. 9. *Sapiens corde eſt & fortis robore quis reſiſtit ei & pacem habuit:* Si fortitudo quæritur, robuſtiſſimus eſt. Iſte eſt ille Dauid qui cõtra Goliath, hoc eſt, diabolum procedens pro caſtris Iſraël ſingulare certamen iniuit, illumq; triplici lapide, hoc eſt, innocentiâ cordis, oris, operis, in cruce moriens proſtrauit, occidit. Iſte eſt paſtor bonus qui quotidie contra dæmones aſſiſtit pro ouibus ſuis. Iſa 63. *Ego qui loquor iuſtitiam & propugnator ſum ad ſaluandum.*

De ſecundo Eccl. 1. *Omnis ſapientia à Domino Deo eſt, & cum illo fuit ſemper, & eſt ante æuum: fons ſapientiæ verbum Dei, id eſt, Filius Dei in excelſis.* Iſte ergo paſtor oſtendit ſalubria ouibus paſcua, docet verbo & exemplo pernitioſa Chriſtianis paſcua, diuitiarum, delitiarum, honorum; & ſalubria paupertatis, aſperitatis, humilitatis: nam & in diuerſorio natus id docuit, & in loco Caluariæ ad viam publicam, vt ſecus viam paſcua oues Domini quærerent. Aug. de Cathechizãdis rudibus: Omnia bona terrena contempſit, homo factus Chriſtus Dominus, vt contemnenda monſtraret, & omnia terrena mala ſuſtinuit, quia ſuſtinenda præcipiebat, vt neq; in illis quæreretur fælicitas, neq; in iſtis infælicitas timeretur.

De tertio Pſal. 120. *Non dormitabit neq; dormiet qui cuſtodit Iſraël.* Et Iſaiæ 21. *Super cuſtodiam meam ego ſum ſtans totis noctibus ſuper ſpeculam Domini, ego ſum ſtans iugiter per diem.* Docet vt etiam nos vigilemus pro ſalute. *Vigilate & orate ne intretis in tentationem.* Matth. 26.

Vigilans ſuper gregem.

De quarto Iſa. 40. *Sicut paſtor gregem ſuum paſcit, in brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinu ſuo leuabit, fœtas ipſe portabit, patrens eſt in peccatorum diſſimulatione.* Benignus in beneficiorum collatione, ipſe quod perierat requiſiuit, in mundum veniendo quod abiectum erat reduxit, ouiculas ſuas in brachio crucis colligendo, & poſtea in aſcenſione animas quas de limbo eripuerat in cœlum reuehendo, quod fractum fuerat alligando per veram ſatisfactionem. Ipſe enim quaſi verus Samaritanus purgat vulnera peccatorum infundens vinum acerrimæ contritionis, & ſuperfundens oleum internæ conſolationis, & ſic alligat vulnera panniculis præceptorum quod infirmum eſt, con-

Morbis earum medetur.

ſolidat per adiutricis gratiæ tranſmiſſionem, quod forte & pingue eſt, cuſtodit per Angelicam protectionem. De quibus Ezech. 34. *Quod perierat requiram, & quod abiectum erat reducam, & quod fractum fuerat alligabo; & quod infirmum erat conſolidabo, & quod pingue & forte eſt, cuſtodiam.*

ANNOTATIONES.

Chriſtus bonus paſtor. PAſtorem bonum ſeſe nominauit, quia doctrinâ & exemplo pauit. Iſid. de Sum. bono l. 3. c. 36. ſicut in numiſmate metallum figura & pondus quæritur: ita in omni Doctore Eccleſiaſtico quid ſequatur, quid doceat, quomodo viuat. Per qualitatem igitur metalli doctrina, per figuram ſimilitudo Patrum, per pôdus humilitas deſignatur. Qui verò ab his tribus diſcrepauerit, non metallum ſed terra erit. Bonus etiam, quia non iracundus: iracundi enim Doctores per rabiem furoris diſciplinæ modum ad immanitatem crudelitatis conuertunt, & vnde emendare ſubditos poterant, inde potiùs vulnerant. Item bonus paſtor, quia non ſuperbus. Iſid. l. 3. c. 42. Agnoſcat Epiſcopus ſe eſſe conſeruum plebis, non Dominum verum. hoc charitas non conditio exigit. Item bonus paſtor, quia ſummè compatiens miſerijs noſtris. Iſid. l. 3. c. 46. Boni paſtores populi delicta debent deflere, & totos ſe planctibus tradere imitantes Hieremiam Prophetam dicentem: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacbrymarum; & plorabo die ac nocte interfectos populi mei?* Tanquam igitur propria delicta plebis peccata ſacerdos flere debet; ſed affectu compatiendi, non accuſationi commiſſi.

Pro 1. Nota. *Fortitudo mea, & laus mea Dominus.* Ex. 15. Quis verus eſt Dominus, niſi ille qui nihil eget, & omnes ab illo egent? Quis eſt talis, niſi Chriſtus IESVS? qui cùm in cœlum aſcenderet, dicit de illo Euangeliſta Mar: 16. *Et Dominus IESVS aſſumptus eſt ab eis.* Factus eſt ille fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione ſua, ſpes à turbine, vmbraculum ab æſtu. Iſa. 25. Vidit Ioannes Ap: 1. in medio 7. candelabrorum aureorum ſimilem filio hominis. Eſt multiplex fortitudo; ſed fortitudine Chriſti nulla maior. 1. Fortis eſt aquila, quæ pugnat & vincit ſerpentem. 2 Fortis eſt Leo, & ideò rex animalium quadrupedum. 3 Fortis inter aquatilia Cete, à quo de profundo piſces. 4. Fortis eſt homo, qui diſcerpit leonem, ſuffocat vrſum. 5. Fortis eſt angelus malus. 6. Fortiſſimus Angelus bonus, qui Luciferum debellauit. 7. Fortes ſunt beati in cælis. 1. Iſa. 2. *Scribo vobis quoniam fortes facti eſtis, & verbum Dei manet in vobis.* Inter hæc ſeptem fortia, ſtat in medio Rex omnium, & triumphator homo Chriſtus Ieſus. Eſt qui ſedet ad dexteram Patris. Fortes iudicium de forti Ciceronis: Fortes & magnanimi habendi ſunt, non qui faciunt, ſed qui propulſant iniuriam. Talis eſt D. Ieſus & fortitudo noſtra.

Pro 2

Pro 2. Nota. Sapientia ſumma huius paſtoris. Dicit Comment. in prologo 2. Phyſic. Vltima perfectio hominis eſt, vt ſit perfectus per ſcientias ſpeculatiuas, & hæc eſt ſibi vltima fælicitas & ſempiterna vita. Magna de ſcientia dixit, ſed altioré ſcientiam quæ vera eſt ſapientia non conſiderauit. Non in hac ſcientia eſt ſtatus; ſed in ſcientia & ſpeculatione Dei & Chriſti Ieſu, quia eſt ſapientia Patris. Apoc. 21. legitur de quadam ciuitate, quæ habet tres portas ad orientem, tres ad occidētem. 3. ad aquilonem. tres ad meridiem. Ita profectò ſapientia paſtoris Chriſti eſt, habens portas multas ad omnes mundi plagas, quia de ſapientia ipſius omnes accipiunt. Fons & origo eſt omnis ſcientiæ noſtræ. *O altitudo ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius.* Rom. 11. Non paſcet hic paſtor oves ſuas in paſcuis nociuis. nam vir probus repudiat nociua vitiorum, ſicut Val Max:l.4. c. 3. oſtendit. Fabricius Legatus ad Pyrrhum, audiuit Athenienſem apud Cyneam narrantem & ſuadentem ne quid aliud homines quam voluptatis cauſa facere vellent, pro monſtro eam vocem accepit, & continuò eam ſapientiam Pyrrho & Samnitibus precatus eſt. Quis non magis hanc deteſtationem Fabricij quàm præcepta Epicuri adamabit? Nociua hæc paſcua nec digna laude hæc ſapientia, qui his innodauit vitam, perijt; nec locus eius inuentus eſt. Alia ſunt paſcua quibus nos paſcit Chriſtus bonus paſtor. Iſid: lib: 2.cap.29. Mali mala reſpondent pro bonis & aduerſa pro optimis: boni bona reſpondent pro malis & proſpera pro aduerſis.

Pro 3. Conditione boni paſtoris Chriſti. Nota. Inſidiæ plurimæ requirunt vigilias multas. Dicitur autem Apoc. 3. *Si non vigilaueris, veniam ad te tanquam fur, & neſcies quando veniam ad te.* Cogitandum ergò vbi eſt apertus hoſtis de vigilia plurima, vt nedum oculo ſed & aure & manu vigilis contra hoſtem. Taliter enim admonebat Apoſtolus. 1.Cor:16. *Vigilate, ſtate in fide, viriliter agite, & confortamini.* Neque Iſidorus de Summ: lib: 2.cap:33. tacuit eaſdem vigilias: In cordibus (inquit) ſæculariter viuentium inuicem ſibi ſuccedunt vitia, vt dum vnum abierit ſuccedat aliud, juxta Ioëlis prophetiæ teſtimonium, qui ait: Ioël. 1. *Reſiduum erucæ comedit locuſta, & reſiduum locuſtæ comedit bruchus, & reſiduum bruchi, comedit rubigo.* Per id verò iſta ſub vitiorum allegoria colliguntur, quia ſequitur: *Expergiſcimini ebrij & flete.* Maximè Ioab afflixerat exercitum Amon, ſed filij Amon impetum tantum fecerunt vt Vriam occidiſſent. 2. Reg: 11. Quo audito Dauid miſit ad Ioab dicens: Non deficias (ſed plurimum vigiles) fortiter dimicâre. Varius enim euentus belli, victorem, reddit victum. Sine comparatione vigilias & excubias feruentiores requirit contra hoſtem animæ Chriſtiana congreſſio, quam

Chriſt. eſt paſtor vigilans.

ſio quàm contra hoſtem corporis, tum quia acerbior eſt hoſtis animæ, tum quia anima eſt pretioſior corpore. In quem ſenſum Mar. 8. dicitur: *Quid proderit homini ſi totum mundum lucretur & detrimentũ animæ ſuæ faciat? aut quid cõmutationis dabit homo pro anima ſua?* Ergo vigila ſemper pro anima tua, paſtor enim animæ tuæ Chriſtus nunquam vigilare ceſſat pro anima tua. Hinc admonebat B. Nilus Epiſc: Quando in ſomnis dæmonibus obedire incipimus, tunc etiam vigilantes deinceps illudit.

Pro quarta conditione boni paſtoris. Nota. Quàm ſit benignus in oues paſtor animarum noſtrarum Chriſtus. clarum in Euangelio Mat 25. *Quod vni ex minimis feciſtis, mihi feciſtis.* Ier 36. *Tolle volumen libri, & ſcribes in eo omnia verba quæ locutus ſum tibi aduerſum Iſrael & Iudam & omnes gentes.* Ad quid liber? Iuſtitia requirit. Vt mali pœnas, boni præmia referant? Iuſtus judex Deus, quis arguere poterit illum? Fecit ex benignitate, vt quos percutere & punire debuerat, hos quodam monitorio præmonet vt reſipiſcant. Tolle (inquit) volumen & ſcribe: Verba patris miſericordiarum & Dei totius conſolationis. 1. Reg. 14. legimus. Jonathas obtentâ victoriâ contra Philiſtæos inuenit mel & ſummitatem virgæ, quam manu tenebat intinxit in illud. Dominus IESVS poſt victoriam de hoſtibus animarum quam per crucem ſuam & mortem tulit, effecit apud Deum Patrem pro nobis, vt rigida juſtitia in peccatores, & virga cum baculo quibus puniri debuerant, in melle miſericordiæ intincta manerent; ita vt non amplius regnare videatur juſtitia eius, quàm miſericordia in mundo. Sed licet ſit tam benignus paſtor animarum noſtrarum, non tamen inde præſumendum eſt ad malum; quia nedum miſericordia, ſed & ira citò approximant apud eum, nec tibi cras promiſſum ad indulgendum. Vnde Seneca de Prudentia: Scito te in quibuſdam debere perſeuerare quia cœpiſti: quædam verò nec incipere in quibus perſeuerare ſit noxium. Inquit Mich 6. *Indicabo tibi ô homo, quid bonum & quid Dominus requirat à te! Vtiq; facere iudicium & diligere miſericordiam, & ſollicitum ambulare cum Deo tuo.*

Quid per oues eius intelligatur?

Oues Chriſti qui.

RESP. Genus humanum, precipuè Chriſtiani. Pſal. 94. *Nos populus eius & oues paſcuæ eius.* Et 1. Pet. 2. *Eratis ſicut oues errantes ſed conuerſi eſtis nunc ad paſtorem & Epiſcopum animarum veſtrarum.* Debet igitur quilibet ouem imitari in vngulæ fiſſione, in ruminatione, in munditia & obedientia, in ſimplicitate & lenitate, in multiplici vtilitate, & compaſſionis coniunctione.

Chriſtianus habeat proprietatem ouis.

Primum. Vt diſcretionem boni & mali habeamus. iuxta Pſal. 30 Declinemus à malo & faciamꝰ bonũ. Secun-

Secundum, ruminemus per iugem meditationem beneficiorum Dei tam ſpiritualium quàm corporalium, & de ſingulis gratias agamus: Inhoneſtum & inurbanum; vt ſicut porci deuoremus beneficia Domini, & gratias ei non agamus.

Tercium, caueamus à ſordibus luxuriæ, nam oues inuitiſſimè inquinant pedes. 2. ad Cor. 6. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus perficientes ſanctificationem ſpiritus in timore Dei.*

Quartum, vt oues obediunt paſtori, ita nos Deo & ſacerdoti in his quæ ſunt ſecundùm Deum. Ad Philip. 2. *Chariſſimi; ſicut ſemper obediſtis, cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini.*

Quintum, ſicut oues ſimplices eſſe debemus, dolum nequitiæ cõtemnentes. 1. Pert. 2. *Chriſtus paſſus pro nobis vt ſequamini veſtigia eius; qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus in ore eius.* Ad Phil. 2. *Omnia facite ſine murmuratione, & ſitis ſimplices ſicut filij Dei.*

Sextum, debemus eſſe lenes & manſueti. Iſa. 53. *Sicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet.*

Septimum, vt ouis vtilis eſt, ita Chriſtian9 ſit proximo ſuo vtilis. Pauperibus exhibent lanam, cooperiendo nudos, cibet eos & potet, etſi neceſſe eſt corpus ſuum in mortem tradat pro ſalute proximi ſui.

Octauum, oues feruore meridiei coniunguntur, ita Chriſtiani in tribulationibus ſint concordes & compatientes ſibi.

ANNOTATIONES.

Sapientia cæli plurimum differt à ſapientia mundi. Quis ſapienter in hoc mundo hominem rectè vocâſſet ouem? Chriſtus verò ſapientia cæleſtis vocat Chriſtjanos oues ſuas. Ezech. 34. *Vos oues gregis mei homines eſtis.* Habet Ariſt. 4. Ethic. c. 5. Pulchritudo in magno corpore ſemper exiſtit, vnde parui formoſi poſſunt dici non pulchri. Et addit ibidem: Paruus honore non eſt dignus: Sapientia cæleſtis econtra: Omnẽ pulchritudinem & honorem ipſis paruulis tribuit & conſeruat. Vnde Propheta eligendo Iſraeli Regem non altos & magnos conſecrauit, ſed paruum Dauid Pſal. 114. *Cuſtodiens paruulos Dominus.* Cur paruulos non elatos? Quia Dominus non quantitatem mollis, ſed quantitatem virtutis pẽſat. Ideò non dat vitium ſtaturæ altæ nec ſtaturæ paruæ, ſed virtutem humilitatis non ſpiritum elationis remuneratur. Gloriam præcedit humilitas. dicitur Prou. 15. Dum ergò oues ſuas vocat Chriſtianos Chriſtus, manſuetudinem & humilitatem in eis prædicabat. de qua Iudith 9. Humilium & manſuetorum ſemper tibi placuit deprecatio. hinc orabat Pſal. 118. *Erraui ſicut ouis quæ perijt; require ſeruum tuum Domine quia mandata tua non ſum oblitus.* *Humilitas ouis decet Chriſtianum.*

Pro 1. ſimilitudine Nota. Iſa. 48. *Ego Dominus docens te vtilia, & gubernans viam quam neſcis.* Profectò hæc doctrina & via eſt perfecta & vera homini propoſita.

poſita: *Declina à malo & fac bonum.* Et ſicut nulla regula nobilior ad vitam Chriſtianam, ita nulla volenti facilior. Abacuc. 2. dicebat Dominus: *Scribe viſum & exara eum ſuper tabulas, vt percurrat qui legerit.* Exponunt verbum (percurrat) Doctores, vt currendo legat, & ſine difficultate intelligere poſſit. Quid clarius? quid lucidius fieri potuit ſcriptum? quàm malum fuge, bonum fac? Hoc ouis edocet, quæ ſimplicitatem, innocentiam & vtilitatem exprimit. Simplicitatem in malo, ſunt enim ſine plica mali. Rom. 16. *Volo vos eſſe ſimplices in malo.* Innocentia in omnibus, quod etiam lædentes non lædit. Docet innocetiam, de qua Pſal. 24. *Innocens manibus & mundo corde qui non accepit in vano animam ſuam.* Vtilitas autem ouis omnibus clara eſt, quia ea omnia quæ ſunt in oue vtilia ſunt. Ita homo proximo ſuo vtilis eſſe debet. Fac ergò bonum exemplo ouis, & declina à luto & malo, vt ouis Erudit. nos ad fugiendum à malo & ad faciendum bonum Iſid. lib. 3. cap. 65. Qui vitam longam quæris, ad eam tende vitam pro qua Chriſtianus es, id eſt ad æternam; non ad iſtam, de qua aderuendum te deſcendit vita æterna id eſt: Chtiſtus, Verbum carni coniunctum. Illa eſt enim vita vitalis, iſta mortalis eſt. Exodi. 9. Moyſes proiecit cineres verſus cælum & facta eſt plaga veſicæ & vulnerum, ita vt fætor intollerabilis eſſet. Cur non in terram proiecit cineres? vel in aërem? ſed iuxta mentem Moyſi, proiecit verſus cælum? Qui licèt non ſuperauerit aërem; tamen intentio Moyſi erat, vt ſuperaret & perueniret ad cælos. Superbiam Pharaonis dicentis. *Neſcio Deum tuum nec dimittam populum.* Exprimebat per tales cineres Moyſes, quæ quidem ſuperbia, quia eſt caput faciendi malum; proiecit cineres, qui ſignificabant hominem Pharaonem, verſus cælum proteſtando Domino ſuperbum cor eius & durum. Quocircà vt deducatur ad faciendum bonum Pharao & dictis obediat Moyſi, permiſit Deus vt cum deſcenſu cinerum in terram, deſcendat fætida infirmitas, quæ Pharaonẽ retrahere valuerit à ſuperbo corde & induxerit ad faciendũ bonũ. Greg. lib. 7. Moral. Omnis ſuperbia eo ipſo in imo iacet, quò in alto ſe erigit, & inde magis ſuppoſita cunctis fit, vndè cunctis appetit ſuper eſſe. Ariſt. lib. 4. Polit. Diuites & nimis potentes non ſubijciuntur nec volunt ſubijci. Quocirca medium extrauagans adinuenit Deus in Pharaonem & eius Principes, malum malo puniendo, ſuperbiam vlceribus, & in locis verecundia obtectis. Nota.

Superbia Pharaonis pœna.

Pro ſecunda ſimilitudine. Pſal. 118. *Meditabar in mandatis tuis quæ dilexi.* Talem meditationem B. Alb. Magnus non immeritò ruminationem vocauit: ſicut enim cibus oui non eſt vtilis niſi dentibus rumine tur, ita homo ad panem cæli ſine ruminatione per meditationem peruenire non poteſt. Vnde Greg. in 1. Reg. Contemplantes, in terra Paleas

Meditatio beneficiorũ Dei & gratiarum facienda.

paleas metunt, in cælo panem. Meditatio eſt ceu trituratio; effectus verò meditationis eſt, ceu comeſtio tritici. Ariſt. 4. Meth. dicit: Primum principium in aliqua ſcientia debet eſſe firmiſſimum in illa & notiſſimum, & non poteſt mentiri circà ipſum. B. Alb. Mag. principia prima fidei & ſcientiæ Chriſtianæ, ponit meditationem & gratiarum actionem, quæ ita ſunt firma & nota, vt firmius & notius nihil aliud fieri poteſt. De contemplatione D. Paulus 2. Cor. 3. *Nos verò omnes reuelatâ facie gloriam Domini ſpeculantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu.* Idem. Pſal. 76. *Memor fui Dei & delectatus ſum, meditatus ſum nocte cum corde meo & exercitabar & ſcopebam ſpiritum meum.* Fidei enim merces eſt contemplatio, vt dicit D. Aug. lib. 1. de Trin. cap. 8. De altero verò principio Gratitudine, etiam Ethnici docuerunt. Sodiades: Accipiens redde, habens gratificare. Cic. 2. offic. ex Heſiodo: In referenda gratia ſi modo Heſiodo credimus, debemus imitari agros fertiles qui multo plùs afferũt quàm acceperunt, etenim ſi in eos quos ſperamus nobis profuturos non dubitamus officia conferre, quales in eos eſſe debemus, qui iam profuerunt. Sed quod attinet beneficia Dei, illa referre nunquam poterimus. Nam ſi beneficia omni momento temporis à Deo accipimus, qui plus temporis in otio & peccatis terimus; quando igitur æqualem retributionem offerremus? Debitum tamen expoſcitur à nobis vt Deum meditemur & contemplemur, eiq; referre gratias non negligamus, qui parcit peccatori ſeptuagies ſepties in die. Hinc B. Nilus Mart. In aduerſis gratias age, & iugum tuum leue erit. Filiæ Ieruſalem exierunt cum tympanis obuiam Dauid reuertenti de prælio Philiſthinorum. 1. Reg. 17. Multò magis nos regratificari debemus Chriſto, nedum hoſtium noſtrorum victori, ſed innumerabilium beneficiorum largitori.

Pro 3. ſimilitudine. Nota. Nullum malum impunitum, nullum bonum irremuneratum inquit Boeth: lib: 4. dè Conſol: ſed ſi quod malum meretur pœnam, eſt luxuria potiſſimè, quæ à regno cœlorum excludit. Ambr: in lib: de Abel & Cain: Sæuus criminum ſtimulus eſt libido, quæ nunquam quietum affectum manere patitur, nocte feruet, die anhelat. Et quod ingens malum eſt, generat plurima vitia. In luxuria eſt voluptas, in voluptate impudititia. Hinc Hieron: in quadã Epiſt: ô ignis infernalis luxuria, cuius materia gula, cuius flamma ſuperbia, cuius ſcintillæ praua eloquia, cuius fumus infamia, cuius cinis inopia, cuius finis gehenna. Gen. 15. legimus: *Cùm occubuiſſet ſol, facta eſt tenebroſa caligo, & apparuit clibanus fumans & lampas ignis tranſiens inter diuiſiones cadauerum.* Timor Domini & verecundia populi, ſoles hi vbi

Luxuria multorum malorum eſt origo.

occubuerint; ſuccedunt peccatorum tenebræ, apparet ignis luxuriæ inter cadauera. Hieron: vt B: Alb: Mag: in 3 cap. Io: ſcribendo de muliere quæ quinq; viros habuit, memorat. Eſt nimium ardens ignis. Dicit enim: Non ethnei ignes, nec vulcanei montes ibi æſtuant, ſicut iuueniles medullæ vino & dapibus inflammatæ. Exit autem ex eis furor cùm luxuria, vndè aggrediuntur audacter terribilia, ita quod inſaniræ videantur. At quantum malum ſit luxuria ac vitiorum parens, oſtendit Val. Max: lib: 9. cap 1. Dum Volſinienſes deſcribit: Erat illorum vrbs opulenta, moribus & legibus ornata, caput Hetruriæ habebatur, ſed poſtquàm luxuria prolapſa eſt, in profundum iniuriarum & turpitudinem decidit, vt ſeruorum ſe dominationi inſolentiſſimè ſubijceret; qui primum pauci ſenatorium ordinem intrare auſi, & mox vniuerſam Remp: occupauerunt: teſtamenta ad arbitrium ſuum ſcribi jubebant, conuiuia cætuſq; ingenuorum fieri vetabant, filias Dominorum in matrimonium ducebant: poſtremò lege ſanxerunt, vt ſtupra ſua in viduis & nuptis impunita eſſent, ac ne qua virgo ingenuo nuberet, cuius caſtitatem non ante ex numero ipſorum aliquis delibâſſet. En quod malum ſit luxuria! Quocirca monet B: Alb: Mag: ne in luto luxuriæ inquinemus pedes noſtros & cogitationes. Quia vt habet B: Maximus: Facilior eſt tranſitus de virtute ad luxuriam, quàm à luxuria ad virtutem.

Pro 4. ſimilitudine. Nota. Obedientia ciuium, puta Principi & legibus, eſt fælicitas vrbis, inquit Xenoph: obedientia verò Deo & Eccleſiæ, eſt ſalus Chriſtiani. Bern: in declam: Obedientia amica ſalutis. Non enim attendit verus obediens, quale ſit quod præcipitur, ſed hoc contentus ſolo, quod præcipitur. Et Chryſoſt. Obediendum Deo abſq; ſignis, obediendum hominibus propter Dᴇᴠᴍ. Hinc Deuteronom: 11. *En propono in conſpectu veſtro hodie benedictionem & maledictionem: Benedictionem, ſi obedieritis mandatis Dei veſtri; ſine maledictionem, ſi non audieritis.* Neq; ſine ratione Iuriſperiti ſolam obedientiam ponunt quæ fidei meritum poſſidet, nam ipſe Chriſtus Luc. 9. clamat ad obediendum: *Qui vult venire poſt me, veniat; ſed tollat crucem ſuam & ſequatur me.* Abnegare enim ſemetipſum debet, vt ſit ceu ouis cum paſtore. Oportet formam aſſumere paſtoris & configurari paſtori, ſicut faciunt oues. Ita Apoſt: faciebat vt ad Philip: 3. *Sequor autem ſi quomodo comprehendam, in quo & comprehenſus ſum.* Conſidero leproſos clamantes: *IESV præceptor miſerere noſtri.* & quæro quo medio ad mundatum corpus peruenerunt. Inquit B: Alb: Mag: in loco prædicto: Sanati ſunt, meritò obedientiæ, quia enim ſimpliciter obedierunt, mundationem lepræ conſecuti ſunt. Ita ergò obedientia neceſſaria eſt ad hoc vt ſis ouis Chriſti,

quod

quod ſine illa non eris. Vnde D. Paul: 2. Theſſ: 3. *Si quis non obedierit verbo noſtro, per epiſtolam hunc notate; neq; commercium habeatis cum illo, vt pudore ſuffundatur, neq; vt inimicum habeatis, ſed admonete vt fratrem.*

Simpliciter viuit in Chriſtiano requiritur.

Pro quinta aſſimilatione. Nota. ſimplices in malo & ſine dolo viuentes, aſſimilantur Chriſto oui, in cuius ore non eſt dolus inuentus. Equidem Deus tantæ potentiæ eſt vt Iſid. de ſumm. lib. 2. cap. 34. dicit. quod homines, qui de virtutibus vitia nutriunt ex quibus pereunt, arte ſuâ potentiſſimâ ex vitio virtutes format, quibus nos ab iniquitate reformet, at hoc virtute eius abſoluta fit; ordinaria verò virtus in nobis requiritur, vt ſimpliciter & ſine dolo viuamus in hoc ſæculo, ſi reflorescere in cælis concupiſcimus. Quocircà nos vt oues, ſimplices & ſine dolo fieri, iubet B. Alb. Magnus omnibus enim nobis in conuerſationis initio nulla virtus magis neceſſaria eſt, quàm ſimplicitas humilis, & grauitas verecunda. inquit D. Bern: Quem quidem modum viuendi ſine dolo, ſed ſimpliciter etiam Apuleius lib. de Deo Socratis, expreſſit dicens: Si laudas aliquem quia generoſus eſt, parentes eius lauda; ſi autem quia diues eſt, fortunæ hoc debetur; ſi autem quia validus, ægritudine fatigabitur; ſi autem quia velox, in ſenectute abibit; ſi autem quia formoſus, expecta modicum & non erit: ſed ſi laudas quia bonis moribus & artibus doctus eſt, & valde eruditus quantum homini licet, tunc ipſum virum laudã, quia nec à patre hæreditarium, nec caſu pendulum, nec ætate mutabile, nec à corpore caducum. Vide quomodo, ſimplicitatem & ſinceritatem vitæ in moribus & artibus concludere voluerit. Sed clariſſimè de hoc illud ſpeculum parentis & ſimplicitatis Iob. 1. dicebat: *Vir erat in terra Hus nomine Iob. & erat vir ille ſimplex & rectus ac timens Deum & recedens à malo.* Igitur ſimus ſapientes in bono & ſimplices in malo. Ex qua quidem ſimplicitate ſicut beata gloria ſperatur, ita exurgens ex illa elatio damnata eſt cum Phariſæo dicente, *Non ſum ſicut cæteri homines, ieiuno, de eleemoſynas, &c.* Vnde Iſid: de ſumm: lib 2. cap. 7. Multi apud homines electi putantur, & apud Deum reprobi exiſtunt; atq; multi apud homines reprobi ſunt, & apud Deum electi. Salomon dicit: Eccl. 58. *Vidi impios ſepultos, qui cum adhuc viuerent in loco ſancto erant & laudabantur in ciuitate quaſi iuſtorum operum.* Nullus ergò putet ſe electum, ne fortè iam apud Deum ſit reprobus.

Chriſto in manſuetudine debemus aſſimilari.

Pro ſexta aſſimilatione. Nota. Infinita penè eſt prærogatiua manſuetorum. Philoſophi quadruplex infinitum adnotarunt, ſecundùm magnitudinem, ſecundùm multitudinem, ſecundùm ſpeciem & ſecundùm durationem. Superat infinitas manſuetorum, nam illis Deus omnipotens beatitudinem in cælis hære-

hæreditariam dedit. Eccl. 10. *Sedes ducum ſuperborum deſtruxit Deus, & ſedere fecit mites pro eis.* Neque id ſolùm intelligendum de ſede terrena, vt idem cap. 3. admonebat. *Fili in manſuetudine opera tua perfice & ſuper hominum gloriam diligeris.* Sed de beata ſede principaliter tenendum eſt, ſicut idem Eccl. 10. dicebat. *Fili mi per manſuetudinem gloriam animæ tuæ concilia, & eam honore quem meretur affice.* Apoc. 3. dicitur ad Ioãnem: *Ecce oſtium apertum dedi coram te.* Quid reſtat niſi vt intres? At hæc apertio quia in viſione erat non aliud declarabat, quàm quod fidelibus manſuetis apertum ſit oſtium ad cælum. Nam ſicut atrium magni Principis non retinet nec prohibet intrare cubiculum Principis eos, qui veſtes regias, & neceſſaria Principi inferunt, ita manſueti non prohibentur intrare in cælum, quia Chriſti veſtimenta, manſuetudinis ſcilicet deferunt. Pſal. 149. *Exaltabit manſuetos in ſalutem.* Sed manſuetudinis conditiones, dignos cælo mãſuetos, declarabunt. Ariſt. de virt. & vitijs. Manſuetudinis eſt, poſſe ferre moderate obiecta crimina & contemptus, nec celeriter rapi in vltiones, de facili moribus comem ac mitem, & ingenio quieto. Vnde Baſilius in Epiſt: Pax & manſuetudo characteres animæ piæ.

Chriſtianus debet eſſe vtilis proximo.

Pro 7. aſſimilatione. Nota. Lydi9 Politicus optimi viri, nulli, nocere, omnibus prodeſſe. Et quia prodeſſe quandoque poteſt aliquis nocendo, vt judices proſunt, & parentes puniendo diſcretè filios, idcircò vtilitatem in oue conſiderabat B: Al: Mag: ex qua inſtruebat vtilitatem proximorum. Nam & hoc vtile eſt, quod prohibet malum & nociuum vel perſonæ vel communitati. Seneca de moribus modificat vtilitatem proximi dicens: Vires tuas amici magis ſentiant beneficijs, quàm iniurijs. Primum enim hoc digniſſimum laude, alterum vitio condemnatur, cùm iſtud ſit proprium feris, illud condecens rationi. Equidem ſi proximo aliquis iniurioſus atq; inutilis erit, imò damnis, carceribus afficiet ipſum, potens eſt Dominus nedum reducere ab inflictione ſed erigere ſuper aduerſarium. Ita Eccl. 4. *De carcere catenisq; interdum egreditur quis ad regnum, & alius natus in regno inopia conſumitur.* At quia feciſti contra mandatum Domini, tetigiſti pupillam eius, & ipſi Deo in proximi perſona iniuriatus fuiſti: jam & abſciſſum membrum à capite Chriſto manebis, & tabeſcet memoria tui. Vnde Plato Dial: 4. de Leg: Honorandus certè eſt qui nihil iniuriatur; qui verò nec alios id facere patiatur duplici honore, imò etiam magis honorandus, illi enim vni, hîc multis hominibus comparatur. Exemplo igitur ad benefaciendum proximo Ioſeph Patriarcha, qui fratribus ſuis qui eum occidere volebant & vendiderunt poſtea Iſmaëlitis, non fuit injuriatus, ſed benignè exceptos multis affecit vtilitatibus & beneficijs, omnia & ſe ipſis

pſis offerendo. Ita qui proximo vtilitatem affert & vult, vt ouis reputabitur Chriſti, neq; illum aliquod malum peſſundabit in mundo, quia Deut: 20. arbores fructiferæ prohibentur euelli; ſed transferre tur in paradiſum æternum. *Florebit plantatus in domo Domini.*

Pro 8. aſſimilatione. Nota. Quia nihil Reip. pernicioſius quàm diuiſio, & nihil melius quàm vnio: idcircò fugienda diſcordia & firmanda eſt concordia. Hinc Caſſiod: ſuper Pſal. Summoperè jurgia fuge, nam contra parem contendere anceps eſt: cum ſuperiore furioſum: cum inferiore ſordidum: cum fatuo ſtultum. Gen: 25. Rebecca cùm ſenſit geminos in vtero filios collidentes inuicem, & ex hoc colligebat diuiſionem & rixam futuram inter ipſos, ait: *Cur neceſſe fuit vt eos conciperem ſi hoc futurum erat?* Declarabat concordiam ſummum eſſe bonum, diſcordiam verò malum Sed non omnis concordia bonum eſt, at ipſa bonorum concordia; nam malorum concordia malum eſt. Vnde Iſidorus lib: 3. cap: 3. Concordiam malorum contrariam eſſe bonorum. Et ſicut optandum eſt vt boni pacem habeant inuicem, ita eſt optandum vt mali inuicem ſint diſcordes. Vnanimitatem quippe malorum, bonorum eſſe contrariam. Paulus Apoſt: approbat qui malos contra ſe diuidit quos in necem ſuam concordaſſe conſpexit. Indè & in lege mare rubrum, hoc eſt, concordia malorum hominum diuiditur, vt electorum via tendens ad beatitudinem non impediatur: impeditur autem; ſi mare, hoc eſt, vnitas, nõ diuidatur iniquorum. Milites S. Georgij cùm faciunt profeſſionem, vouent obedientiam ſupremo & charitatem proximo. Quo voto quid ſignificatur, niſi vnitas animorum ad Principem, & concordia cùm proximo? Amplectenda admonitio Iugurthæ apud Saluſt: ad Liberos: Equidem vobis trado regnum firmum ſi boni eritis. ſi mali, imbecillum. Nam concordia res paruæ creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur.

Quæ ſunt paſcua ouium Chriſti?

EZech. 34. *Inducam oues meas in terram ſuam, & paſcam eas in montibus Iſraël, in riuis & in cunctis ſedibus terræ.* Terra ouium Chriſti eſt terra viuenrium, ibi paſcua inuenient vberrima, ſcilicet gaudia in monte patris & filij & monte Spiritûs ſancti. Paſcentur in riuis potentiæ qui fluunt à monte patris, in riuo ſapientiæ qui fluit à mõte filij, in riuo charitatis & beneuolentiæ qui fluit à monte Spiritûs ſancti. Paſcentur in cunctis ſedibus puta Archangelorum, Angelorum, Virtutum, Poteſtatum, Principatuum, Dominationum, Thronorum, Cherubin & Seraphin. Specialia gaudia inuenient in ſede Patriarcharũ, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, viduarum

Oues Chriſti paſcũtur in terra viuentium.

duarum, Coniugatorum: quæ nobis Dominus præſtare dignetur.

ANNOTATIO.

PAſcere in montibus & in riuis oues, congruum eſt; ſed in ſedibꝰ terræ paſcere oues inconueniens oui: ſedes enim ad ſedendum & manendum accommodatæ ſunt, quod ouibus haud cõuenit. Vnde apparet ſermonem Ezechiëlis non fuiſſe de ouibꝰ irrationalibus ſed rationalibꝰ. Quocircà addidit inferiùs: *Vos autem greges mei greges paſcuæ meæ, homines eſtis & ego Dominꝰ Deus veſter, dicit Dominus Deus.* Vnde B. Alb. M. rectè paſcua ouium cœlum & Sanctiſſimam Trinitatem, interpretatus eſt, & ſedes beatorum gloriam. Quod verò ouibus Chriſti terra hæc viuentium & gloria ſanctorum debeatur. Iſidor de Sum. l. 1. c. 33. docet: Poſt reſurrectionem Sanctis in carne promiſſa eſt cælorũ aſcenſio dicente ad Patrem Chriſto: *Volo vt vbi ego ſum & ipſi ſint mecum.* Si enim membra capitis ſumus, & vnus in ſe & in nobis eſt Chriſtus, vtique vbi ipſe aſcendit, & nos aſcenſuri ſumus. Neque ſolùm oues ſuas Dominus paſcere debuit in terra hâc mortalium. vt Ierem. 23. dicitur: *Ecce ego congregabo reliquias gregis mei de omnibus terris, ad quas eieceram eos, & conuertam eos ad rura ſua & creſcent & multiplicabuntur, & ſuſcitabo ſuper eos paſtores & paſcent eos.* ſed paſcere quoq; eos debuit in terra viuentium, quia ad hoc paſtoris datur hic ipſis gratia, vt paſtorem in cælis cum paſcuis æternis poſſideant in gloria. Et clarè id demonſtratur in figura Exod. 5. Poſtquam Moyſes & Aaron inceperunt ex Dei mandato populum inducere ab egreſſu Ægypti ad ingreſſum terræ promiſſionis, Pharao & ſui cæperunt fremere & furere in Aaron dicentes: Quare vos ſolicitatis populum exire Ægyptum? Oſtenſum eſt oues ex mundi paſcuis egredi debere ad paſcua æterna. Greg. 1. moral: Veniet in fine ad nos amor diuinus conſũmato agone noſtro, & nos coronabit coronâ victoriæ, quam Deus ipſe certantibus promiſit. Terra mortalium, eſt viatoribus via ad terram viuentium; ideò conſumato agone noſtro, glorioſa paſcua coronarum inſtar oues Chriſti accipient. Dicet: *Dominus paſcit me & nihil mihi deerit in loco paſcuæ; ibi me collocauit, ſuper aquas refectionis educauit me.* Pſ. 22. Vbi Hieron: Eſt infinita promiſſio ſpeſque beatitudinis, quando ipſe Dominus pollicetur dicens: *Ego paſcam oues meas, & nequaquam eas committam malis paſtoribus, & ego eas accubare faciam: dicit Dominus Deus vt requieſcant in ſinu Abraham, Iſaac, & Iacob.* Paſcua auium fuiſſe crucem, inter ordines militares: lego in regnis Legionis & Luſitaniæ. Milites Auiſij illi vocabantur, quia pro inſigni duas aues ad pedem crucis coloris viridis deferebãt. hos Innocentius III. 1204. confirmauit. Aues igitur illi quaſi de cruce paſcantur, ita diſpoſitæ in ſigillo manent. & in profeſſione illi fratres vouebant: Promitto obedientiam magiſtro.

Paſcua ouium Chriſti

paſcua auium crux.

giſtro, caſtitatem coniugalem, & conuerſionem morum meorum de benè in melius; omni tempore vitæ meæ vſque ad mortem. Exprimebant tam ſigillo quàm voce, quod de cruce, pro cruce, & in cruce ſpem, conſolationem & vitam tenebant. Crux illis cibus, crux potus, crux vita & mors fuit. Profectò vt aues de arboribus paſcuntur, ita illi de cruce paſcebantur confidentes, quod illis Dominꝰ miſericors paſcua æterna in cœlis præparata, in remunerationem virtutum conferet.

DOMINICA III. POST PASCHA.

Iterum videbo vos. & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis. *Ioan. 16.*

Qui ſunt illi, quos iterum Dominus viſurus eſt?

ILlos qui modo plorant & flent & triſtantur. *Amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos & contriſtabimini.* Plorare debemus propter multorum bonorum operum omiſſionem. Flere propter multorum criminum commiſſionē. Contriſtari propter diuturnam noſtræ peregrinationis ac exilij prolongationem. Eccl. 3. *Quod eſt tempus flendi & ridendi.* Modò flere debemus vt poſteà rideamus.

Primò Flendum ob omiſſionem. Stultus eſſet mercator qui ob pigritiam & commodum paruum corporis negligeret nundinas, in quibus lucraretur bonum multorum annorum. Et ecce Chriſtus vitæ noſtræ tempus inſtituit ceu quaſdam nundinas in quibus laboribus & operibus noſtris debemus mercari æterna bona: Sic fecerunt Martyres, qui corpora ſua dederunt ad ſupplicia, & omnia quæ habuerunt pro anima dare non dubitârunt. Iob. 2. *Pellem pro pelle & omnia dabit homo pro anima ſua.* Præcipuè quia pro vilibus mercibus noſtris, glorioſas merces exhibet. Auguſt. clamat: Venale habeo, venale habeo. Quid? Regnum cælorum. Quo emitur? Paupertate & eleemoſynis regnum, labore quies: ignominiâ gloria, morte vita æterna. Petit etiam ipſe à nobis, vt res quas ab eo gratis accepimus, iterum ei ad vſuram centuplicem commodare velimus. Sed hoc pauci volunt facere. Conquæritur Ierem. 15. *Væ mihi mater mea, quare genuiſti me virum rixæ, virum diſcordiæ in vniuerſa terra! Non fœneraui, nec fœnerauit mihi quiſquam, Omnes maledicunt mihi.* Virum rixæ ſe nominat, quia multi per peccata ſua rixantur cum eo, & impugnant eum.

Virum

Virum diſcordiæ, quia pauci concordant cum ſua voluntate, pauci in fouendis pauperibus eum ſibi debitorem faciunt, multi verò maledicunt ei vel in ſe ipſo, vel in membris ſuis.

Secundò, flere debemus propter criminum cõmiſſionem. Dominus fleuit ſuper peccata noſtra, fortius nos flere debemus. Luc. 9. *Fleuit ſuper ciuitatem, etſi cognouiſſes & tu.* Puta fleres. Deus ſpecialiter exacerbatur propter quædam peccata, per quædam corpus & anima ſordidatur, per quædam peccata dilectio proximi violatur. Exacerbatur per quinq;. 1. Propter fidei corruptionem, per hæreticos, ſortiarios, phytoniſſas, diuinatrices, incantatrices. 2. Per aſſiduam & falſam iurationem; multi verò per crucem & vulnera Chriſti iurant. 3. Per vindictarum poſtulationem in eleuatione corporis Chriſti. 4. Per oppreſſionem pauperum. Deo enim derelictus eſt pauper. Sordidatur verò corpus & anima per peccata gulæ & luxuriæ, fit enim per hæc quaſi ſtabulum & fœtens cloaca. Dilectio proximi violatur per furtum, rapinam, fraudes, detractiones, conuicia, homicidia, falſa teſtimonia, iram, inuidiam, &c.

Contriſtari debemus propter longam peregrinationem.

Tertiò contriſtari debemus ideò quia amiſimus bona, tempus inaniter expendimus: plorare & dolere debemus, vt aliquid de bonis neglectis recuperemus per lachrymas & dolores. Flere de cõmiſſis peccatis, & contriſtari de hac moleſta peregrinatione, vt transferamur ad Dominũ. Pſ: 129. *Hei mihi quia incolatus meus prolongatus eſt.* 1. Pet: 2. *Obſecro vos tanquam aduenas & peregrinos, abſtineatis vos à carnalibus deſiderijs.* Nota: triplices Domini peregini. 1. Tranſeunt de mundo ad religionem; & hi rapiuntur in cœlum aëreum, vt quaſi aues de beneficijs Deo gratias agant. 2. Tranſeunt quotidie de vitijs ad virtutes & de virtute ad virtutem, hi feruntur in cœlum ſydereum, vt quaſi ſydera luceant in firmamento cœli. 3. Per contemplationem tranſeunt de regione corporum ad regionem ſpirituum, hi cum Paulo rapiuntur in cœlum empyreum, vt cum ſanctis Angelis Dei faciem contemplentur. Contriſtari ergò oportet hos peregrinos ob diuerſam hominum & dæmonum inquietationem. 1. Pet. 2. *Modicum nunc oportet vos contriſtari in varijs tentationibus vt probatio veſtræ fidei multo prætioſior ſit auro.*

ANNOTATIONES.

PRo prolatu & omiſſione, Trenorum. 1. *Plorans plorauit in nocte & [illegible] lachrymæ in maxillis eius.* Grauis fletus, [illegible] quia grauis dolor conſtrinxit cor, [illegible] inteſtina, & commouit cerebrum cum venis. Quid amiſiſti ô homo? quod irremediabile malũ ſucceſit? Reſpõdet: Idcircò ego plorans & oculus deducens aquas, quia longè factus eſt conſolator à me conuertens animam meam. ô damnum in æſtima-

æſtimabile. Si perijſent, ſubſtantia, ſanitas, cognatio, honos, recuperari vel in parte poſſent; ſed cùm animæ ſalus conſolator beatitudo perijt, nunquam reſarciabile damnum. cum viribus naturæ nihil in his mortalis proficere valeat, ſed vt ſol poſt noctis tenebras omninò ad lucendum requiritur, ita ſola gratia omnipotentis Dei expoſtulanda, vt ille iterum indigno, lumen menti conferens, ſeſe ex ineffabili gratiâ homini conſolatorem præbeat. Hinc in Exodo legimus quod cum Moyſes aſcendit in montem & lumina ſuper caput eius apparuerunt ſignum erat quod Dominus deſcenderit ad eum. Plorare igitur de omiſſis bonis B. Alb. Magnus iuſſit, nam ante Deum lachrymæ nunquam fallere poſſunt, licet quandoquè hominem fallant. Quocircà Iſidorus de lachrymis hominum falſis dicit lib. 2. cap. 31. Interdum falſis lachrymis ſeducti decipimur, & creditur dum plorant, quibus credendum non erat. At quoniam Dominus Deus falli non poteſt, ante Deum lachrymæ falſæ fieri non poſſunt. Vnde Iſid. ibidem: Quacunq; arte verborum quiſque iuret, Deus tamen qui conſcientiæ teſtis eſt, ita hoc accipit, ſicut ille cui iuratur intelligit. Idem de ploratu hominis intelligendum eſt, imò valor lachrymarum noſtrarum penſandus, quibus id meremur ex quodam congruo, vt damnum tam inæſtimabile reparare aliquomodo in via peregrinationis noſtræ valeamus. Magnum planctum viri veræ pœnitentis & humilis hîc adducere libet, qui lachrymas conuerſi de peccatis & lachrymas redientis de pœnitentia & lachrymis ad peccandum perſonuit, nec dico authorem, quia ille ſeſemetipſum expreſſit, dicens: Eſaias peccatoribus dicit. Iſa. 1. *Lauamini & mundi eſtote.* Lauatur itaque & mundus eſt, qui & præterita plangit, & flenda iterum non committit. Lauatur & non eſt mundus, qui plangit quæ geſſit, nec tamen deſerit, ſed poſt lachrymas ea quæ fleuerat, repetit. Sic denique alibi animam pœnitentem atque iterum delinquentem ſermo diuinus increpat dicens: *Quàm vilis facta es nimis iterans vias tuas.* Quiſquis ergò culpas præteritas plorat, hunc neceſſe eſt modum teneat, vt ſic admiſſa defleat, nè iterum flenda committat. Væ mihi miſero Iſidoro, qui & pœnitere retroacta negligo, & adhuc pœnitenda committo. Etſi commiſſa ſic terribilia, quantò terribiliſſima erunt bona omiſſa, cùm ex omiſſis facilè ruimus in commiſſa. Vnde ad Gal. 5 *Currebatis benè, quis vos impediuit veritati non obedire?*

Pro flectu Nota. Ploratus & fletus in hoc diſtinguntur. Inquit B. Alb Mag: ſuper 16 cap. Ioã. Ploratus eſt in lachrymatione, fletus in querela anguſtiæ. Vnde Apoſtoli plorabant de abſentia conſolatoris, & flebant de inſtantia mundi perſequentis. Hinc plorare de omiſ- *Inter ploratum & fletum diſcrimen.*

ſis & flere de commiſſis iubet B. Albertus Magnus, vt cum quærela quod Deum Patrem Dominum redemptorem ob leues mundi conſolationes, & inanes ſpes, ac immoderatos affectus, grauiter offenderimus, & proximum læſerimus. Fælicem Ionam, qui Domini recordatus eſt in fletu & exprobratione ſuæ inobedientiæ in ventre Ceti, vt Ionæ 2. dicitur: *Cùm anguſtiaretur in me anima mea, Domini recordatus ſum.* Homo oneratus peccatis commiſſis, non in ventre ceti, ſed in barathro inferni iam ſubmerſus manet, at ipſa gratia miſericordiæ facit, quod non detrudatur iudicatus, nec iuſtitia diuina terroribus eum conceſſerit. Hinc B. Nilus Martyr: Peccatorem luge, iuſtitiæ enim gladius extenſus capiti illius imminet. Ioſeph Patriarcha deiectus in carcerem, ob crimen nefandum impoſitum ſibi à Regina & Rege: nonné erat proximus maledictioni & morti? Quis liberauit ipſum? quod medium adinuentum? Hominis iudicium & ratio hic ceſſat, quia Dei conſilium ſuccedendo efficax medium obtulit. Sis Propheta Domini: Sis interpres ſomniorũ, ſecreta rerum venientium noueris, futura explicabis, & mox vbi pincernæ interpretatus eſt ſomnium, & piſtoris ſomnio aperuit intellectum, ad altiora interpretanda à Rege vocatus, nedũ à morte liber extitit, ſed ſecund⁹ à Rege conſtitutus fuit. Idẽ ferè iudiciũ poſuit peccatori, graue iuſtum & irreuocabile. At ſi mortalis ad fletum conuerterit oculos, & ad cor reduxerit pœnitentiam de commiſſis in hac via & lachrymarum valle miſericors eſt Dominus, quod manum iuſtitiæ nedum retrahet, ſed ampla virtutum corona & honorum gloria, etiam hic ipſum illuſtrare & adornare inchoabit. Commentator dicit in lib. 9. Æthicorum. Vir vituperatur vltimo vituperio, quando nihil facit niſi propter ſeipſum. Quid diceret de illo qui nihil facit nedum propter ſeipſum, ſed etiam contra ſe & animã ſuam facit? Profectò hunc vituperium ſine fine manebit, & in æternũ in corpore & anima, niſi lachrymis peccata diluerit, cruciabit.

Pro contriſtatione Nota. Sen: de quatuor virtutibus dicit: Conſilia tibi ſalutifera aduoca. Nullum accommodatius conſilium peregrinanti, quàm faſtidire præſentia, & anhelare ad cæleſtia; ita enim nedum ſe rerum peregrinantem declarabit, ſed promouebit greſſum ſuſpirijs ad cæleſtia fortiùs, quã Propheta ſumpto pane ſubcinericio. Habet de reſpiratione hominis & animalium Ariſt: lib. de Iuuent. & Senect. Reſpiratio fit per nares & per arterias; per priuationé primæ animal nõ moritur, ſed benè per priuationẽ ſecundæ. Ad reſpirationẽ animæ ſeu ſpiritualẽ, vnicus modus, per contriſtationẽ de fine beatifico. Vnde ſi homo non ſuſpirabit per deſiderium ad ſuperna, ceu ſine reſpirio morietur in anima. Neceſſe eſt enim omne inſpirans reſpirare. Exodi

xod. 15. Filij Iſraël exeuntes de Ægypto non receperunt manna, niſi conſumptâ farinâ, quam ſecum portauerunt. Ita non faſtidiendo terrena & terreſtria, non poteſt quiſquam aſpirare ad æterna, conſequenter, non poteſt contriſtari de diuturna peregrinatione. Bern. ſerm. 77. Præoccupatum ſæcularibus deſiderijs animum delectatio ſancta declinat, nec miſceri poterunt vana veris, æterna caducis, ſpiritualia corporalibus, ſumma imis; vt pariter ſapias quæ ſurſum ſunt, & quæ ſunt ſuper terram. Hinc Prou. 3. *Date ſiceram merentibus, & vinum his qui amoro ſunt corde.* Nedum dolentibus de ſua longa peregrinatione promittit Dominus conſolationem, ſed præbet merentibus in hoc ſæculo (quaſi inchoando præmia) gratiã donationis & dulcedinis. *Contriſtati eſtis ſecundùm Deum.* Idcircò pænitentiam in ſalutem ſtabilem operamini. D. Paulus 2. Cor. 7.

In quo tempore plorantibus, flentibus & contriſtatis ſit ſe oſtenſurus?

Dicendum. Hoc faciet tunc, quãdo anima vniuſcuiuſque electi vel hic vel in purgatorio ab omni ſorde peccatorum ſufficienter emundata & ab Angelis ei præſentata fuerit.

ANNOTATIO.

Pſal. 41. *Fuerunt mihi lachrymæ panes die ac nocte; dum dicitur mihi, vbi eſt Deus tuus?* Videbat fide Deum S. Dauid, quoniam credebat in Chriſtum venturum, at non contentus hâc viſione ceu in ſpeculo & per velamentum videndo Deum, ſed deſiderabat videre illum facie ad faciem in gloria æterna, vbi finem habet obiectio. *Vbi eſt Deus tuus, Deus autem noſter in cælo.* In eundem ſenſum Thobiæ 5. *Quale mihi gaudium eſt, dum in tenebris ſedeo, & lumen cæli non video?* Ad lumen fidei, lumen cæli appoſitum, maximum peregrino adfert ſpiritum ſpei & deſiderij: lumen enim cæli pulchritudinem Angelorũ, pulchritudinemq; Dei ceu index quidam oſtendit; quocirca cùm orbatus viſu Thobiæ deplorat infortunium, quòd cœli lumen non conſpiceret, demonſtrat tale lumen quoddam monitorium eſſe homini, ad curam deducendam de viſione diuinâ futurâ. Etſi licitè quis contriſtatur de non viſo lumine cœli, multò magis contriſtandum de non videndo Deo eiuſq; beatitudine Iſa. 61. *Gaudens gaudebo in Domino.* Et Abac. 3. *Ego autem in Domino gaudebo & exultabo in DEO IESV meo.* Summa confidentia, quia ſumma fides, ſumma dilectio Dei. Nolebant gaudere in bonis temporalibus, vanis, turpibus, permixtis, inſtabilibus; quia Dominus conuertit in luctum citharas. Sed gaudere deſiderabat in bonis ſpiritualibus, plenis, veris, pulchris, æternis & puris. Inſuper gaudebat & exul-

& exultabat in Domino & Deo Ieſu ſuo. Pſal. 131. *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi,* (inquiebat ille) *in domum Domini ibimus.* Vbi gaudij nunquam erit finis, Sed amantes fiſtulas, non poſſunt attendere ſermonibus ſi audiant fiſtulantem. inquit in Ethic: Ariſt: Ita qui mundo eiuſq; amori irretitus eſt, non poteſt audire de cœleſtibus, donec mundana dereliquat. Etſi audire non poteſt, certè ipſa deſiderare atq; illis perfui non poterit, plus lutum quàm cœlum, fœtorem quàm odorem, faciem quàm cum carne aciem, cogitabit, deſiderabit: vndè nec Deum videre niſi à ſorde peccatorum emundatus, atq; ab Angelis bonis præſentatus eſſe valebit. Iob. 21. *Tenent tympanum & citharam, & gaudent ad ſonitum organi, ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* Qui verò fletu & lachrymis emundauerit peccata, audiet & in effectu ſentiet illud. Tob. 3. *Poſt tempeſtatem tranquillum facis, & poſt fletum & lachrymationem & exultationem infundis.* Auguſt: in Soliloq: Domine formator meus ex vtero matris meæ non ſinas me cadere in illam exprobrationem vt exprobretur mihi. Tibi laus & gloria, tibi gratiarum actio, cuius eſt omne bonum, nobis confuſio faciei & miſeria, quorum eſt omne malum, niſi tu Domine volueris miſereri.

Quale ſit illud gaudium quod nemo ſit ablaturus?

ELecti triplex habebunt gaudium de triplici ſtola animæ, & de quadruplici ſtola corporis, quadruplex habebunt gaudium. De his ſeptem Iſa. 51. *Gaudium & lætitia inuenietur in ea.* Hoc propter omnimodam cognitionem, inſatiabilem dilectionem, *Gratiarum actio & vox laudis,* propter pleniſſimam Dei fruitionem. Sequitur: *Venient in Sion laudantes, & lætitia ſempiterna ſuper capita eorum.* propter corporis claritatem, gaudium & læticiam tenebunt, propter corporis ſubtilitatem & agilitatem: fugiet dolor & gemitus, propter beatam immortalitatem. Quæ gaudia nobis Dominus largiri dignetur.

ANNOTATIO.

OCulus non vidit DEVS abſque te quæ præparaſti expectantibus te. Iſa: 64. Obſtupuit Regina Saba 3. Reg: 10. cùm vidit prudentes ſeruos Salomonis, ornatum & diſpoſitionem curiæ, & audiuit ſapientiam regis. Et dixit: *Plus vidi quàm relatum mihi fuerat.* Sed hæc, rabies & rubigo conſumpſit cum Salomone. Ea quæ præparauit Deus homini & inæſtimabilia & immortalia & incomprehenſilia & æterna ſunt. Oculus non vidit, auris non audiuit, in cor hominis non aſcendit. Ariſtoteles lib: 3. Methaph: Tex: 15. Philoſophi antiqui Deos faciebant principia entium, & dicebant, illa eſſe immortalia, quæ guſtauerunt nectar & ambroſiam, illa verò mortalia quæ non gu-

non guſtauerunt. Guſtauit ambroſiam & nectar qui expectauit Deum, qui dilegebat Deum, qui deſiderabat Deum, qui ſeruiebat Deo, ideò cum læticia venient, & immortales viuent. Iſa: 66. *Lætamini cum Hieruſalem, & exultate in ea, omnes qui diligitis eam. Gaudete cum ea gaudio vniuerſi qui lugetis ſuper eam vt ſugatis & repleamini ab vberibus conſolationis eius, & mulgeatis & delicijs affluatis ab omnimoda gloria eius.* Sed quod attinet ſtolam Sanctorum, hæc mirabiliter eſt formoſa, nam tota veſtis eſt in forma filij, quam Spiritus S. formauit per adoptionem. De qua 49. Iſa. *Viuo ego dicit Dominus, quibus omnibus velut ornamento veſtieris, & circumdabis eos tibi velut ſponſa.* Sed quæ ſunt & qualia veſtimenta hæc ô Sancte Prophæta! *Amicieris lumine velut veſtimento.* Pſal: 103. En quàm mirabilis ſtola, quæ formam filij Dei exprimit, qui eſt Deus de Deo & lumen de lumine? Hanc ſpem & talem ſtolam promiſerat nobis Dominus Amos 9. *Ædificat in cœlo aſcenſionem ſuam, & faſciculum ſuum ſuper terram fundauit.* Quis eſt iſte niſi filius Dei, ille eſt qui deſcendit, ille etiam qui aſcendit? Ædificauit aſcenſionem qui per ſe aſcendit, & fundauit faſciculum Sanctorum ſuper terram, vt & illi per ipſum aſcendant in cœlum. Quis igitur mortalium explicabit tale gaudium? Nullus. Sed ſicut Daniël gaudebat inter leones, dum vidit ſibi miſſum prandium; ita nos miſeri in carne vt in carcere poſiti, de tali gaudio nobis dato gaudere debemus. Romani olim decreuerant vt infimæ conditionis hominem ſed tamen fortem & magnanimum imperatorē crearent; dicit Granat: in medit: Chriſti. Elegerunt, at ille arbitrabatur ſe ad ſupplicium & mortem duci, at nobiles dicebant, ſe venire vt Imperatorem crearent, vti & fecerunt. Quàm ingens lætitia fuit illius hominis, qui ad tale faſtigium imperij fuit euectus? Major ratio læticiæ in nobis fieri debet, nam ille licèt genere indignus, attamen vir fortis & magnanimus fuit: at homo ad tantam gloriam Angelorum promoueri nihilo dignus eſt, cuius ipſa opera, nedum ſeruorum inutilium, ſed etiam pannus menſtruatæ ſunt. At quod noſtris meritis mortalis homo non obtinet, id ſpeciali gratiâ benigniſſimi in nos Dei tenuit & poſſidet. Sed audite pro ſtola conſeruata hîc in mundo, redditur ſtola in cœlis gloriæ. Et quæ ſeruanda in mundo ſtola? Hieron: Tom: 3. in Epiſt: ad Damaſum, in verba: Celerius proferte ſtolam primam & induite eum, dicit. Stolam quam Adam peccando perdiderat, quæ etiam veſtimentum dicitur nuptiale, id eſt, veſtem Spiritus S. quam qui non habuerit, non poteſt Regis intereſſe conuiuio. Et Aug: Tom: 3. in fine lib: 6. in Gen: Illa ſtola prima, aut ipſa juſtitia eſt vndè lapſus eſt, aut ſi indumentum corporalis immortalitatis ſignificat, etiam hanc ille ſic amiſit, cùm propter peccatum ad illam peruenire non potuit.

Et Tomo: 7. contra Fulgentium Donatiſtam dicit: Afferte ſtolam, illam nimirum de qua Paul: ad Gal: 3. *Quotquot in Chriſto baptiſati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Hanc habeo, in hâc gaudeo, in hâc ſemper glorioſior apparebo. Et paulò ſuperiùs: Ego non in aliena veſte congaudeo qui in Catholica fide ſemper exulto. Illa eſt quam habeo, quâ me in die redemptionis miſericors & benignus pater in decore veſtiuit. Hæc igitur ſtola nobis eſt conſeruanda, honoranda, cuſtodienda, non ſordidanda nec laceranda, nam pro hac, ſtola gloriæ in cæleſtibus reddetur, & gaudium quod nullus ablaturus ſit, nobis aſſignabitur. Concludo præmonito Senecæ de 4. Virt: Cùm tibi alludit vitæ proſperitas, tunc te velut in lubrico retinebis ac ſiſtes, nec tibi dabis impetus liberos, ſed circumſpicies quo eundùm ſit, vel quouſq;. Reſiſte ergo malò vt Ioſeph Patriarcha, crede vt Abraham, eſto obediens vt Iſaac; aſpice Deum tuum, vt Iacob.

DOMINICA IV. POST PASCHA.

Cùm venerit Paracletus, illle arguet mundum de peccato, de iuſtitia & iudicio. *Ioan. 16.*

QVIS EST PARACLETVS QVEM DOMINVS MISSVRVM SE PROTESTATVR?

Spiritus S. eſt Paracletus,

SPiritus S. Paracletus, idem eſt, quod aduocatus vel conſolator, vt Gloſ. interlinealis in Ioan. 14. *Ego rogabo patrem & alium paracletum, dabit vobis vt maneat vobiſcum in æternum Spiritum veritatis.* Eſt autem Spiritus S. Aduocatus reorum, conſolator mæſtorum, redargutor obſtinatorum. De 1. ad Rom. 8. *Ipſe Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram, nam quid oremus ſicut oportet neſcimus: ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Gloſ. Nos facit poſtulare, nobiſqué interpellandi & gemendi inſpirat affectum. Et tali modo eſt Aduocatus Spiritus S. De 2. in ſequentia cantat Eccleſia: *Conſolator optime, dulcis hoſpes animæ, in labore requies, in æſtu temperies, in fletu ſolatium.* De 3. Ioan. 16. Cùm venerit paracletus, arguet mundum de peccato, iuſtitiâ, & iudicio. Et nedum arguet improbos ſed etiam interficiet. Iſa. 11. *Percutiet terram virgâ oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium.* De 3. Paul: de Antichriſto 2. ad Teſſ. 2. *Tunc reuelabitur ille iniquus, quem Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui.*

Eſt aduocatus

Eſt coſolator

AN-

ANNOTATIO.

Spiritus ſanctus miſſus à Patre & filio.

SI *quis Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius.* Rom. 8. Quis iſte eſt ſpiritus? Non alius, niſi Spiritus Paracletus. Ad Gal. 4. *Miſit Deus ſpiritum filij in corda noſtra clamantem: Abba pater.* Quia illum miſit à Patre paracletum & ſpiritum veritatis. Aug. mitti, eſt cognoſci, quia ab illo ſit, vt procedens puta ab illo, hunc ego mittam à patre, & Pater illum mittet in nomine meo. De hoc Num. 11 *Tollam de Spiritu tuo & dabo 70. viris.* Significabatur quod de Spiritu Chriſti dabat fidelibus in ſeptuaginta duabus linguis. Et Iſa. 26. cùm dicitur: *Spiritus meus, qui eſt in te non deficiet de ore tuo, & de ore ſeminis tui in perpetuum.* Ecce hìc Deus Pater ſuum Spiritum vocat: Procedit ergò Spiritus ſanctus ſimul à Patre & Filio, vnâ ſpiratione communi. vt docet S. Thomas: Non vt duo ſpirantes ſed vt vnus ſpirator. Iſid. lib 1. cap. 17. Spiritus S. Patris & Filij eſt, & inde vnum ſunt Pater & filius; quia nihil habet Pater, quod nō habeat filius. Non enim res vna & duorū conſubſtantialis poterit ſimul ab eis procedere & ſimul ineſſe, niſi vnum fuerint à quibus procedit. Et B: Alb: Mag: ſuper 15. Ioan: A Patre ſimplicis ſubſtantiæ aliquid procedere poteſt niſi per eſſentialem proceſſionem, & ideo Spiritus S. ſicut & Verbum eiuſdem eſſentiæ & ſubſtantiæ eſt cum Patre. Et cùm dicitur quòd à Patre Spiritus S. procedit, oportet etiam quòd à Filio procedat. In omni enim natura nuſquam inuenitur aliquis Spiritus eſſe alicuius, niſi quia ab ipſo procedat cuius eſt Spiritus. Dicere ergò quod Spiritus eſt Filij & non procedens à Filio, eſt dicere id cuius ſimile in nulla natura inuenitur. Hoc autem regulariter eſt hæreſis; attribuere Deo cuius contrarium in tota natura manifeſtatur. Sicut cùm dicerem: Idem generat ſeipſum, quia nulla natura ſeipſam generat vt ſic. Ergò iſtud eſt dicere hæreſim, quod Spiritus eſt alicuius & nón procedit ab ipſo. Dicis: Saluator dicit quod procedit à Patre? Reſpondetur: Quia ad Patrem omnia ſua rèferre conſueuit, à quo ipſe Filius procedit.

Quod attinet aduocatum, quod ſit Spiritus S. aduocatus. Nota. Aduocatus eſt pro Chriſto & pro nobis. Pro Chriſto, quia in mundo aduerſarios & mundum de peccato infidelitatis conuincet. *Arguet mundum de peccato, de iudicio, de iuſtitia.* Io: 16. Pro nobis aduocatus. Vt Rom: 8. dictum. Cùm Ioſeph Patriarchæ filius fratrem minimum ceu in vinculis retinuit, alios verò fratres remiſit ad patrem. Dicit Pater iterum mittendo filios: *Dominus faciat eum vobis placabilem, & remittat vos & hunc fratrem quem tenet in vinculis.* Vox & Spiritus Pàtriarchæ, aduocatum tunc egit ad Dominum Ægypti Ioſeph. Talem aduocatum Spirit. S. habemus, qui nos poſtulare facit gemitibus inenarrabilibus. Hinc Iſid: de ſummo bono lib. 1 cap. 17 Cunctis nunc gentibus gratia SS. tradita eſt, neque in paucis, vt in populo Iſraël,

Spiritus S. eſt aduocatus pro Chriſto & pro nobis.

ſrael, ſed & omni credentium multitudine, SpiritusS. gratia manet. Vnde teſtem Spiritum S. pro nobis ponunt, Act. 5. *Spiritus ſanctus teſtis eſt, quem dedit Deus in omnibus obedientibus ſibi.* & ad Rom. 8. *Ipſe Spiritus reddit teſtimonium ſpiritui noſtro, quoniam ſumus filij Dei.* Eſt igitur aduocatus noſter, ſi & teſtis eſt noſter. Teſtes namq; pro nobis quidam ſunt noſtri aduocati. At præcipuè aduocatus noſter Spiritus ſanctus, quia ille ineffabilia docet, quæ proferre humanus ſermo non poteſt.

Spiritus S. Conſolator in perſecutione Eccleſiæ.

Quod attinet conſolatorem. Nota. Quia de omnibus quæ ex odio inferebantur Apoſtolis, Diſcipulis, Chriſtianis: conſolabatur eos Spiritus ſanctus. Iſid. l. 1. c. 17. de Sum. Spiritus S. pro eo quòd conſolator ſit, paracletus nuncupatur, conſolatio dicitur: & reuerà dum dona ſacramentorum tribuit, conſolationem animæ præbet. Credo equidem quod magnam lætitiam ſentit, qui aliquid reuelante ſpiritu dicit, vel didicit. Gen. 2. *Fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum.* Intellectus eſt de Spiritu ſancto, quia de illo dictum eſt Ioël. 2. *Effundam de ſpiritu meo.* at iſte fluuius de loco voluptatis, id eſt, Patre & filio in amore iunctis egreditur, ad paradiſum irrigandum, hoc eſt, ad conſolationem Chriſtianorum, qui ſunt paradiſus ſpiritualis IESV Chriſti & totius Trinitatis, iuxta illud: *Ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus.* Quocircà Leo Papa de Spiritu Sancto: Ab hac die tuba Euangelicæ prædicationis intonuit, imbres charyſmatum, flumina benedictionum, omne deſertum & vniuerſam aridam rigauerunt.

Peccator in iudicio ſuppl... argu...

Quod attinet redargutionem, Nota. Pſal. 49. *Arguam te & ſtatuam contra te faciem tuam.* Cur non dicit Dominus, ſtatuam contra te faciem meam, ſed dicit *tuam*? Omnes enim qui arguunt aliquem, ſuam faciem contrariam ſtatuũt his quos arguunt. Signum ſummæ redargutionis: Ita enim peccatores arguet Deus, quod conuicti in malo, ſuam faciem propriam aduerſam ſibi ſentient, & arguentem ſe cognoſcent, & ita exhorreſcent, vt ipſi ſibi ſint pœna & flagellum. *Arguet te malitia tua & auerſio tua increpabit te.* Hierem. 2. Vnde D. Aug. ſuper hæc verba. *Arguam te.* Modò te non vides, facio vt videas te; quia ſi videres te, diſpliceres tibi, placeres mihi: quia verò te non videns placuiſti tibi, diſplicebis & mihi & tibi; mihi, cùm iudicaberis, tibi cùm ardebis. *Conſtituam te ante faciem tuam.* Quod poſt dorſum poſuiſti, ante faciem ponam, videbis fæditatem tuam, non vt corrigas, ſed vt erubeſcas. Aſcende igitur tribunal mentis tuæ, eſto tibi iudex, quod erat poſt te fiat ante te, ne tu ipſe poſteà à Deo iudice fias ante te, & non ſit quò fugias à te. Intelligite hæc qui obliuiſcimini Deum. At quantum ad textum Euangelij eſt peccatum, per Antonomaſiam, infidelitas hic notata eſt.

Infidelitas ſummum peccatum

tata eſt. Summum enim peccatum à fide in Deum, & Deo recedere. De quo Ierem: 2. *Scito & vide quia malum & amarum eſt te derelinquiſſe Dominum Deum tuum.* Sed quia nedum de peccato infidelitatis arguet mũdum, ſed de quocunq; mortali peccato: mundus enim in maligno poſitus eſt, idcircò omne peccatum cauendum eſt. Bern: in ſerm. Saluate animas veſtras, fugite de medio Babylonis; conuolate ad vrbes refugij vt poſſitis de peccatis agere pœnitentiam, & in præſenti obtinere gratiam, & futuram gloriam finaliter præſtolari.

Quod attinet ad iuſtitiam. Nota. Ierem. 23. *Hoc eſt nomen, quod vocabunt eum: Dominus iuſtus noſter.* Vndè clariùs luce meridianâ patet, quod iuſtitiâ Deo placuiſſet. Cur igitur arguet mundum de iuſtitia? cur bonum vituperabitur. Reſpondet B. Albert⁹ Mag: Ille quidem fecit iuſtitiam. vt ad Rom. 10. *Finis legis Chryſtus ad iuſtitiam omni credentis.* Sed eam negauerunt alij, non obſeruarunt alij, eradicabant alij. *Iguorantes Dei iuſtitiam & ſuam quærentes ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti.* Rom. 10. Dicebant alij, contrarius eſt operibus Dei, non placent opera eius patri. De hâc ergò iuſtitiâ quam Chriſtus fecit, arguet Spiritus S. Hinc laudando Pſal. 118 Chriſti iuſtitiam dicit. *Iuſtitia tua, iuſtitia in æternum.* Ambroſius in hæc verba: Omnes ſapientes dicunt: Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum; non enim tradimur aduerſarijs ſine iudicio ipſius, ſed ſine ipſius iudicio in tribulationes venimus. Sed hæc Domini iudicia iuſta, conſolationes ſunt Sanctorum ſicut ſuperius dixit: *Memor fui iudiciorum tuorum & conſolatus ſum.* Et quia iuſtitia Dei in nullo deficere poteſt vt iuſtitia noſtra, ideò dignè arguitur, qui iuſtitiam Dei arguit, bonum enim ſummè bene factum, quod admixtionem mali non poteſt aliquam pati, arguit. At inducunt Hæretici illud Pſal: 43. *Declinaſti ſemitas noſtras à via tua.* Intelligunt enim, quod Deus ſit cauſa declinationis à via virtutis. Vnde iuſtitia ipſius arguitur. Sed duplex ſenſus huius Pſalmi verſus. Primus: Vt ſubintelligatur negatio quæ habetur ad initium verſus. Et eſt ſenſus. *Non receſſit retro cor noſtrum, & non declináſti ſemitas noſtras à via tua.* Ita ſentiunt Bruno, Remigius, Hieronymus. Secundus: Non intelligitur de declinatione ad peccata, ſed à felici rerum ſucceſſu. Præceſſit enim: *Omnia venerunt ſuper nos, quoniam humiliáſti nos in loco afflictionis.* Declinat Deus ſemitas noſtras cum graues immittit afflictiones, vnde mali trahunt occaſionem declinandi. Cùm enim Chriſtus ad dexteram Patris eſt exaltatus; patet, quod ipſi per omnia placeat, & ſit veritatis Spiritus.

In Deo eſt ſumma iuſtitia.

Quod attinet ad iudicium. Nota. Iniuſtè condemnauerunt Chriſtum, iuſtè igitur eos arguet Spiritus S. Nam & Princeps mundi diabolus

Spiritus S. de quali iudicio arguet.

bolus, qui in eum manus extendit, iam iudicatus eſt. Fuit enim tam verax & exemplare iudicium Chriſti, vt à nullo poterat calumniari, niſi per ipſam malitiam diaboli ac inſtrumentorum ipſius. De quo Iſaiæ 26. *Cùm feceris iudicia tua in terra, diſcent habitatores terræ.* Quale iudicium erat illud Chriſti cùm mulierem introduxerunt dicentes quod comprehenſa in adulterio, & tales lapidare Moyſes præcepit? Dicebat, ſcribendo. *Quis veſtrum ſine peccato eſt, mittat lapidem in eam.* Et illi confuſi receſſerunt. Deinde iudicium conuertit ad mulierem: *Nemo te condemnauit mulier,* dicit; *Nemo Domine.* Et ille: *Nec ego te condemno.* Quis igitur arguere iudicium ipſius poterit? Ipſa iniquitas. Hos igitur meritò Spiritus S. arguet de iudicio proterno, iniquo & damnato. Dices; Cur Spiritus Sanctus arguet eos & non ipſe Filius Dei? Reſpondetur: Arguebat & ille, ſed ante poteſtatem completam, ſed ante oſtenſam illius iuſtitiam & probatam per aſcenſionem, & ante eiectionem diaboli. Sed his completis, Spiritus S. arguebat, cum datus erat Apoſtolis pulſo timore ſpiritus libertatis, & liberè arguebant omnes. Ioſeph à carcere liberatus mirabiliter, licet multoties reginam videret & taciturnus eſſet, attamen quoties viſus ab illa erat, toties arguebatur de iudicio & condemnatione. Ita arguentur, qui iudicium Domini condemnârunt, aut Chriſtum iudicarunt. Oppilabit iniquitas os ſuum.

Qualiter mundus de peccato, de iuſtitia & de iudicio, arguendus intelligatur?

ARguet de peccato infidelitatis. Exponit enim, *Quia non crediderunt in me.* Aliud autem eſt credere Deum, aliud credere Deo, aliud credere in Deum. Primum credere, eſt credere ipſum eſſe creatorem, & principium omnium creaturarum, & iudicium eſſe viuorum & mortuorum: quia hoc etiam dæmones credunt, & contremiſcunt. Iacob 2. *Tu credis quoniam Deus eſt, benefacis, & dæmones credunt & contremiſcunt.* Secundum credere eſt quia quæ dicit vera ſunt. Tertium eſt, cũ charitate tendere in ipſum, vt in ſummam delectationem, bonum honorem. Eſt ergò infidelitatis peccatum origo & cauſa omnium peccatorum. Omne enim committitur peccatum aut propter carnis delectationem, aut rerum mundi dilectionẽ, aut gloriæ vel honoris ambitionem. Si vero transmigrares in Dominum vt mundiſſimam ſuauitatem, vt ſummum, veriſſimum bonum, vt ſummam & æternam gloriam, contemneres fædam carnis delectationẽ, tranſibilium dilectionem, & vanam ambitionem.

Arguet de iuſtitia, quam imitari neglexerunt. Dicit enim: *Quia ad Patrem*

Quid eſt credere Deum, Deo, in Deum.

Spiritus [illegible]

trem vado. quaſi diceret: Ego ad Patrem vado; & ſi vultis illûc venire, oportet, vt iuſtitiã imitemini, quam ore docui, opere exhibui. Et quæ illa iuſtitia? Vt reddat quæ ſunt hominis homini; & quæ ſunt Dei, Deo. Ita enim laudantibus ſe, quia verax eſt & viam Dei in veritate docet, quærentibus de cenſu Cæſaris dando, reſpondit. Conemur ergò triplicem iuſtitiam; Primam, vt corpus proprium diſciplinis continentiæ ſubigamus. Pſ. 2. *Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta.* Secundam; vt proximis ſua reſtituamus, & egentibus noſtra tribuamus. Luc. 6. *Dimittite & dimittetur vobis.* Dimittite ablata, dimittentur peccata. *Date & dabitur vobis.* Date beneficia, dabitur vita æterna. Tertiam; Deo cor & actum offeramus, h. e. corde & omni actu ſeruiamus. ad Coloſſ. 3. *Omne quodcunque facitis in verbo aut opere, omnia in nomine Domini noſtri IESV Chriſti facite.* quia non ab hominibus ſed à Deo recipietis retributionem hæreditatis. Et per hac triplicem iuſtitiam reportat homo triplex bonum. 1. vitam glorioſam. Sap 6. *Iuſti in perpetuum viuent.* Hoc eſt: Iuſti vitia corporis mortificando & diſciplinis continentiæ ſubigendo, viuent in perpetuum. 2. mercedem fructuoſam. Nã ablata reſtituendo & egentibus mercedem à Domino conſequuntur. 3. cognitionem Domini gratioſam. Dignum enim eſt quod mundis corde & ſeruitoribus ſuis retribuat memoria eorum, benedictione & delicatiſſimis ferculis ſuæ menſæ.

Arguet de iudicio, quòd non timebant, & noluerunt timere. *De iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus eſt.* quaſi d. Princeps mundi fortis & potens non potuit reſiſte re ei, ſed iam iudicatus eſt & condemnatus; multò minus qui ſunt ſub illo reſiſtent. 2. Petr. 2. *Si Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed detractos in tartarum tradidit cruciandos in iudicium reſeruari.* Timendum verò iudicium Domini, quia aduentus eius occultus, & non præſcietur, quia per ignem omnis materia peccati diſſoluetur, quia punientur mali. D. Petrus Can: 3. *Adueniet dies Domini vt fur.* ecce primum, *in quo cæli magno impetu tranſient, elementa verò calore ſoluentur; terra autem & quæ in ipſa ſunt exurentur.* ecce ſecundum: *quales igitur oportet nos eſſe in ſanctu conuerſationibus & pietatibus expectantes & præparantes aduentum diei:* ecce tertium.

Arguet de iudicio

ANNOTATIONES.

IAm ſuperius tractauit eandem materiam B: Alb: Mag: At hæc de Chriſto intelligebantur, qui eum peccatorem, iniuſtum & iudicem iniquum dicebant. Modò verò de his agit reſpectu hominis, quod ipſum de peccato, de iuſtitia & iudicio arguet Spiritus Sanctus. Apoc: 20. *Vidi ſedentem ſuper thronum, à cuius conſpectu fugit cœlum & terra.* Certè peccatum licet in cœlo repertum fuerat, fugiebat à conſpectu Dei, &

 quomo-

quomodo in terra repertum non fugiet cum terra?

Quod attinet diſtinctionem. *Credere Deo, Deum, & in Deum.* Hanc D. T. tractauit in c. 22. q. 2. in corpore, ex D: Aug: de verbis Domini ſerm: 21. vbi docuit quòd ſit actus fidei reſpectu diuerſorum, hoc eſt, habens diuerſam relationem ad fidei obiectum. propter quod actus fidei triplex dicitur. Infidelis verò, quia nil horum verè credit, nam non credit Deum eſſe ſub his conditionibus quibus fides determinat.

Infidelitas quæ iudicanda.

Infidelitas ſumpta contrariè, id eſt, quâ quis repugnat fidei, eſt peccatum maximum, vndè per Antonomaſiam, dicitur peccatum. Arguet mundum (inquit) de peccato. Hoc eſt, de infidelitate. Arguet ſeu arguendo mentem conuincet. Pſal. 49. *Arguam te & ſtatuam contra te faciem tuam.* Imò arguet infidelem ipſa malitia & auerſio increpabit. vt Ierem: 2. dicitur: *Scito & vide quàm malum & amarum eſt te dereliquiſſe Dominum Deum tuum.* Petrus Chryſol: ſer: 89. Creator omnium Chriſtus eſt fidelibus in ſalutem, infidelibus in ruinam. Et Apoſt: 2. Cor: 1. *Quibuſdam ſumus odor mortis in mortem, quibuſdam odor vitæ in vitam.* Iſidorus de Summ: lib: 1. c. 20. De infidelibus dicit. Paganus & hæreticus, ille quia nunquam fuit cùm Dei populo. Iſte, quia receſſit à Dei populo, vterq; recedentes à Christo, ad diaboli pertinent corpus. Valerius Max: lib: 6. cap. 6. refert. Cùm poſt cladem pœnorum circà Siciliam, Nullus auderet ire petendæ pacis gratiâ ad Conſules, eò quod vni cathenæ iniectæ fuerant, Hanno magnâ fiduciâ tetendit ad eos. Finem belli dum poſtulat, (inquit) Tribunus, meritò illi poſſe euenire quod alteri. at conſules dixerunt: Iſto te Hanno metu fides ciuitatis liberat. Inuenit hîc quo euaderet periculum, gratiam. At ſi infidelem ſpectemus, nullam ille habebit gratiam, ſed pro ſua infidelitate tormenta inueniet. Benè Terentius: Nimiâ è licentiâ, profectò euadet in aliquod magnum malum.

Arguetur mundus de iuſtitia neglectu.

Arguet de juſtitia neglecta facere. Dicitur Prou: 12. *In ſemita juſtitiæ vita, iter autem deuium ducit ad mortem.* Illi qui foderat pecuniam Domini & nil lucrari voluerat. Dictum: Quia ſciuiſti quia auſterus ſum, non tamen lucrum feciſti, habebis mortem & pœnam in retributionem. Non ambulabat ſemitâ juſtitiæ, incidit quoq; in caſum. Iuſtus enim Dominus, juſtitias diligit. Neque ſolùm ad mortem dicit iter deuium, ſed ad cætera ſupplicia. Vt optimè Plato de Legibus dial: 9. Mors autem vltimum non eſt, ſed extrema magis ſunt inferiorum ſupplicia, quæ licet veriſſimè narrentur, auertere tamen animos nequeunt, quoniam, ſi auerterent, ſcelerati nunquam reperirentur. Væ hæreticis qui ſolicitè laborant ne juſtitiam admittant. De illis Iſid: de Summ lib: 1. cap. 19. Hæretici ingenti ſtudio mendacia ſua diſcunt, & labore vehementi, ne in vnitatem Eccleſiæ veniant,

niant, decertant de quibus per Prophætam congrue dicit. Hierem: 9. *Docuerunt linguam ſuam loqui mendacium, & vt iniquè agerent laborauerunt.* Igitur optimi Catholici arripite doctrinam B: Nili Mart: Virtutem planta, non vt homines decipias, ſed vt videntibus vtilitatem afferas. Iuſtitiam verò triplicem nos decet facere, primam in corporis mortificatione. Nam ſi principium commune omni animato eſt, vt inquit Ariſt: in lib: de Anima augeri, nutriri, & diminui eſſentialiter, propriũ principium homini Chriſtiano erit, non augeri in corpore at in anima, non nutrire corpus, ſed ſpiritum, & diminutio per ſeparationem animæ à corpore erit, reintegrabatur nedum per reunionem ſed etiam per glorificationem, nequando eſſentialis diminutio jam accedere valeat. Hinc B: Nilus Mart. in Sent: Tropologicis. Bonus jejunij panis, quandoquidem à voluptatum fermento liberat. Refert Val: Max: lib: 5. cap. 6. Brutus conſul primus cum Arunte Tarquinij ſuperbi filio regno expulſi, in acie equo ita concurrit, vt pariter illatis haſtis, vterq; mortifero vulnere ictus exanimis proſterneretur. Ita libertatem populus Romanus magni ducebat. Profectò inter carnem & animam continuum bellum eſt. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*, dicit S: Paulus. Rom: 7. Pugnat & fremit caro contra Spiritum, & Spiritus contra carnem. Caro carnalia & tranſitoria ceu libertatem ſuam deſiderat, anima ſpiritualia & æterna concupiſcit. Et tam valido motu & ictu inſurgit caro, at niſi mortificetur inedia, & ſine cerere & bacho leuior fiat, animam proſterneret. Hinc B: Nilus Mart: Carnis voluptates odio proſequere, nam corporis ſordes animam quoq; inficere ſolent, & Dei odium generant. Pugnam Aquilæ cùm Dracone conſidera, aquila munda, alios roſtro & vngulis ſeſe defendit, & draconem perimit: Draco verò fetore, ſpumis, caudæ colligatione, & ſtricturâ inficit aquilam & occidit. Draconem intellige corpus, aquilam animam. Igitur puncturis mortifica carnem, ne te ſordibus infectum proſternat. Perempto genere vel differentiâ, perimuntur ea quæ ſunt ſub ipſis, ait Ariſt: in Prædicam. Ita mortificata carne, omnis affectus, cogitatio, amor carnalis interficitur, atq; anima ad cœlum extendit intellectum cum voluntate.

Secunda juſtitia nobis agenda eſt, vt proximo reſtituamus quæ ipſius, & egenos juuemus. Dum duo venti contrarij flant, accidit ex vno ſerenitas ex altero pluuia, vnde Areſius in Impreſis eiuſmodi ventis ſuppoſuit lemma. *AVT SOLEM, AVT IMBREM.* Ita proximus proximo debet, ſua vel reddere quæ illi acceperat, vel illum juuare ſi ſuum non habet. Ab eo enim imbrem lachrymarum cùm vides, illi te ſolem præſtare debes. *Tranſi hoſpes & orna menſam,* 2. *Iuſtitia reſtituere proximo ablata & proximũ iuuare*

 & quæ

& quæ in manu habes ciba cæteros. Eccl: 29. Præcipitur vt pauperibus ex obligatione chriſtiana adjutoriũ præſtes. Attamen ita collige de facienda eleemoſyna, vt B: Nilus Mart: docuit. Si pauperibus ſeueris, quæ tua ſunt ſemina, nam aliena zizanijs ſunt amariora. De ablatis verò à proximo vel illatis proximo dicit. Eccl. 10. *Regnum à gente in gentem transfertur propter iniuſtitias & injurias, & contumelias, & diuerſos dolos.* Spongiam onuſtam liquore ornauit tali dicto Areſius. PREMIT VT EXPRIMAT. Ita qui grauis eſt proximo, ipſius retinet vel concupiſcit bona, premit eum vt exprimat lachrymas illius, quatenus ille in cœlum clamet vt à Deo judice prematur, ac domus ipſius exterminetur à mundo vel exprimetur à bonis, & deſideratis. Iudicum 15. Adonizebeg. cum vidit amputatas ſibi manus dicebat. *Quod alijs feci, mihi factum eſt.* Vndè B: Nilus in Sent: Trop: Peccantem luge non pauperem, coronabitur enim iſte, ille verò plectetur.

3. Iuſtitia, offerre Deo cor & actus.

Tertia juſtitia agenda nobis, vt Deo cor & actus offerramus noſtros. Ierem: 1. dicebat Dominus: Audite vocem & facite omnia quæ præcepi vobis, & eritis mihi in populum, & ego vobis ero in Deum. Videte igitur quantum bonum ſit noſtrum ſi toto corde ipſi ſeruierimus. Maximum eſt fieri regis filium & hæredem: ſed ſummum eſt fieri populum Dei & Deo charum atq; Deum habere patrem pluſquam amantiſſimum. Hinc Iſid: lib. 1. c: 12. de Sũ. bono: Angeli ſemper in Deo gaudent non in ſe: Malus verò ideò eſt diabolus, quia non quæ Dei, ſed quæ ſua ſunt requiſiuit. Nulla autem maior iniquitas, quàm non in Deo ſed in ſe velle quempiam gloriari. Vigilanti animali addiderunt aliqui lemma: SERVARE ET SERVARI MEVM EST, At nulli accommodatius conuenit, quàm Deo. In eo enim eſt vita ab æterno, & ab eo bonum noſtrum, & in eo gloria hominis cõſtituta eſt. Optimè B. Nilus Martyr. Cùm in Dei exiſtas domo ne eleueris, nam & qui regibus coram aſtãt, neque ſuperbiunt vel ſe iactant. Iuſtitiam verò hanc tertiam ſuadet B. Alb: M. vt te totum in ſeruitium Deo offeras. Nam ipſe Prou: 1. loquitur Dominus: *Qui me audierit abſq; terrore requieſcet & abundantia perfruetur, timore malorum ſublato.*

2. arguit de iudicio.

Arguet etiam de iudicio. Qui enim noluerunt timere Deum ex ſuo peruerſo iudicio, meritò arguetur de tali iudicio. Hinc Eſa. 8. *Dominum exercituum ſanctificate, ipſe pauor veſter, ipſe terror veſter, & erit vobis in ſanctificationem.* Qui igitur non timet Deum, offendit ſolido, non pedem ſed oculum corporis & mentis, quia nõ videbit iudicem miſericordem, nec Deum ampliùs patientem, ſed punientem & condemnantem. Vnde B. Nilus Mar. & Epiſc: præmonebat in ſent: Trop. Timorem pariter & deſiderium erga Deum habere neceſſe eſt: ergà homines verò cunctos

pure

puro conſcientiæ teſtimonio, vti decet: Video in media Barbaria ortum ſacrilegium timuiſſe Maſiniſſam Regem Numidarum, apud Val: Max: l. 1. c: 2. Præfectus claſſis iſtius regis, cùm Melitam appuliſſet è fano Iunonis dentes eburneos ſublatos Regi donum attulit, vt comperit Rex vnde aduecti, ſubitò timuit, & reportandos Melitam curauit, datis literis ſe ignorantem accepiſſe, & libēter Deæ reſtituiſſe. En in barbara religione quis honor & timor Deorum! Multò præſtantius in ea. quæ vera religio eſt, requiritur timor Dei. Vnde Tobias 4. *Noli timere fili mi, pauperem quidem vitam gerimus, ſed multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum, & receßerimus ab omni peccato & fecerimus benè.* Time igitur iudicium Domini ob cauſas tres poſitas à B. Alberto magno. Audi Iſidorum de ſum: bon: cap. 2. lib. 1. Omni potentiâ diuinæ maieſtatis cuncta poteſtatis ſuæ immenſitate concludit: nec euadendi potentiam eius, quiſquam aditum inuenire poterit, quia ille omnia circumquaque conſtringit. Cuncta enim intra diuini iudicij potentiam coarctantur, ſiue quæ continenda ſunt vt ſalua ſint, ſiue quæ amputanda ſunt, vt pereant. Nullatenus ergò dicimus poſſe effugere Deum quempiam. Qui enim eum non habet placatum, nequaquam euadet iratum. *Hæc ille.*

DOMINICA V. POST PASCHA.

Exiui à Patre & veni in mundum. *Ioan. 16.*

QVARE DOMINVS IN MVNDVM VENERIT?

PRopter duo, inter cætera venit in mundum & reliquit Patrem. Primò: Vt nos quomodo viuere debeamus inſtrueret. Secundò: Vt nos ab æterna ſeruitute redimeret. De 1. ad Tit: 2. *Apparuit gratia Dei Saluatoris noſtri omni homini erudiens nos, vt abnegantes impietatem & ſæcularia deſideria, ſobriè & juſtè & piè viuamus in hoc ſæculo.* Doctrina igitur Ieſu Chriſti conſiſtit in tribus, in ſobrietate, iuſtitiâ ſeu æquitate, & pietate: ſobrietas juxta Gloſſ. eſt attendere circa te metipſum. *quo eo ſiſtit.* Iuſtitia, circa proximū, pietas circa Deum; ſobrietas eſt pura ab illecebris vtriuſq; hominis tēperantia, hæc monet, vt omnimodā mētis & corporis fugiamus luxuriā, & à gula & ebrietate nobis caueam⁹. Iuſtitia eſt, per quam communitatis gratia tenetur vt ſua dignitas cuique non denegetur. Monet igitur iuſtitia, vt gratiam omnium ſecundùm Deum teneamus; id eſt, nullū inde-

indebite vel verbis vel operibus læ-damus vel offendamus, vt vnumquẽ-que iuxta dignitatem veneremur: Ad Rom. 13. *Reddite omnibus debita cui tributum, tributum; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.* Pietas verò eſt, vt dicit D. Bern. Iugis Dei memo-ria & indefeſſa affectio in amorem eius. Vult enim Deus vt memores ipſius ſimus. Tren. 3. *Recordare pau-pertatis & tranſgreſſionis meæ, abſintij & fellis.* Tranſgreſſionis id eſt, maxi-mæ vilitatis. Memoria ergo habere tenemur quæ paſſus Chriſtus, acer-bitatem, paupertatem, vilitatem eius. Hinc fidelis anima dicit ibi-dem. *Memoria memor ero & tabeſcet in me anima mea.* Hæc ſcilicet recolens in corde meo. Monet etiam vt Deum amemus. *Filioli mei non diligamus verbo neque linguâ, ſed opere & veritate.* Ioan. 3. Omnia elementa & beneficia monent nos vt Dominum diliga-mus.

Redemptori noſtro quæ debeamus pro liberatione.

Secundò in mundũ venit, vt nos à poteſtate diaboli redimeret Iſa. 19. *Clamabunt ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eius ſaluatorem & propugnatorem qui liberet eos.* Et ad Timot. 2. *Dedit ſemetipſum pro nobis vt nos redimeret ab omni iniquitate & mundaret ſibi populum ac-ceptabilem, ſectatorem bonorum operum.* Redemptori igitur tenemur ad mi-nus duo. 1. vt ad ipſum per veram pænitentiam reuertamur. Iſa. 44. *Reuertere ad me, quoniã redemi te. Reuertere.* Gloſſa, pœnitendo. Quod ſi feceris, cælum & terra & omnia elementa in ſalute tua lætabuntur. Debet igitur peccator fideliter pænitere, ne perdatur in ipſo fructus paſſio-nis Dominicæ 2. vt intimas ei gra-tias agamus Apoc. 5. 24. *Seniores ceciderunt coram agno dicentes: Dignus es Domine aperire ſignacula libri, quoniam oc-ciſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo, & feciſti nos Deo noſtro regnum & ſa-cerdotes, & regnabimus ſuper terram.* Sub-audi viuentium.

ANNOTATIONES.

PRo Themate Nota. Exiuit Filius Dei per æternã generationem à Patre, & venit aſſumptâ carne in mundum, & viſibilis factus eſt. Io. 8. *Ego ex Deo proceſſi & veni iterum re-linque mundum.* Non relinquendo carnem aſſumptam, & vado ad Pa-trem per aſcenſionem. De hoc Gé. 35. *Surge Iacob & aſcende Bethel & habita ibi.* Iacob id eſt luctator, ſignificat Chriſtum, qui lucta expugnauit mortem & diabolum, Bethel autẽ domus Dei interpretatur, ad quam luctator noſter Chriſtus in die aſcen-ſionis cum animabus ſanctis aſcen-dit & ibi ad dexteram Patris habi-tat. Vnde Gen. 31. *Surge & egredere de terra hac, reuertens in terram nati-uitatis tuæ.* Chryſolog. ſerm. 58. A-ſcendit in cælum, non vt ſe referret in cælum qui ſemper manſit in cæ-lo, ſed vt te præferret, quem taliter vinctum abſoluit & ſubtraxit ab in-ferno. Intellige ergò vbi homo per Deum ſis leuatus, vt eſſes in cæle-ſtibus ſtabilis, qui eras lubricus ac

ſemper

ſemper mutabundus in terra. Turtur orbata ſocio vbiq; gemit, nec reſidere in viridi arbuſculo gaudet, ſed in ſicco ramuſculo moratur. Quid tibi agendum, qui non ſocium ſed Deum tuum redemptorem & remuneratorem amiſiſti ſcelere? Audi: Natus Chriſtus vt te abſoluerer, aſcendit in cœlum vt te præferret.

Quod verò attinet rationes, propter quas venerit filius Dei in mundum: talem quæſtionem ſufficientiſſimè tractauit D. Thomas in 3. parte de Incarnatione, quæſt. 1 art. 2. Vbi quærit, vtrùm neceſſarium fuerit ad reparationem generis humani verbum Dei incarnari? Ibi enim promotionem hominis in bonum deduxit fundamento poſito ſuper illud Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* dicit enim. Inſtruimur, primò ne diabolum homo ſibi præferat vel veneretur qui eſt author peccati. Aug: 13. de Trinit. Quandoquidem ſic potuit Deo conjungi humana natura, vt fieret vna perſona, ſuperbi illi maligni Spiritus, non ideò ſe audeant homini præponere quia non habent carnē. Inſtruimur 2. Quanta ſit dignitas naturæ humanæ, ne eam inquinemus peccando. Aug: de Ver: relig: Demonſtrauit nobis Deus, quàm excelſum locum inter creaturas habeat humana natura, in hoc quod hominibus in verò homine apparuit. Et Leo ſerm: de Nat: primo. Agnoſce Chriſtiane dignitatem tuam, & diuinæ conſors factus naturæ; noli in veterem vilitatem degeneri conuerſatione redire. Inſtruimur 3. Quia ad præſumptionem hominis tollendam gratia Dei in nobis nullis meritis præcedentibus in homine Chriſto commendatur. Inſtruimur 4. Nam ſuperbia hominis, quæ maximo impedimento eſt ne inhæreatur Deo, per tantam Dei humilitatem redargui poteſt atq; ſanari. Profectò his medijs inſtruit nos Chriſtus, quomodo viuere debeamus. vt B: Alb: Mag: docebat. Spectat ad inſtructionem bonam Ariſt: dictū Epiſt: ad Alex: Eos qui vtuntur ratione, & cum hac omnia volunt agere, tanquam bonos & optimos laudamus; contrarios verò contrario modo. Nam ſicut Dux eſt Saluator exercitûs, ita ratio cum eruditione eſt Dux vitæ. Ariſt: ad Alex. Et ſi tales laude digni maximè laudandi ſunt, qui Chriſti inſtructionem recipiunt; nam verè docti, ſapientes, & prudentes efficiuntur. Superbi doctores, inquit Iſid. lib: 3. de Summ: cap. 41. vulnerare potiùs quàm emendare nolunt. *Salomone* teſtante, qui ait Prou: 14. *In ore ſtulti virga ſuperbiæ*, quia increpando rigide feriunt & compati humiliter neſciunt. Non eſt talis doctor Chriſtus; ſed in humilitate ſeruat diſciplinam, & in veritate inſtruit mentem. Refert Val. Max: lib: 8. cap. 1. de Democrito Philoſopho. Eius diuitiæ tantæ fuerunt vt pater eius e-

exercitui dare epulum facile potuerit. Ille vt magis vacuo animo ſtudijs literarum operam daret, parua ſumma retenta, patrimonium patriæ donauit, & Athenis omnia temporum momenta ad percipiendam & exercendam doctrinam conuertit. Quis non ſtupebit illius mentem? Me Herculæ, Chriſti inſtructio ſummam in nobis operam expoſcit, nam bonitatem & diſciplinam & ſcientiam edocet, nam beatus quem ille erudierit. Dicebat Ariſt: Alexandro, Eruditione præcedente, non contingit peccare circa actionem. Apparet dicti veritas, in ſola Chriſti eruditione. Hinc Eccl. 6. *Cogitatum tuum habe in præceptis DEI, & in mandatis illius maximè aſſiduus eſto, & ipſe dabit tibi cor, & concupiſcentia ſapientiæ dabitur tibi.*

Chriſtus venit in mundũ vt nos ab æterna ſeruitute liberaret.

Secunda ratio Aduentûs Chriſti in mundum, inquit B: Alb: Mag: Vt nos ab æterna ſeruitute redimeret. Hanc ſeruitutem D. Th: ſeruitutem peccati expoſuit, à qua nullus nos liberare potuit, niſi Deus. Homo purus ſatisfacere non poterat pro toto genere humano, Deus potuit ſed non debebat ſatisfacere; vndè oportebat Deum & hominem eſſe Ieſum Chriſtum. Quod conſidera ô homo, & quaſi pro teipſo ſolo veniret cogita. Ita enim & Apoſt. ad Gal: 2. *Dilexit me & tradidit ſemetipſum pro me.* Quare Chryſoſt. 2. lib. de compunctione: Hic eſt affectus ſerui fidelis, vt beneficia Domini ſui quæ communiter omnibus data ſunt, quaſi ſibi ſoli præſtita reputet. Conuertit ſermonem Hierem: 3. ad nos: *Conuertere Iſraël ad Dominum Deum tuum, quoniam corruiſti in iniquitate tua. Tollite vobiſcum verba & conuertimini ad Dominum & dicite ei: Omnem aufer iniquitatem & accipe bonum, & reddamus vitulos labiorum noſtrorum.* Vitulus quondã efformatus ex auro prodierat ingratis Iudæis, in confuſionem ipſorum & deteſtationem, neceſſe eſt ergò conuertenti ad Dominum dignas ita referre laudes & grates, & vitulis in holocauſtum aptis æqui parari valeant; non enim iam carnes vitulorum expoſcit Deus, ſed Spiritum & veritatem in laude oris & meditatione cordis. Iſid. lib. 1. de ſum: cap. 5. Tam clementer Deus humanæ infirmitati conſuluit, vt condeſcendat nobis; & dum condeſcendit nobis, conſurgeremus ei. Liberauit Deus à ſeruitute. Pharaonis populum vltimate per mare rubrum, quòd viam populo aperuit & clauſit Pharaoni. Liberauit quoque mundum Chriſtus per ſanguinem proprium, quem verus homo & verus Deus effudit pro nobis, ne ad nos tranſirent inimici noſtri. Conſurrexit in laudes Moyſes cum populo & nobis ſemper reddendæ laudes DEO noſtro & Saluatori. Fruſtrà enim parat opes, qui veris animi bonis vacat. Peroptimè Ariſt. in libro de morte. Væ animæ peccatrici quæ nõ habet poteſtatem redeundi ad locum ſuum. Quia turpiæ opera delectationis corporis impediunt eius aſcenſum ſurſum.

rurſum. Igitur ſuſpirando dicamus. *Adiuua nos Deus ſalutaris noſter, & propter gloriam nominis tui libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris.*

Quare Dominus redierit ad Patrem?

PRopter duo. 1. vt ſobrijs iuſtis & pijs manſiones delectabiles præpararet. 2. vt pro redemptis Deo patri ſigna vulnerum ſuorum quotidie repræſentaret De prmio. Ioan. 14. *Vado parare vobis locum & ſi abiero & præparauero, vobis locum, iterum venio & accipiam vos ad me ipſum, vt vbi ſum ego, & vos ſitis.* Locus autem electorum erit mundus firmus, & omni bono repletus. Sobrietas meretur munditiam & claritatem, iuſtitia firmitatem, pietas bonorum vbertatem. De ſecundo, Gloſſ: ſuper Luc. 24. *Oſtendit eis manus & latus.* Dominus vulnerum cicatrices ſeruauit, vt patri pro nobis ſupplicans, quale genus mortis pro homine pertulit, ſemper oſtendat. Hinc Ioan. 1. Cant. 2. *Aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum, iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.* Bonũ ergò eſt, vt vulnera Ieſu Chiſti vneremur; & peccata totis viribus fugiamus. Conqueritur etiam Dominus apud Pſalmiſtam, quod multi mali Chriſtiani per peccata turpiſſima & peſſimas iniquitates rurſus recentem dolorem ſuper dolorem vulnerum ſuorum addiderunt, [& certè ad damnationem ipſorum cicatrices vulnerum ſuorum oſtendet in iudicio.

ANNOTATIONES.

DIuus Th. in 3. p. de Iuran: art. vlt: q. 57. Cauſas aſcenſionis Chriſti dicit ſufficienter: non quòd aſcenſio eius ſit cauſa per modum meriti, ſed per modum efficientiæ. *Cauſæ aſcenſionis Chriſti in cælis quæ.* Nam paſſio eius eſt cauſa per remotionem peccati, & meriti noſtræ aſcenſionis; ſed inchoauit eam in capite noſtro, cui oportet membra coniungi. Hinc Chriſtus eſt cauſa noſtræ ſalutis; quia per aſcenſionẽ eius eſt fides, ſpes, & charitas noſtra, ad ipſum: & quia viam nobis aperuit aſcendendi in cælum. Mich. 2. *Aſcendit pandens iter ante eos, in cuius ſignum & animas ſanctorum in cælum traduxit.* Et hoc eſt quod B. Alb. Magnus dixit: Aſcendit vt præpararet manſiones in cælis. B. Leo Papa ſermone 2. de Aſcens. Aſcenſio eius in cælos præſentium nobis eſt materia gaudiorum: recolentibus nobis illum diem & ritè venerantibus quo naturæ noſtræ humilitas in Chriſto ſuper omnem cæli militiam, ſupra omnes ordines Angelorum, & vltra omnium altitudinem poteſtatũ, ad Dei Patris eſt prouecta conſeſſum. Quo ordine operum diuinorum nos fundati & ædificati ſumus, nec fides deficit, ſpes non fluctuat, charitas non tepeſcit. Pincerna dum è carcere prodijt, præparauit locum Ioſepho apud Pharaonem, Chriſtus qui nobis propina-

pinauit poculum ſalutis. (*Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum.*) De mundo vt carcere egrediens, præparauit locum piis & iuſtis, in cœlis. Sed audi vocantem. *Qui vult venire pòſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam & ſequatur me.* Hinc Iſid. lib: 2. cap. 2. Qui crucem portat, debet & mundo mori; nam ferre crucem & mori, mortificare ſemetipſum eſt; ferre & non mori, ſimulatio hypocritarum eſt. Quàm jucunde B: Nilus Martyr in Sent: Tropol. In opera & orationes animam diuidere oportet: ita enim haud multos in nobis introitus diabolus inueniet. Quod verò attinet locum Sanctorũ Iſidor. de Summ: lib: 1. cap: vlt: Tantum erit Sanctorum de Dei contemplatione gaudium, vt triſtitiæ nullus tribuatur introitus; ſicut comparatus color candidus nigro colori ſit pulchrior, ita Sanctorum requies comparata damnationi malorum, glorioſior erit. Creſcit enim Sanctorum gloria, dum debita damnantur impij pœnâ. De hâc beatitudine S. Fulg: Epiſt: 5. cap. 8. dicit: Ibi erimus perfectâ celſitudine beati. Nec minor erit laudatione noſtra dilectio, nec inferior dilectione laudatio. Erit plena noſtra laudatio, quia tunc in nobis erit Dei proximiq; perfecta dilectio. Tunc laudabimus & habebimus, tunc habebimus & amabimus, tunc ſatiabimur cum delectatione, & delectabimur cum ſatietate. Sed quis dignè cogitare poterit gloriam Sanctorum, & gratiam hominibus collatam in cœlis? Rectè beatus Nilus Mar: & Epiſc: Bonorum futurorum multitudo, pulchritudo & magnitudo, eſt inexperta; at præſentia vmbra fumus, bulla. Ex hoc igitur nihili, ſummam colligamus gloriam. At quoniam ſpes tanti præmij eſt in via data hominibus, vbi meremur, infæliciſſimus erit qui tantum bonum ob ſcelera amiſerit. Dicit Boetius. In omni aduerſitate fortunæ, infœliciſſimum genus infortuij eſt, fuiſſe fœlicem. Felix modò es homo qui promereri potes; infeliciſſimus, qui neglexeris mereri. Famam igitur futuri temporis cogitemus & aucupemur, vt rem poſſideamus.

Crucē ferre eſt mortificare ſeipſum.

Quantum ad 2. Nempè de vulnerum Chriſti Deo Patri præſentatione. Nota. *Salus mea in ſempiternum erit.* Iſa: 51. Hoc eſt Saluatoris officium, quoad mundus ſtabit etiam ſi diuturnè ſteterit, agam. In mundo per gratiam, in cœlis per interceſſionem apud Patrem; & ad hoc munus vulnera tranſtuli, vt miſericordiarũ Patri demonſtrarem quotidie. Virga in Manu Moyſi ad præſtanda beneficia fuit; cicatrices in manu mea, in teſtimonium amoris erga hominem, & in ſignum interceſſoris apud Patrem. Quidam ad illuſtranda opera præclara, oculum hominis in palma manus efformabant; ego cicatrices deferro ſtellis lucidiores, operis redemptionis humanæ monimenta. Ad Hæbr: 9. Pontifex in veteri teſtamento intrabat ſan-

Vulnera Chriſtus Patri oſtēdit.

ſanctuarium, vt aſſiſteret Deo pro populo: ita Chriſtus intrauit cœlum ad interpellandum pro nobis: D. Thomas 3. p. art: 6. q. 57. Ipſa repræſentatio ſui ex natura humana quam in cœlum intulit, eſt quædam interpellatio pro nobis; vt ex quo DEVS humanam naturam ſic exaltauit in CHRISTO, etiam eorum miſereatur, pro quibꝰ filius Dei humanam naturam aſſumpſit. Etſi ipſa natura aſſumpta eſt interpallatio pro nobis, iam ipſe filius Dei in ſede cælorum vt DEVS & Dominus conſtitutus, exinde diuina dona hominibus mittet. *Aſcendit ſuper omnes cœlos, vt adimpleret omnia.* ad Epheſ. 4. Gloſſa: Adimpleret donis ſuis. Rex Aſſuerus venienti & petenti Reginæ demiſit virgam, ſignum clementiæ. Aſſuerus noſter Chriſtus, petenti & venienti ad ſe homini demittit gratiam donis affluentem. Alias rationes de cicatricibus ſeruatis poſuit Sanctus Thomas 3. p. q. 54. art. 4. in corpore articuli. Et D. Leo Papa ſer. 1. de Aſc: Domini dicit: Ad ſananda infideliũ cordium vulnera, clauorum & lanceæ erant ſeruata veſtigia, vt non dubiâ fide, ſed conſtantiſſimâ ſcientiâ teneretur, eam naturam in Dei Patris conceſſuram throno, quæ iacuerat in ſepulchro.

IN ROGATIONIBVS.

Petite & dabitur vobis. *Matth.* 7.

A QVO SIT PETENDVM?

A Deo, à quo cuncta procedunt. Iacob 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum, apud quem non eſt tranſmutatio.* A Deo optima dona dare poteſt & vult, eſt petendum.

ADNOTATIO.

Ratio eſt actus religionis. vnde à Deo orandum eſt, quia cultus religionis ipſi debetur. Oratio quoque magis agitur interior actu quàm voce. Ad Cor: 14. *Orabo ſpiritu, orabo & mente.* talem verò actum ipſe Deus qui cordiũ ſcrutator eſt cognoſcit. Ideò à Deo petendum dixit B Alb. Magnus. Omnes enim orationes noſtræ, ordinari debent ad gratiam & gloriam conſequendam, quæ ſolus Deus dat. Pſal: 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* His, vanos Deos redarguit ſcriptura, quibus paganiſmus aſtruitur. Vnde Seneca lib. de 4. virt. Cogitationes vagas & inutiles &

les & ſomno ſimiles, non recipies; quibus ſi animus tuus ſe oblectauerit, cùm omnia diſpoſueris, triſtis remanebis; ſed cogitatio tua ſtabilis & certa ſit, ſiue deliberet, ſiue quærat, ſiue contempletur, non recedat à vero. Recedit enim à vero, qui petitionem ſuam non ad Deum, ſed diabolum diſponit. Non arguantur verò per hoc illi, qui ad ſanctos orationes ſuas conuertunt. Iob 5. *Voca ſi eſt qui tibi reſpondeat, & ad aliquem Sanctorum conuertere.* Porrigimus enim orationes ſanctis Angelis & hominib⁹, non vt per eos Deus noſtras petitiones cognoſcat, ſed vt eorum precibus & meritis orationes noſtræ ſortiantur effectum. Petimus à Deo, vt noſtri miſereatur; ab alijs vt orent pro nobis. Apocal: 8. Aſcendit fumus incenſorum de orationibus ſanctorum, de manu Angeli. Sed obijcies illud Auguſt. libr: de cura pro mort. Neſciunt mortui etiam ſancti, quid agant viui, etiam eorum filij. ſed reſpondendum: Neſciunt naturali cognitione motus interiores noſtros. Sed beatis dicit Greg. lib. 12. moral. cap: 13. In verbo manifeſtatur illud, quod decet eos cognoſcere de eis, quæ circà nos aguntur. Maximè verò ad excellentiam illorũ decet, vt cognoſcant petitiones ad eos factas vel voce vel corde, Deo hoc manifeſtante. Quàm concinne Iſid: de Sum: lib: 2. cap: 11. Orandus eſt Deus, vt virtutes quas præparauit Sanctis ad Coronam, nobis ad profectum ſint poſitæ, non ad pœnam. Proficient autem ad profectum noſtrum, ſi tot exempla voluerimus imitari virtutum. Certe ſi ea potius auerſati quàm imitati fuerimus, ad damnationem noſtram erunt qui ea legendo implere neglximus. Aduerte etiam quoſdam dixiſſe quòd res humanæ non regutur diuinâ prouidentiâ. De his Malach: 3. *Vanus eſt qui ſeruit DEO.* Alij omnia ex mutatione ſtellarum prouenire. Alij prouidentiam Dei variabilem, vnde oratio non neceſſaria ad Deum. Arguit hoc in præſenti B: Alb: Magnus.

Orationes noſtra ad Ss. diriguntur ad quid?

Sancti cognoſcunt orationes noſtras.

Qualiter ſit petendum?

NOn male. Iacob 4. *Petitis & non accipitis eo quod malè petatis.* Vnde petere debemus corde, ore, & opere. Sicut auis volat ex nido per oſtium nidi; ita oratio procedat ex nido cordis, & volet per oſtium oris. Pennæ & alæ ad volandum, jejunium & eleemoſynæ: iejunium verò eſt in abſtinentia ciborum, ſed potiùs in abſtinentia vitionum. Aug: in ſerm: de Pœnitentia. Mitte orationem, habebit duas alas, geminas eleemoſynas videlicet, dimitite & dimittetur vobis. Et Raphaël Angelus dixit Tobiæ. *Bona eſt oratio cum jejunio & eleemoſyna.* Oratio ſignificatur per columbam, quæ attulit ramum oliuæ virentis Noë. *Gen* 8. Noë requieſcens interpretatus ſignificat animam chriſtiani, qui requieſcere debet in Chriſto; nam in mundo preſſuras habet, & in Chriſto paçem. Arca eſt cor no-

cor noſtrum: feneſtra arcæ, os. Columba emittitur, cum oratio ad Deum dirigitur, quæ pennas deargentatas habet. hoc eſt, fulcitur mundis & bonis operibus, & pacem reportare poteſt. Oratio cum operibus docetur Tren: 3. *Leuemus corda noſtra cum manibus ad Dominum in cælos.*

ANNOTATIONES.

NVlla res carius, emitur inquit Sen: quàm quæ precibus empta eſt. Igitur præces diligenter & ſine damno faciendæ ſunt. Præcipuè verò dum oramus Deum, magna in oratione adhibenda circumſpectio. Chryſoſt: de orando Deum. Conſidera quanta eſt tibi conceſſa fælicitas, quanta gloria attributa, orationibus fabulari Deo, cum Chriſto miſcere colloquia, optare quod velis, quod deſideras poſtulare. Benè igitur petendum nobis eſt, corde, ore, & opere. inquit B: Alb: Magnus: Cum jejunio & eleemoſyna. Et B: Nilus in Sent: Tropol: Balneum animæ bonum eſt, oratio lachrymoſa. Valer: lib:7. cap. 7. Socrates nil ultra petendu'n à dijs immortalibus arbitrabatur, quàm vt bona tribuerent qui ſciunt quid ſit vtile hominibus. Nos autem id votis plerumq; expetimus, quod non impetraſſe melius foret. Hæc ſententia aliquando vera eſt, quia illis homo poteſt vti male & benè. Nam diuitiæ multis exitio fuêre, honores plurimos peſſundarunt, regna exitus ſæpè miſerabiles habent, ſplendida conjugia nonnunquam domos funditus euertunt. Alia bona ſunt quibus homo malè vti nõ poteſt, qualia ſunt quib⁹ beatificamur & beatitudinem meremur, quæ quidem ſancti orando abſolutè petunt Pſal 79. *Oſtende faciem tuam & ſalui erimus.* Et Pſal: 118. *Deduc me in ſemitam mandatorum tuorum.* Benè igitur petimus, dum bona animæ & virtutum petimus. Beatus Alb: Mag: ſuper 11. Lucæ ſcribendo dicit: Bonum virtutis petendum eſt piè. Hoc eſt, quod petens pietate fidei per dilectionem operantis ſit formatus; Iac. 1. *Poſtulet in fide nihil hæſitans.* Nam qui hæſitat, ſimilis eſt ſpumæ maris, quæ à vento circumfertur. Quadrat Pſal: 26. *Vnam petij à Domino, hanc requiram; vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Quod non ſit niſi per meritum virtutis. Aut benè petere eſt perſeueranter petere. Nam panem petenti amico propter importunitatem ſurrexit à lecto, & dedit quot habuit neceſſarios. Malè etiam petit, qui temporalia bona principaliter petit; non enim licet ea orando petere, niſi vt ſunt adminicula, quibus iuuemur ad tendendum in beatitudinem, & in quantũ nobis organicè deſeruiunt ad act⁹ virtutum. Prou. 38. *Tribue tantum victui meo neceſſaria.* Et Matth: 6. *Primum quærite regnum Dei.* vt bonum noſtrum, alia vt neceſſaria petenda ſunt.

Quid ſit petendum?

IPſe Dominus format petitionem Chriſtianorum. Matth. 6. & Luc: 11. Sic

In oratione Dominica quid petiemus.

11. Sic orabitis: *Pater noſter, &c.* Vbi
virtutes Theologicæ & cardinales
petitionibus adaptantur.

PATER NOSTER. Gloſſa: Mo-
netur hic nobilis & diues, non ſu-
perbire contra minores. Non enim
dicere poteſt Pater, niſi filius ſit. cui
cauendum à ſordibus, ne tanto Pa-
tre ſit indignus. Omnes igitur dici-
mus Pater noſter, & nullus deſpe-
ret.

QVI ES IN CÆLIS. id eſt: in
Angelis & hominibus, qui ſunt ſine
mortali peccato. Nam in eis per
gratiam inhabitat, & poſteà per glo-
riam inhabitabit.

SANCTIFICETVR NOMEN
TVVM. Per fidem ſanctificatur in
nobis nomen, hoc eſt: firmatur in
nobis. Fides enim eſt quoddam no-
bile gluten quo nomen Dei aggluti-
natur nobis, & efficimur per ipſam
filij Dei.

ADVENIAT REGNVM TVVM.
Regnum intra nos & ſuprà nos. Spes
enim per recordationem & deſide-
rium regnum DEI ſupercæleſte de-
fert in cor noſtrum, per ſpem etiam
animæ noſtræ poſt hanc vitam tranſ-
ferentur in regnum Dei quod ſupra
nos eſt. Spes enim eſt certa expecta-
tio futuræ beatitudinis ex meritis &
gratia prouenientibus.

FIAT VOLVNTAS TVA, &c. Si-
cut Angeli faciunt tuam voluntatem
in cælo, ita & nos mereamur facere
in terris. Ad hoc verò neceſſaria eſt
charitas, illa enim cauere nos facit,
ne offendamus optimum Deum.

PANEM NOSTRVM &c. Hinc
cibum & alimentum corporis pe-
timus, ſed potiùs animæ nutrimé-
tum panem diuinæ gratiæ. Vnde
veram fortitudinem grariæ diuinæ
petimus, quatenus voluntatem Dei
faciamus. Petimus etiam, vt in vir-
tute ſupercæleſtis panis in opere bo-
no roboremur.

ET DIMITTE NOBIS DEBITA
&c. Sit innocens, indiget tamen re-
laxari debita à Domino. Omnes e-
nim iuſtitiæ noſtræ diuinæ compara-
tæ munditiæ, pannus menſtruatæ
ſunt. Apoſt. 1. Cor. 4. *Nihil mihi con-
ſcius ſum, ſed non tamen in hoc iuſtificatus
ſum.* Si ergò vis vt dimittatur tibi,
ex iuſtitia primò debitoribus tuis ex
corde dimitte.

ET NE NOS INDVCAS IN
TENTATIONEM. Auxiliare ne in
tentationem per conſenſum induca-
mur. Ad hoc adiutorio temperan-
tiæ indigemus. Illa enim eſt nobile
frenum animæ, per quod eam à pra-
uis & nociuis retrahit.

SED LIBERA NOS A MALO.
Malum accipitur pro peccato & pæ-
nâ gehennali peccati. Malus verò
accipitur pro malo homine & dia-
bolo, qui verè malus eſt. Vt verò
malum æternum, infernum & dia-
bolum euadamus; prudentia neceſ-
ſaria, illa enim docet fugere æternú
malum.

ANNOTATIONES.

IN Annotatione ſuperiori, quid
ſit petendum inſinuauimus: Vir-
tus ni-

tus nimirum. 4 Reg. 2. Hæliſeus dicit Heliæ. *Pete à me quodvis. Oro*, inquit, *vt ſpiritus tuus duplex fiat in me.* Spiritus enim meriti duplex eſt, dum per virtutem operatur ad meritum, & per eãdem operatur ad veniam delictorum, & ſatisfactionem.

Petendum eſt quod ad ſalutem.

Petendum quoque pro ſe & pro altero ad ſalutem. vt docet B. Alb. Magn. in Luc. 11. Pro ſe petendum, quia non ſemper pro alio exaudiuntur preces. 1. Reg. 15. Samuël non eſt exauditus pro Saul. ſed qui piè ad ſalutem petit pro ſeipſo, ſemper accipit. Pſalm. 17. *Exaudiuit de templo ſancto ſuo vocem meam, & clamor meus introiuit in aures eius.* 2. Cor. 12. Paul9 quoq; pro ſe non eſt exauditus petens, cùm amoueri à ſe ſtimulũ petijt; ſed petitio ſua non erat ad ſalutem, imò exercitium ſtimuli operabatur ad ſalutem & meritum. Exodi 15. Magnificus in ſanctitate. hoc eſt: in donis ad ſanctitatem pertinentibus.

Verùm quia B. Alb. M. docuit, quòd id petendum ſit, quòd nos ipſe Saluator inſtruxit, ea potiſſimùm nobis petenda ſunt. Auguſt. ad Probam Epiſt: 121. cap. 12. Si rectè & congruenter oramus, nihil aliud dicere poſſumus, quàm quod in iſta oratione Dominica poſitum eſt. Quia enim oratio eſt deſiderij noſtri interpres apud Deum, illa non ſolùm rectè orando petimus, quæ rectè deſiderare valem9, ſed quo ordine deſideranda ſunt inſtruit; præcipuè tamen beatitudo eſt nobis petenda, & alia propter eam.

Dicimus *Pater noſter*; captando beneuolentiam eius, licet ille nos præueniat, cùm prior dilexit nos. Non enim porrigimus orationem vt ipſum flectamus, ſed vt in nobis fiduciam poſtulandi excitemus; cùm ille bonum noſtrum velit. Ideò eius excellentiam qui eſt in cœlis exprimimus, fiduciam noſtram excitãdo ad ipſum.

Tres primæ petitiones quando complebuntur.

Tres primæ petitiones perfectæ complebuntur in vita futura, aliæ quatuor ad neceſſitatem vitæ præſentis. inquit Aug. in Enchir.

Sanctificetur nomen.

Sanctificetur nomen. Licet ſemper ſanctum ſit, Lucæ 1. Sanctum nomẽ eius: petimus tamen, vt etiam ſanctum ab hominibus habeatur, quo gloria Dei in hominibus propagetur.

Fiat voluntas. Hæc ſemper impletur. Iſa: 45. *Omnis voluntas mea fiet.* Sed petimus, vt obediatur præceptis eius; ſicut ab Angelis, ita ab hominibus.

Aduenire regnum petimus.

Taliter etiam petimus aduenire regnum eius; nam licèt regnum eius ſit ſempiternum. Pſal: 144. *Regnũ tuum Domine, regnum omnium ſæculorum.* ſed petimus deſiderium noſtrum ad aliud regnum excitando, vt nobis veniat atque in eo regnemus.

Panem petendo quid petamus?

Panem noſtrum. ſiue de pane ſacramentali ſiue de corporali, ſiue de ſacramentis omnibus, ſiue de omni victu hoc intelligamus, his ceu inſtrumẽtis adiuuamur ad beatitudinem conſequendam.

Et dimitte nobis, &c. Prohibent enim

nos tria à beatitudine: 1. Peccatum, quod directè excludit à regno. 1. Cor: 6. *Neque fornicarij neque idolis ſeruientes, regnum Dei poſſidebunt.*] ideò dicitur: *Dimitte ſicut & nos.* 2. Tentatio quæ nos ab obſeruantia impedit diuinæ voluntatis. Ideò dicitur: *Et ne nos inducas.* Petimus enim, vt à tentationibus non vincamur. 3. Pœnalitas præſens, quæ impedit ſufficientiam vitæ. Ideò dicitur: *Libera à malo.*

Expoſitio orationis Dominicæ.

Alteram quoque expoſitionem liceat orationis Dominicæ inferre: *Sanctificetur nomen tuum* in nobis. In intellectu, per veram cognitionem; in affectu, per ſanctam dilectionem: in memoria per firmam adhæſionem; in exercitio, per bonam operationem: vt ſancta ſit in nobis ſapientia Filij, dilectio Spiritûs ſancti, firmitas Patris, operatio indiuiſa Trinitatis. S*anctificetur nomen tuum*: quod eſt Pater, vt te tanquam filij ſemper honoremus. *Nomen tuum*, quod eſt Dominus, vt te tanquam ſerui ſemper timeamus. *Nomen tuum*, quod eſt IESVS, vt à te ſaluatore ſalutem habeamus. *Nomen tuum*, quod eſt Chriſtus, vt à te Chriſto Chriſtianam ſemper vitam teneamus. *Sanctificetur nomen tuum* in nobis per bona opera, exempla, deſideria; vt per nos te vniuerſi glorificent, honorificent, nec te ceſſent aliquo modo ore, mẽte, opere laudare.

Adueniat regnum, de quo Matth: 25. *Venite benedicti percipite regnum.* Tuum regnum, non diaboli, mundi, carnis. Regnum Sacræ ſcripturæ veniat per cognitionem, & deſtruat regnum erroris & ignorantiæ. Regnum Eccleſiæ Chriſti veniat per dilatationem, exaltationem, vt deſtruat regnum Synagogæ & Antichriſti. Regnum gratiæ Dei adueniat, & deſtruat regnum malitiæ peccati. Regnum æternæ gloriæ, & deſtruat regnum præſentis miſeriæ & futuræ. Veniat regnum, quia nos pondere mortalitatis grauati, ad illud peruenire non poſſumus, neceſſaria manus, gratia, miſericordia, vt affectus deſiderium ſubleuetur, & ita illud conſequamur.

Fiat voluntas tua. Inſpires nobis virtutem & propoſitum ad implendum beneplacitum tuæ voluntatis. Beati in cœlo conjuncti ſunt regulæ diuinæ, ideò nec poſſunt deficere nec deuiare à diuina voluntate; ita petimus, vt ſuppleas in nobis tenendo voluntatem noſtram in operibus noſtris ad voluntatem tuam, vt conformemur illis qui ſunt in cœlo, & libertas noſtri arbitrij ſocietur per gratiam ſuæ voluntati. Fiat voluntas tua in peccatorum conuerſione, in conuerſorum ſanctificatione, in ſanctificatorum glorificatione. Ezech: 18. *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impij.* Hæc eſt voluntas mea ſanctificatio veſtra Theſſ: 4. Hæc eſt voluntas patris mei; vt qui videt filium & credit in eum, habeat vitam æternam. Ioan 6. Sit ſicut in Angelis ita in hominibus; ſicut in juſtis ita in peccatoribus; ſicut in Chriſto ita ſit in Eccleſia; ſicut in ratione, ita ſit voluntas tua in voluntate noſtra.

Panem noſtrum, &c. Panem, non carnes, piſces &c. Neceſſarium naturæ non ſuperfluum petimus. Eccl. 29. *Initium vitæ hominis aqua & panis.* Noſtrum panem. Non ſibi approprio temporalia; quia ea das non ſolùm nobis, ſed alijs per nos. Non alienum panem, ſed de noſtro labore juſto, non de alterius ſanguine vſurâ acquiſitum. Quotidianum, ſuperadditum ſubſtantiæ naturæ ſuſtentationem. Quotidianum, non annuum vel decem annorum reſeruatum. Nobis, quia tu das eſcam omni carni. Da nobis vt alijs indigentibus demus. Hodie, in hoc præſenti; quia neſcimus, ſi craſtinum perueniamus, nec metiri dies volumus. Panem pœnitentiæ, ad releuationē languoris. Pſal. 126. *Surgite poſtquam ſederitis qui manducatis panem doloris.* Panem intelligentiæ, contra panem erroris. Eccl. 15. *Cibauit illi pane vitæ, & intellectûs.* Panem Euchariſtiæ, ad impinguationem amoris. Ioan: 6. *Ego ſum Panis viuus qui, de cælo deſcendi.* Hîc ſuperſubſtantialis eſt, quia tranſcendit vitam corporalem, & dat æternam. Petendo verò hunc panem petimus quæ ſunt ordinata ad ipſum. Deuotio Spiritus & effectus Sacramenti. Hîc quotidianus dicitur, quia quotidie ipſum ſuminus, per miniſtros Eccleſiæ; qui hoc Sacramentum percipiunt pro ſe & totâ communitate. Panem gloriæ. Luc: 14. *Beatus qui manducat panem in regno DEI.* Panem naturæ; nam cùm anima non exercet operationes meritorias niſi in corpore, patet quod requiritur ſufficientia victûs ad vitam corporalem conſeruandam.

Debita dimitti quæ petimus.

Et dimitte nobis debita. Qui habes poteſtatē dimittendi peccatoribus debita, quibus anima obligatur ad pœnā, dimitte nobis. Ego proximo dimitto. Eccl: 28. *Relinque proximo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata ſoluentur.* Debita nos peccata dixit, quia petimus dimitti pœnam & culpam: vel debita quæ Deus & proximo debemus. Non verò debitum pecuniæ per hoc intelligitur dimitti.

ET NE NOS INDVCAS, &c. Licèt Deus neminem tentat cauſaliter & effectiuè; tamen permiſſiuè tentare diabolo, carni, mundo permittit. Ideò petimus, ne ſeccumbamus in tentationibus; quas habere eſt nobis proficuum. Pſal. 25. *Proba me Deus & tenta me.* Sed ſcienter conſentire illis, peccatum eſt.

A malo liberare quæ

SED LIBERA NOS à MALO. Dimittas preterita debita, præcaueas à futuris, & à præſentibus libera. A malo mundi, qui poſitus eſt in maligno; à malo carnis, vt non agam quod nolo. Rom. 7. A malo diaboli qui vexat. Matth. 15. Etiam libera nos à malo præſentis pœnæ, ſcilicet à fomite peccati inclinantis nos ad peccatum. Igitur prima petitio erit contra luxuriam, quæ non ſanctificat ſed polluit nomen; ſecunda contrà auaritiam, quæ non cupit regnum cæli ſed terræ: tertia contra acidiam, quæ nihil facit. 4. contra gulam, cui panis non ſufficit. 5. contra iram, quæ rancorem non dimittit. 6. contra ſuperbiam, quæ in

tentationem inducit. 7. contra inuidiam, quæ malum alterius quærit. Prima petit fidem. 2. ſpem. 3. charitatem. 4. fortitudinem. 5. iuſtitiam. 6. prudentiam. 7. temperantiam. Prima eſt doni timoris Domini, quo beati ſunt pauperes ſpiritu, ideò ſanctificatio nominis Dei petitur. 2. Pietatis, quâ ſunt mites ideò regnum petitur; Vt miteſcemus & ſcientiæ quâ beati ſunt qui lugent, petimus vt voluntas fiat eius, & ſic non lugeamus. 4. fortitudo quâ beati ſunt qui eſuriunt, petimus, vt panis noſter quotidianus detur nobis. 5. Conſilium quo beati miſericordes, petimus vt ſicut debita dimittimus nobis dimittantur.

Quando ſit petendum?

QVando & quam diu aures Dei Sabaoth apertæ ſunt nobis. Nam ſi petere voluerit, quando ab hac vitâ tranſmigrauerit, petitio eius nullatenus audietur. Vnde Iſa. 49. *In tempore placito exaudiui te.* Tempus placitum eſt, tempus huius vitæ quando, miſericordia nulli homini denegatur.

ANNOTATIO.

Petendum in hâc vita à Domino,

OMnium natura conſtantium certus eſt terminus, & ratio magnitudinis, & augmenti, inquit Philoſophus in lib. de Anima. Eundem terminum Theologi naturæ humanæ conſtituunt, quod ſcilicet mereri non poteſt, niſi in præſenti vita, nec ſperare poteſt de tempore niſi Nunc. *Dum tempus habemus operemur bonum.* Inquit Apoſt. Gal. 6. Optimè igitur B. Alb. Mag. Petendum nobis, dum hic peregrinamur. Nam vita hominis bulla, citò decidimus. Hodie cras non ſperamus rectè. Hodie mihi, cras tibi: Hoc meum momentum, hoc tuum. Ibimus, ibitis, ibunt. Subſequens & immediata ſupputatio.

Quos peccatores exaudit Domi-

Vel etiam petendum nobis, ſiue ſis iuſtus ſiue peccator, omni tempore, quo viuis in omni ſtatu in quo reperiris. Aug: Tract. 44. in Ioan. Si peccatores non exaudiret Deus, fruſtra publicanus dixiſſet. *Domine propitius eſto mihi peccatori.* Et Chryſoſt. ſuper Matth. hom: 18. in opere imperf. Omnis qui petit accipit. ideſt, ſiue iuſtus ſiue peccator. In homine peccatore conſideratur natura & culpa, illam Deus diligit, hanc odit, ſi petit peccati deſiderium, non auditur à Deo niſi ad vindictam, dum permittit eum amplius ruere in peccata, nam Devs quædam negat propitius, quæ concedit iratus. Orationem verò peccatoris ex bono deſiderio procedentem Deus audit non ex juſtitia, quia hoc non meretur, ſed ex pura miſericordia, obſeruatis tamen his conditionibus vt pro ſe petat, neceſſaria ad ſalutem, pie, & perſeueranter D. T. 3. qu. 83. a. 16. Audit quoq; peccatorem, dum in perſona Eccleſiæ orat vel

vel orationem dicit, non audit, dum in perſona ſua orat in peccatorum ſordibus exiſtere volens, nec inſpirationes diuinas recipiens. B. Nilus Mar. Inanis eſt omnis oratio quæ ad corrigendum adhibetur, ſi auditorum voluntas & ſtudium ad deterius inclinans conſilio noſtro aduerſatur. Sed cùm oras, ad Deum mentem attolle, quod ſi inde exorbitet, iterum colligere ſtude. In vitis Patrum legitur. Oranti in ſepulchro religioſo, accedebant dæmones percutientes & injuriantes, ille verò nec ſe mouebat ſed attentius orabat, tandem confuſi, dixerunt; Viciſti, viciſti. Ita peccator renunciando peccatis, hoſtem repudiare debet animæ, & ſine intermiſſione conuerti ad Dominum, donec vincat malignum. Val: Max: lib: 6. cap. 3. inquit: Viguit in noſtra ciuitate Tyberij & Caij Gracchorum ſumma nobilitas ac ſpes ampliſſima, ſed quia ſtatum ciuitatis conati ſunt conuellere, inſepulta cadauera jacuerunt, ſupremusq; humanæ conditionis honos Filijs Gracchij & Nepotibus Africani defuit. Quid horribilius de juſticia diuina ſpectat peccatores, quia ſtatum ſuum à Deo miſericorditer in præſenti peregrinatione conceſſum, conuellere non dedignati ſunt. Non conuerſos ad Dominum juſto judicio dabit. *Ite maledicti in ignem æternum.*

IN LITANIIS.

Quærite & inuenietis. *Matth. 7.*

QVIS SIT QVÆRENDVS?

ILle ſine quo nullus poteſt eſſe beatus, & certè hic eſt Deus noſter. Ipſe enim eſt ſalus & theſaurus eſt beatitudinis omnium electorum.

ANNOTATIONES.

GReg: Dial: lib: 1. c. 8. Deus Diſpoſuit āte ſæcula hominibꝰ dare, ſed per orationes vt impetrent, ordinauit. Non quæſitus, non rogatus, non donat. Et quia ea quærenda à Deo quæ nos beatos efficiant, nullus eſt quærendus niſi qui eſt beatitudinis auctor. Hugo de perfectiō. Nouit. Deus non tantum vult orari, quod ante diſpoſuit dona, ſed vult vt plus orando mereamur per fidem quod obtinere confidimus, & plus mereamur per charitatem quā amamus exauditorem, & plus per humilitatem, quam in obſecratione tenemus, & mereamur per deſiderium, quo bona adipiſci cupimus, maximæ virtutes, vnde Deo placeamus. Iſte ergò quærendus

eſt qui omnipotentia diuinæ maieſtatis, cuncta poteſtatis ſuæ immenſitate concludit, nec euadendi potentiam eius quiſquam aditum jnuenire poteſt, quia ille omnia circumquaq; conſtringit. Cuncta enim intra diuini judicij potentiam coarctantur, ſiue quæ continenda ſunt, vt ſalua ſint: ſiue quæ amputanda ſunt, vt pereant. Nullatenus ergò dicimus poſſe effugere Deum quempiam. Iſid: lib: 1. cap: 2. Refert Socrates, quod in vijs inſcriptum fuerat: *NE AMICVM DECIPIAS.* Profectò in via noſtra hâc amici duo ſunt; Deus, qui nobis filium in redemptionem dedit, & conſcientia noſtra. Ergò hos amicos optimè nobis ſuadentes nòn decipiamus, ſed eos audiam⁹, obſeruam⁹, quæramus. Felix qui potuit boni fontem viſere perennem. Eſt enim mentibus hominum veri boni naturaliter inſerta cupiditas, ſed ad falſa deuius error adducit. Audi Platonem in Gēmis: Omni ſtudio danda eſt opera, vt quicunque noſtrûm omiſſis cæteris diſciplinis, hanc quærat aſſequaturque pro viribus diſciplinam, per quā & poſſit & ſciat vitam bonam à mala diſcernere, & quoad fieri poteſt, ex omnibus eligere meliorem. Vidimus enim & viuenti & mortuo electionem hanc optimam eſſe. Hæc Plato Dialog: 10. de Iuſto.

Vbi eſt Deus quærendus?

In tribus locis Deus eſt quærendus.

RESp: In tribus locis. In præſepio Bethlehemitico, in crucis patibulo, in paterno gremio. De 1. Luc: 2. *Inuenietis infantem pannis inuolu-tum poſitum in præſepio.* Ibi primùm quæ-rendus, vbi à paſtoribus, Regibus, inuentus. Inuenietur ibi in pauper-tate, in vilitate, in aſperitate; vt fal-laces diuitiæ reſpuantur, honores tranſitorij contemnantur, vt carnis deliciæ fugiantur. De 2. Bern: Do-mine, circuire poſſum mare & ari-dam, nuſquam te inuenio niſi in cru-ce, ibi cubas, ibi dormis in meridie; per meridiē intelligitur feruor paſ-ſionis, in quo Dominus expirauit. Vbi ſtans docet nos, vt iniurijs renū-ciemus; vt res noſtras pauperibus e-rogemus, vt de parentibus noſtris curemus, vt Deum in noſtris neceſ-ſitatibus inuocemus. Docet æter-nis ſitienter inhiare, opera noſtra in bono conſumare, animam noſtram Deo Patri quotidie recommendare. De 1. Luc. 23. *Pater dimitte eis non enim ſciunt quid faciunt.* Debemus igitur prò inimicis orare. Matth. 5. *Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, vt ſitis filij Patris veſtri qui in cælis eſt.* De 2. Lu-cæ 23. *Hodie mecum eris in paradiſo.* Gloſ. Dominus ſemper plus tribuit, quàm rogetur. Ergò *omni petenti te tribue.* Luc. 6. De 3. Ioan. 19. *Ecce filius tuus.* Docet vt à pijs filijs impendatur cu-ra parentibus. 1. ad Tim: 5. *Si quis* *curam ſuorum non habet fidem negauit, & eſt infideli deterior.* Et Eccl: 3. *Qui timet do-minum, honorat parentes, & quaſi dominis ſeruiet his, qui ſe genuerunt in opere, ſermo-ne, & in omni patientia.* Et infra: *Quàm malæ famæ eſt, qui relinquit Patrem, & eſt maledictus à Deo, qui exaſperat matrem.* De 4. clamabat in cruce: *Heli Heli, LAMAZA.*

[In præ-ſepio.] *[In cruce.]* *[Pro pa-rentibus [illegible]]*

Lamazabathani. Oſtendit repetendo: *Deus meus*, quod in omni neceſſitate animæ & corporis ad auxilium confugiendum. Econtrà faciunt, qui ad Phytoniſas, ſortiarias, præſtigia mulierum in aduerſitatibus & infirmitatibus confugiunt. De 5. dixit in cruce: *Sitio.* Multam ſitim paſſus in corpore, at maiorem in anima; ideò vinum mixtum noluit bibere: ſitiebat enim ſalutem animarum. Pſal: 14. *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum.* admonemur ad ſitiendam ſalutem. De 6. Ioan. 19. *Conſumatum eſt.* & perſeuerandum vſque in finem in bono. vt Matth: 24. De 7. Luc: 23. *Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum.* Bern. in locum Pſal. 90. *Scuto circumdabit te veritas eius.* Neceſſaria planè inſuperabilis protectio veritatis non modo interim in carne degēti, ſed poſtmodum exeunti: nunc quidem ob periculoſos conflictus, tunc verò ob monſtruoſos occurſus ſpirituum immundorum. Etiam ſanctum Martinum inimici infeſtarunt: imò & Chriſtum volebant: *Venit Princeps huius mundi, & in me non habet quicquam.* Ioan: 14.

ANNOTATIONES.

Seneca de 4. virtutibus ſcribendo dicit: Conſilium peritorum, ex apertis obſcura æſtimat, ex paruulis magna, ex partibus tota. Non quis ſed quid dicat intendito. Profectò inter peritiſſimos B. Alber: Magnus, dum inſtruit vbi quærendus ſit Dominus Deus, maximum conſilium nobis reliquit: Quærendus (inquit) in præſepio. Ibi enim naturam illam quam accepit Chriſtus temporaliter à matre diſpoſuerat primùm, ex quo natus eſt. Non enim corpus CHRISTI de cœlo allatum ſicut Valentinianus hæriticus dicebat, ſed de virgine matre ſumptum ex puriſſimis ſanguinibus eius formatum fuerat. Et quia idem Deus & homo natus erat, præſepe in quo iuuentus eſt Chriſtus à paſtoribus & Regibus, erat ceu cœlum quoddam plenum Deo, Angelis & Sanctis. D: Ambr: In ſtabulo ponitur qui continet mundum, jacet in præſepio qui in nubibus tonat. Nunquid thronus præſepium, aula ſtabulum, panni purpura; curiæ frequentia, Ioſeph & Maria. Propter hæc inuenienda, ab altis deſcendit ad humilia, à regalibus ſedibus ad jumentorum ſtabula. Bern: Æternum antiquum & nouum juncta ſunt; æternum, quia perſona Filij Dei, antiquum, quia caro ab Adam. Quia anima noua, conjuncta quoq; mirabiliter Deus & homo; Mater & Virgo, fides & cor humanum. Ibi ſumma majeſtas humanata humiliata eſt, virtus infirmata, immenſitas breuiata, ſapientia muta facta, æternitas initiata eſt. Iſa: 9. *Vocabitur admirabilis, DEVS, fortis.* Eius partus ſupra naturam quia Virgo concepit, ſupra rationem quia Deum genuit, ſupra humanam conditionem quia ſine dolore concepit & peperit, ſupra conſuetudinē quia de Spiritu S.

Præſepe in quo repoſitus Chriſto Cælum.

Quæ-

S. Quærite igitur Dominum in præſepio. ô ſi dictum fuiſſet antiquis. Inuenietis infantem, quantum putas fuiſſent gauiſi, ſi dictum, expecta modicum & cum gaudio expectabant Iſa: 28. cum quanto ſi audiuiſſent, *Inuenietis infantem.* Nobis verò dicitur *quærite & inuenietis.* Magna chriſtianorum gratia quia Deum habent quodammodo ad planum. Val: Max: lib: 1. cap: 3. de L: Sylla refert. Quoties prælium committere deſtinabat paruum Apollinis ſignum Delphis ſublatum in conſpectu militum complexus orabat, vti promiſſa maturaret. Et Chriſtus jacet in præſepio, accede Chriſtiane pura mente, accipe ſanctis manibus, ſtringe amplexare corde Chriſtum, & promiſſa gratiarum & benedictionis ſuæ maturabit. B: Nilus in ſent: Tropol: Decorem cæleſtium conſidera bonorum, & rerum terrenarum deſiderio non capieris, nec aliquid earum tibi jucundum erit. At prius inuenias Chriſtum in ſtabulo pro te vagientem & frigus ſuſtinentem, atq; hoc ſedulo contemplare. Nam ſi eum inueneris, & in cœlis inuenies.

Pro cruce Nota. Quærendus Dominus in cruce. Senec: de magnanimitate ſcribendo dicit. Si magnanimus fueris nunquam judicabis tibi contumeliam fieri. Neſcio an ex ſola magnanimitate tantæ virtutis robur proueniat, at hoc bene ſcio, quod magnanimus chriſtianus, crucem ſanctam in contumeliam non habuit, ſed in gloriam & ſublimationem. D. Leo Papa Serm: 1. de Paſſione. Non eſt dilectiſſimi erubeſcenda crux Chriſti, quæ de virtute eſt diuini conſilij non de conditione peccati. Quamuis enim ex infirmitate noſtra paſſus & mortuus eſt IESVS, non tamen ita ſe abſtinuit à gloria ſua, vt inter contumelias paſſionis nihil diuinæ operationis exerceret. Quærentibus ſe in horto dixit. *Ego ſum.* Et ad vocem turba proſternitur impiorum, & omnes atroces minaces terribiles retroacti corruerunt. Vbi fuit ſæuitiæ conſpiratio? vbi ardor irarum? vbi inſtructus armorum? Quod poterit majeſtas eius judicatura, cuius hoc potuit humilitas judicanda? Quærendus igitur Chriſtus in cruce eſt & ibi inueniendus. Dicit Jacob Gen: 32. *Vidi Dominum facie ad faciem & ſalua facta eſt omnis caro.* Equidem de Angelo quem in ſpecie humana vidit atq; luctam cum ipſo fecit, à quo nomen Iſraël ex ordinatione Dei cum benedictione accepit, ibi ſermonem fecit, attamen SS. Patres in Chriſtum venturum credentes, videbant eum facie ad faciem viſione imaginariâ, per quem omnis homo ſaluus eſſe debuit. Vndè aſpiciebant eum nedum natum, prædicantem, ſed patientem & crucifixum. Vbi aſpiciendo in cruce Dominum dicebat. *Vidi Dominum facie ad faciem.* Ibi enim verè ſe Dominum oſtendit, cùm latroni regnum, inimicis gratiam, orphanis tutelam, Eccleſiæ ſacramen-

cramentũ ablutionis, Patribus liberationem, mortuis vitã; ingratis, obſtinatis, condemnationẽ diſtribuit. Salua eſt per eum omnis caro, nec perdidit quemquam ſalus Iſraëlis ex eo perditio non ex eo. Quærendus igitur in cruce ibi cubat. B. Leo Papa ſerm: 5. de Paſſ: Chriſtianæ ſpei vera ratio & principalis cauſa crux Chriſti eſt, quæ Iudæis ſcandalum gentibus ſtultitia, nobis virtus Dei eſt. Vnde ſummum hoc & potentiſſimum diuinæ miſericordiæ ſacramentum ſemper quidem in cordibus noſtris cum tota ſui dignitate retinendum eſt, ſed nunc viuaciorem animi ſenſum, & puriorem exigit mentis intuitum; quando non ſolùm recurſu temporis, ſed etiam textu Euangelicæ lectionis, omne opus noſtræ ſalutis ingeritur. Non erubeſcimus crucem Chriſti, & inter cõtradicentium linguas, nec de morte ipſius, nec de reſurrectione dubitamus; quoniam quod ſuperbos ad infidelitatem trahit, hoc nos ad fidem dirigit; & quod apud illos eſt materia cõfuſionis, hoc apud nos eſt cauſa pietatis. Hæc ille. In cruce quærendum inſtruit B. Alb. Magn. Niſi enim in cruce à nobis inueniatur, nec in cælis à nobis inuenietur. Petebat duplicem ſpiritum ab Helia Heliſæus, & dixit ei: *Rem difficilem petiſti, ſed ſi me poteris videre quando aſcendam, fiet tibi.* Rem difficilem videre Deum homini, qui ſedet à dextris Dei, ſed ex parte donantis non eſt impoſſibilis: ſi poteſt eum videre in cruce, in curru hoc ignei amoris, ſi potes videre quæ paſſus ſum in corpore pro te, & ea inuenientur in mente & corde tuo. ſine dubio ſpiritum duplicem gratiam & gloriam, viſionem velatam hîc, & reuelatam ibi habebis Dei & Chriſti. Dignum enim & congruum eſt fratres chariſſimi, inquit D. Auguſt. vt qui ſunt ſocij contumeliæ, ſint etiam participes gloriæ. Anſelm. in medit: ô ineffabilis miniſterij depoſitio! Peccat iniquus & punitur iuſtus. delinquit reus vapulat innocens; offendit impius, damnatur pius: quod meretur malus, patitur bonus; quod pertractat ſeruus exoluit Dominus; quod committit homo, exoluit Deus. Nõ peccauit Iſaac, & à parente ducitur in oblationem. Hoc cogita ô homo, ſcribe in corde, meditare in via, inuentum in cruce tenebis Chriſtum, & ad cælum pertranſibis. Soli lucenti addiderat quidam lemma: *TV SPLENDOREM TV VIGOREM.* Iure meritò tu quoque cruci ſanctæ in te radicatæ, & à te cuſtoditæ adhibebis dictum: Tu vitam, tu gloriam præſtas.

De iniurijs remittendis Nota. Peius eſt iniuriam facere quàm pati. inquit Plato. Nam iniuriæ virum fortem probant. ait Auguſt. Neque eſt ad diuturnitatis memoriam aliquid tam ſtabile, in quo aliquem offenderis. dixit Cic. Quia igitur iniuria magis in iniurantem quàm in iniuriatum inclinat; iniuriarum obliuiſci, & eas remittere debemus. *Iniuriæ obliuiſcendæ.*

Quàm decorè Greg: 30. Mor. Glorioſius eſt iniuriam tacendo fugere, quàm reſpondendo ſuperare. Etſi ſeruus conuitium dicat, iuſtus taceat; ſi infirmus iniuriam faciat, iuſtus ſufferat; & ſi pauper criminetur, iuſtus non reſpondeat. Herculi pugnanti cum Hidra aliquis ſubſcripſit: *TVNE CEDE MALIS.* Non fecit ſenſum, vt iniurijs illatis non parcat; ſed vt talia vitia in ſe non admittat, alios nimirum ne iniurietur nec crimine lædat; ſed proſequatur virtutem, vitium deſerat. Non cedas malis; hoc eſt: non conſtituas locum in te malitiæ. Hinc B. Nilus: Quæ hominem ratione priuare ſolent cuncta fuge, ea verò quæ cæleſti te ſemine defluxiſſe oſtendere valent, perage. Doctrina hæc Chriſti reuocat in mentem Moyſen orantem Exo: 32. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro quem ſcripſiſti.* Quomodo igitur non erit parcendum nobis, ſi quid proximus in nos peccauerit. Pepercit S. Steph: Actor. 7. orando: *Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Iſa: 54. *Ipſe peccata multorum tulit & pro tranſgreſſoribus orauit vt non perirent.* Greg: 5. Moral. Patienter illatam iniuriam tollerat, qui piè meminit, quod fortaſſe adhuc ex ſe habeat, in quo ipſe debeat tollerari. Sis piger ad pœnas, ad præmia velox: miſericordiam vult Deus non ſacrificium; eget verò miſericordia magna iniurians. Nam iniuriam faciens à quo honoratur, inquit Greg. à nullo. Iuſtè enim à honore repellitur.

De erogatione pauperibus. Nota. Nullus tantùm dare poteſt roganti, quantùm dedit Chriſtus latroni: *Hodie mecum* (inquit) *eris in paradiſo.* Moyſi puero filia Pharaonis plurimum dedit, quia dedit illi vitam contra decretum parentis qui omnes natos Iudæos perdere voluit. dedit & hoc quod eum in filiũ ſuum adoptauit; dedit & quod occiſoré viri occidere non permiſit: hæc tamen illi regnum nec dignitatem regiam contulit. Chriſtus verò dedit regnũ latroni petenti: *Memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Sap. 5. *Accipient regnum decoris, & diadema pulchritudinis de manu Domini; quoniam dextera ſua reget eos, & in brachio ſuo defendet illos.* Magna promiſſio regni. Sed cum dicitur latroni: *Hodie in paradiſo eris.* quid ſummum conceſſum? Paradiſus enim iſte eſt deitatis plena fruitio, exhibens ſe fruitioni ſanctorum; ſicut fluuius qui egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandũ paradiſum terreſtrem. Elementum ignis ſemper aſcendit; vnde illi ſubſcripſit quidam: *DEORSVM NVNQVAM.* Profectò ſi Deus amor & ignis noſter extulerit ad cælos, nunquam deorſum cadet; ſed æternũ durabit in cælis. Ex tanta igitur miſericordia & retributione ſumma petenti latroni colligendum eſt, quàm grata eſt Deo miſeratio in pauperem. Etſi potus aquæ frigidæ, inquit B. Nilus, iuſtificat miſericordem; quam retributionem pauperibus denegantem manere exiſtimas?

Impu- pere ro- rogan- dum.

mas? Matres virtutum caſtitas & compaſſio addit illi, quo pacto igitur vna ſine alia Chriſto militare poteris. B. Apoſt. Iacobus 2. *Miſericordia ſuperexaltat iudicium.* Alta ratio! Non ſolum vobis conſulo vt ſitis miſericordes & compatientes ergà inuicem, quia iudicium ſine miſericordia ei, qui miſericordiam non fecit, verum etiam ita commendo, quia miſericordia ſuperexaltat iudicium, nam ea iudicium diuinum adornatur & obumbratur. *Caietanus.* Nullum diuinum iudicium reproborum caret miſericordiâ, niſi vltimū Dei iudiciū reproborum carebit miſericordiâ ſaluatrice. Et qui Dei erat oblitus, obliuiſcetur à Deo.

De cura parentum. Nota. Coniuncti aliqui ſunt naturâ ſibi, alij gratiâ, at inter perfectos maxime illi ad inuicem adſtricti ſibi, qui ſunt eiuſdem gratiæ. Matrem B. V. Mariam, & filium Ioannem ipſius, dixit Chriſtus reſpectu eiuſdem gratiæ; idcircò matrem filio, & filium matri commendauit: Sap. 4. *Reſpectus eius in electos eius.* Coniunctos igitur nobis in natura vel in gratia deſerere non licet. *Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ tuæ.* Tob. 4. Ambroſ. in Matth. Primus gradus pietatis eſt iſte, vt quos authores tibi voluit eſſe Deus honores obſequijs, abſtineas à contumelijs, nec vultu lædenda eſt pietas parentum. Neq; ſine ratione ita parentum cura nobis commendatur, nam ipſe Ariſtot: dicit, quòd parentes tria dant beneficia liberis; dant beneficium eſſendi generando, beneficium viuendi educando, & beneficium diſcendi informando. In ſcriptura contactu ſalis, aquæ factæ ſunt ſalubres apud Prophetam: ita parentum contactus ipſe, vel ipſe reſpectus oculi, aut nutus, ſalus ſunt filiorum. Eandem igitur repende parentibus curam eumq; amorem, ſis eorum manus, oculus, ſcipio, ſalus. *Parentum cura habenda.* Diogen. Quæcunq; parentibus ſtipendia intuleris, eadem ipſe à filijs expecta. Sed heu! longè infirmiora à filijs ſuſcipiunt parentes adiutoria. Lego parentem ceſſiſſe regnum filio; & non lego filium aliquando ceſſiſſe, ſed inſidiaſſe. Val. Max. libr. 5. cap. 7. refert: Cappadociæ Rex Ariobarzanes, in conſpectu Pompeij in Senatu ſurrexit è ſella, & diadema in caput filij tranſtulit, hortariq; cœpit vt eò tranſiret vnde ille ſurrexerat; exciderunt lachrymæ iuueni, horruit corpus, delapſum diadema eſt, nec progredi potuit. Lætus erat qui regnum deponebat, triſtis cui dabatur. Finis controuerſiæ cū voluntati parentis authoritas Pompeij acceſſit, filium enim & regem appellauit, & diadema ſumere iuſſit, & in curali ſella c nſedere cëpit. Quis fuit filius qui talia præſtitit patri? Sed optimè adnotabat Pius II. Papa vt apud Platinam legitur Hoſtem in ſe nutrit, qui filio; nimis indulget.

Quod ad Deum in neceſſitatibus fugien-

In neceſsitatibus ad Deum cōfugiẽdum.

fugiendum. Nota. *Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram.* Fruſtrà ad alios fugimus, qui cum terra: & cælo ſunt creati; nam hi ipſi auxilium à ſuo creatore requirunt. Ille ſolus verus eſt auxiliator creaturarum, qui creaturas facit; cuius nomen eſt admirabile in viuerſa terra, qui eſt ipſe Dominus & Dominus noſter. Euripidis dictum eſt: Iupiter mihi auxiliator, non metuo. In ſupremo Deorum auxilium ponebat, idcircò non metuebat. Multò magis qui in Deo vno & trino, Deo verò & ſolo ponit fiduciam & leuamen, habebit fiduciæ effectum. Apes circumuolantes arbuſta, quidã hoc ſcripto expreſſerat: *FLORE GAVDENTES ET VMBRA.* Omnia profectò habet in Deo, qui in neceſſitatibus ad eum confugit. Habet florem conſolationis, & vmbram adiutorij. Hinc Plato de Legib. Deus ante omnia opera inuocandus. Quod ſi ante opera, ergò multò magis in operibus; nam qui potuit & valuit ante tuum opus dare tibi auxilium, iam in ipſo opere fidentius præſtabit. Vana igitur ſint præſtigia ſeu diuinationes per dæmones, qui ſe ingerunt viſui vel auditui hominum, & perſtringendo oculos, ex terræ cumulo caſtrum apparere facit, talentum ex lapide, cohortem militum ex ſegete. Vide ergò quod præſtigium eſt ars magica, dolus, fraus, mendacium, fallacia. maleficium. Vanus ſit Phitoniſſus & Phitoniſſa diuinatores & incantatores diabolico ſpiritu pleni. Vana ſint ſortilegia ſiue ſint diuinatoria, quâ quæritur cognitio futuri, ſiue diuerſoria, quâ quæritur cognitio habendi; ſiue conſultoria, quâ quæritur res fiendi. Falſum & vanum expectare quid ex ſtellis, expectare à diabolo, eſt illicitum; expectare quid per ſortes à Deo eſt peccatum. Igitur in neceſſitatibus tuis ad Deum ipſum, ſicut te Chriſtus docuit in cruce dicendo: *Deus meus, Deus meus; vt quid me dereliquiſti.* cõfuge. Dominus cuſtodit te ab omni malo, cuſtodiat animam tuam Dominus. ait Pſal. 120. Optima præcuſtoditio Iſidori de ſumm: lib. 2. cap. 15. Dominici contemptores præcepti ſtatim vt auertuntur à Deo, à malignis ſpiritibus occupantur; à quibus etiam vt mala faciant perſuadentur. Hinc illud Propheticum. Naum. 1. *Inimicos Dei perſequuntur tenebræ.* Id eſt, dæmones. Hinc Pſal. 77. *Immiſſiones per Angelos malos.* Multa miſer timeo, quia feci multa proterue.

Non ad preſtigia.

De Siti ad æterna. Nota. Summum deſiderium redimendorum expreſſum In Chriſto, dum *Sitio* dixit: non enim ſitis corporis erat, cùm noluit bibere. Nam ſitiens corporaliter, non penſat liquorem. Bern. Domine quid ſitis? Plus te cruciat tua ſitis, quàm tua crux; de cruce ſiles de ſiti clamas. Sitio (inquam) veſtram ſalutem, veſtrum gaudium. Amos 2. *Vinum damnatorum bibit Iſraël & Dei eorum.* Erat enim mos vt Prou. 31. dicitur; quòd perdendis daretur vinum inebriatiuum

uiuum, & eis qui ſunt amaro corde. Vnde damnatorum vinum diceba-tur. Et hoc dederunt Chriſto Pſal. 68. *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti potauerunt me aceto.* At pater de cælo illum potauit fonte ad quem ſitie-bat, vt ſcilicet perficeretur huma-na ſalus. Eodem modo docuit nos Chriſtus ſalutem proximi curare cũ ſummo deſierio, ſi volum⁹ cõpre-hẽdere cũ omnibus ſanctis vt inquit Apoſtolus: Nullus enim ſanctorum fuit qui proximi ſalutem non deſi-derauit, orabant procrucifigẽtibus & lapidantibus. Carnifici perſol-uebant, honoraria à loco mortis in pomis & roſis tranſmittebant, inter gentes peregrinari volebant, vitam pro ſalute hominum & ani-marum proſternebant. Ad ſcorpio-nem ponebant quidam lemma: NON PROCVL AB ICTV. Ita inter ho-ſtes gladios & catenas verſabantur ſancti Confeſſores & Martyres, vt omni die, imò horâ pro animabus Chriſtianis mori non dubitauerint. Seneca Epiſt. 8. Cogita in te præ-ter animum nihil eſſe mirabile, cui magno nihil eſt magnum. Hinc ſummoperè anima curanda eſt; & ſi noſtra curanda, certe & proximi, nam ex hac charitatis vi, & noſtra anima curabitur à Deo. Greg. A-nimæ magnæ eſt, curare quietem alienam.

De perſeueratione in bono. No-ta. Eſa 1. *Quieſcite agere peruerſe, & di-ſcite benè facere.* Hanc Chriſtus do-cuit in crucis Cathedra doctrinam, qui tot malis impetitus, nunquam tamen homini licèt ingratò benefa-cere ceſſauit, donec conſumaret & perfectam reddidiſſet redemptio-nem. Cum in bono non perſeuera-uit Adam, dicitur Gen: 3. Dicebat Dominus; Vbi es Adam? demanu mea, de bono Paradiſi, de fælicita-te ſumma, cecidiſti in peccatum. vide in qualem veniſti miſeriam, quæ & te ad neceſſitatem moriendi, & me ad mortem conducet tuæ re-demptionis gratiâ. Habuit inde ſpem in miſericordia Domini A-dam quandoquidem quærebatur à Domino; ſed ſi homo in malum prolapſus ante mortem ſuam non redierit ad virtutem jam nulla ſpes redemptionis illi relicta eſt. Sola & tota ſpes redemptionis eſt ante oc-caſum vitæ. Vnde Iſid: de ſum: lib. 2. cap. 15. Quidam electorum dimit-tuntur diuina Iuſtitia incidere in errorem pecccatorum, ſed tamen miſeratione eius reducti denuò con-uertuntur. De quibus Dominus per Prophetam Iſa. 57. Et dimiſi eum & reduxi eum & reddidi ei conſolatio-nem. Eccl: 14. ANTE OBITVM TVVM operare juſtitiam, quoniam non eſt apud inferos inuenire cibum. Erit quidem apud inferos ignis, reſina, ſulphur; at iſta non cibus ſed pœna ſunt. Ad marſupium quidam lemma aſſignauerat: RETINET AD VSVM. Profectò Deus præſens tempus reti-net & donauit ad hominis vſum, vt operari & mereri in ipſo poſſit; a-liâs tempus vbi abibit, & homo im-pius inferos adibit. Hinc monebat

Ier: 7. ex mente Dei: *Bonas facite vias veſtras & ſtudia veſtra, & habitabo vobiſcum in loco iſto.* Vbi bona ſtudia, ibi Deus manet; imò qui bona facit, ex Deo eſt. hoc eſt, Filius Dei adoptiuus verus eſt. Dicit B: Nilus: Ea bona quorum vſus labitur, poſſeſſioq; corrumpitur, ne appete. Quare? fumus enim & bulla ſunt, mala & peſſima cenſentur, ſed appete verà bona, ſalubria animæ, gloriam nutrientia æternam: quarum vſus honeſtas, poſſeſſio, beatitudo eſt. Quæ verò ſint talia bona enumerat. B: Max: in fine Hom: de Sanctis: Sobrietas, honeſtas, miſericordia, caſtitas, quæ bona, auro magis pretioſa.

Moritu-rus v-nimam commẽdet Deo

De recommendatione animæ Deo. Nota. Cùm Spiritus Chriſti vnitus fuit diuinitati non indiguit commendare Spiritum, ſed nos docuit quomodo Deo Spiritum noſtrum commendare debeamus. Sap: 3. *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt & non tanget illos tormentum malitiæ.* Sunt verò juſti ſi ſe Deo recommendant, & ſunt in manu Dei, quia tales ad ſe ſuſcipit, nec tangere eos permittit à dæmonibus. B: Nilus in Sent: Tropol: ſuggerit medium ad beatam vitam. Si vitam expetis ſempiternam, humanam mortem ſemper expecta. Diceret quaſi, ſemper morere & recommendes animam tuam Deo. Regreſſus ad veniam vt Apelles & Polycletus pictores haberent, imperfectum opus in aliquo relinquebant, dicentes: Erit regreſſus ad veniam. Hoc eſt, ſi ſartor veſtem, ſutor calceos, aurifaber fibulas reprehenderit, erit regreſſus ad veniam. E quidem qui mortalium recommendare Deo animam non deſinit, habet ſemper regreſſum ad veniam. Diceres Hîc vre, ſeca, vt in æternum parcas. Bern: Serm: 33. Anima Dei ſtudioſa, tria non ceſſat inquirere, juſtitiam, judicium, & locum habitationis. Puto juſtitiam de perpetratis, vt in ſeipſo adminiſtret ipſam; Iudicium, ne cùm ſe judicauerit, in judicium Dei veniat: locus habitationis, dubius poſt mortem, alijs datur lugubris infernus; alijs ſpe lætus purgatorium, alijs ſanctis ipſis præparatus gloria cæleſtis, & viſio æterna Dei. Fæliciſſimus qui locum habitationis ſibi præparauit recommendatione quotidiâna in cœlis! S. Dominicus Ord: noſtri Patriarcha, Eccleſiaſticis Sacramentis deuotiſſimè ſuſceptis innuit Fratribus vt commendationem animæ de more inciperent, illiſq; orantibus & dicentibus: Subuenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini, extenſis in cœlum manibus animam in manus creatoris depoſuit. Anima ipſius in carne inter ſpinas verſabatur, in Spiritûs S. via incedebat, & facta ſedes Dei, ab eo in cœlum eleuata remanſit.

Hîc demum proſequitur B. Alb: Mag: quomodo quærendus ſit Dominus in gremio Patris? Hoc enim vltimum ſui propoſiti fuerat, poſt quæſitum in præſepio & in cruce, quærere in gremio Patris. Sed paucis perſoluit intentum. Dicit namq;

Quomodo

Quomodo quærendus ſit in gremio patris; alia vice, ſi Dominus dederit, proſequemur.

ADNOTATIO.

Pingebat aliquis virginem mandentem rutæ virgultam, & inſcripſit: *PRÆGVSTAT ET PVGNAT*. Significabat aliquid ſecreti in naturæ rutæ clauſum fuiſſe, ad pugnam & conſequendam victoriam. Ita proceſſit B: Alb: Magnus. Modum ad inueniendum & quærendum in gremio Patris Dominum inueſtigando, dixit: Si Dominus dederit, proſequemur. Inſtruebat profectò, hic rutam maſticandam neceſſario & prægustandam, tum in pugna deſcendendum, & poſt victoriam & certamen legitimum, quærent in gremio Patris Chriſtum & inuenient. Non coronabitur niſi qui legitime certauerit. Quaſi diceret: In gremio & ſinu Patris coronatus reſidet Chriſtus, vndè nullus videre ipſum poterit, niſi victor, triumphator & coronatus. Iſid: de ſum: lib: 2. cap: 9. Multos habet conflictus Dei ſeruus ex recordatione operum præteritorum, multiq; poſt conuerſionem etiam nolentes motum libidinis ſuſtinent, quod tamen ad damnationem non tolerant ſed ad probationem, ſcilicet vt ſemper habeant pro excutienda inertia hoſtem cui reſiſtant dummodo non conſentiant. Vnde nouerint ſerui Dei ſe etiam à peccatis jam eſſe mundatos, ſed tamen cogitationum turpium adhuc interpellatione pulſari. D. Paulo dictum: *Mihi, ſufficit tibi gratia mea.* Et ſic habeo ſtimulum in membris meis qui me colaphiſet.

Crede mihi miſeris cæleſtia numina parcunt
Cum benè peccati pœnituiſſe vident.

Quando eſt quærendus?

ISa: 55. *Quærite Dominum dum inueniri poteſt: inuocate eum dum propè eſt.* Sap: 1. *In ſimplicitate cordis quærite Dominum, quoniam inuenitur ab his qui non tentant eum; apparet autem his, qui fidem habent in illum.*

ANNOTATIONES.

EX authoritatibus ſcripturæ ſacræ adductis, videtur tunc eſſe quærendus, cùm inueniri poteſt, dum prope eſt, dum fidem habemus in ipſum: ſed quia Dominus omnibus eſt præſens, & per eſſentiam, potentiam, vbiq; eſt. *Si aſcendero in cælum tu illic es, ſi deſcendero in infernum ades*, nulla difficultas eſt inuenienti Dominum ex parte ipſius, ſed ex parte noſtri ſumma difficultas. Nos enim recedimus à Domino, & quærenti non occurrimus, vocanti non reſpondemus, accedenti non appropinquamus; ideò quæramus eum, dum inueniri poteſt, inuocemus eum dum propè eſt. Hinc Ier: 55. dicit Dominus: *Tolle volumen libri in quo ſcriptum non eſt, in eoque ſcribes omnia quæ dixi aduerſum Iudam & Iſrael, à die qua locutus ſum ad te vſq; in diem hunc: legeſq; coram populo, ſi forſan gens audiens vniuerſa* Quærẽdũ Deus quãdo?

mala qu

mala quæ ego cogito facere eis, reuertatur vnuſquiſq; à via peſſima, & propitius ero peccato & iniquitati eorum, & abſtinebo à plaga quas illis præparaueram. Vulpes cùm pertranſire glaciem cupit, probat auribus firmitatem ipſius, ſi enim ſub plantis non mutatur ſtridor, ſecure tranſit flumen. Indagare ô homo glaciem hanc auribus, dicta ſcilicet Prophetæ, attende quod Dominus prope eſt, conſidera quod inueniri à te deſiderat, ergo tu accede propius dum expectat, inuenias venientem, quæras te quærentem. Sed heu! *Factus eſt Ephraim quaſi columba ſeducta non habens cor.* Oſeæ 7. Verum audi Iſidorum ò peccator, ſquid lib: de ſum: 1. cap. 30. dixit: Geminâ punitur ſenteniâ impius, dum aut hîc pro de meritis, mentis cæcitate percutitur, ne veritatem videat: aut dum in fine damnabitur, vt debitas pœnas exoluat. Audi Chryſolog: ſerm: 168. Fratres, ille nos quæſiuit in terra, nos cum quæramus in cœlis, ille nos portauit ad gloriam, nos illum portemus in corde.

ITEM IN LITANIIS.

Pulſate & aperietur vobis *Matth.* 7.

AD CVIVS OSTIVM PVLSANDVM EST?

RESpond. ad januam Regis regum & Domini Dominantium. 1. Quia eſt opulentiſſimus. Prou. 8. *Mecum ſunt; diuitiæ, gloria, & opes ſuperbæ.* Id eſt, excelſa. vt habet gloſſa. 2. Quia largiſſimus ad diſtribuendum. Iac. 1. *Qui dat omnibus affluenter & non improperat.* Et Cant 5. *Manus eius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinctis.* Id eſt, manus volubiles & paratas ad dandum. 3. Quia ſpecioſiſſimus ad videndum. Sap. 7. *Candor eſt lucis æternæ, & ſpecioſior ſole.* Et 1. Pet: Can: 1. *In quem deſiderant Angeli proſpicere* 4. Quia non eſt amarus ad conuiuendum. *Non habet amaritudinem conuerſatio ipſius, nec tædium conuictus illius, ſed læticiam & gaudium.* Sap. 8.

ANNOTATIONES.

VBi redditur tanto regi & Domino ſeruitium, non Dominus ſed ſeruus fælix dicitur; ſtatus enim eius benedictione plenus eſt. Hoc expreſſit D. Papa Leo in Epiſt: ad Theodoſium Aug: Vobis non ſolum regium ſed etiam ſacerdotalem animum ineſſe gaudemus. Siquidem præter imperiales & publicas curas, pijſſimam ſollicitudinem chriſtianæ religionis habetis, ne ſcilicet in populo Dei, aut Schyſmata aut hæreſes, aut

ſes, aut vlla ſcandala conualeſcant; quia tunc eſt optimus regni veſtri ſtatus, quando ſempiternæ & incommutabili Trinitati vnius deitatis confeſſione ſeruitur. Non enim aliud hi tituli, Rex regum & Dominus Dominantiũ exprimunt, quàm Deum vnum & Trinum; quocirca non Dominum fælicem cui obſequia reddimus, ſed ſeruos beatos: quia tali Domino & regi illa expendunt, diximus. Infælices plerunq; ſunt, qui in regum temporalium ſunt atriis & ad oſtia. Probauit in ſe Aman ipſe Heſt: 6. Ingreſſus eſt atriũ regis vt ſuggereret de Mardochæo; & dixit rex, quis eſt in atrio & ante oſtium? dixit puer. Aman. Ingrediatur ait Rex: & ſubitò juſſit reddere honorem Mardochæo, atq; mox in patibulo ſuſpenſus eſt, in quod agere debuerat Mardochæum. Seruire verò regi regum, & Domino Dominantium Deo; non ſeruire ſed regnare eſt. Stare ad oſtium, eſt eſſe in palatio æterno & in delicijs Angelorum. Vnde Pſal: 133. *Ecce nunc benedicite Dominum, omnes ſerui Domini; qui ſtatis in domo Domini.* Qui ſtatis (inquit) non jacetis: ſtant enim ſerui Domini, hominum jacent. Vnde & Centurio: Puer meus jacet Domine, puer meus jacet, vt tuus ſit ſurgat, meus paralyticus, vt tuus ſit jam ſanetur, meus male torquetur, tuos non decet ſeruos malo ſubiacere, ſerui tuî etſi patiuntur mala non patiuntur ad pœnam, ſed ſubeunt ad coronas; aduerſa illis nõ ſunt neceſſitatum cauſæ, ſed ſunt cauſa victoriæ. *Hæc Chryſolog: ſerm: 15.* Alaudæ pullos educenti in campo granis maturo, alludit quidam ſubducendo: *PRODEST AGNOSCERE TEMPVS.* Doctrina eſt & homini vt agnoſcat tempus, quo Deo ſuo ſeruire debeat: ſi enim ſeruierit in tempore gratiæ, fælix erit: ſi verò ſeruire voluerit in tempore iræ, infælix erit. Ergò ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſeruiamus illi in ſanctitate & juſtitia, coram ipſo omnibus diebus noſtris.

Pulſare oſtium. Nota. Oſtium clauſum pulſatur: ſed non clauditur ſimpliciter quo ad omnes, niſi poſt diem judicij, at quî propter demerita finalia excluditur, clauditur in morte cuiuslibet. Luc: 11. *Noli mihi moleſtus eſſe, jam oſtium meum clauſum eſt.* Non admittetur ad intima Deî excluſus. Pulſabat oſtiũ miſericordiæ diues, ſed non eſt apertum. Dicit omnibus vt ſtultis: *Neſcio vos.* Scio quidem noticia ſimplicis viſionis, ſed noticia beneplaciti neſcio, niſi bonos. Exod. 33. *Teipſum noui ex nomine, inueniſti enim gratiam coram me.* Ioan. 10. *Ego cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ.* De illis verò Iſa. 26. *Tollatur impius, non videbit gloriam Dei.* Chryſoſt. Nihil proderit pulſationis diligentia, quam prodit timor & non fides. Vnde Matth. 7. *Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cælorum; ſed qui facit voluntatem Patris mei.* Ad facem quidam appoſuerat ſcriptum: *ACCEPTO LV-*

Quibꝰ pulſantibus oſtiũ cæli aperiuntur.

MINE SPLENDET. Ita Chriſtianus accepto & ſeruato lumine fidei formatæ, ſplendebit in via per gratiam, & in gloria æterna per glorificationem animæ. *Iſidorus.* Tantum erit ſanctorum de Dei contemplatione gaudium, vt triſtitiæ nullus tribuatur introitus. Val. Max: de ſertorio ait: Cùm aſperos Luſitaniæ colles transmeabat, ceruam albam trahebat, ab ea ſequæ nam aut agenda aut vitanda eſſent, prædicans admoneri. Res vana & falſa. ſed docet, conſcientiam albam nec peccatis maculatam ſecum trahendam Chriſtiano fideli, illa enim admonet quæ vitanda quæ agenda ſunt.

Deus est opulentiſſimus.

De Opulentia Dei. Nota. Dicebat Samuël ex parte Dei. *Non iuxta intuitum iudico.* 1. Reg. 16. Ita Deus eſt opulentiſſimus non iuxta intuitum hominis. Qui enim potens eſt ſuſcitare filios Iſraël de lapidibus, qui mille millia mundorum efformare poteſt in maiori perfectione, ille incomparabiliter eſt diues & opulentus: diuitiæ humanæ periculoſæ. *Qui amat diuitias fructum non capiet ex eis.* Eccl. 5. Sunt nociuæ. *Multos perdidit aurum, & argentum corda regum peruertit.* Eccl. 8. Sunt Deum ſpernentes. *Locutus ſum ad te in abundantia tua, dixiſti: Non audiam.* Ierem. 22. Ideo dicit Baruch. 3. *Vbi ſunt qui argentū theſauriſant & aurū in quo confidunt homines?* Exterminati ſunt, & ad inferos deſcendunt. Elephas animal pacificum, ſed ſumme, infeſtum infeſtis. Ita Deus ſummè eſt miſericors hominibus. *Miſerationes ſuper omnia opera eius.* Sed infeſtis ſoi & turgidis ex bonis à ſe conceſſis hominibus, ſumme quoq; infeſtus eſt. Apoc. 1. *Tu dicis quia diues ſum, locupletatus, nullius eges.* Et neſcis quia miſer es & miſerabilis & pauper & cæcus & nudus. Quam optimè comparabat diuites fallaces ad veras D. Maximus vltima hom. de ſanctis. Tu qui aurum poſſides, ſi placet, bona inuicem conferamus. Tu cum peregre proficiſceris, theſauri tui quibus neceſſario domi remanent, longè à te poſitis, ſemper trepidus, ſemper incertus es; ne quum domum redieris, non habeas quod habebas: Ita dum ſemper amiſſionem eorum metuis, apud conſcientiam tuam nudus & pauper es. Ego autem quocunq; iuroë meæ diuitiæ me ſequentur; nec ſeparari à me poſſunt bonà, quoniam non terreno ſpecu, ſed theſauro pectoris retinentur. Tu quidem recedis à ſæculo relinquendo, tuas diuitias perdidiſti, ego autem cùm mihi de hoc mundo migrare contingit, diuitias meas mecum ad paradiſum veho. Tuas diuitias poſt mortem exemplo illius purpurati diuitis ignis & tenebræ ſubſequentur, meas diuitias exemplo Lazari ſinus Abrahæ & beatitudo ſuſcipiet. Quod ſi diuitiæ ſpirituales ita mirum in modum excedunt temporales, quanto magis diuitiæ regis regum & Domini Dominantium excedent omnes diuitias huius ſeculi poſſibiles homini, cùm

Diui- tiæ [illegible]

cùm hæ omnes non niſi ab ipſo Deo conceſſas de ipſius benignitate poſſideat. Eccl. 2. Et hoc de manu Dei eſt. *Benedictio Domini diuites facit* Prou: 10. Ad oſtium ergo regis regum pulſandum eſt quia ille verè diues, vere locuples. Iſid: de ſum: lib: 1. cap. 1. Benè ac ſubſtantialiter iſta ſunt in Deo; incorruptio, immortalitas, incommutabilitas, vndè & meritò cunctæ præponitur creaturæ.

Deus est liberaliſſimus. De largitate Dei. Nota. Quis Deus ſicut Deus noſter? Scipio Africanus dum ad publica vel priuata negotia ibat, Iouem capitolinum ſemper adibat, expoſcebat. L. Sylla Apolini deuouebat præces, alij aliorum Deorum largitatem & munificentiam perſonabãt; ſed dæmonum illuſiones & ſtatuæ infernalium hi non dij fuêre. Chriſtianorum dominus Deus eſt in cælo surſum & in terra deorſum, quo nullus munificentior, nullus benignior. D. Leo in principio ſermonum: Vt mirabilem faceret gratiam ſuam, in eum munera ſua contulit, in quo meritorũ ſuffragia non inuenit: quo opere ſuo Dominus quid cordibus noſtris inſinuat, quidué commendat; niſi vt de iuſtitia ſua nemo præſumat, & de ipſius miſericordia nemo diffidat. Quæ tunc euidentius præeminet, quando peccator ſanctificatur & abiectus erigitur. Ad herbam Pullegij appoſuerat legendum Areſius: HYEME FLORET. nam & ſub niue retinet viriditatẽ hæc herba. Magis appropriabitur dictum largitati diuinæ; qui diues eſt in miſericordia; nam vt ſolem oriri facit ſuper iuſtum & iniuſtum, ita gratiam ſuam ſpargit ſuper peccatores; vt vbi iuſtus eſſe debuit, ibi miſericors eſt. Flores dat hyberno tempore, & gelidis bruma hominibus, bona largiter tribuit. Vndè Ierem: quærit: Quare via impiorum proſperatur, benè fit illis qui malè agunt. Ad Rom. 9. Vaſa iræ vocauit, quos culpa decuerat vocare, quia in interitũ ire debuerant; & ille in vaſa miſericordiæ. vt oſtenderet diuitia gloriæ ſuæ, non in vaſa iuſtitiæ eoſdẽ nominauit. Dicit S. Fulg. ad Moninium cap: 26. Peccauit Adam in paradiſo non eſt mortuus morte exterminationis, ſed eiectus de paradiſo. Quid hoc fecit? larga Chriſti manus & beneuolentia. Mundum delet ob peccata, reſeruauit 8. homines in arca. Quæ gratia? miſericordia? Largus in beneficio. Quid eſt quod ingratum Iſraël trans mare rubrum & vitulum adorantem non deleuit? Largus quoniam in donis eſt, & patiens. Tertulianus de Pœnit. Inauditum miſericordiæ genus, quod cùm Deus miſericordiam negare poſſet, non modo non negat, ſed ipſe etiam vult & rogat & minatur niſi ad eum reuertaris. qui tanto ſalutis noſtræ amore tenetur.

Largus est etiã in peccatores.

Pro ſpecioſiſſimo ad videndum. Nota. Specioſus forma erat Abſalon, vt ipſius comâ ornarentur capita virginum. Sed ſpecioſus forma præ filijs hominum erat Chriſtus Ieſus. Ne-

Deus est ſpecioſiſſimus.

ſus. Nedum enim excellebat pulchritudinem omnium hominum natorum & naſcibilium; ſed nec Angelus efformare hominis pulchritudinem talem poteſt ex aëre, qualis erat Chriſtus. Reſplenduit facies eius ſicut ſol. ait Euangeliſta Matth. 17. Qualis ergò in ſe fuit pulchritudinis, ſi tale lumen reſplendere potuit ab illo? Optimè Sap. 7. *Candor eſt lucis æternæ, ſpeculum DEI majeſtatis, & imago bonitatis illius.* Quocircà id quod perſonabat, debebat fieri maximæ pulchritudinis & candoris. Aug: in Soliloq: Interrogaui terram ſi erat Deus meus. Et dixit, non ſum. Interrogaui mare, abyſſos, reptilia dixerunt, non ſumus. Interrogaui molem mundi, reſpondit non ſum; ſed per ipſum ſum ego, quem quæris in me; ipſe fecit te & me, quære ſupra me & te. Ita de pulchritudine quæramus Dei, eſt ne aliquid ſuper terram tam pulchrum, vt Deus? reſpondebunt: nil eſt. ſed ſumus participes pulchritudinis eius, interrogo intra me & inter aues an ſit talis pulchritudinis? reſpondebunt non: ſed quædam ſcintillæ eius pulchritudinis ſumus. Interrogo ſolem, lunam, ſtellas, dicunt. Non. Sed ſumus quædam illuminationes, illius ſplendoris & quædam ſigna. Quæro ex tot millibus Angelorum. Dicunt non, ſed ſumus qui pulchritudinem ipſius admiramur, & licet differentes ſumus & vnuſquiſq; diuerſam ſpeciem & pulchritudinem repræſentet, non attingimus ipſis perfectam pulchritudinem, nam inexhauribilis eſt. Eius pulchritudinem Sol & Luna mirantur & deſiderant in ipſum quotidie proſpicere. Refert Æneas Sylu. in Comm. Alphonſi Regis: Quòd Barthol: Capranus Epiſc: Mediol: Miniſtros forma præcellentes quæſierit dicens: Turpes animos turpia corpora incolere, improbitatem autem in eggregia forma perraro compertam eſſe. Ergò homo in ſpecioſiſſimo Deo ad videndum delectare, atq; cum Deo tuo conuerſare ſtude.

De conuerſatione cum Deo iucunda. Nota. Equidem conuerſatio hominis cum homine propria eſt; agnus cum agno, lupus cum lupo, iucundè conuerſantur; ita homo cum homine. Optima medicina eſt homini homo. Bleſenſis. At citò homo fit homini hoſtis, & amico inimicus; & frater cum fratre raro concorditer manent. Dominus quo maior in terra, ſtudet perdere nobiles & potentes, quia timet rebellionem. Ierem: 52. Nabuchodonoſor poſtquàm cepit Ieruſalem & igne ſuccedit, Sedechiam Regem apprehendit, & omnes principes Iuda interfecit: poſtmodum filios Regis ante oculos patris occidit, tum eruit oculos Regis & detulit in Babylonẽ, vbi poſuit eum in carcerẽ vſque ad diem mortis ſuæ. Sæpe homo homini lupus. Auguſt: l. 22. de Ciuit. c. 24. Homine nulla immanior fera, ſi ſibi relinqueretur. Et Chryſoſtô. ſuper Matth, hom: 11. Præ omnibus

Conuerſatio cum Deo iucunda.

malis

malis homo eſt peſſimum malum; quelibet beſtia vnũ habet propriũ malũ, homo omnia; diabolus ad iuſtum accedere non audet, ſed homo non timet malus & contemnit. Etſi mala conuerſatio hominis cum homine, peſſima erit hominis cum diabolo. Auguſt: Hoſtis humani generis diabolus caput ſcelerum, princeps vitiorum, ſuaſor malorum cogitationum, inuentor mortis, vt vidit hominem ad imaginem Dei creatum, innocentiâ veſtitum, temperantiâ compoſitum, charitate ornatum, ſe autem his eſſe priuatum, inuidere cœpit; & parentes noſtros talibus & tantis bonis ſpoliauit, & deriſit. Sed incidit Aman in foueam quam fecit. Reſtat igitur quod cum Deo conuerſatio optima & iucundiſſima eſt, cùm ille ſit ſumma & ipſa bonitas, amænitas & conſolatio. Chryſoſt: ſuper Matth: 4. Animalia fecit Deus propter hominem, hominem autem propter ſeipſum; ſi ergò animalibus miniſtrat propter hominem, quomodo hominibus nõ miniſtrabit propter ſeipſum? Præcinget ſe & tranſiens miniſtrabit eis, vt pater filijs, vt benignus Dominus ſeruis, vt verus amicus amicis. Pſal: 112. *Quis ſicut Dominus Deus noſter qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cœlo & in terra?* Nullus.

Quomodo pulſare debemus.

Pulſatio ad Deum

MAnu pœnitentiæ, quæ in quinque digittis conſiſtit. 1. In feruenti contritione. 2. In pura confeſſione. 3. In eleemoſynarum largitione. 4. In carnis maceratione: 5. In deuota oratione. Qui hac manu pulſauerit, nec pulſando defecerit, qualiſcunque ſit peccator, ſine dubio aperiet ei Deus. *manus & omnibus dignus.*

Pollex, eſt feruens cõtritio. Dicitur pollex, quia præ cæteris digitis virtute pollet; ſola enim contritio ſine his quæ ad pœnitentiam requiruntur ſufficit in neceſſitate ad ſalutem. Ita tamen quod libenter conſiteretur, ſi haberet copiam ſacerdotis & vſum linguæ, & alia ſatisfactionis opera exequeretur, ſi debilitas corporis pateretur. Etſi grauiter doleres ſi parentes, filij, cognati, amici, vnâ die morerentur, & ipſi inimici relinquerentur; grauis ſi bona tua mobilia & immobilia de ſequenti tollerentur: grauiſſimè, ſi tertia die in infirmitatem incideres amitteres omnia membra cum oculis, & adhuc interius cruciatus; & nullus eſſet qui te conſolaretur. Ita fit in peccato mortali; amittis Deum & B. M. V. & beatos amicos, hæreditatem tuam perdis, & corpus tuum cum anima æternis cruciatibus obligaris. *Pollex.*

Index, quo demonſtramus quæ volumus, ſignificat puram confeſſionem; per quam Confeſſori cõſcientiam demonſtramus. Luc. 17. *Ite oſtendite vos ſacerdotibus.* *Index.*

Medius, qui conſiſtit in media manu, ſignificat eleemoſynarum largitionem; eſt enim illa mediatrix *Medius digit.*

 inter

inter Deum & animam, illa reddit Deum animæ propitium, & coniungit amplexibus Dei. Item conſiſtens in medio reſpicit amicos & inimicos. De 1. Eccl. 12. *Benefac iuſto & inuenies retributionem magnam, & ſi non ab ipſo certè à Domino.* De 2. Prou. 25. *Si eſurierit inimicus tuus ciba eum.* Medius altior eſt digitis; nam miſericordia eſt ſuper omnia opera Domini.

Medicinalis. Medicinalis, quia illo à medicis collyria teruntur, ſignificat macerationes carnis. Galenus quæſitus, quæ ſit ſumma medicina? dixit: abſtinentia. Eccl: 31. *Vigilia & cholera, & tortura viro infrunito, ſomnus ſanitatis in homine parco.* Sanat etiam ieiunium peſtes corporis & mentis.

Auricularis. Auricularis, quaſi colens aurem, ſignificat deuotam orationem, quæ colit aurem Dei. Docet vero orare Math. 24. *Orate vt non fiat fuga veſtra in hyeme vel ſabbatho.* Continuâ oratione fugere debemus iram Dei, poſt hanc vitam non erit tempus fugæ, ſed tale tempus erit hyems quia nec dignos fructus facere poterit homo, nec operari licebit ceu in ſabbatho. Erunt ligatæ manus & pedes peccatorum. *Pulſandum efficaciter.* Vt verò efficacius pulſes, robores manum; vel petra Chriſto, qui lanceâ percuſſus perfudit aquam & ſanguinem; vel ferreo malleo cruce dominicâ, quæ contriuit aëreas poteſtates; vel baculo B. V. Mariæ; per eam enim in via huius ſæculi ſuſtentamur, ne deficiamus.

ANNOTATIONES.

Inconuenienter pede pulſantur fores, contemptus enim hic eſt ianuæ, ſed manu conuenienter, ſignum enim eſt amici boni. Rectè manum pœnitentiæ ad pulſandum extendere debet homo, quia mandatum Saluatoris ſui & creatoris ſpreuit, conuertendo ſe ad peccatum & auertendo à Deo. Non dicas non habeo hominem, qui me conducat. Ipſe enim Chriſtus te conducere vult, cùm ait Matth. 10. *Pœnitentiam agite, appropinquabit vobis regnum cælorum.* hoc eſt: ego ducam vos, tantùm adſit voluntas veſtra. Bern: Per matrem habes acceſſum ad filium, per filium habes acceſſum ad Patrem. Mater monſtrat filio pectus & vbera, filius autem Patri latus & vulnera; nec poteſt eſſe repulſa vbi occurrunt tot pietatis inſignia. Ad Tygridis colorem addidit Areſius: *FALLIT IMAGO SVI.* Non enim pulchritudinem habet ſed maculas. Profectò peccator in peccatis exiſtens, fallitur imagine; nam portat non iam imaginem Dei, ſed maculam in anima, quâ conſignatur ad gehennam diaboli. Ergò oportet vt per pœnitentiam fallat imaginem ſui, & reſumat Dei mandata, opera ſancta; vt in ipſo appareat imago virtutis & imago Dei. Manus ſuas aperiat inopi, & palmas ſuas extendat ad pauperes. fortitudo & decor ſit indumentum eius, & ridebit in die nouiſſimo. Prouerb: 31. Pro con-

Pro Contritione Nota. Iob: 22. *Si conuerſus fueris ad omnipotentem; ædificaberis, & longè facies iniquitatem à tabernaculo tuo.* Quaſi diceret, corrueras, diſſipatus fuiſti, ædificaberis à Domino, poſuiſti te in pericula iniqua, longè iniquitas erit, ſi reuerſus fueris. Ita enim Iſa: 19. *Reuertentur Ægyptij ad Dominum & placabitur eis, & ſanabit eos.* Iſid: de ſum: lib:2. cap. 13. Feſtinare debet ad Deum pœnitendo vnuſquiſq; dum poteſt, ne ſi dum poteſt noluerit, cùm tarde voluerit, omninò non poſſit. Proindè Prophæta: *Quærite Dominum dum inueniri poteſt, inuocate eum dum prope eſt.* Et vbi inueniri poteſt niſi in hâc vita, in qua etiam & prope eſt omnibus inuocantibus ſe. Nam tunc jam longè erit quando dixerit: *Ite in ignem æternum.* Modò autem non videtur, & propè eſt, tu autem videbitur, & propè non erit, quia videri poterit, & non poterit inueniri. Cùm rumor aliquis certus ſpargitur de hoſte vel aliqua re, dicitur prouerbio: *MVRMVRA NON FALLVNT.* Non eſt majus murmur quàm de peccato. Vnde Phariſæi dicebant Luc: 7. *Hic ſi eſſet Prophæta, ſciret quæ & qualis eſt mulier quæ tangit eum.* Murmura non fallebant eos, quia Magdalena peccatrix erat. Vnde neceſſarium eſt peccatori vt redeat à murmure quo ſe fefellit ad murmur quod non fallit, à peccatorum murmure, ad contritionem veram, quæ ipſum non fallat. Aſſumat murmur gemitus cum lachrymis, orationem cum tunſionibus pectoris, jeiunium cum deteſtatione mali. *Iſidorus.* Duplicem habere debet fletum in pœnitentia omnis peccator; ſiue quia per negligentiam bonum non fecit, ſiue quia malum per audaciam perpetrauit; quod enim oportuit non geſſit, & geſſit quod agere non oportuit. Iſa: 3. *Omne cor hominis tabeſcet & contereutur, torſiones & doloros tenebunt, quaſi parturiens dolebunt.* Puta, quia Domino peccauerunt. Caſſiod: in Pſal: 16. *Laboraui in gemitu meo:* dicit; Gemitus quaſi geminatus luctus ſcilicet oculorum & cordis, quem meritò fideles appetunt, quoniam dolentes conſolatur, pœnitentes emendat, diabolum fugat, Chriſtum reconciliat. ô amaritudo dulcis, lachrymæ fœlices, ſalutaris afflictio!

Pro 2. digitto. Nota. Pſal: 40. *Effundite coram illo corda veſtra.* Nihil retineas vel taceas in ſacra confeſſione, ſed omnia euerte, eijce, effunde, aliâs turpis odor, grauis fœtor remanens accumulabit periculum animæ bufones & ſerpentes eiecti ad nidum relictum reuertentur. Ioſ: 7. *Fili da gloriam Domino DEO Iſrael & confitere atq; indica mihi quid feceris ne abſcondas,* & dixit. *Vere ego peccaui.* Iſid: de ſum: lib: 2. cap. 13. Dum per pœnitentiam expulſa fuerint ab homine vitia, ſi forte poſt hâc intercedente ſecuritate quælibet culpa ſubrepſerit, confeſtim delectationes priſtinæ vitiorum mentem auidius irrepunt, pulſanteſq; hominem in conſuetis operibus grauius pertrahunt, ita vt

Non morandū in peccato.

ſint

ſint nouiſſima hominis illius peiora prioribus. Rem oculis hominum ſubijciendam atq; eorum judicio comprobandam, limamus diligenter, quanto diligentius, accuratius, oportunius conſcientia limanda à peccatis & circumſtantijs erit, quā Deus ipſe Ter Maximus introſpicere debet & approbare, quàm Angeli Sancti collaudare, cui beati congratulari debebunt? Ergo in quacunq; fueris ætate, in quanta perſeueraueris peccatorum enormitate, quantamlibet cum diabolo contraxeris familiaritatē quomodocunq; Deum iratum tibi conſpicias. Ad Confeſſionem peccatorum accede, effunde Deo tuo & ejus ſacerdoti cor tuum, & propitius tibi erit. Audi S. Fulgentium Epiſt: 7. cap. 10. dicentem: Si aliquam ætatem judicaret Dominus conuerſionis remedio ineptam, non diuerſis temporibus operarios vocaret ad vineam, in diuerſitate quippe horarū non incongrue accipitur ætatū diuerſitas, ita vt ætas puerilis accipitur in mane, pubertas in tertia juuentus in ſexta, grauitas declinātis ætatis in nona, & in vndecima ſenilis ætas ipſe nouiſſima. In quacunq; igitur quis ætate vocatus ſi benignitatem vocantis Domini non ſpernat, neceſſe eſt denarium vitæ perennis accipiat. *Hæc ille.* Vide ergo diligenter quæ pugnant cum charitate, & quæ contraria ſunt præcepto diuino & Eccleſiæ, & ea mortalia confitere.

Eleemo ſyna eſt

Pro 3. digitto. Nota. Exod: 26. *Pones propitiatorium ſuper arcam teſtimonij in Sancta Sanctorum.* Conſidera hæc duo loca vbi propitiatorium ponitur, arcam & Sancta Sanctorum, judicabis propitiatorium illud magni momenti fuiſſe, nedum ex nomine ſed etiam ex ſignificatione. Ego quidem propitiatorium eleemoſynam intelligo, nam Eccl 7. dicitur: *Pauperi porrige manum tuam vt perficiatur propitiatio & benedictio tua.* Et Tobias 4. *Fiducia magna erit coram ſummo Deo eleemoſyna omnibus facientibus eam,* & addit cap. 12. *Quoniam à morte liberat,* purgat peccata & facit inuenire vitam æternam Ad factum aliquod nobile & à cunctis laudabile tam in bello forti quàm in conſilio ſano, addunt grati animi cauſa dictum: *AMPLIVS RECIPIET.* Hoc eſt, Si quando à Rep: accepit honorem gratitudinem pro ſuis geſtis, ampliora vt accipiat digniſſimum eſt. Profectò faciens eleemoſynam, pro tanta charitate incomparabili menſurâ recipiet à Domino. Vnde B: Nilus Martyr & Epiſc. Compaſſionem non neglige, hæc enim ex cælo nobis ſalutem noſtram detraxit. Quod ſi compaſſio hoc habet, quid non habebit charitas? quid non obtinebit ſubleuatio proximi? At de compaſſione noſtra ampliùs dicamus ex S. Martino Taurinenſi Epiſcopo hom: 2. de eleemoſyna in verba Eccl. 3. *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna peccatum.* dicit, Ita eleemoſyna extinguit peccata: ſicut aqua baptiſmi gehennæ extinguit incendium. Ergò eleemoſyna quodammodo aliud eſt la-

ua-

vacrum, vt ſi quis fortè poſt baptiſmum humanâ fragilitate deliquerit ſuperſit ei vt iterum eleemoſynis emundetur. *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Et ſaluâ fide dixerim, indulgentior eſt eleemoſyna quàm lauacrum; lauacrum enim ſemel datur & ſemel veniam pollicetur; eleemoſynam autem quoties feceris, toties veniam promereris. Hi ergò duo miſericordiarum fontes ſunt, qui & vitam tribuunt, & peccata condonant. Ad Hebr. 13. *Beneficentiæ & communionis nolite obliuiſci, talibus enim hoſtijs promeretur Deus.* Audi tamen B: Nilum: Si pauperibus ſeueris quæ tua ſunt ſemina, nam aliena ziyanijs ſunt amariora.

De 4. digitto Nota. Dicitur Geneſ. 6. *Non permanebit ſpiritus meus in homine quia caro eſt.* Quocircà mortificanda caro, vt ſpiritui obediat, & non dominetur ipſi; ita enim Dei ſpiritus permanebit in homine, ſicut Dan. 20. dicitur: *Ex die primo quo poſuiſti cor tuum ad intelligendum, vt te affligeres in conſpectu Dei tui, exaudita ſunt verba tua.* Formauerat quidam labirinthum, & addidit ipſi: *Species decipit.* Indicat enim viam rectam, & mox educit ſemita è labirinto ne medium attingat. Corpus hominis nõ domatum ab alta lege præceptorum eſt ſpecies decipiens animam & proximum, vt educat à Deo, inducat ad diabolum animam. Hinc nedú labirintus, ſed chaos malorum erit. Vnde ad Rom: 12. *Obſecro vos per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuam.* In quem locum Chryſologus ſerm. 109. inquit: Nunquid Apoſtolus ſic dicendo, ſola corpora digna diuinis hoſtijs probat, & animas velut reprobas aut tacet, aut præterit, aut relinquit? Nonné anima de cælo eſt, corpus de terra? hoc regitur, regit illa? dominatur, hoc ſeruit? viuificat illa & manet, hoc deficit; hoc ætates patitur, illa neſcit? Et quid eſt quod tacetur anima, & ſolum corpus ad Dei hoſtiam ſic vocatur? Fratres, hìc Apoſtolus honorat corpus, non minorat animam: nam corpus quod capiunt peccata, quod delicta vinciũt, quod deprimunt crimina, quod vitia corrumpunt, quod deijciunt paſſiones, hoc Apoſtolus cupit diſſoluere, liberare ſtudet, vt corpus ad originẽ animæ conſcendat, non anima deſcendat naturam ad corporis, & corpus animam comitetur ad cælum, non anima corpus ſequatur ad terram. *Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentijs.* Galat 5. Vnde qui caro ſunt, Chriſti non ſunt. Matth: 5. *Omnis plantatio quam non plantauit Pater meus cæleſtis, eradicabitur.* Quapropter admonet S. Leo Papa, ſerm. 4. de ieiunio Pent: Charitatem veſtram ſolenniter admonemus, vt per caſtigationem corporis & per opera pietatis, mundari ab omnium peccatorum ſorde cupientes, quartâ & ſextâ feriâ ieiunemus; ſabatho autem ad B. Petrum Apoſtolum vigilias celebremus, cuius nos meritis & orationibus credimus adiuuãdos,

 dos,

dos, miſericordiâ Dei & noſtris ieiunijs adſit, & votis.

Digito orationis nudi pulſandū eſt ad oſtium cæli.

Pro 5. digitto. Nota. Trenor. 3. *Oppoſuiſti nubem, ne tranſeat oratio.* vt lux in terram non deſcendat, de die opponitur luna; non ſit lumen de nocte licèt ſit plenilunium, opponitur terra curſui lunæ, vt verò non aſcendat orario ad cœlum hominis. dicit Ieremias: *Oppoſuiſti nubem.* Quid eſt hoc, an homo aſſiſtens eſt nubibus cæli, ſicut ſunt Angeli aſſiſtentes orantibus? Dictum homini: *Terra es, & in terram ibis.* Vnus Helias trāſijt nubes. vnus Chriſtus conculcauit corporeis pedibus orbes & nubes: oppoſitio eſt hæc figurata! Oppoſuit homo peccatum, ne ipſius oratio poſſit penetrare in cælum. Ioan. 9. *Scimus quia peccatores Deus non audit, ſed ſi quis Dei cultor eſt & voluntatem eius facit, hunc exaudit.* B. Nilus Martyr: Orationis vis ſancta, ad nos enim ſanctum ſanctorum pertrahit. Sed ſi obſtaculum poſueris licèt ſit araneū non tranſibit oratio, niſi obſtaculum dimoueas. *Deſcendat ab iniquitate omnis, qui inuocat nomen Domini.* 2. Tim: 2. Habet Virgil: 4. Geor. Protinus aërei mellis cæleſtia dona. Forte ex aëre dulcorem & mella magis quàm ex herbis colligunt apes inſinuabat. At inde deduco, quod ſi obſtaculum peccati remotum fuerit ab oratione hominis, protinus & aër & terra & cœlum dona homini dabunt. Innuebat Ezech: 14. *Fili hominis terra cùm peccauerit mihi vt præuaricaretur præuaricans, extendam manum meam ſuper eam, & conteram virgam panis eius, & interficiā de ea hominem & iumentum.* Attende, quòd contrarium terra tentauerit, quid eueniet? Omne bonum, omnis benedictio, omnis gratia. Iſid: libr. 3. de Summ. c. 7. Sicut nullum proficit in vulnere medicamentum ſi adhuc ferrum in eo ſit; ita nihil proficit oratio illius, cuius adhuc dolor in mente, vel odium manet in pectore. Conuertere igitur ad Dominum & relinque peccata tua, precare ante faciem Domini & minue offendicula. dicit Eccl: 17. Concludo ſancti Fulgentij verbis, epiſt: 4. cap. 2. Et quia frequenter à nobis offenditur Deus, neceſſarium eſt, vt frequēti oratione, & iugi cordis compunctione mitigetur; compunctio enim cordis excitat orationis affectum, oratio humilis diuinum promeretur auxilium: compunctio cordis vulnera ſua reſpicit; oratio verò medelam ſanitatis expoſcit. Ora igitur, vt oratio tibi cælum aperiat.

De efficaci pulſatione. Nota. Pſ. 80. *Exaltetur manus tua.* Si ad pulſandum in foribus, manus Principis ornata lapidibus pretioſis, annulis & manellis apparuerit, quis non citò clauſtra aperuerit? In manu pulſantis ſi conſpicietur Chriſtus, crux, vel B. Virgo Maria, quantâ cum reuerentia & celeritate deuotus incola fores ad penetralia aperiet? Ad menſam prandentis Veſpaſiani (inquit Sueton: cap: 5.) apparuerat manus hominis, & ſubitò præſagium reſpōdebat: Rerum poteſtas aliquando

ad Ve-

ad Veſpaſianum perueniet. Ita profectò qui his adiutus, fores Regis regum & Domini dominantium pulſauerit, ex templo non deſperet, nam rerum poteſtas in cælis ad ipſum delata erit. Leuemus igitur corda noſtra cum manibus ad Dominum, ne de negligentia mandatorum reprehendamur. Chriſtus extollatur, crux eleuetur, B. V. M. interpellatur; eo enim trino perfecti erimus.

Quando nos pulſare oporteat?

In vita pulſandum eſt ad oſtium miſericordiæ.

MOdò ad oſtium diuinæ miſericordiæ pulſandum eſt. Mat. 25. *Cùm vidiſſet Sponſus quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clauſa eſt ianua.* Bern: ſuper hunc locum: Veniunt homicidæ & admittuntur, veniunt publicani & meretrices, & recipiuntur; veniunt Sodomitæ, molles, adulteri, fures, & qualeſcunq; ſint peccatores, & patens ianua eis non negatur. Multus eſt enim ad ignoſcendum, & præſtabilis ſuper malitia quali aut quantacunque. *Clauſa ianua.* Neq; enim his qui extra erunt, ianua pectoris & miſericordiæ Chriſti; quæ lachrymis, ſuſpirijs, gemitibus & precibus pœnitentium tam facilè patet, clauſa eſt; nullius pœnitentia, nullius oratio, nullius gemitus ampliùs admitteur. Rogate ergò Dominum, vt fortiter ad ianuam Diuinæ clementiæ nunc pulſemus, vt poſt hanc vitam in aulam æternæ beatitudinis recipi mereamur.

ANNOTATIO.

Nō differēda pulſatio.

DIcitur Eccl. 4. *Fili mi, conſerua tēpus.* Cur non dicit obſerua, vel reſerua tempus? Qui enim obſeruat tempus, plùs Aſtrologus vel medicus eſt, (quorum obſeruando motus cæli & planetarum, effectus artis & medicinæ ſuccedit) quàm Chriſtianus. Nam iſte audit Pſ: dicentem pſal. 94. *Hodie ſi vocem eius audieritis nolite obdurare corda veſtra.* Non enim habet Chriſtianus plus de tempore ſibi conceſſum, niſi nunc; qui verò reſeruant tempus, annos Mathuſalis ſibi pollicentur, licèt clarè legant; ſi autem in Potentatibus 80. anni ampliùs labor & dolor. Tempus futurum non eſt noſtrum, ſed diuinæ ordinationis. Conſeruare regrò tempus, eſt id, quod tibi conceſſum eſt ad fructificandum, ſanctificare. Sit ſanctum nomen eius, & vt ſimplices dicant, Te Deum laudamus, quando ambulamus. Vnde S. Fulgentius epiſt: 7. ad Venantiam cap: 7. Omne vitæ præſentis tempus conuerſioni aptiſſimum; ſicut enim poteſt per iuſtitiam damnare auerſum, ita poteſt per miſericordiā ſemper ſaluare conuerſum. Nulla prolixitas temporis, vel æquitati diuinæ vel pietati præiudicat. Pœnitentia nunquam eſt apud Deum ſera, in cuius conſpectu ſemper pro præſentibus habentur tam præterita quàm futura. Hæc ille. In quibus verbis quid aliud inſtruit, niſi conſeruare tempus; tum quia de præſen-

præſenti nihil habemus, niſi nunc, tum quia meriti noſtri, hic tempus, pretium eſt Luc. 19. *Venit filius hominis quærere & ſaluare quod perierat.* Cùm in patena cooperta aliquid Principi à Principeſſa defertur, omnes attollunt palpebras, viſis verò ceraſis vel piſis, dicunt: *MINVIT PRÆSENTIA FAMAM.* Conferendo tempora præterita & futura præſentibus, illa vocabimus aurea, argentea & ferrea ſæcula; iſta autem qualia erunt non eſt noſtrum iudicare ſi lignea vel ferrea: at præſentia tempora homini Chriſtiano ſunt pretioſiſſima, æterna, immortalia, incorruptibilia, angelica & cælica; nec minuet præſentia famam, quia conſeruantes tempus virtutibus & pietati Chriſtianæ, hic inchoamus immortalitatem, æternitatem, gratiâ Iesv Chriſti. Vnde Eccl. 14. *Non defrauderis à die bono, & particula bonæ diei non te prætereat.*

IN ASCENSIONE DOMINI.

Dominus IEsvs aſſumptus eſt in cælum. *Marci vlt.*

QVARE DEVS IN CÆLVM ASSVMPTVS ESSE DICATVR?

Cauſæ quare Chriſtus aſſumptus in cælum.

Propter 7. cauſas: 1. Vt nobis ad cælum iter panderet. Mich. 2. *Aſcendet pandens iter ante eos & tranſibit Rex eorum coram illis.* Plùs enim quã quinq; millia annorum tranſierant, quòd nullus aſcenderat in cælum, vnde ignotam viam Dei filius oportebat, vt panderet animabus electorum. 2. Vt animas quas de lymbo eripuerat in regalibus ſedibus collocaret. Iſa. 63. occurentes dixerunt: *Quis eſt iſte qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra? iſte formoſus in ſtolla ſua, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ.* de Edom, Gloſſ: de mundo, tinctis veſtibus, Gloſ. ſanguine in cruce. Iſte formoſus in ſtolla ſua, id eſt: habitu humanitatis. 3. Vt ad interpellandum pro nobis Deo patri ſigna ſuæ victoriæ repræſentaret, videlicet cicatrices: Gloſſa. Cicatrices reſeruauit, vt pro nobis Patri ſupplicans, quale genus mortis pro homine pertulerit ſemper oſtẽdat. Hinc Paul. ad Hebr. 7. *Ieſus eò quòd maneat in æternum ſempiternum habet ſacerdotium, vnde & ſaluare in perpetuum poteſt, accedens per ſemetipſum ad Deum, ſemper viuens ad interpellandum pro nobis.* Gloſſ. Chriſtus in humana natura quam cælis intulit interpellat pro nobis. 4. Vt naturam noſtram ſuper omnes Angelorum ordines e-

xalta-

[ſub]tiarct. Heb. 2. *Nuſquam Angelos apprehendit.* Gloſſ: Reuerà magnum & mirabile & ſtupore plenum eſt, carnem noſtram ſurſum ſedere, & adorari ab Angelis & Archangelis. Cùm ergò Dominus noſtræ naturæ tantum honorē contulerit, dignum & iuſtum eſt, vt & nos ea per quæ natura noſtra inhonorificatur non agamus; id eſt, vt mundè, piè & iuſtè nos habeamus, & peccatis corpus & animam non polluamus. 5. Vt manſiones nobis in cælis præpararet. Ioan. 14. *Vado præparare vobis locum.* Erunt manſiones electorum pulchræ, ſecuræ, opulentæ. Iſa. 31. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.* Econtrario in maſionibus damnatorum, erit fætor, immundicia, perturbatio ſempiterna, & omnis boni irrecuperabilis inopia. 6. Vt corda noſtra poſt ſe eo vehementius excitaret. Matth. 6. *Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.* Cùm ergo filius Dei ſit & theſaurus & refectio animarum; dignum eſt, vt ipſum omni deſiderio proſequamur. Vt aquilam ſequamur filij, non vt coruus Noë in cadaueribus immoremur. De hac aquila Iob. 39. In arduis, petris, ſilicibus & rupibus inacceſſis commoratur & pullos alit. 7. Vt ſeptem ſigilla libri & reſerata & reſeranda fore omnibus publicaret, de quibus Apoc. 5. Liber hic, erat propoſitum Dei patris, quod de redemptione prædeſtinatum conceperat ab æterno. Scriptus intùs, ſignificat, quod quædam arcana diuinitatis nunquam vel ad Angelorum vel Archangelorum noticiā peruenerunt. Foris ſcriptus, ſignificat multa de redemptione & ſtatu Eccleſiæ; Dominus quibſdam ſupremis Angelis reuelauerat ab antiquo. Signatus ſeptem ſigillis erat, quæ à ſolo agno in ara crucis immolato, poterant reſerari. Primum ſigillum apertum fuit in noſtræ carnis aſſumptione. Apoc. 6 *Et vidi quod aperuiſſet agnus vnum de ſeptem ſigillis, & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper illum habebat arcum, & data eſt ei corona & exiuit vincens vt vinceret.* Per equum, intelligitur immaculata caro, qua de Virgine Maria aſſumpſit, in qua filius Dei humani generis inimicum vicit & ſuperauit. Conſcendit equum carnis noſtræ cum arcu & corona, corda enim luxurioſorum, qui carnem ſuam coinquinant, ſagittis infernalibus traiiciet & perforabit Pſ. 119. *Sagittæ potentis acutæ.* Deferent magno effectu vindictam Dei in damnatos Pſal. 7. *Sagittas ſuas ardentibus effecit.* Corona ſignificat; quia electos qui carnem ſuam immaculatam cuſtodiunt, æterna coronabit gloriâ.

Primū ſigillum in carnis aſſumptione.

Equus albus in Apocal.

Secundum ſigillum reſeratum in Dei filij paſſione. Apocal. 6. *Cum aperuiſſet ſecūdum ſigillum, exiuit equus rufus, cui datum ſedenti, vt tolleret pacem de terra & vt inuicem ſe interficiant, & datus eſt illi gladius magnus.* Intelligitur per rufum corpus Chriſti, proprio ſanguine rubricatum. Monet nos Chriſtus vt pax

Secundum ſigillum in paſſione.

Equus rufus.

vt pax carnalis affectus rumpatur, & propter Deum temporale commodum contemnatur; tunc pax ſumitur de terra, quando homines relinquentes ſe ad ſeruitutem Dei ſe transferunt. Tunc etiam ſe interficiunt, quando alter alterum hortatur, vt carnem ſuam crucifigat cum vitijs. Hoc verò totum efficit magnus gladius charitatis. De peccatis dicit Matth. 10. *Nolite arbitrari quia veni pacem mittere in terram*, non, ſed *gladium; veni enim ſeparare hominem aduerſus patrem ſuum, & filiam aduerſus matrem ſuam.*

Tertiũ ſigillũ in Spiritu S. miſſione. Tertium ſigillum apertum in S. Spiritûs miſſione. *Aperuit ſigillum tertium & ecce equus niger, & ſedens habebat ſtateram in manu ſua.* Per equum intelliguntur Apoſtoli Martyres, qui tribulationum & perſecutionum *Equus niger.* æſtum pro Domino ſuſtinuerunt. Dominus in Apoſtolis ſedens ſtateram tenet, oſtendens quod quantum tribulationum ſuſtinuit, tantum præmij refundetur. Nos verò confundemur qui pati aliquid pro Domino nolumus. Audiui bilibris *Triticũ quid ſignificet.* tritici denario vno, tres bilibres hordei denario vno, at vinum & oleum ne læſeris. Per triticum intellige caſtitatem mentis & corporis, remunerabitur denario retributionis æ- *Hordeũ quid.* ternæ. Per hordeum, qui miſſus in exilium, damna & cruciatus corporis ſuſtinuit, intellige, etiam dena- *Vinum quid.* rium recipiet. Qui etiam Domino obtulerit vinum pœnitentiæ, oleum charitatis, euadet læſionẽ æternam. Quartum ſigillum aperitur in corporum noſtrorum maceratione. Poſt ſigillum 4. viſus eſt equus pallidus, ſedens nomen mortis, habebat, & infernus ſequebatur eum. Intelliguntur per equum confeſſores clauſtrales, qui ſe vigilijs, orationibus, diſ- clauſtrales pallidos effecerunt, diſſolui cupiunt & eſſe cum Chriſto. Chriſtus ſedens ſuper eos dicit Oſe. 13. *O mors ero mors tua, morſus inferne.* Chriſtus igitur eſt vita perpetuæ vitæ & mors mortis æternæ. Et quia momordit infernum in ereptione animarum fidelium, ideo infernus ſequitur eum, id eſt, deſiderat recuperare damnum, deuorare cupiens pœnitentes, in quibus ipſe ſedet.

Quintum ſigillum aperitur in ſpirituum noſtrorum quietione. Aperuit ſigillum 5. *Vidi ſubtus altare animas interfectorum propter verbum Dei.* Altare eſt deſiderabilis viſio Ieſu Chriſti ſub cujus protectione electorum animæ requieſcunt, quæ iam ſtollam primam, hoc eſt, dotes animæ receperunt; ſecundam recipient in corporum glorificatione.

Sextũ ſigillum aperietur in diuini iudicij diſtrictione, Apoc:6. *Sexto ſigillo aperto, motus factus eſt præ trepidatione, & ſol factus niger tanquam ſaccus cilicinus.* Qui modo ſplendent in gloria mundi, vt ſaluari poſſent, libenter ſaccis cilicinis induerentur. Et luna facta vt ſanguis, id eſt, hypocritæ, qui modo ſancti in apparentia hominum videntur, tunc confundentur & erubeſcent. Et ſtellæ de cœlo ceciderunt ſuper terram, clerici propter ſcientiam elati vt ſtellæ; erunt vt ſtulti &

ſtulti & ruſtici ; & cœlum receſſit vt liber inuolutus, quæ modo occulta, vniuerſi noticiæ publicabuntur. Inſulæ & montes de locis moti, hoc eſt, poteſtatem habentes modo inuenient ſe priuatos adjutorio ; Et omnes peccatores cujuſcunq; officij ſunt, in tantam peruenient coram judice anxietatem, quod libenter in ſpeluncis ſe latitarent, fruſtrà auxilium Sanctorum inuocabunt, quos cùm poterant imitari nolebant.

Septimum aperietur in beata electorum glorificatione. *Et cum aperuit ſigillum 7. factum eſt ſilentium in cœlo quaſi media hora.* Peracto enim judicio electos perducet in regnum quietis, vbi ſilentium erit ab omni incommodo ſempiternum. Et cùm mille millia regnabunt cum Deo, vix media hora præ dulcedine reputabitur à Sanctis. Illi verò qui erunt in inferno, tædio maximo afficientur. Iſa. 65. *Ecce ſerui mei laudabunt præ dulcedine cordis, & vos clamabitis præ dolore, & præ contritione Spiritus vlulabitis.*

ANNOTATIONES.

THomas D. in 3. p: de Incarnatione q: 57. art: 1. in corp: & ad 3. arg: cauſas Aſcenſionis pertractabat at quia aliquæ differentes hîc ſunt, idcircò ſpecialius de illis adnotabimus.

1. Vt iter ad cœlum nobis panderet. Aſcendit enim non vt ſolus ipſe regnaret, ſed viam aperiens electis, vt ſecum aſcendant. Sed ponamus integre Michæam: *Aſcendet pandens iter ante eos, & tranſibunt portam & ingredientur per eã, & tranſibit rex eorum coram illis, & Dominus in capite eorum.* Electi enim qui erant in lymbo irruperunt per portam inferi, quæ clauſa erat ſemel intrantibus, vt indè exire non valerent. Modò illi virtute Chriſti diuidunt murum oppoſitum qui aſcenſum in cælos prohibebat ; abſtulerunt peccata & obſtacula, ob merita Chriſti qui tranſiuit per omnes cœlos, & caput ac primatum tenet inter omnes. Nota Prophætæ phraſim. Dicit, pandit iter, & juſti diuident & rumpent obſtacula itineris. Vtrumq; enim neceſſarium erat, & quod Chriſtus vt Dominus tanquam princeps cauſa iter pandat, viam aperiat, difficultates & obſtacula remoueat, & quod nos etiam cooperemur cum illo in ea auferenda. Ideò exhortabatur Dauid juſtos. *Iter facite ei qui aſcendit ſuper occaſum, & aſcendit ſuper cælum cæli ad orientem* Pſal. 67. & 36. In quæ verba B: Alb: Mag: ſuper caput Ioan: 6. Dominus nomen poteſtatis, & talem ſe demonſtrauit quando ſuper occaſum, hoc eſt, per mortem & ſuper mortem ad patrem ſe eleuauit. Poteſtas eſt, quia omnia ſubjecit & de omnibus triumphauit, mundo, morte, inferno. Vnde ad Epheſ: 2. *Cùm eſſemus mortui peccatis conuiuificauit nos in Chriſto, & conreſuſcitauit & conſedere fecit in cæleſtibus in Chriſto Ieſu.* Leo Ser: 1: de Aſcenſione ad finem. Quia igitur Chriſti Aſcenſio noſtra prouectio eſt, & quò proceſſit glória capitis, eò ſpes vocatur & corporis, dignis dilectiſſimi exultemus gaudijs & piâ gratiarum

actione

actione lætemur. Hodie enim non ſolùm paradiſi poſſeſſores firmati ſumus, ſed etiam cœlorum in Chriſto ſuperna penetrauimus, ampliora adepti per ineffabilem Chriſti gratiam, quam per diaboli amiſeramus inuidiam. Nos quos virulentus inimicus primi habitaculi felicitate dejecit, eos ſibi concorporatos Dei Filius ad dexteram patris collocauit. Ad vrſam majorem quà errantes in mari & peregrinantes de nocte diſponunt patriæ ſuæ ſitum, ſubduxerat quidam lemma: *DVCIT IDEM DEDVCIT QVE*. Verè Chriſtus ad æternam patriam duxit nos per ſua merita paſſionis, & doctrinam S. Euangelij, & deducit per gratiam ad gloriam cæleſtem. Pſal. 110. *Tu idem ipſe es, & anni tui non deficient.*

Pro 2. ratione Nota. Quia hæc coincidit ratio cùm prima, quæ ibi notata ſunt, vide. Addimus tamen. Dicitur Malach. 4. *Egrediemini & ſalietis quaſi vituli vinculis relaxati.* Cunctus hîc ſaltus & exultatio eſt ex præſentia Dei & Chriſti eius, ob cujus honorem & gloriam ex eius tamen virtute exultant, ſaliunt & tripudiunt; ipſe mouet corda, excitat mentes: vtinam & nos tales eſſe poſſimus, vt in conſpectu Domini ſaliamus, dum hîc viuimus; & perueniamus ad gloriam æternam. D. Leo ſerm: 2. de Aſcenſ: Magnarum hîc vigor eſt mentium & valde fidelium lumen eſt animarum, incunctanrer credere quæ corporeo non videntur intuitu; & ibi figere deſiderium, quo nequeas inferre conſpectum. Hinc Thomæ dictum: Beati qui non viderunt & crediderunt. Notandum illud Pſal. Captiuam duxit captiuitatem. Quid erit lætitiæ, quod è captiuitate in captiuitatem deduxerit? Non intelligitur de captiuitate ſeruitutis & coactionis, hanc enim diſſipauit fractis vectibus ferreis, ſed commutauit terram in amænam captiuitatem, quæ captiuitas eſt amoris & libertatis. Vnde ſuauis eſt, gloriantur ſe captiuos eſſe Chriſti, ſecuti ſunt eum ſalientes per omnes cœlos vſq; ad Empyreum, vbi diuidetur illis ſedes inter Angelorum choros. Ioſue 10. Mirabili quodammodo bis in eodem die ortus eſt ſol; ita Chriſtus ſol juſtitiæ bis ortus eſt: primò cùm natus eſt de virgine, ſecundò cùm poſt reſurrectionem ortus eſt nouus homo in mundum, vt ad cœlos aſcenderet & in gloria patris permaneret, atq; ſecum eductos è limbo ibidem collocaret. Ad maris tempeſtatem quidam appoſuit: Durate. Nam ſi molles erunt & deſidioſi, facile tunc ſubmerguntur: ſi verò fortes, ſtabiles vegetes in remigando extiterint: ſaluantur. Ita profectò in lymbo exiſtentes Sancti Patres, & in mundo hoc turbulēto ceu in mari viuentes, nulla habuēre deſideria ſpei, niſi Chriſtum venturum; in quem credentes, patienter expectabant aduentum eius. Veniebant ſancti iam Chriſto nato ad lymbum, & nil aliud afferebant ſolatij, niſi Duratè; Ecce veniet, ideò ſpes illorum in Aſcenſione Domini coronata remanſit.

Pro 3. ra-

Pro 3. ratione Nota. Ezechias rex ad Iſaiam dicebat: Quod eſt ſignum quod Dominus me ſanabit, & quod aſcenſurus ſum in templũ Domini? Et datum ſignum ſolis regreſſus. Erat figura de Chriſto quod nos ſanare debebat è cælo interpellando pro nobis, cùm aſcenderet videlicet ad domum gloriæ cæleſtis templum Domini, nam in templo effunduntur interceſſoriæ. S. Leo Papa ſerm. 1. de Aſc. Per omne tempus, quod inter reſurrectionem & Aſcenſionem Domini exactum eſt, hoc prouidentia Dei curauit, docuit; hoc ſuorum & oculis inſinuauit & cordibus, vt Dominus Ieſus verè agnoſceretur reſuſcitatus, qui verè erat natus & paſſus & mortuus. Etſi hæc inſinuabat Chriſtus, profectò per hæc aſcenſionem quoque voluit inſtruere, non enim ſine termino hoc vltimo peregrinationis ſuæ aſcenſione duntaxat, firmitatem haberent, Vnde Apoſtoli & diſcipuli qui de exitu crucis fuerant trepidi, & de reſurrectione ambigui; ſunt roborati Domino in cælorum eunte ſublimia, vt nullâ afficerentur triſtitiâ, ſed etiam magno gaudio replerentur. Addidit S. Leo: Inſinuabat aſcenſionem ad hoc hominibus, quod apud Deum habere debebant aduocatum ad Patrem. Video Chriſtum dicentem Magdalenæ Ioan. 20. *Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad patrem meum.* Inſinuauit Chriſtus quòd tunc eum tangent homines; cùm aſcenderit ad Patrem. At quomodo illum tunc tangere poterit homo exiſtens in terra? Non alio, niſi petitione. Petite & dabitur vobis, me intercedente apud Patrem. Vnde S. Leo exponendo verba Chriſti dicit: Nolo vt ad me corporaliter Magdalena venias, nec vt me ſenſu carnis agnoſcas: ad ſublimiora te differo, maiora tibi præparo; cùm ad Patrem aſcendero, tunc me perfectiùs veriùsque palpabis, apprehenſura quod non tangis, & creditura quod non vides. Tunc igitur oratione tangebat eum, tunc obſecratione apprehendebat, & poſtulata per merita Chriſti recipiebat: Amicus cùm petit de aliqua re amicum, & petendo tangit manum, pedes, vel mentum eius, ille tactus neſcio quid ſecum fert energiæ, ideò quidam talibus appoſuit ſcriptum: TANGENTEM VRO. Cogit enim ille tactus eum, à quo petis ad concedendum, ceu vrens ignis, & facit quaſi petitione coactus. Ita cùm pœnitens homo petit orando Dominum Ieſum & inclinando ſe dicit: Audi Domine indignum peccatorem; tangis Chriſtum ardenter, dabit tibi panes amicus quantùm deſideraueris. Parce Domine populo tuo, & ne des hæreditatem tuã in perditionem. Cætera vide ſuperius, cùm de cicatricibus dicebamus.

Pro quarta ratione Nota. Coincidit hæc ratio cum ſecunda & prima. Idcircò ibi videbis. Addo tamen Pſal. 76. *Accepiſti dona in hominibus.* Profectò aſſumendo naturam huma-

 nam.

quæ dona contulit naturæ huic, cõtulit & nobis, in illa reſidet ad dexteram Patris, & naturam quoq; noſtram ad ſedes beatas deducet. Aut accepit dona ab hominibus, nam videntes per fidem mirabilem eius aſcenſum & triumphum, dederunt illi pretioſa dona, nempe corda, mentes & animas ſuas, ac omnes facultates ſuas, promptoque animo profeſſi ſunt illius ſe eſſe captiuos & ſeruos, ſe ſuaq; omnia illius obſequio mancipantes, quæ dona libenter ab eis Chriſtus accepit propter illorũ bonum: vnde vbi Dominus, ibi ſeruus; vbi caput, ibi membra; vbi patronus ibi clientes. Volo Pater, vt vbi ego ſum, illic ſit & miniſter meus: S: Leo ſerm. 2. Eleuatus in cælũ manſurus in Patris dextera, donec tempora multiplicandis Eccleſiæ filijs diuinitùs præſtituta peragantur. Quid hæc verba ſonant? niſi quod filios Eccleſiæ multiplicatos ſuper cœlorum regna transferret. Hinc ad Philip. 3. Expectamus ſaluatorem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, conforme fieri corpori gloriæ ſuæ. Ad Cometam lucentem omnes conuertunt oculos, & licèt plures videant ſtellas, non tam aſpiciunt, niſi ad hanc crinitam nouam; quæ licet vt plurimùm mala præſagit, non tamen homines auertunt viſum ab eo. Quocirca ſubdidit Areſius cometæ: *INTER OMNES.* Chriſtus cùm cælos aſendit, datus eſt homini in ſignum ceu Cometes, vt videndo ibi Chriſtum vel timeant ſi ſunt peccatores mala; vel deſiderent ad illum, ſi ſunt boni. His enim dicet Chriſtus: *Venite benedicti poſſidete regnum.* Illis verò dicet: *ite maledicti in ignem æternum.* Vide ergò an tuam naturam exaltabit? ſi inter omnes affectus, labores, actus, illum deſiderabis, alijs dimiſſis mundi deſiderijs, ſine dubio exaltabit te.

Pro 5. ratione. Nota; Exaltatio naturæ ſuper Angelorum ordines, & ſimul præparatio manſionis inter ipſos; quocircà hæc ratio cum præcedenti currit, ſed aliquid ponamus: *Exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis.* ibi enim conſtituit DEVS lucidiſſimas manſiones, in quibus requieſcunt ſanctorum animæ. Qué tantus decor manſionum non ſtimulabit, vel non confortabit; præſertim cùm viam ad eas Chriſtus ſanguine ſuo præparauit, & aſcenſione ſuâ iter oſtendit. De hac præparatione Chriſti figuratum Iſa: 49. *Anguſtus eſt mihi locus, fac ſpatium vt habitem.* Licet enim anguſtum locum in cælis peccatum faciat homini, cui promiſſum cælum; ſed pœnitenti, ne eijciatur è cælo, præparauit Chriſtus latum locum: *Poſſidete paratum vobis à conſtitutione mundi.* Locum tamen hunc poſſidere non poteſt, niſi vocetur à Chriſto: *Venite.* Non vocabitur verò, niſi ipſe aſcenderit priùs & præparauerit locum. Attamen licèt Chriſtus præparet locum nobis, non tamen negligendum eſt, vt à nobis quoque præparetur. 4. Regum 6. *Ecce*

Ecce locus in quo habitamus coram te, anguſtus eſt nobis. Eamus vſque ad Iordanem, & tollant ſinguli de ſylua materias ſingulas, vt ædificemus nobis locum ad habitandum. Inſinuat, vt ſinguli præparent ſibi manſiones per bonorum meritorum operationem. Factum eſt vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. Mendicus, non virtutum; ſed diuitiarum pauper. Solertis & vigilantibus ad eſcam auibus & animalibus, additur ſcriptum: *DONEC ACCIPIAT.* Expectat enim opportunitatem patientiſſimè, vt potiri poſſit id, ad quod intēdit. Me hercule: ſummus amor Chriſti, tam patientem facit Deum vſque in ſenectam & ſenium, donec volūtas hominis inclinata ad bonum fuerit, & hominem recipere poſſit in protectionem. Expectat, donec te ô homo accipiat: Igitur tu quoque intende, atq; ad hoc libertatem dirige, vt te ad manſiones cæleſtes recipere poſſit, vt deſiderat. Aſcendit enim (inquit S. Fulgent.) non vt ſe referret; ſed vt nos in cœlum perferret. *Cùm præparauero locum, veniam & accipiam vos ad meipſum.* Ioannis 14.

Pro 6. cauſa. Nota. Matth. 24. *Vbi fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ.* Aquila regina auium, inſtruit quod animæ quæ ſunt hæreditate adoptionis cæleſtis, quædam reginæ, aduolare debent cum deſiderijs ſuis ad corpus Chriſti, quod eſt repoſitū ad dexteram Patris. Auguſt. Tract: 94. in verba Ioan: 16. *Expedit vobis vt vadam.* Non poteſtis capere ſpiritū, quamdiu ſecundùm carnem perſiſtitis nôſſe Chriſtum. Chriſto autem diſcedente corporaliter, non ſolùm Spiritus S. ſed & Pater & Filius, illis affluit ſpiritualiter. Vbi lucidè apparet, quod vehemēter excitat corda hominum, vt reiectis mundi occupatjonibus, ad aſcendendum in cœlum: (nunc mentem, pòſt animam, & conſequenter innueret ibidem corpus noſtrum glorificandū) admoneret. Hinc B. Leo Papa ſer. 2. de Aſcenſ. Hanc fidem Aſcenſione Domini auctam, & Spiritûs ſancti munere roboratam, non vincula, non carceres, non exilia, non fames, non ignis, non laniatus ferarum, nec exquiſita perſequentium crudelitatibus ſupplicia terruerunt. Pro hac fide per vniuerſum mundum, non ſolùm viri ſed etiam fœminæ, nec tantùm impubes pueri, ſed etiam teneræ virgines vſq; ad effuſionem ſui ſanguinis decertârunt Hæc fides dæmonia eiecit, ægritudines depulit, mortuos ſuſcitauit. Vndè & Apoſtoli, qui atrocitatem paſſionis Domini expauerunt, reſurrectionem non ſine hæſitatione ſuſceperunt; de Aſcenſione ita profecerunt, vt illis totum verteretur in gaudium. Ad adamātem malleis plurimis in incude impetitum, adſcripſit quidam: *SEMPER ADAMAS.* Ita Chriſtus poſt aſcenſionem in cælum, ſemper ſeſe adamantem contra blaſphemos omnes iam poſuit. *Obturauit iniquitas os ſuum.* Vnde fideles ſpem & incitamen-

tum inuenêre, vt ſpe attingant in via, quod fide credunt, regnabunt enim cum IESV Chriſto in æternum.

De Sigillis ſeptem Nota. B. Alb: Mag: in concione ſecunda de illis tractat, cùm in prima concione pro cauſa ſeptima aſcenſus Chriſti in cælum, eam propoſuerat.

Pro primo Sigillo & equo albo. Nota. Apertio ſigillorum ab agno, gratiam notat præſtitam humano generi. In hoc ſigillo exponit incarnationis myſterium. Caro Chriſti candida, eſt equus candidus. Semper triumphum candidus equus deſignabat nec decebat vti niſi magnis perſonis eiuſmodi equis. Suetonius in Auguſto. Iouis currum equis niueis trahi dicebat. Vnde Camillus inuidioſus qui curru equis albis juncto triumphans vrbem inuectus eſt, quod ampliorem humano faſtigio vindicare honorem, paremque ſupremo Ioui videretur. Triumphaturus de hoſte generis humani Chriſtus ſine originali & viri ſemine natus, recte in albo equo viſus equitare à Ioanne, quia etiam ſuis triumphatoribus conceſſit ad victoriam arcum ſuum, & ceu victoribus coronam donauit. Ad rutilantem lapidem pretioſum, apponebat quidam. *IN TENEBRIS LVCET.* Profectò ad equum album & hunc candidum ſeſſorem Ieſum Chriſtum addi licet. *IN TENEBRIS LVCET.* Quis enim Chriſtianorum ignorat, quia ille eſt in carne ſua triumphator noſter pro nobis qui pugnauit bella, atq; nos quoq; pugnare docuit. Ipſe ſigilla diſrupit, quibus prohibitum erat nobis, ne quando Deum videremus, ne quando è carcere mortis liberi æxiſtamus. Refert Ælianus lib: 2. cap. 3. Alexander Epheſi ſuam ipſius imaginem ſuper equum aſſidentem quam Apelles pinxerat contemplatus non laudauit pro dignitate picturæ. Cùm autem introductus illi equus adhinniret equo picto perindè atq; verò. O rex (inquit Apelles) hic ſanè equus artis pingendi peritior quàm tu eſſe videtur. Ita ſanè plurimi victorem Chriſtum prædicamus noſtrum, at ipſi vincere hoſtem ſuum tepidi ſumus. Benè Iſidorus lib 2. cap: 2. Multi fide tantum Chriſtiani ſunt, opere verò à Chriſtiana doctrina diſſentiunt. Multi quoq; fidem Chriſti ex corde non amant, ſed humano terrore eandem per hypocriſim tenere ſe ſimulant. Et qui eſſe non poſſunt apertè mali per terrorem fictè boni noſcuntur.

Pro ſecundo Sigillo & equo ruffo. Nota. Inter rufum colorem & rubeum poteſt dari aliqua differentia, ſed cùm de equo ſermo eſt, rufum dicimus non rubeum vel ſanguineum. Vnde D. Ambroſius rectè per equum rufum intellexit Martyrium, quod quia non procedit niſi ex ardenti zelo & charitate, meliùs finem nempè martyrium, quàm medium ad finem, id eſt zelum ardens martyrij, per colorem rufum intelligimus. Quocirca conſiderando ſigillum

Primũ ſigillũ deponit incarnationis myſteriũ.

Equus albus eſt caro Chriſti.

Dona vatori triumphatoris Chriſti.

gillum & equum rufum. B. Alb: Magnus dixit, Chriſtus ſigillum ſecundum aperit in paſſione ſua. Per ruſum enim equum intelligitur corpus Chriſti proprio ſanguine rubricatum. Datus gladius ei magnus vt pacem carnis tolleret & nos exemplo paſſionis ſuæ ad idem incitaret. Rufi equi ſunt alacriores & erectiores naturaliter, vndè pugnam ingentem hîc equus ſignificabat, & ſeſſor triumphi palmam concupiebat, Alciatus. emblem: 117. At ruber armatos equites exornat amictus. Hinc Perſæ & Lacedæmonij in prælium profecturi rubris veſtibus indui ſolitos. At quia hîc non eſt ſermo de amictu ſeſſoris, ſed de equo rufo, ſufficit declarare quòd in paſſione ſua ſigillum Chriſtus aperuerit, & viſa eſt caro ſua rubrofacta ſanguine, ad qualem animare ſuos ſequaces, monſtrauit. Refert Plutarchus de equis Volſilupis in Symp: lib: 2. quæſt. 8. Equi qui certamen cum lupis ſemel inierunt, animoſiores reddi & perniciores. Vndè & Tacitus de milite. Fortis miles de confragoſo venit. Profectò Chriſtus pugnando contra pacem mundi, cùm proſtrauit vno verbo milites in horto dicens; *Quem quæritis?* Fortior ſemper euaſit tam apud Annam quàm apud Caipham, tam in iudicio apud Pilatum quàm in cruce in monte Caluariæ. Sed & Sancti Martyres in tormentis & ex tormentis euadunt fortiores. Dicebat S. Laurentius. *Verſa & manduca.* Et Lucia S. Paſchaſio tyranno inſultando dicebat. *Quid cruciaris. Templum DEI me eſſe ſi probaſti, crede: ſi non probaſti, diſce magis.* Et rectè Iſidorus admonebat lib: 1. cap. 26. Accipe exemplum martyrij de reparatione humani corporis ad ſalutem, dum quiſq; & de ſpe reparationis gaudet, & de inciſionibus malorum ceu amariſſimis poculis mæret. Ad occaſum ſolis adſcribebat quidam hoc doctrinale. VITÆ BREVITAS. Quaſi ſol inſtrueret, cum fine diei, innuitur breuitas vitæ humanæ. Equidem nullus nouit diem neque horam mortis. Sed ſi cui pro Chriſto mori contingit, ſi effundere ſanguinem pro ipſius nomine licebit, breuem vitam commutabit in æternam.

Tertiũ ſigilliũ Chriſtꝰ aperuit humilitatem.

Pro tertio Sigillo & equo nigro. Nota. Niger color humilitatem ſignificat. Symbolum enim eſt rei contemptæ & externa ſpecie deſpicabilis. Vnde Sigillum hoc aperuit Chriſtus ſuâ nimiâ humilitate. *Humiliauit ſemetipſum vſq; ad mortem.* Et cùm eſſet nedum verus homo, ſed etiam verus Deus, non tamen aliud voluit niſi humilitatem à nobis. *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.* Quocirca etiam Chriſtiana Eccleſia, poſtquam ad potentiæ & magnificentiæ culmen peruenit, non tamen Euangelij hoſtes, niſi cum magna modeſtia deuicit & ſubegit. Statera in manu, benè merita Sanctorum B. Alb: Mag: expoſuit. Librabit enim omnium merita, ſed qui labores, pericula, carceres, maledicta, flagella ſubierunt gratia

Statera in manu Chriſtì eſt libratio meritorũ ſanctorum.

gratiâ Chriſti, ipſe cum delectatione in libram hæc apponet & librabit. Et quò magis humilior ſuperauerit, infirmior ſtateram repleuerit, interior depreſſerit, majori delectatione afficietur. Iſid: lib: 1. de ſum: cap. 26. Sæpè ex diſcipulis ad martyrium eliguntur, qui ſuos doctores ad coronam præcedunt, & qui ſunt ordine poſtremi, fiunt nonnunquã in certamine primi. Conſidero ordines religioſos, qui nigro, cinericio & atro veſtiuntur colore, aliqui capita, martyrio præceſſerunt; aliqui confeſſione ſuperârunt, aliqui Doctorum laureâ anteceſſerunt; at ſine humilitate præuia non id poſſederunt. Equos Celtiberorum lego, qui ſunt cinerei coloris, vbi in exteriorem Hiſpaniã venerint (dicit Strabo lib: 3.) colorem mutant. Ita ferè religioſi viri, cùm venerunt ad exteriora quæ ſuperant conditionem humanam, vbi in ipſo Deo viuere & contemplari cœperunt, mutarunt colorem; nam in extaſi in aëra eleuabantur, in radijs ſolis veſtes appendebant, dæmonibus, mari, igni imperabant, viuendo vt homines, non vt homines in terra conuerſabantur? quam illi quæſo tranſlati ad ſuperos mutationem accipient: Me hercule! cœleſtem, Angelicam, diuinam. Quare Iſidor: lib: 3. cap: 65. admonebat: Mori oportet hominem in carne mundo, ne moriatur in anima Chriſto; nam verè tunc viuere quiſq; creditur, ſi ſecundùm ſæculum moriens, in ſolo Deo viuere delectetur. Angelo bono in cuſtodiam homini dato rectè ſubſcribemus: *NIL MORTALE SPIRAT.* Deſiderat enim homini omne bonum & vitam. Vir religioſus & Sãctus, quia viuens in mundo vt Angelus in corpore viuit. Deum ipſũ cogitat, deſiderat, laudat; conſcientiam mundat & candidam obſeruat, proximo ſalutem impetrat & exempla ſpargit, recte illi apponẽdum: *NIL MORTALE SPIRAT.* Ergò atrum colorem, mutabit in candidum in cælis. 1. Ioan. 3. *Omnis qui habet ſpem in eo ſanctificat ſe, ſicut & ille Sanctus eſt.*

Diuerſitas in colore veſtiũ religioſorum.

Pro 4. ſigillo & equo pallido. Nota. Poſt tam triumphantes equos & victores, ad apertionem ſigilli quarti, pallidus equus & ſine dubio ſeſſor aparúit B. Ioanni. Profectò non ſine conſideratione parenteſis: quandoq́; militiæ dux non formam ſui ſed exercitûs repreſentat. Vnde quia ſeſſor ipſe pallidũ ducit exercitum, ipſe quoq́; pallidus apparuit. Mortem aridam, oſſibus ipſis conflatam deuorauit Chriſtus, quaſi rem venenoſam cõſumpſit; vnde victor mortis pallidus apparuit, & quod duxerit exercitum macilentum, mortificatum, ieiunijs & abſtinentijs ſiccum: quales erat SS. Cõfeſſores, eremitæ, abſtinentes per equum ſuum ſignificauit: parati enim erant ſemper mori pro Domino. S. Dominicus à prædonibus tentus, cum mortem minitarent dicebat: Obſecro vt nõ

ictu

iſtu vnico moriar, ſed ſectis digittis & manibus abſcindite pedes membratim, vt ſic in ſanguine volutando ſenſim vobis me dilaniantibus moriar. Vide quàm palidus ſeſſor ſuper equum mortis, pugnabat in hoſtes ob Chriſti nomen & confeſſionem! Habet Suetonius in Caligula cap. 55 Quòd equo præter equîle marmoreum & præſepe eburneum, præterq; purpurea tegumenta, ac monile è gemmis, domum etiam & familiam equo, imò ſupellectilem & conſulatum deſtinauerit. Hæc quidem non virum & hominem inſanum demonſtrant. At loquendo de viris, qui ſeſe per macerationem corporis omnibus declarârunt ob humilitatem ſubiecti. eorum tam pretioſa ornamenta erunt, quæ ſuperabunt omnes terrenas diuitias & monilia; nam ſicut prauos homines mala, ita bonos pretioſa omnia circumdabunt: Hinc Iſid. l. 3. c: vlt. Prauos homines apoſtatæ Angeli excipiunt morientes, vt eis ſint ipſi tortores in pœnis, qui fuerunt ſuaſores in vitijs: qui verò virtutibus ornati, maceratione corporis voluntaria ad mortē Chriſto ſeſe aſſimilare ſatagunt; cōtemnunt mundi procellas, ne Chriſtum amittant.

Pro 5. ſigillo. Nota. Ad apertionem ſigilli iſtius quatuor occurrunt. 1. Spirituum humanoru m requietio ſub altari. 2. petitio vindictæ. 3 patientiæ Dei longinquitas. 4 conſolatio ſpirituum, ex datis ſtollis albis; non quia Chriſtus non aperuerat adhuc cælum, ſub altari animæ retentæ ſuper occiſores expoſtulabāt iuſtitiam à Deo, ſed quia proſperabatur Iudæis, & qui occidendo eos æquitatem iudicabant feciſſe, petunt vt ſanguis vindicetur. Sicut enim Abelis ſanguis clamabat in occiſorem Cain; ita eorum ſanguis vindictam expoſtulauit. Apoc: 6. *Vſquequo domine ſanctus & verus non iudicas non vindicas ſanguinem noſtum de ijs, qui habitant in terra.* Cicero 5. Tuſculan: Nulla nobis cum tyrannis ſocietas eſt, ſed ſumma diſtractio; nec eſt contra naturam ſpoliare eum, quem fas eſt occidere. Eſdre 4. cap: 5. *Sanguis innoxius & juſtus clamat ad me.* Quid igitur de ſanguine chriſtianorum innocuo & juſto intelligendum, niſi quòd fortius, verius, efficiacius, vindictam expoſtulet ſanguis ipſorum. Et reſponſum eis datis ſtollis, donec numerus impleatur electorum, vt modicum expectēt. Ier: 17. Non inferatis onera per portas ciuitatis in die Sabbati; ingredientur per eas principes regni ſedentes ſuper ſoliu m Dauid viri Iuda & habitatores Ieruſalem. Reges qui benè rexerunt vita m & benè ſciuerunt principari vit ijs, & p er confeſſionem pondera peccati deponere, intrantes per hanc portam mortis quæ communis omnibus eſt, habitabunt æternæ pacis viſionem, ſecure ibunt qui expeditos ſe in illo tranſitu exhibuerunt, non poterit eos præſſura dæmonum impedire. Vnde Caſſiod: ſuper Beati immaculati Quis mortem temporalem

Sāguis occiſorū propter Chriſtū vindictā expoſtulat.

ralem metuat cui vita æterna promittitur? quis labores timeat, ſi ſe in aperta requie nouerit collocandum? In apertione ergò ſigilli quinti, cœleſtem Chriſti Spiritus lucem fuiſſe impartitam, vt agnoſcerent, quod eſſet ſacris literis conſentaneum, differi à Deo Iudaici populi ſupplicium, & infinitam Dei patientiam eò ſublimiorem ac perfectiorem oſtendi, quò plus diſſimulationis præſeferre videbatur. Militibus in munitione poſitis qui reſiſtere hoſti non intendunt, aliquis ſubſcripſit. *MORANTVR NON ARCENT.* Ita animæ ſub altari poſitæ non eam vindictam petunt vt pereant arceantur à cœlo, ſed morari eos fruſtrà in terra, nec velle mori pro Chriſto, aut confiteri illum quia morantur, vindictam petunt. At dictum eis. Per illos conſerui veſtri compleri adhuc debent, ideò non fruſtrà morantur in terra.

Sextũ ſigillũ reſerabit Chriſtus in iudicio.

Pro ſexto Sigillo. Nota. *Tu terribilis es & quis reſiſtet tibi, ex tunc ira tua.* Pſal: 75. Verè in judicio vniuerſali hæc verificabuntur verba. Nam vt dicit Greg: in Moral. Antiquus hoſtis ad rapiendas peccatorum animas in die mortis crudelitatis effrenatur violentia, vt quos viuentes blanditijs decipit, morientes citius capiat. Quod ſi in illo judicio iſte Deus judex & vindex erit peccatorum, quàm terribilis erit, cogita: Dicebat quondam Ariſt: apud Stob. Oportet prudentes magiſtratus non propter officium, ſed virtutis cauſa admirationem ſui parere, vt etiam immutata fortuna eiuſdem laudibus digni cenſeantur. Profectò & officium judicis, & dignitas perſonæ, & certitudo peccati, conſternabunt peccatores; & judicem juſtum, volentes vel nolentes, exaltabunt. Ad ſagittas ruptas & fractu-ris ferietes, addidit Areſius: *FRACTA MAGIS FERIVNT.* Nam cum reliquiæ ligni è ſagittis manebunt in vulneribus, non poteſt mederi niſi cum multa patientia. Peccata ſunt quæ diſſoluunt hominem & rumpunt & diſtrahunt, vnde ſi in corpore læſo manſerunt ad extremum vitæ magis feriunt. Deducunt enim hominem in perpetuum fletum & ſtridorem dentium, & tradunt poteſtati tartareæ ad æternum ſupplicium. Vnde Bern: in Serm. In omnibus operibus tuis memorare nouiſſima, horrorem judicis tremendi valde diſcerne, ardentis gehennæ metum ab oculis cordis tui elongari nullatenus patiaris. Cogita peregrinationis tuæ miſeriam, recogita annos tuos cùm amaritudine animæ tuæ, & cogita vitæ humanæ pericula, cogita fragilitatem propriam, & huiuſmodi in cogitatione ſi perſeuraueris, quid dico tibi parum ſenties, quid-quid foris videtur eſſe moleſtum. Exod: 19. Dicebat Moyſes ad populum. *Eſtote parati in diem tertium.* Tres dies ſunt ortus, ſtatus, exitus, ſeu Natiuitas, vita & mors. Simus in die mortis præparati, ne à diabolo capiamur, quia ſi hora mortis capti fueri-

fuerimus, in peccato in die judicij relinquemur.

Pro ſeptimo Sigillo. Nota. *Veni in terram quam monſtrauero tibi.* Gen: 12. Si terra illa fælix eſt quam monſtrat Deus, quam fælix erit requies æterna in cœlis quàm donabit. Aug: in Soliloq: Ibi erit æterna refectio, perpetua dilectio, jucunda poſſeſſio; ibi dies ſine nocte, vita ſinę morte, juuentus ſine ſenectute, pulchritudo ſine deformitate, fortitudo ſine debilitate, læticia ſine dolore, tranquillitas ſine labore, & ſine omni fallacia veritatis vera cognitio. Cic: in Orat: pro Milone dicit: quòd Pompeius elegit judices ex florentiſſimis ordinibus ipſa lumina. Omnes qui in cæleſtem patriam gratiâ Ieſu Chriſti tranſmeabunt, erunt lumina florentiſſima; elegit enim eos Deus à conſtitutione nedum mundi, ſed ab æterno, vt ſint conformes imagini Filij Dei. Vnde Bern: in Medit. O anima mea, ſi continuè oportet nos tormenta perferre, ſi ipſam gehennam longo tempore tollerare, vt Chriſtum in gloria ſua videre poſſimus, eius Sanctorum & collegio ſociari; nonne eſt dignum pati quod triſte eſt, vt tanti boni tantæq; gloriæ participes habeamur? Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quam Deus præparauit diligentibus ſe. S. Fulgent: ad Ferandum quæſt. 3. Viſio illa non ſolius carnis ſecundùm quam ſolam ſolus filius ab impijs videtur ad eorum condemnationem perpetuam; ſed erit viſio Deitatis ſecundùm quam ipſa Trinitas ita videndam præbebit ſe juſtis, vt illa Diuinitatis indeſinens viſio, ipſa ſit beatitudinis indeficiens plenitudo. Et inde ſunt beati mundo corde quoniam ipſi Deum videbunt. In tantum ergo diuinitatem Sanctæ Trinitatis videbimus, in quantum capiemus dono gratiæ vt videre poſſimus. *Hæc ille.*

Quare Dominus à dextris Dei ſedere referatur?

QVod à dextris Dei tria innuuntur: 1. Quod collata eſt Chriſto homini à Deo Patre poteſtas æqualitatis. 2. Honoris paritas. 3. Omnis boni identitas. De 1. Matth 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra.* De 2. Ioan: 8. *Si ego glorifico meipſum, gloria mea nihil eſt, eſt Pater meus qui glorificat me.* Et Matth: 6. *Filius hominis venturus eſt in gloria patris ſui cum Angelis ſuis.* De 3. Ioan. 17. *Pater, mea omnia tua ſunt; & tua, mea ſunt.* Meruit autem ad hæc tria eleuari, quòd ſe humiliauerit vſq; ad carnis noſtræ infirmitatem & abjectiſſimam vilitatem, necnon ad altiſſimam paupertatem. Nos igitur ſi volumus aggregari Filio Dei, oportet quòd & nos carnes noſtras per labores pœnitentiæ puniamus, & quòd contemptum æquanimiter cum opprobrijs hominum ſuſtineamus, & res noſtras in vſus pauperum expendamus.

ANNOTATIO.

CHriſtum Theologi conſiderant, vt Deum & vt hominem. Quocirca de ſeſſione ipſius quærunt, & ſecundum quod eſt Deus, & vt homo eſt. Vnde hîc tria notanda veniunt, dextera, ſeſſio & Chriſtus vt Deus & homo eſt ſingillatim. Dexteræ nomine tria intelligi poſſunt. 1. Gloria diuinitatis. Damaſc: libro 4. cap: 2. Dexteram patris, dicimus gloriam & honorem diuinitatis, in qua filius Dei extitit ante ſæcula vt Deus, & Patri conſubſtantialis. 2. Beatitudo Patris. Aug. lib. 1. de ſymb: cap: 4. Beatitudinis nomen eſt dextera Patris. 3. Iudiciaria poteſtas. Ille enim qui conſidet Regi, aſſidet in regnando & iudicando. Aug: ſer. de ſymb. cap. 7. Ipſam dexteram intellige poteſtatē, quam accepit ille homo ſuſceptus à Deo, vt veniat iudicaturus, qui priꝰ venerat iudicandus. Seſſio verò cōſiderari poteſt, vel localiter Luc. vlt. *Sedete hîc in ciuitate.* vel vt ſignificat iudiciariam poteſtatem. Prouerb: 20. *Rex qui ſedet in ſolio iudicis diſſipat omne malum intuitu ſuo.* Vtroque modo conuenit ſedere Chriſto ad dexteram Patris: ſedet, quia æternaliter manet in beatitudine patris. Pſal. 15. *Delectationes in dextera tua vſque in finem.* Aug. lib. de ſymb. c. 4. Sedere habitare intelligite, quomodo etiam beati ſedent in patria. Beatus enim eſt Chriſtus, & ipſius beatitudinis nomen eſt dextera Patris. Etiam ſedet, id eſt: corregnat & iudicat cum Patre Chriſtus. Conſiderando ergò Chriſtum vt Deus eſt, ſedere, eſt ſimul cum Patre Filium habere gloriã diuinitatis & beatitudinem, & iudiciariam poteſtatem, & hoc immutabiliter & regaliter. Vnde colliges, quòd hîc non gradus naturæ diuinæ nec dignitatis in Chriſto Deo intelligitur, ſed diſtinctio perſonalis & originis ordo. Auguſt. lib. 1. de doctrina Chriſt. cap. 5. In Patre eſt vnitas, in Filio æqualitas, in Spiritu ſancto vnitatis & æqualitatis connexio. Vt ergò Chriſtus Deus, ſecundùm diuinam naturam eſt in æqualitate Patris; ſecundùm autem humanam naturã in excellenti poſſeſſione diuinorum bonorum præ cæteris creaturis eſt. Ad Hebr: 1. *Ad quem Angelorum dixit aliquando: ſede à dextris meis.* id eſt: in meis bonis potioribus, vel mihi ſecundùm diuinitatem æqualis? quaſi diceret; Ad nullum. Notandus quoque eſt in hoc Petrus Chryſol. ſerm: 57. dicit: Sedet ad dexteram Patris. Confeſſio noſtra non diuini conſeſſus loca, ſed virtutis aſſignat iudicia. Deus loca neſcit, diuinitas recipit nil ſiniſtrum.

Quomodo Chriſtꝰ ſedere à dextris patris dicitur.

ITEM IN ASCENSIONE DOMINI.

Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis, ita veniet. *Act. 1.* *Aſcendit*

ASCENDIT Dominus. 1. in tubæ concrepatione. Pſal. 46. *Aſcendit Deus in iubilo, & Dominus in voce tubæ.* 2. Cum nubis ſuſceptione. Act. 1. *Nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum.* 3. Cum diſcipulorum exultatione. Luc. 24. *Ipſi adorantes regreſſi ſunt in Ieruſalem cum gaudio magno.* 4. Cum dulci benedictione. Luc. 24. *Cùm benediceret illis, receſſit ab eis.* 5. cum manuum eleuatione. Luc. 24. *Eleuatis manibus.* 6. Cum cicatricum retentione. Gloſſa ſuper 6. Lucæ. Cicatrices propter hoc cælo intulit, vt perpetuum victoriæ ſuæ circumferat triumphum. Et ſic quoque ſecūdùm teſtimonium Angelorum, reuerſus eſt ad iudicium. 1. Tunc cum tubis Angeli mortuos ſuſcitabunt. 1. ad Cor. 15. *Reſurgemus in momento in ictu oculi, in nouiſſima tuba. canet enim tuba.* Et 1. ad Theſſ. 4. Ipſe Dominus *in iuſſu & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cælo.* 2. Tunc electorum animæ de reſumptione corporum ſuorum exultabunt. Pſal: 119. *Exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis.* Modò enim exultant cū Domino in gloria, tunc autem propter receptionem cubilium, id eſt, corporum ſuorum exultabunt. Nam *corpus quod modò ſeminatur in ignobilitate, tunc ſurget in gloria.* 1. Cor: 15. Ideò fælix anima ex reunione lætabitur. 3. Tunc nubes, id eſt, Angelicæ virtutes Deum ad iudicandum deportabunt. Matth. 24. *Videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli, cum virtute magnâ & multâ maieſtate.* Et Apoc: 1. *Ecce veniet in nubibus & videbit eum omnis oculus; & qui eum pupugerunt, & tunc plangent ſe ſuper eum,* 4. Tunc Filius Dei ſtatutos ad dexteram dulciter benedicet. Matth. 22. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare; ſitiui, dediſtis bibere; hoſpes fui, collegiſtis me: nudum cooperuiſtis, infirmum viſitaſtis, in carcere eram & veniſtis ad me.* Gratias aget, quòd membris ſuis, hoc eſt, pauperibus impenderunt. 5. Tunc eleuatis manibus ad ſiniſtram poſitos, feriet & maledicet. Matth. 25. *His qui à ſiniſtris erunt dicet: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius. Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare; &c.* 6. Tunc vniuerſæ carni vulnerum ſuorum cicatrices oſtēdet. Gloſſa ſuper 6. Lucæ: Dominus cicatrices ſuas in iudicio ſeruaturus eſt, vt ſuâ morte redemptis quòd miſericorditer ſint adiuti, & impijs quòd iuſtè damnentur, denunciaret. Iuſti cicatrices reſpicient cum exultatione, mali verò inſpicient cum gemitibus & tremore.

ANNOTATIONES.

DE aſcenſu in ſono tubæ. Nota. Pſal. 67. *Aſcendit Deus in iubilatione, & Dominus in voce tubæ.* Aſcendebat Deus & Dominus, vnde iubilus conueniebat Deo, & vox tubæ Domino; Domino tanquam triumphatori tubæ perſonium; Deo vt redemptori iubilus. Quocircà in alio loco Pſal. 93. *Aſcendit Chriſtus in iubilo & tuba.*

Pſal. 93. *Iubilate Deo omnis terra.* De tali namque aſcenſu lætati ſunt Pater, & Spiritus S. Angeli ſancti & Apoſtoli Domini. *Adorantes regreſſi ſunt.* Vbi Beda: Gaudia magna agunt, quia Dominum ſuum poſt triumphum reſurrectionis cælos penetrâſſe lætantur. Et erant ſemper in templo laudantes & benedicentes Dominum, *Salutare tuum expectabo Domine.* Gen. 49 meditabantur orando. Alaricus obſeſſa Româ plurimos auri argentiq; theſauros S. Petri per militem ablata cognouit, & quandam virginem Monialem adductam conſpexit: iuſſit ergò tubâ canere, & militibus præcepit: Hos theſauros cum virgine & populo ab æde D. Petri ablatos ſecurè deducite. Oroſius lib. 7. cap. 29. Quantus iubilus tunc erat Chriſtianorum, cùm ſe ſaluos ab hoſte cum decore Baſilicæ cõſpexerũt? Incõparabilem igitur læticiã & iubilum cogitandum, cùm Chriſtus victor hoſtium, & vnigenitus Dei filius cælos triumphator aſcendebat. Eandem puto læticiam fuiſſe & in Apoſtolis., ideò cum gaudio magno regreſſi ſunt in Hieruſalem, dicit S. Lucas. Exprimit rationem tanti gaudij Greg: hom. 29. In hac (inquit) ſolennitate deletum eſt Chirographum noſtræ damnationis, immutata eſt ſententia noſtræ corruptionis, illa enim natura cui dictum eſt: *Terra es, & in terram ibis; hodie in cælum iuit.* Apparuit in Aſcenſione ut antiquus dierum, ſicut Daniëlis

Lætitia in Christi aſcenſ.

7. dicitur: quo circà Angeli mirantes dicebant: *Quis eſt iſte rex gloriæ? Quis eſt iſte, qui venit de Edon?* Vnde S. Leo: Merito nobis gaudendum eſt in iubilo, cùm Chriſto aſcendente non ſolùm Chriſti videamus gloriam, ſed etiam carnis noſtræ in ipſo ſuper omnes choros Angelorum exaltationem. Nauigantes Oceanũ dum ſalui redeunt in patriam, non modicas gaudij ſui declarant oſtentationes. Vnde quidam exprimendo ipſorum actus, addiderunt naui lemma: OSCVLANTVR TERRAM. Puta, præ gaudio. Ita Angeli, & beati oſculabantur terram benedictam ſuper choros Angelorum exaltatam, per Aſcenſionem Ieſu Chriſti. hoc eſt, corpus ſuum ſanctiſſimum.

De exultatione animæ ex reſumptione corporum. Nota. Corpora quæ ſunt magis formalia, ſunt naturaliter ſuperiora; per formam enim participant diuinum eſſe, & inde Angeli ſuperiores ſunt hominibus. Et quoniam corpus plùs participat de diuina bonitate per gloriam, quàm per formam ſuæ naturæ, ideò ex tali coniunctione animæ beatæ ad corpus, maxima debet fieri exultatio in anima. Sed arguet aliquis? Eſt contra naturam corpori terreno eſſe ſupra cælum ſempiterne. Reſpondetur: Corpus glorioſum non habet vt ſit in cælo vel ſuprà ex principijs ſuæ naturæ; ſed habet ex anima beata, vnde motus & quies non erunt violenta ei, ideò erit ſempiternum in cœlo. Vnde Chryſoſt:

Exultatio animæ beatæ

Chryſoſt. Promiſerat Chriſtus corporum reſurrectionem, & à mortuis reſurrexit. Quocircà ſicut reunita carni Chriſti anima ſummè lætificauerat corpus, ita cum maxima exultatione animarum glorificatarũ erit, cùm ipſis corpora humiliata reunientur vt glorificentur ab eis. Hectori fortiſſimo vitam ad terminum mortis deducto, addidit Areſius ſcriptum: *MVRVS TROIÆ ADAMANTINVS CORRVIT.* Ita in puris naturalibus conſideratâ carne humanâ, erat ita obſtaculum à natura, quòd nullo pacto poſſit eleuari ſupra cælum, ſed hoc pondus marmoreum in terram corruere ſatagens corpus ſublatum fuit, dum per gloriam animæ beatæ & bonitatem diuinam eleuantur corpora noſtra vſque in cœlum, vbi ſedes eſt animarũ glorificatarum. Ad Epheſ.4. *Qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit ſuper omnes cælos, vt adimpleret omnia.* puta, quæ per Angelos malos ruinata erant, beatis hominibus reſtauraret.

De nubis ſuſceptione. Nota. Nubes licèt non poteſt aſcendere ſuper cælum, tamen dicitur quòd nubes ſuſcepit ipſum. Sed notandum quòd nubes illa non præbuit adminiculum Chriſto aſcendenti per modum vehiculi, ſed apparuit in ſignũ diuinitatis; ſecundum, quòd gloria Dei Iſrael apparebat ſuper tabernaculum in nube. Theophil: Elias videbatur quaſi aſſumi in cælum, ſed ſaluator ipſe præcurſor omnium aſcendit in cælum appariturus diuino conſpectui in ſacro corpore, & iam noſtra natura in Chriſto honoratur à qualibet virtute Angelicâ. Et Gregor: in hom. Redemptor noſter non curru, non angelis ſubleuatus legitur, quia fecerat omnia; ſuper omnia, ſuâ virtute ferebatur. Inter nubem leuem & grauidam ſeu condenſam, ponitur hæc differentia inter alias, quòd à leui ſubſequitur dulcis pluuia; à groſſa tonitrua, fulgura & tempeſtates. Leuis erat nubes quæ ſuſceperat Chriſtum, cùm ſurſùm aſcendebat cum Chriſto, ideò ſignificabat dulciſſima dona, & in tanta abundantia; vt quaſi imber deſcendiſſet. Figura tanti myſterij, 3. Reg: 18. Nubecula parua aſcendebat de mari, & in ipſa quaſi veſtigium hominis, & facta eſt pluuia magna ſuper terram, quâ multis annis priuata extiterat. Aug. in ſer. Aſcenſ. Ignota ante Chriſti aduentum via vitæ, quia nullius adhuc reſurgentis fuerat veſtigio, at vbi dominus reſurrexit, nota facta eſt. Apoc. 3: Poſui coram te oſtium apertum, quod nemo poteſt claudere. Ad viridarium plenum dulcedine & ſuauitate, addunt ſcriptum aliqui: *APES EXPECTAT.* Me hercule! iam Chriſtus IESVS aperuit homini, nedum paradiſum terreſtre, ſed cælum. Quid deſiderat & expectat? Apes mellificantes, animas virtutibus ornatas. Chryſoſt: Promiſit per nubem, quòd in nubibus rapiemur in aëra; & corpora erunt tam agilia, quòd nubes tranſibunt.

Quales nubes fuerunt

Diſcipuli aſcenſione cognouerũt Chriſtũ eſſe Deum.

De diſcipulorum exultatione. Nota. Commentator in lib: 4. Metaph: ſcribendo ait. Homines non decipiuntur niſi in eo, cujus cognitio non eſt valde manifeſta. Quoniam diſcipuli cognouerunt & crediderunt ex aſcenſione firmiter, Deum verum fuiſſe Chriſtum, maximè lætati erant. Cognouerunt primo, quia ſicut caput ita erit & finis correſpondens. Vnde vbi Chriſtus iuit & eſt, ibi & illi ire eſſe debebant. Hinc Chryſoſt: Infima pars rationalis creaturæ homo erat, ſed pedes effecti ſunt caput, ſublimati in regiam ſedem in ſuo capite. Quocirca exprimendo talem cognitionem illorum S. Lucas dicit, & cùm illo V. Beda. Aſcendente in cœlum Domino diſcipuli adorantes vbi ſteterunt pedes eius, regreſſi ſunt. Cognouerunt 2. donum gratiæ collatum ſibi vt conſtanter expectarent promiſſum Spiritum Sanctum, ideò tam ſummè lætabantur. S. Lucas. *Erant ſemper in templo.* Quid cauſæ. Ante ſemper erant recluſi, modo ſunt in aperto. Ante refugiebant ſacerdotes, modo ſunt ſemper inter ſacerdotes, ſemper ſunt in atrio templi. Dicit Theophil. Nondum erat Spiritus & jam ſpiritualiter conuerſantur, non diſtrahuntur mundano, ſed omnibus contemptis jugiter Deũ laudant. V. Beda verò dicit. Promiſſione patris expectare præcepti. Græcus addit. Erant vigilantes, non degentes in proprijs laboribus, ſed expectantes ſupernam gratiam, conuerſantur in templo. Pſal. 83. *Elegi abjectus eſſe in domo Domini magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* Gaudebant plurimùm, quia in omnibus Chriſti veritatem & Iudæorum confuſionem percipiebant, dicit B: Alb: Mag: ſuper Lucam. Et ſi illa ratio eſt magna gaudij, & hæc non modica fuit, inde enim procedebat, quod in corde & ore diſcipulorum ſemper laus permanebat Chriſti. Lunæ crucifigenti communiter adſcribitur. *DONEC IMPLEAT ORBEM.* Puta, augebitur. Ita gaudium quod repleuit diſcipulorum corda ex aſcenſione Domini non tantum fuit auctum in miſſione Spiritus quem expectabant promiſſum, & quem in templo precabantur, ſed in illorum reſolutione à mundo, & in poſſeſſa gloria in cœlo augmentum ſuum & orbem complebit. Ioan: 16. *Gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Dicit Comm: in Metaph: 6. Diuina ſunt in quorum diffinitione accipitur Deus. Acceperunt illi Deum in gaudio per gratiam & gloriam; quẽ per diffinitam naturam accipere non poterant.

De benedictione Nota. Erat fortis benedictio quàm filijs Eſau & Iacob recedendo ab hac vita S. Patriarcha Ioſeph dederat, ſed talis benedictio comparata benedictioni quàm Chriſtus aſcendendo dabat diſcipulis, erat quoddam minutum. Larga enim manu dedit eis dona ſua benedictione inquit B: Alb: Magn:

Chriſti aſcendens diſcipulis largam benedictionem dedit.

Mag: in Lucam. De illa Eccl: 44. *Benedictionem omnium gentium dedit illi, & teſtamentum ſuum confirmauit ſuper caput eius.* Recedendo ergò à mundo & diſcipulos relinquendo ad prædicationem Euangelij, eandem benedictionem largam, eleuatis manibus, in ſignum ampliſſimæ benedictionis contulit. Dicit Ariſt: 7. Metaph: Illa quæ ſunt cognita apud nos, in reſpectu eorum quæ ſunt cognita apud naturam, ſunt paruæ & paucæ cognitionis. Neq; etiam nos cognoſcere & explicare poſſumus quæ & quanta conceſſerit Chriſtus dona tali benedictione ſuis diſcipulis, at conjectamur meritò, ingentia fuiſſe. Theoph: Forſitan vim conſeruatiuam influens eis vſq; ad Aduentum Spiritus, & fortaſſis inſtruens eos, vt quoties recedimus, benedictionibus ſubditos Deo commendemus. Aliam inueſtigauit quoq; V. Beda. Complebat ſacerdotum Zachariæ, & Apoſtolis ibi miniſtros noui ſacerdotij futuros, non in victimarum ſanguine, ſed in laude Dei & in benedictione concluſit: Vt in loco orationis & inter laudum deuotiones promiſſum Spiritus S. aduentū paratis cordibus expectent. Ezech. 1. dicitur: Animalia ibant & reuertebantur in ſimilitudinem fulguris corruſcantis. Erant Apoſtoli ob ſimplicem mentem & conuerſationem mitem ceu animalia. Ad Philip. 4. *Modeſtia veſtra not. ſit omnibus hominibus.* Sed corruſcabant vt fulgura, quia & intus ardebant deuotione, & exterius honeſtatis luce. Eſt piſcis Acipenſer, qui ſectus in partes adhuc viuit & fortiter mouetur, donec vena in dorſo quæ vnica in toto piſce reperitur, à moueatur, nec amouetur facilè, niſi duo homines fortiter prehēſent, poſſumus addere illi lemma tale. VIVET IN EXTREMVM. Benedictio conceſſa Apoſtolis, viuet in extremum ſæculi. Nam gratia illis per benedictionem conceſſa, fuit etiam ſucceſſoribus illorum collata. Hinc Aug. ad Eſichium cōſiderando verba Chriſti. *Ecce ego vobiſcum ſum vſq; ad conſummationem ſæculi.* Dicit. Hoc eum vniuerſæ Eccleſiæ promiſiſſe, quæ alijs morientibus, alijs naſcentibus, hîc vſq; in ſæculi conſummationē futura eſt, quis nō intelligat? Ita quoq; & benedictio hæc & Apoſtolis prædicatoribus, & ſucceſſoribus eorum, ac toti Eccleſiæ quam repræſentabant, data fuerat. *Qui vigilauerint ad illum, inuenient benedictionem.* Prou. 3.

Benedixit tunc toti eccleſiæ

Cum manuū eleuatione. Nota. Explicat talis eleuatio manuū, duo. Primò quod altâ benedictione benedixerit Apoſtolis Chriſtus vt modo dicebamus. His vtraq; manu benedicimus quibus bene volumus. Vnde Gen. 22. Abrahæ dicitur. *Quia feciſti hanc rem filio vnigenito non pepercisti benedicam tibi.* Hoc eſt, toto affectu benedicam. Secundò. Oſtendit tali eleuatione, quòd propriâ virtute aſcenderit non cælum aëreum, ſed cælum æthereum, empyreum, & ſupra omnes cælos vbi licet

Eleuādo manuum in aſcēſione Chriſtꝰ qd innuebat

licet locus non detur, ei tamen qui in ſeipſo eſt, & ibi locus patet. Origenes eleuationem manuum conſiderando dicit: Quod eleuatis manibus benedixit; ſignificat, quod decet benedicentem ornatum eſſe varijs operibus & arduis reſpectu aliorum. ſic enim manus tolluntur in altum. Prou. 20. *Ex ſtudijs ſuis intelligitur puer, ſi munda & recta ſint opera eius.* Si puero ponitur ſicut lydius ſtudium eius & occupatio, profectò viro ſancto & in cuius manu clauditur benedictio alterius, ſtudia bona ſpectanda erunt, vt optimum finem eius benedictio ſortiatur. Benedictio enim nedum bona precatio, ſed & confortatio eſt. Benedictio, contra diabolum; confortatio contrà mundum & hominem. Pſal. 144. *Aperis manum tuam, & imples omne animal benedictione.*

Quibꝰ bene-dicunt mini-ſtri Dei benedi-xit Deus

Manus Dei ſunt miniſtri eius, quibus benedicentibus ſuam & Deus impartitur benedictionem: Dicit Horatius. Verſibus exponi Tragicis res comica non vult. Multò minùs Deus vult rem ſacram tractari à peccatore. Nam licet ſit res hæc gratiæ gratis datæ, & inde non operator ſed Deus eſt introſpiciendus, tamen gratior eſt pulchro è corpore veniens virtus, & conſequenter, ex pulchra anima. Hinc oratorem optimum exprimendo, datus ipſi eſt titulus. *Magna grauiter.* Ita Cicer: in Orat. præf. Is eſt eloquens, qui & humilia ſubtiliter, & magna grauiter, & mediocria temperate poteſt dicere. Etſi hæc requirũtur in oratore politico, certè in oratore Chriſtiano; cui cum Deo erit in danda benedictione ſermo, magna grauiter pronuncianda veniunt, & manus & cor ſurſum eleuanda in oratione ſunt. Num 17. in 4. *Creatura DEI ſanctificatur per verbum Dei & orationem.*

De cicatricibus Nota. Cicatrices ſunt decori optimo militi & victori, ſed graſſatori etiamſi Rex eſſet, ſunt dedecori. Plurima de cicatricibus Chriſti ſuperius notauimꝰ, ſed addere licet quod SS. Patres dixerunt. *Beda ſuper Lucam.* Non ex impotentia curãdi cicatrices ſeruauit, ſed vt in perpetuum victoriæ ſuæ circumferat triumphum. Aug: de Trinit. lib: 12 cap: 97. Fortaſſis in illo regno in corporibus Martyrum videbimus vulnerum cicatrices, quæ pro Chriſti nomine pertulerunt. Non enim deformitas in eis ſed dignitas erit, & quædam quamuis in corpore non corporis ſed virtutis pulchritudo fulgebit. Ita magis de corpore Chriſti ac cicatricibus eius exiſtimandum. Emittent radios juſtitiæ contra impios, & lac innocentiæ contra iniquos ſui judices. Poſuerat Petra Sancta ad Solem gramma: NON MVTVATA LVCE. Sol enim non habet ab alio lucem vt luna & ſtellæ, ſed à ſeipſo habet. Ita cicatrices Sanctorum ſplendorem dabunt mutuantes à gloria animæ quam corporibus earum Deus T. Op: Max: donauit, at cicatrices in

Chriſti corpore habebunt lucem nedũ à beata illius anima, ſed etiam ab ipſo verbo altiſſimi Deo. Vnde lucebit clarius ſole. Damaſc: lib: 4. cap: 19. Poſt reſurrectionem de Chriſto quædam dicuntur verè, quæ non habuit ſecundùm naturam, ſed habuit ſecundùm diſpenſationem ad certificandum quòd ipſum quod paſſum eſt corpus reſurrexit. Vt cicatrices quæ nunquam ab illo corpore ſunt remotæ. Sæpiùs ea quæ acquiruntur à magnatibus ſæculi multo labore & forti conſtantia, ſeruantur pretio magno & cuſtodiâ. Chriſtus verò redemptor mundi, quæ acquiſiuit multâ patientiâ & amore, cur aſſeruare ea non debuit in cœlis? Decuit ergò animam Chriſti in reſurrectione corpus cum cicatricibus reſumere, concluſit cum S: Doctoribus D: Thomas Aquinas. Alias rationes de cicatricibus Chriſti refert Angelicus Doctor 3. par. q. 54. art. 4. in corpore articuli. Val: Max: lib: 3. cap. 2. de vulneribus Catonis dixit: Ex fortiſſimis vulneribus tuis plùs gloriæ quàm ſanguinis manauit. Merentur hanc laudem viri fortiſſimi, nam plùs dignitatem quàm vitam dilexerunt. Altiora de vulneribus Chriſti tenet & prædicat Sancta Mater Eccleſia, cùm doctores plures rationes cicatricum ipſius reſeruatorum colligunt.

ANNOTATIO Secunda.

DOcebat in ſuperioribus B. Alb: Mag: quomodo Chriſtus cœlos aſcenderit, modò docet quòd eodem modo venturus ſit judicare mundum. Primò veniet tubâ inſonante. *In tuba Dei deſcendet de cælo, & mortui reſurgent.* 1. Theſ: 4. Tuba Dei vox eſt Archangeli Michaëlis Principis Eccleſiæ. Angeli verò ceu miniſtri colligent cineres & præparabunt ad reparationem humani corporis, & à Deo iterato vnientur corpori animæ, & beatis gloriam tribuet, damnatis juſtitiam reddet. Vnde in ictu & momento omnes reſurgent. Vide hîc potentiam obedientialem in cineribus, & virtutem potentiſſimam Dei in reunione propriæ animæ ad proprium corpus vt recipiat vnuſquiſq; prout geſſit in corpore, ſiue bonum, ſiue malum: reſurget enim vt idem recipiat in corpore, quod jam recepit in anima. Refert Val. Max. lib. 3. cap. 2. Quòd cùm Hãnibalis Præfectus Vibius in bello ad Capuam datis ſignis belli vexillum in vallum hoſtium projeciſſet, tota cohors ſubitò cum Præfecto prorupit vt eripere poſſit; quod cum duo alij Præfecti viderunt quòd in periculo eſſent, etiam ſimili impetu vallum ſuperârunt. Ea quaſi in ictu & momento in valle Capuana apparuerunt. Ita in valle Ioſaphat omnes ſimul & in ictu oculi apparebunt, ſed non omnes immutabũtur. Pſ: 4. *In cubilibus veſtris cõpungimini.* Tranſtulit Chaldæus: *Mementote mortis.* S. Cypr: ſerm. de mortalitate: Pauore mortis accenduntur tepidi, conſtringuntur remiſſi, excitantur ignaui. D.

Chriſtꝰ veniet ad iudiciũ in voce tubæ.

Cineres corporum mortuorum reunientur ipſis.

Meto mortis profic uus hominis.

ui. D: Auguſt: lib. 6. Confeſſ: c. 16. Nedum mortis meminiſſe non vult, ſed etiam iudicij Dei. Dicit enim: Tibi laus, tibi gloria fons miſericordiarum; aderat dextera tua ereptura me de cœno & ablutura, & ignorabam; nec me reuocabat à profundiore voluptatum carnalium gurgite, niſi metus mortis, & futuri iudicij tui; qui per varias quidem opiniones, nunquam tamen receſſit de pectore meo. Et diſputabam cum amicis meis, de finibus bonorum & malorum; Epicurum accepturum fuiſſe palmam in animo meo, niſi ego credidiſſem, poſt mortem reſtare animæ vitam, & tractus meritorum, quod Epicurus credere noluit. Hæc ille. Verùm vt effugias terribiliorem hanc tubam, quam erat aliquando Tamerlani, dum ille cum Papilione ſuo candido, lætia præcinebat; cum rubeo, tremenda; cum nigro, tyrannica: ponam remediũ. Grandia minutè. Ædificia enim grandia dum ruinam minantur, minutè reſoluenda ſunt. Ita tu; quæ grandia mundus exiſtimat, minuta teneas; & quæ grandia ſunt animæ, ad minutum obſerua; & quæ grandia ſunt Dei: minutiſſima etiam amplectere ex illis, nullum enim eſt tam minutum, quod non ſuperet quæq; grandia mundi. Ad Coloſſ. 4. *In ſapientia ambulate tempus redimentes.*

De exultatione electorum in reſumptione corporum, notauimus paulò ſuperiùs in annotatione prima, vide ibi.

De nubibus qui eum deportabũt ad iudicium. Nota. Cùm nubes illæ quæ ſuſceperat Dominum erat ex nubibus aëreis, & tantum manifeſtabat maieſtatem Chriſti; quomodo nubes illa erit, in qua ad iudiciũ Chriſtus veniet? Alia erit nubes, inquit B Alb. Magn. Deportabunt enim nubes, hoc eſt, Angelicæ virtutes. comitabuntur, qui illius maieſtatem manifeſtabunt. Angelis iubilantibus recedebat, Angelis quoque comitantibus adueniet. 4. Regum 2. Aſcendit Helias per turbinẽ in cælum: deſcendet verò Chriſtus in terram ad iudicium per turbinẽ. contremiſcent enim elementa ad aduentum eius, quia omnia annihilabuntur. Iſid: l. 1. de ſum. c: 30. Pro diuerſitate conſcientiarum & mitis apparebit in iudicio Chriſtus electis & terribilis reprobis: nam qualem quiſque conſcientiam tulerit, talem & iudicem habebit; vt manente in ſua tranquillitate Chriſto, illis ſolis terribilis appareat, quos conſcientia in malis accuſat. Areopagitæ iudicia exercebant in tenebris, ne accuſantem vel accuſatum videant; ſed ſolam veritatem inueſtigarent. Chriſtus in nubibus veniet, & omnibus erit manifeſtus; nubes enim hæc erunt Angeli circumdantes ipſum, & animæ beatæ, quæ reunientur fæliciter corporibus ſuis. vnde non erunt nubes occultantes Iudicem, at ſuam gloriã magis manifeſtantes & indicantes. Palmæ & Cipreſſo arboribus ex quibus conflabant fortes monu-

monumenta ſua, addebant dictum. *ERIT ALTERA MERCES.* Ita in iudicio beatis erit altera merces, dum in corporibus præmia æterna recipient: Damnatis verò erit altera pœna. Quod ipſis deerat, ipſis oberat. Deerat fides virtus & ſanctitas, id quoq; oberat. Abſalonem rebellantem Patri non ſolum Ioab tribus tranfixit ſagittis, ſed & armigeri decem percutiebant ipſum vſquè ad mortem, & poſt mortem in vallem profundam deiectus lapidibus obrutus in magnam altitudinem fuit. Ioab verò qui fecerat ſibi inter ſepulchra titulum, (eò quod ſine liberis eſſet,) Hic titulus mihi erit in monumentum, populus illũ vocauit, manus Abſalonis. Ita fiet in Iudicio, accipient mali infinitas pœnas, & Iudex Chriſtus manum iuſtitiæ apponet eis in ſempiternum. Aug. de Ciuit: Dei lib. 20. cap. 1. In illo finali iudicio ſimul & homines & Angeli iudicabuntur, fiet enim virtute diuinâ, vt cuiq; opera ſua vel bona vel mala cuncta in memoriam reuocentur, & mentis intuitu mirâ celeritate cernantur, vt accuſet vel excuſet ſcientia conſcientiam.

De benedictione ad dexteram conſtitutis. Nota. Viſo filio Ioſeph Iacob, quâ benedictione non recipiebat illum? Viſis filijs ſuis adoptiuis & redemptis Chriſtus Ieſus, quis concipere poterit, quâ benedictione illos in die illa recipiet? ſi benedictio hîc in mundo data à Domino homini, munit & tutat contra omne malum, multiplicat quoq; ſpirituale & verum bonum, atq; conciliat nobis Deum, qualis erit illa obſecro benedictio Chriſti, quâ dulciter benedicet electos reſuſcitatos dicendo: *Venite benedicti,* quos Pater meus ego & Spiritus S. benedictionibus fouimus, Venite benedicti, qui varijs modis digni facti eſtis vt benedictionibus replemini; venite benedicti, ad nouam benedictionem Patris mei, quâ incorrupti æterni Angelis aſſimilati, ordinibus cæli numerati in perpetuum eritis. *Orig.* Benedicti additur, vt eminentia benedictionis eorum manifeſtetur. *Rabanus.* Quibus pro bonis meritis, æterna debetur benedictio. Poſſidere & in hæreditatem ſumere regnum iubentur. Quis aliquando ſeruo contulit regnum? En Chriſtus etiam hoſtibus donauit illud. Acquiſierat ab Eſau Iacob leui pretio primogenituram & hæreditatem conſequenter. En Chriſtus nullo precio dat regnum æternum. Venite, & ſi venietis, eritis benedicti; & ſupra hæc filij Patris mei fortunatiſſimi, poſſidebitis regnum quod vobis paratum eſt. Verificabitur igitur illud, quod Deut. 33. dicitur: Benedictio illius qui apparuit in rubo veniat ſuper caput Ioſephi, & ſuper verticem Nazaræi inter fratres ſuos. Hoc eſt abundantiſſima benedictio Dei, quâ maior iam fieri nequit, deſcendat in Nazaræi poſteritatem, in Nazareth quip-

quippè natus erat Chriſtus Addidit quidam ad recedentem noctem, oriente aurorâ: *CEDIT VMBRA SOLI.* Profectò omnes benedictiones datæ à quocunq; ſub hoc hemiſpherio lunari, cedunt benedictioni illi, quæ in patria æterna dabitur à Chriſto & Sanctiſſima Trinitate beatis, ſicut cedit vmbra ſoli. Orig. Hom. 80. in Matth. Sancti qui dextera opera operati ſunt, acceperunt pro mercede ſuorum dexterorum, dextram regis, in qua requies & gloria eſt.

Maledicet reprobis.

De maledictione his quos ad ſiniſtram ponet. Nota. Inquit Ariſt: in lib. poſteriorum. Geometra non ſupponit falsa: veriſſima enim & rationi plurimum conſonantia fieri debent, quæ ille ſupponit. Nam ſi ſuppoſita ex Geometria ſunt ſummè vera, ſicut vulnus rotundum difficilè ſanatur, ſupponit chirurgus, etiam alia quæ ille ſupponit erunt veriſſima. Incomparabiliter verius eſt, quod Chriſtus dixit. Dicet his quos ad ſiniſtram in iudicio ponet: *Diſcedite maledicti.* Origenes notat. Cur non addit, Patris mei? Et reſpõdet. Nam benedictionis miniſtrator eſt Pater, maledictionis verò vnuſquiſque eſt ſibi auctor, nam maledictioni digna eſt operatus. Vndè qui recedunt à IESV, decidunt in ignem æternum. Sicut enim coniunxerunt ſe diabolo, ita angelis diaboli coæquabuntur. Iucundum erat malis peſſima agere, & totis viribus in id ſatagebant, diſuadentibus reſpondebant. Efficiam aut Deficiam. Petentibus dicebant: *Peccaui & quid mihi accidit triſte.* Eccl. 5. Abutebãtur patiẽtiâ Dei, & Deus repulit ipſos. Orig. Mali propter opera ſua peſſima & ſiniſtra, ceciderunt in ſiniſtrã, id eſt, in triſtitiam tormentorum. Iſidor⁹ lib: 1. de ſumm: c. 31. Duplex damnatorum pœna eſt in gehenna, quorum & mentem vrit triſtitia, & corpus flamma; vt qui mente tractauerunt quod perficerent corpore, ſimul & animo puniantur & corpore. Quocircà omnibus Chriſtianis virtus ſummoperè in hac vita colenda eſt, & vitia reſecanda, ne quando ad ſiniſtram venientes, dexteram amittant Dei. Gratulabatur Scipioni Africano, Val: Max: lib. 6. c. 8. Quòd virtutibus multis præditus eſſet. Dicit enim: Scipio Africanus ſuperior, quem Dij immortales naſci voluerant, vt eſſet, in quo virtus ſe ſuper omnes numeros omnibus efficaciter oſtenderet. Politica fortè virtus erat in hoc homine laudata, at ego Chriſtianam gratulor omnibus; ſi enim in virtute Chriſtiana indies proficerent, audirent ſine dubio: *Venite benedicti Patris mei poſſidete regnum, quod vobis paratum eſt.*

De cicatricibus Nota. D: Th. v-tramq; hanc rationem inſinuatam à B: Alb: Mag: declarauit in corpore articuli 4. q. 54. Sua morte redemptis quàm miſericorditer ſint adiuti, propoſitis ejuſdem mortis indicijs, inſinuabit: & in judicio quam juſtè

juſtè damnentur impij, denunciabit. Aug: lib: 2. de Symb: cap. 8. Sicut demonſtrauit Thomæ non credenti vulnera, ita etiam inimicis ſuis demonſtrabit; vt conuincens eos veritas dicat. Ecce hominem quem crucifixiſtis, videtis vulnera quæ inflixiſtis, agnoſcite latus quod pupugiſtis, quoniam per vos & propter vos apertum eſt, nec tamen intrare voluiſtis. Profectò impij tunc erunt in ſummo dolore & confuſione, nec conuicti aliud cogitare poſſunt, niſi illud: Iuſto judicio condemnati ſumus. Chryſoſt: dum conſiderat quod Thomas non credidit tot diſcipulis de reſurectione dicentibus, ſed videre & palpare voluit, inquit: Conſidera Dominatoris clementiam, qualiter pro vna anima oſtendit ſeipſum vulnera habentem, & accedit vt ſaluet vnum. Ex quo loco intelligite quod juſtè judicati, non tamen & ibi ſine miſericordia judicati erunt. Ad ventum in ignem flantem addidit quidam lemma: *FLAMMAS ALIT.* Profectò juſtitia & miſericordia Dei in tali judicio alent flammas: juſtitia vt ardeant damnati, miſericordia vt non ita ardeant vt merentur. Iſidorus lib. 1. cap. 31. In camino trium puerorum ignis non arſit ad trium puerorum ſupplicium, ſed arſit ad comburenda ligamina vinculorum; ita ignis gehennæ & lucebit miſeris ad augmentum pœnarum vt videant vndè doleant, & non lucebit ad conſolationem, ne videant vnde gaudeant. Eodem modo & cicatrices Chriſti videbunt boni & mali; ſed illi ad conſolationem, iſti ad ſuam majorem confuſionem.

DOMINICA POST ASCENSIONEM.

Cùm venerit paracletus, ille teſtimonium perhibebit de me. *Ioan: 15.*

TESTIMONIVM DABIT, QVOD SEPTIFORME PRÆMIVM VICTORIBVS DABIT.

PRædicens fidelibus quod propter ipſum ex Synagogis eſſent eijciendi & forent varijs cruciatib⁹ interficiendi, promittit eis ſe daturum Spiritum S. conſolatorem, & qui teſtimonium perhibeat, quod militibus ſuis qui certauerint, præmium ſit glorioſum Chriſtus daturus. De quibus præmijs Apoc: 2. & 3. Et ante numeranda præmittit. *Qui habet aures audiendi audiat, quid Spiritus dicat Eccleſijs.*

 1. Qui

Gulam vincenti præmium.

1. Qui vicerit gulam, dicit Filius Dei Apoc: 2. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo DEI mei.* Quid eſt gula? Eſt illecebroſus & auidus, cauſa ſolius corporis ciborum appetitus. Qui vicerit, ſatiabitur diuinâ dulcedine, quæ eſt in Paradiſo Dei Patris.

Inuidiam.

2. Qui vicerit inuidiam, non lædetur à morte ſecunda. Inuidia, eſt dolor ex aliena fælicitate naſcens, animam torquens. Moritur ergò primo anima per inuidiam, qui ergò vicerit eam, non lædetur à morte ſecunda, id eſt, euadet mortem æternam, & vitam inueniet ſempiternam.

Iram

3. Qui vicerit iram, *dabo ei manna abſconditum & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum ſcriptum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit.* Apoc: 2. Ira eſt feruor animi concitati vlciſcendi libidine feruens; quæ aufert homini dulcedinem mentis, & obſcurat rationem eius, & aſſcribit eum perpetuæ damnationi. Qui vicerit eam, dabitur ei in regno Dei delicata & mortalibus inexperta dulcedo mentis, quæ per manna abſconditum figuratur, dabitur etiam ei claritas diuinæ cognitionis, & vocabitur hæres Dei, quæ duo per calculum candidum & nomen nouum exprimuntur.

Acediam.

4. Qui vicerit Acediam, & cuſtodierit vſq; in finem opera mea, *dabo illi poteſtatem ſuper gentes, & reget eas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur, ſicut & ego accepi à Patre meo, & dabo illi ſtellam matutinam.* Apoc: 2. Acedia, eſt torpor animi, quo quis aut negligit bona inchoare, aut inchoata faſtidit perficere. Qui igitur vicerit & ad finem cuſtodierit opera Dei, dabitur ei magna poteſtas ſuper gentes, hoc eſt, ſuper dæmonia & malos, homines qui eum in Dei ſeruitio & in bonis operibus impediuerunt, & virgis ferreis percutiet eos, & percuſſi tanquam vas figuli contererentur. Dabit etiam eis Dominus ſtellam matutinam, hoc eſt corporis & animæ dotes quia libenter ad matutinas ſurrexit, & ad alias horas audiendas canonicas aduenit: tanquam ſtella matutina lucebit in regno Dei.

Luxuriam

5. Qui luxuriam vicerit, *Veſtietur veſtimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ, & confitebor nomen eius coram patre meo & coram Angelis eius.* Apoc: 3. Luxuria eſt ex immundis deſcendens deſiderijs, lubrica & effrenata mentis proſtitutio. Qui vicerit, veſtietur à Filio Dei candidis veſtimentis, & laudabit eum Filius Dei coram patre ſuo, & coram Angelis.

Auaritiam,

6. Qui vicerit auaritiam, *faciam eum columnam in templo DEI mei, & foras non egredietur amplius, & ſcribam ſuper eum nomen DEI mei, & nomen ciuitatis nouæ Ieruſalem DEI mei quæ deſcendet de cælo à DEO meo, & nomen meum nouum.* Auaritia, eſt gloriæ ſiue quarumlibet rerum inſatiabilis & inhoneſta cupido. Hæc hominem facit vagum mente & corpore inſtabilem, qui eam vicerit, quaſi columna perpulchra

chra ſtatuetur in templo Dei mei & foras amplius non egredietur, id eſt, extrà regnum Dei nihil inuenietur, quod concupiſcat; ſed ſemper delectabit eum manere in præſentia ſummi boni, & nomen Dei Patris, & nomen nouum Ieruſalem, & nomen Filij ſcribetur ſuper eum: id eſt, appellabitur & erit Filius Dei, & conciuis Sanctorum, & Frater Ieſu Chriſti.

7. Qui vicerit ſuperbiam, dabo ei ſedere mecum in throno meo, ſicut & ego vici & ſedi cum Patre meo in throno eius. Superbia eſt vitioſa mentis elatio, quæ ſuperiorem deſpiciens, inferioribus & paribus ſatagit dominari. Qui eam vicerit, exaltabitur ſuper thronum Filij Dei, & ſuperbis detruſis ad inferos, ipſe ſedebit in gloria, in latere Ieſu Chriſti. Et ideo ſepties dicitur in Apoc: *Qui habet aures &c.* Quia teſtatur Spiritus Sanctus, quod Chriſtus dabit victoribus ſeptiformè prœmium.

ANNOTATIONES.

PRo Gula. Nota. Bern. ſuper Cant: Serm:85. Saporem boni perdidimus in Eua. Hinc plurima mala per guſtum & gulam in hominem cadunt. Iob: 20. *Panis eius in vtero vertetur in fel aſpidum intrinſecus.* Hæc intoxicauit primos parentes in Paradiſo, hæc juſſit Iſraël pro manna poſtulate carnes in eorum perditionem, hæc induxit Eſau ad primogenita vendenda. Quocirca dedit Dominus monitorium Deut: 6. *Cùm comederis & ſaturatus fueris, caue diligenter, Ne obliuiſcaris Domini Dei tui.* Iſidor: lib: 2. cap. 42. Vtile eſt cauere gulam ciborumq; concupiſcentiam. Quid enim tam noxium, quàm vt animus ſeruiat ventri & eſcæ, quæ ſunt deſtruenda. teſte Apoſt: 1. Cor: 6. *Deus autem & hunc & hanc deſtruet.* Ad dies autumni, rectè quidam adſcripſit. *FINIVNT RENOVANTQVE LABORES.* Colligendo fructus, finiuntur labores, ſed ſeminando poſtmodum, renouantur labores. Ita gula finit labores eſuriei & ſitis, ſed poſtmodum augendo infirmitates in corpore, & lædendo animam, renouant ſummos labores & dolores. Optimè Iſidor: Cui abundantia eſt epularum ardentis diuitis intendat ſuppliciũ, cuius tanta erat in inferno inopia, quanta hîc epularum fuerat copia. In hoc enim ſæculo eſurire & ſitire noluit, propterea illic inter flammas ſitiens, ſtillam aquæ quæſiuit, nec meruit. De Julio Cæſare, cùm contrà hoſtes bellum inchoâſſet, dixit M. Cato refert Suetonius. Ad euertendam Remp. ſobrium acceſſiſſê. Innuebat, ſobrietatem victores, gulam facere victos. Vndè mirabor Epaminondam, refert Stob: ſerm: 1. de Prudentia. Venerant ad eum legati cum ampliſſimis muneribus vt virum corrumperent, ille ad prandium juſſit eos venire vt ibidem cauſam dicerent aduentus ſui, Appoſita menſa vilis, bibebant vinum acidum, & demùm legatis reſpondit: Abite & Domino veſtro narra-

narrate, non facilè ſuis muneribus ad proditionem alliciet. Eſt igitur gula mater vitiorum, abſtinentia verò virtutum: Phocylides rectè dicebat:

Moderate cibum potumq; ſumas ac loquaris.
Modus omnium optimus. Exceſſus autem vitandus eſt.

Inuidia mala. Pro inuidia. Nota. A Cain occiditur Abel. Quid cauſæ? an quia prodigum conſpexit, quòd occiderit pinguem & non macrum Domino? Non. An quia ipſe voluit fieri hæres bonorum? Non. Sed occidit ex inuidia, quia vidit quod oblatio ſua nō erat accepta Deo, Abelis verò erat. Vnde 1 Ioan: 3. Propter quid Cain occidit Abel? Quia opera eius erant maligna, fratris autem eius justa. Cùm in conſpectu Friderici regis eſſet inter Phyſicos quæſtio, quid præcipuè conferret oculorum perſpicacitati, & alij fœniculi afflatum dicerent, alij vitri vſum, alij aliud. Actius Syncerus inquit. Ego inuidiam aio. Obſtupuerunt hoc dicto adeò medici vt ab auditoribus deriſui haberentur. Tacitè arguebat illam inter eos quæſtionem ex inuidia proceſſiſſe. Dabat tamen ille rationes. An non inuidia majora & planiora omnia videre facit? Quid autem oculis magis præſentaneum, quàm vt vis ipſa aſpiciendi major reddatur atq; vegetior, & protulit Ouidium:

Fertilior ſeges eſt alienis ſemper in agris
Vicinumq; pecus grandius vber habet.

Tantum malum inuidia eſt, vt per ipſam omne malum in mundo regnare cœpiſſet: per inuidiam diaboli eiecti parentes è paradiſo; per eandem mors oppreſſit omnem hominem. Sap. 2. Inuidia diaboli intrauit mors in orbem terrarum. Quocirca monebat ſapiens Prou: 23 Ne comedas cum homine inuido, & ne conſideres cibos eius, quoniam in ſimilitudinem arioli æſtimat, comede & bibe, dicet tibi, & mens eius non eſt tecum. Salix ad comedendum capræ dulcis eſt, ſed pecoribus amara. Inuidus eſt vt capra, ſordibus olet & inficit. Salice viuit. Alius alium per inuidiam occidit. Sap: 14. Pecora ſunt homines boni & ſimplices, ſi cum inuido guſtauerint, experientur amara. Iſidor: lib 3. de ſum: cap. 25. Multi & bonos imitari nolunt & de bonorum profectibus inuidiæ liuore tabeſcunt. Quo fit vt nec illi corrigantur à malo ſuo ſed per inuidentiam deteriorentur, vt bonos à recto propoſito quantùm in ipſis eſt, ſi potuerint deprauare conentur. Vnde in Epiſt: Iudæ. Væ illis qui in viam Cain abierunt.

Pro ira. Nota. Docebat S. Patriarcha filios, Gen. 45. *Ne iraſcamini in via.* Si ira inter comites itineris eſt nociua tollit enim iter iucundum, aufert alternum adiutorium, precatur omne noxium, quantò magis ira in itinere ad vitam cæleſtem nociua erit? Hinc admonet Eccl. 28. *Memorare timoris Domini & non iraſcaris proximo.* Ira etenim ſeparat nos

rat nos à cælo, charitas verò coniungit Deo; Ira ſæuam & perturbatam parit conſcientiam charitas & dilectio iucundã & amænã conſtruũt viam in patriam veram. Optimè iratum hominem delineabimus, ſi ſub pedibus illius radios ſolis ponemus & ille pedibus lucem calcat. Nil enim eſt quod non audeat iratus. Nec Deus, nec iuſtitia, nec pœna, nec honor amouet iratum. Omnia calcat & lucem. Dicitur Iob. 41. *De naribus eius procedit fumus ollæ ſuccenſæ.* Olla feruens ad ignem, quicquid habet producit ad os, veniunt feces quæ in ſe retinebat, venit cum fecibus & pinguedo omnia bona & mala commiſcit iratus, eijcit occulta & falſa, ſibi ſuiſq; etiam nocet. Greg. lib. 6. moral. deſcribit iracundum. Iræ tuæ ſtimulis cor accenſum palpitat, corpus tremit, lingua ſe impedit, facies igneſcit, exaſperantur oculi & nequaquam recognoſcuntur noti; ore quidem clamorem format, ſed intùs quid loquatur ignorat. In quo itaq; iſte ab arreptitijs differt qui actionis ſuæ conſcius non eſt? Audi igitur Apoſtolum ad Colloſ. 3. *Deponite iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam.* Turpem ſermonem de ore veſtro. Quaſi diceret, hæc omnia nedum retardant viam ad æternam patriam, ſed etiam præcludunt aditum ad ipſam, Nam pax & charitas cum proximo iter monſtrant & aperiunt cælum, quæ ſi defuerint ira Dei accelerat. Exod. 15. *Miſiſti iram tuam quæ deuorauit eos ſicut ſtipulam, & in ſpiritu furoris tui congregatæ ſunt aquæ.* Et nil iſtius quàm eo punire quo quis peccat. Irâ in Deum & populum peccauit Pharao, ira quoq; Dei conſumptus eſt. Iſidorus lib. 2. cap. 19. Quædã de irâ Dei veniunt peccata, quæ pro merito aliorum compenſantur peccatorum. Vnde Propheta: *Ecce tu iratus es, & nos peccauimus, in ipſis fuimus ſemper.* Iſaiæ 4. Quaſi diceret. Quia ſemper in peccatis fuimus, iratus es, vt deterius peccaremus.

Acedia mala

Pro Acedia. Nota. Sicut acetũ dentibus & fumus oculis, ſic piger his qui miſerunt eum in via. Hoc eſt, tam pigre, tepide, hæſitanter, iniucunde infructuoſe officium cõmiſſum, & iter ad quod miſſus eſt peraget. Nõ enim expectat ille præmiũ & gratiarum actionem, ſed pænã & contumeliam. Eccl. 12. *De ſtercore boum lapidabitur piger, & omnis qui tetigerit eum manum excutiet.* Quod ſi deſidioſum hæc manent in via ſeruitutis, quantum malum veniet ſuper eum qui eſt acediâ obrutus in via ſalutis, & peregrinatione ad beatitudinem æternam? Omnis piger ſemper in egeſtate erit. Prou. 21. *Ignis aſperſus flammeſcit, piger verò licet modis diuerſis admoneatur incitetur, ſtimuletur; non facilè tamen accenditur.* Prou. 29. *Sicut oſtium vertitur in cardine ita piger in lectulo ſuo.* Quocircà ſumma reſiſtentia requiritur vt acedia vincatur, nam vt inquit Caſſianus lib. 10. de inſtit. Monachorum; experimento probatũ

batum eſt acediæ impugnationem non declinando fugiendam, ſed reſiſtendo ſuperandam eſſe. Nam licèt peccatum mortale ſemper eſt fugiendum, at impugnatio peccati quandoquè eſt vincenda fugiendo, quandoq; reſiſtẽdo. Fugiendo quidem, dicit D. Thom: 22. q. 35. art. 1. ad 4. quando continua cogitatio auget peccati incentiuum, ſicut de luxuria dicitur 1. Cor. 6. Fugite fornicationem. Reſiſtendo autem, quando cogitatio perſeuerans tollit incentiuum peccati quod ex leui prouenit apprehenſione. Et hoc contingit in acedia, quia quantò magis cogitamus de bonis ſpiritualibus, tanto magis nobis placentia redduntur, ex quo ceſſat acedia. Et profectò maximè reſiſtendum acediæ, tum quia illa ſolita vim magis experta & in æremo morantibus hoſtis eſt infeſtior & frequentior, tum quia ſex filias habet acedia vt Diuus Greg: 31. Moral: enumerat. Et ſunt, malitia, rancor, puſillanimitas, deſperatio, torpor circa præcepta, euagatio mentis circa illicita. Hinc Ierem: 41. *Maledictus qui opus Dei facit negligenter.* Igitur ſicut ij qui in itinere ſunt cum via quædam lubrica & periculoſa occurrit, ſeſe ad illam ſuperandam præparant, cautè & cum attentione incedunt; ita magis in via ſalutis vſurpanda eſt diligentia, attentio, vigilia, oratio & perſeuerantia Pſal. 24. *Oculi mei ſemper ad Dominum.*

De luxuria. Nota. Terribilis hoſtis animæ luxuria eſt. Non enim ſola venit, ſed multiplici comitatu vallata fideles inuadit. Bernar: ſuper Cant: Luxuriæ currus quadriga voluitur vitiorum. Ingluuio ventris, libidine coitûs, mollitie veſtium, otij ſoporiſq; reſolutione. Trahitur equis duobus, proſperitate vitæ & rerum abundantiâ, Domini qui præſident, ignauia, torpor & infida ſecuritas. Vide igitur hoſtis tam acerrimi prœlium. Luxuria omnem ætatem corrumpit, omnem ſenſum confundit, omnem ordinem ſoluit, omnem gradum peruertit, inuadit iuuenes, occupat ſenes, inuoluit mares, & fœminas ſuperat, prudentes & ſimplices non fugit, ſericum non timet, cilicium non curat, laſciuiat in plumis, infeſtat in paleis, nulli vnquam præſtat requiem. Val: Max: lib: 9. cap. 1. contemplando Annibalem fortiſſimum quomodo deuictus fuerit ita refert. Luxuria inuictum armis Annibalem illecebris ſuis complexa, vincendum Romano militi tribuit, illa vigillantiſſimum Ducem, illa exercitum acerrimum dapibus largis, abundanti vino, vnguentorum fragrantiâ, ad ſomnum & delicias euocauit; ac demùm fracta & contuſa punica ſeueritas eſt. Quid ergò his vitijs fœdius? quid damnoſius? quibus virtus atteritur, victoriæ langueſcunt, ſopita gloria in infamiam conuertitur, animi & corporis vires expugnantur, vt neſcias ab hoſtibus ne an ab illis capi perniciosius habendum

dum ſit. At ſupra omnia ſit prodigus ille exemplo, qui conſumptis omnibus, porcos pauit & cum illis ſaturari deſiderauit ſiliquis. Vide in quod malum luxuria deducit. Ælianus de Animal: lib: 7. cap. 4. dicit: Vultures cadaueribus paſcuntur, at odor vnguentorum affert illis mortem. Luxurioſum verò cadauere fœtido & turpi tactu laſciuientem, adhuc quidem accendunt vnguenta ad luxuriam, ſed detrudunt eo ad interiora inferni. Obſcænitate gaudent impuri, odore caſtimoniæ offenduntur, & omnis honeſtatis amiſſo ſenſu degenerant in belluas. *Hieron: in 4. Cap. Oſeæ.* Fornicatio & voluptas peruertit ſenſum animamq; debilitat, de rationabili homine brutum efficit animal, vt balneas, lupanaria, & libidinum caſtra ſectetur. *Bern:* Nulli dat requiem, niſi per orationem & abſtinentiam fuerit fugata omni occaſione ſubtracta. Iſa: 31. *Equi eorum carо.* Frena igitur adhibenda, pedes ligandi, flagella minanda, ſaturitas minuenda, labor inducendus equis erit. Illis qui ſunt in captiuitate. Turcica vel Scythica, quibus nec requies nec mora permittitur, ſed continuò ad labores baculis & bulcis incitantur; rectè apponitur illorum catenis: *Nec requies, nec mora.* Profectò qui luxuria irretiti manet, nullam ibi moram habet cogitatio, nullam requiem memoria, ſed omni ſenſu & affectu moram & requiem in carne ponunt. Matth: 8. dicebant per energumenos diaboli: *Si nos hinc eÿcis, mitte nos in porcos.* Tanta laborant gaſtrimargia ſeu ventris inſania luxurioſi, vt illorum cogitatio ſit ad porcos continua. 2. Pet: 2. *Canis reuerſus ad vomitum, & ſus lota in volutabro luti.*

Pro Auaritia. Nota. Auaro nil ſceleſtius, dicit Eccl: 10. Nedum enim conturbat domum ſuam qui ſectatur auaritiam, vt Prou: 15. Sed etiam aduerſatur ita ſaluti æternæ, quòd excludere hominem faciat à Regno cælorum. *Auari regnum DEI non poſſidebunt* 1. Cor: 6. Deduxit auaritiæ malum Val: Max: lib: 9. cap. 4. Auaritia latentium indagatrix lucrorum, manifeſtæ prædæ auidiſſima vorago nec habendi fructu fœlix, & cupiditate quærendi miſerrima. Et ſubdit in exemplo L. Septimuleium, cuius auaritia ita præcordia poſſederat, qui C. Gracchi familiaris ſui caput abſcindere ſuſtinuit, quia Opimius Conſul auro illud ſe repenſurum edixerat. Sunt qui tradunt liquato plumbo eum cauati partem capitis quo ponderoſius eſſet, expleſſe. Bellum igitur auaritiæ ſedulò indicendum, & quoad victor non fueris, continuandum ſuaſit B. Alb: Mag: Hinc Aug: Inſatiabilis auaritia, patri non parcit nec matrem agnoſcit; fratri non obtemperat nec amico fidem ſeruat, inuadit bona viduæ & rapit rem pupilli, teſtimonium falſum profert, occupat res mortui; quaſi non eſſet ipſe moriens, deterior feris quæ parcunt

Auaritia mala.

prædæ quando fuerint ſaturatæ. Ex quo colligere licet quàm grauis ſit peccatorum mortalium auaritia; ſuperat enim cætera peccata ſua grauitate. Guilhelmus Pariſienſis dicit: In peccato mortali quodammodo omnes turpitudines omnium mundi peccatorum inueniri. Eſt mortale peccatũ ſpiritualisq́ proditio, deficit enim homo per illud à proprio ſuo Rege & Imperatore, traditq; claues fidelitatis promiſſæ (hoc eſt animam ſuam) hoſti, eiuſq; fiduciarius cliens conſtituitur. Eſt & Apoſtata ſpiritualis, recedit enim homo per peccatum à Deo, & tranſit ad inimicum eius diabolum. Eſt & ſpirituale adulterium, anima enim Deo deſponſata per peccatum datam creatori fidem violat; & cùm creaturis fornicatur, quas inordinato amore diligit. Eſt ſpirituale furtum, cùm enim tot nominibus homo Deo debeatur, cùm ſubſtraxit ſe diuino cultui & ſeruit creaturis; quod Dei erat furatur, & dat alteri. Quod ſi in communi tantum malum dicitur eſſe peccatũ mortale, quantum malum erit ſi ſingillatim conſiderabitur, præcipuè ſi auaritiâ penſabitur? Vnde faciat auarus quod docuerat Zachæus: *Domine ſi aliquem defrandaui, reddo quadruplum.* Faciat vt viuat ſicut decet Chriſtianum. Ad Epheſ: 5. *Auaritia nec nominetur in vobis, ſicut decet Sanctos.* Puta, ita conuerſamini, ſic viuite. Occaſiones fugæ, tentationibus in initio reſiſte, quotidie conſcientiam examina; quantùm potes venialia vitare, carnem durius tracta, linguam cuſtodi, cor inordinatis rebus non illaqueare, præſentiam Dei ſemper ob oculos habe. Iſidorus lib: 2. cap. 41. Inopes naſcimur in hâc vita, inopes receſſuri ſumus de hac vita. Si bona mundi huius peritura credimus, cur peritura tanto amore cupimus? Succindatur radix criminum, non pullulabunt cæteræ ſoboles peccatorum.

De ſuperbia Nota. Bellum contra ſuperbos ſtatuit; non Holofernes, nec Veſpaſianus, nec aliquis Romanorum Græcorumq; potens: ſed ipſe Deus. *DEVS ſuperbis reſiſtit* Iac: 4. Quem igitur rectè rationis virum non admonebit, vt ipſe contra ſuperbiam arma aſſumeret? Sed veſania hominum cæcos etiam contegit oculos, ne hoc præſentiat. Audi quid referat de Alexandro Rege Val: Max: lib: 9. cap. 5. Faſtidio Philippi, Iouem Hammonem Patrem aſciuit, tædio morum & cultus Macedonici, veſtem & inſtituta Perſica aſſumpſit. Spreto mortali habitu, diuinum caput æmulatus eſt, nec fuit illi pudori filium ciuem hominem diſſimulare. Inde Iſidor: lib 2. cap. 38. Superbia ſicut origo eſt omnium criminum, ita ruina cunctarum virtutum; ipſa eſt enim in peccato prima, ipſa in conflictu vltima. Hæc enim aut in exordio mentem proſternit, aut nouiſſimè de virtutibus deijcit. Vnde & omnium peccatorum eſt maxima, quia tam per virtutes quàm per

vitia

vitia humanam naturam extermi-nat. Qui ergò vicerit ſuperbiam, merito illi prœmium determinatur magnum, ſed quomodo vincenda? Philoſtr: refert: Indi aureum modium ſimilem illi quo frumentum metiuntur demergunt in mare; hoc ſe aquis modum ponere exiſtimant, ne terras inuadant. Sed relinquo ſtulcam ingenij molem. Modium aureum ad debellandam ſuperbiam ponit Iſidorus lib: 3. cap. 37. Superbiam diaboli imitantur ſuperbi, aduerſus quam opponitur humilitas Chriſti, quâ humiliantur elati. Qui enim ſe humiliauit vſq; ad mortem turpiſſimam crucis, & cùm eſſet Deus factus eſt homo, illi humiliantibus ſe propter ipſum donat pluri-mam gratiam. *Humillibus dat gratiam.* Quam gratiam? omniformem in terris, pleniſſimam in cœlis. Vnde addit Iſidorus ibidem: Sicut princeps ſeptem vitiorum ſuperbia, nos eorum poteſtatibus ſubdit; ita Chriſtus ſeptiformi gratia plenus, à Dominatu vitiorum nos eruit: & quos illa addicit ſeptemplici vitio, iſte liberat ſeptiformis gratiæ dono. Quocirca Greg: 7. Moral. Omnis ſuperbia eo ipſo in imo jacet, quo in alto ſe erigit, & inde magis ſuppoſita cunctis appetit ſupereſſe. De rebus duris qualia ſunt ſilex & oſſa, referunt pro lemmate: *IN MOLLI FRANGITVR.* Profectò durus ſuperbi animus, qui nec rationi cedit, nec juſtitiæ reſpectum habet, frangitur facilè in molli paſſione Chriſti & humilitate; nam tot percuſſus flagellis, pugnis, catenis, palmis, virgis, lanceis, factus eſt mollis omnibus recurrentibus ad ipſum: Venite omnes qui laborati & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Matth: 11. Ergò cum Pharaone loquere: *Peccaui coram Domino DEO; verumtamen rogate, vt mihi indulgeat.* Exod: 10.

IN DIE SANCTO PENTECOSTES.

Paracletus Spiritus Sanctus docebit vos omnia & ſuggeret. *Ioan. 14.*

QVOMODO SPIRITVS PARACLETVS DOCERE ET SVGGERERE INTELLIGATVR?

Docere ſuggerere quid.

REſp. Docet per internam inſpirationem; & ſuggerit, per æterni præmij promiſſionem. De 1. Ioann. 3. *Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis, ſed neſcis vndè veniat, aut quò vadat.* De 2. ad Rom. 8. *Qui ſunt ſecundùm ſpiritum, quæ ſunt ſpiritûs ſentiunt.* Ipſe ſpiritus teſtimonium

reddit ſpiritui noſtro, quod ſimus, ideſt erimus, filij Dei; ſi autem filij & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. Docet igitur Spiritusſanctus ea, quæ prius dixerat Ieſus. Docet, inquam, ea intrinſecus inſpirando, & non ſolùm docet, imò & ſuggerit æterna præmia promittendo. Omnibus enim qui doctrinam ſuam opere fuerint proſecuti, ſempiterna gaudia pollicetur. Vnde & ſic legitur Act. 2. *Spiritus ſanctus in linguis igneis venit in Apoſtolos.* 1. In linguis ideò venit, vt fideles per eum doceantur: ipſe quippè eſt magiſtrorum optimus. 2. In igne propter hoc venit, ut per eum docti ad ſpem ſupernorum moneantur. Ignis etenim (vt dicit Dionyſius) eſt ſurſum ferens, acutè meãns, & excelſus.

Dominus monet nos per Spiritũ S. ad tria

Et Nota, quod Dominus monet ad tria: Primum eſt, vt per arctam viam viriliter incedamus. Secundum eſt, vt per anguſtam portam intrare contendamus. Tertium vt domum noſtram ſuper firmam petram conſtruamus. Et hæc tria docet nos Spiritus ſanctus adimplere; & nihilominùs his, qui ea executi fuerint, præmium pollicetur. 1. Docet nos igitur Dominus, vt per arctam viam viriliter incedamus. vnde Matth: 7. *Lata & ſpatioſa via quæ ducit ad perditionem; & multi ſunt qui intrant per eam, & arcta eſt via quæ ducit ad vitam, & pauci inueniunt eam.* Nota quòd Dominus facit hîc mentionem de duplici via, quarum vna eſt via cæli, altera via inferni: Viam cœli demonſtrat Spiritus ſanctus, vnde & ipſe dexter digittus appellatur Dei. Ipſe enim eſt index, indicat & demonſtrat nobis viam ſalutis. Hæc autem via arcta eſt.

Ambu- lantes in ar- cta via sunt … quinq-

Qui enim ambulant in ea. 1. debent immundis & blaſphemis cogitationibus repugnare. 2. Debent os & linguam non ſolùm à malo, ſed etiam ab otioſo verbo refrenare. 3. Debent, inquam, contra incentiua carnis quotidie litigare. 4 Debent omnia mala mundi æquanimiter tol-
lerare. 5. Debent contrà omnem 1.
delectationis faciem trepidare.

De 1. Sap. 1: *Spiritus diſciplinæ effugiet fictum; & auferet ſe à cogitationibus, quæ*
ſunt ſine intellectu, in cogitationibus enim im- 2.
pij interrogatio erit.

De 2. Dominus in Matth: 12. Dico vobis, *quòd de omni verbo otioſo, quod locuti fuerint homines, reddent rationem Deo in die iudicij.* Gloſſa: De omni verbo otioſo quod ſine vtilitate loquentis dicitur aut audientis, vt de friuolis & fabulis: ſcurrilia non ſunt otioſa, ſed criminoſa. Iacob: 3. *Lingua conſtituitur in membris noſtris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis noſtræ inflammatæ à gehenna. Omnis enim natura beſtiarum, volucrum & ſerpentũ, & cæterarum domatur. & domata ſunt à natura humana: linguam autem nullus hominũ domare poteſt. Eſt enim inquietum malum, & plenum veneno morttfero.* Nota, quod rota natiuitatis noſtræ eſt humana natura, quam mala lingua in gehenna, id eſt à diabolo; qui gehennæ inha-

inhabitator eſt inflammata, inflammat, id eſt, inquinat; & hanc nullus hominum domare poteſt, niſi viue-
3. ret, à Spiritu ſancto.

De 3. dicit Apoſtolus ad Rom: 6. *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcentiis.* Item ad Rom: 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Infælix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius, gratia Dei per IESVM Chriſtum Dominum noſtrum.* Gloſſa: Fomes peccati, qui eſt ex carne, & repugnat menti, rectè dicitur lex; quia legitime factum eſt, ut qui non obediunt ſuo ſuperiori: eis non ſeruiat ſuum in-
4. ferius, id eſt, caro.

De 4. dicit Iacob 1. *Omne gaudium exiſtimate, fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis.* Gloſſa: Ne indignemini, ſi mali in mundo florent, ſi vos patimini, quia non eſt Chriſtianæ dignitatis in temporalibus exaltari, ſed potiùs deprimi. Mali nihil habent in cælo, vos nihil in mundo: ſed illius boni, ad quod tenditis, quicquid in via contingit, gaudere de-
5. betis.

De 5. dicitur: Arcta via cæli, qui in ea ambulant, ad omnem delectationis faciem debent formidare. Timere etiam debent, ne vel in edendo, vel bibendo, vel dormiendo vel opus coniugale exercendo, vel quodcunque opus aliud agendo, plùs in eo, quàm debeant, delectentur. vnde Iob. 9. *Verebar omnia opera mea, ſciens quòd non parceres delinquenti.*

Via ad cælum

Et Nota. Quod licèt via, quæ ducit ad cælum ſit arcta, eſt tamen directa. Vnde Iſa. 35. *Erit vobis hæc via directa, ita vt ſtulti non errent per illam.* Verè directa eſt, quia eſt ſignata quadriformiter. Primò, lapidum comportatione. *Tulerunt lapides Iudæi, vt iacerent in Ieſum.* Secundò per plectam: impoſuerunt enim IESV plectentes ſpineam coronam. Tertiò, per fixuras clauorum: foderunt enim manus & pedes IESV. Quartò, per crucem; in cruce quippè Dominus ſuſpenſus fuit.

licet ſit arcta eſt tamen directa quia ſignata eſt quadriformiter.

Item Nota, quòd arcta via ducit hominem ad cælum. 1. Vbi erit innumerabilium amicorum dulcis ſocietas. 2. Vbi diuinæ erit voluptatis plena ſacietas. 3. Vbi erit ſummi boni vera proprietas. 4. Vbi erit incolumitas, ac vitæ fælix æternitas. De primo dicit Auguſt: In illa perfecta charitate innumerabilium beatorũ Angelorum & hominum, vbi nullus minus diligit alium, quàm ſeipſum; non aliter gaudebit quiſque pro ſingulis, quàm pro ſeipſo. De ſecundo dicitur in Pſal: 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* De tertio ſuper locum iſtum. Luc: 15. *Fili tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt.* Dicit Gloſſa, in æterna beatitudine & omnium ſingula, & ſingulorum ſunt omnia: noſtra erunt ſuperiora ad videndum, noſtra erunt æqualia ad coniungendum, noſtra erunt inferiora ad dominandum. De quarto dicit Dominus Ioan: 6. *Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi; ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.*

Modo

Via ducens ad interitū eſt lata & ſpatioſa

Modò videndum eſt, quòd via, quæ ducit ad interitum, lata à Domino eſſe dicitur & ſpatioſa; qui enim in ea ambulant, in immundis cogitationibus delectantur, in turpibus locutionibus jucundantur, carnis titillationibus collætantur, dura tolerare pro Domino fugiunt & aſpernantur; omnia commoda & delectationis facies amplexantur. Nota etiam, quod ſpatioſâ viâ ducit ad infernum hominem.

In via hac interitu quatuor dura ſunt.

1. Vbi nullus omnino amicus inuenietur. 2. Vbi egeſtas grauiſſima ſuſtinetur. 3. Vbi interminabilis amaritudo bibetur. 4. Vbi miſer homo morte perpetuâ morietur. De primo dicitur Eccl: 41. *De Patre impio conqueruntur Filij, quoniam propter illum ſunt in opprobrio*, ibi nec Pater diliget filium, nec è conuerſo. Ibi nec amaſius amabit amaſiam, nec è conuerſo; ſed quilibet alterum, ſi poſſit laceraret libenter, & voraret. De ſecundo dicitur Lucæ 16. Quod ille diues epulo in inferno petijt guttam aquæ frigidæ, & non accepit De tertio dicit Iſac: 24. *Conticuit dulcedo Cytharæ, cum cantico non bibent vinum.* Amara erit potio bibentibus eam. Ierem: 14. *Ecce ego cibabo eos abſynthio, & potabo eos felle.* De quarto dicit Auguſt. Ibi non erunt ante mortem, vel poſt mortem, ſed ſemper in morte. Rogate ergò Dominum vt ſic ſecundùm doctrinam Sancti Spiritus per arctam vitam incedamus, vt Deum noſtrum cum omni exultatione in Patria videamus.

ANNOTATIO.

De Spiritu Sancto.

CVm in die Pentecoſtes Spiritus S. impleuit, non fuit inchoatio muneris. inquit S. Leo Serm: 2. de Pent: ſed adjectio largitatis. Omnes enim Patriarchæ, Prophetæ, Sacerdotes & Sancti, qui prioribus fuêre temporibus; eiuſdem ſunt S. Spiritûs ſanctificatione vegetati, & ſine hâc gratia nulla vnquam inſtituta Sacramenta, nulla celebrata myſteria, vt eadem fuerit ſemper virtus chariſmatum, quamuis non eadem fuerat menſura donorum. Ipſi quoq; Apoſtoli ante paſſionem Domini S. Spiritu non carebant, nec potentia huius Spiritus aberat ab operibus Saluatoris. Ipſe Chriſtus in eo immundis ſpiritibus imperabat, quod Iudæorum negando impietas, talia beneficia diuina, diabolo deputabat. Et meritò excipiebant ſententiam Matth: 12. *Omne peccatum & blaſphæmia remittetur hominibus, Spiritus autem blaſphemiæ non remittetur, nec in hoc ſæculo nec in futuro.* Philippus II. Hiſpan: Rex ad circulum ex quo Pagaſus euolabat celerius addiderat lemma: *TOTVS NON ſufficit orbis.* Plus ille vocis quàm rei, in hoc exprimebat. At rectè Spiritui S. addicimus, quod donorum ipſius & gratiæ totus non ſufficit orbis, nam ante tempora ab æterno præordinauit dona ſua, & poſt tempora eiſdem in effectu perfruentur in æternum beati in cœlis. Væ illis, qui ſegregant ſemetipſos, animales, ſpiri-

Spiritum non habentes, vt inquit Iudas Apoſtolus: *Auguſtinus.* Charitatem Spiritus non habent, qui ab Eccleſiæ Catholicæ communione præciſi ſunt. Fulgent. lib. 1. cap. 12. Solius Catholicæ veritatis & communionis ſacrificium Deus libenter accipit, qui charitatem per Spiritũ S. diffuſam in ea cuſtodit. Vnde conceptus Iſaac, Iacob, Ioſeph, Samſon, Samuël, nati ex ſenibus matre etiam ſterili.] Quid ſignificant? Filios gratiæ, qui non virtute carnis, ſed ſingulari dono gratiæ naſcuntur. Eſt igitur Spiritus S. datus ante Chriſtum, & in die Pentecoſtes; ſed modo diuerſo.

ANNOTATIONES.

Pro Sermone.

Ille, quem miſit Pater in nomine Chriſti Ieſu ſeu in nomine illo, de quo Act: 4. *Non eſt aliud nomen ſub cælo datum hominibus in quo oporteat nos ſaluos fieri.* Tripliciter nominatur, Paracletus, Spiritus, & Sanctus; Paracletus, latinè, aduocatus & conſolator. Aduocat pro nobis, vt Lucæ 21. dicitur: *Dabo vobis os, & ſapientiam cui non poterunt reſiſtere omnes aduerſarij veſtri.* Conſolatur nos, in omni tribulatione noſtra. vt 2. Cor. 1. Equidem non officium viro quærendum, ſed vir officio, docebat Alexander ſeuerus Imperator, dum non vltro ambientes, ſed inuitos & reluctantes publicis officijs, præficere ſolebat. Dicebat enim: Ementes & ãbigentes munus, vendere iuſtitiam & leuiter tractare ſolêre. At Dominus Ieſus aduocatus noſter apud Patrem, non ideò Spiritum Sanctũ aduocatum conſtituit, quaſi deſierit eſſe aduocatus noſter aliquo reſpectu; ſed quia à nobis corporaliter recedebat: volebat aduocatum nobis conſtituere, qui maneret nobiſcum in æternum. Vt ille ſit noſter aduocatus in cælis, iſte verò ſit in terris. Lego Ducem Palianum ad quoddam ſymbolum ſubſcripſiſſe: SORTEM NE DESPICE FATI. Me hercule! non fatum ſed gloria Chriſtianitatis eſt quod talem aduocatum acceperimus, qui ſemper adeſt & præeſt in Eccleſia, & Synodis œcumenicis, qui vnam & eandem fidei regulam orthodoxis perpetuò tradit, & cuſtodit vt Eccleſia ſit columna & firmamentum veritatis. Hoc aduocato adiutus erat D. Petrus, cùm lex & religio Iudaica Ieroſolymis contra Euangelium, impium edictum ſtatuerat; agebat cũ Synagogæ Principibus audacter, & eò magis in nomine Ieſu Chriſti omnia faciebant & docebant. Quocircà Iſidor. de ſumm: lib. 1. cap. 17. Spiritus Sancti pignus accepit Eccleſia; vt per eum in vno corpore vnum fierent credentes, per quẽ Pater & filius vnum eſſentialiter ſunt, ipſo Saluatore ad Patrem dicente: *Vt ſint vnum ſicut & nos vnum ſumus.* Optimum aduocatum vt ſe præberet Iouinianus Pontanus, Ferdinando Neapolitanorum Regi, quem inuitum conſtituebat, dicebat: Aduocatum

Spiritus S. & Chriſtus aduocati.

Fatum non deſpice.

Spiritus S. præeſt Eccleſ:

Iurat S. Petrum.

Pignus Eccleſ. Spiritus S.

Aduocatus bonus.

catum mihi adducam. Quo audito Rex, quæſiuit, quem? Ait ille: Paupertatem ô Rex. Innuebat, quod contrà calumniæ ictus, paupertas ſit ſcutum optimum. Illis etenim qui ex ſententia data lautiùs viuunt, nō ſine ſuſpicione ſunt; at qui in paupertate viuere, nec dona, munuſcula, atque honoraria accipere cogitant, nullam ſuſpicionem timent, illæſam conſcientiam repræſentant. Dicet: Plùs Deo & veritati, quàm Regi vel regno ſeruiendum. Rectè Seneca de moribus: Id agas, ne quis meritò te oderit, & ſi nullos inimicos tibi facies iniuria, multos facit inuidia: Greg. hom. 30. in Euang. Aduocatus dicitur pro errore delinquentium, apud iuſtitiam Patris interuenit, dum eos exorantes facit. Paracletus conſolatorem quoque ſignificat. Vnde Iſid. de ſummo bono lib. 1. c. 17. Spiritus ſanctus pro eo quòd conſolator ſit, paracletus nuncupatur. Nam latinè paraclêſis conſolatio dicitur. Et reuerà dum dona Sacramentorum diſtribuit, cō ſolationem animæ præbet. Credo equidem quòd magnam lætitiam ſentit, qui aliquid reuelante ſpiritu didicit, dicit. Hæc ille. Inquit cōmentator in 2. de anima: Omne animal habens os, habet aliquē guſtum. Ita dicam, omnis Catholicus verus, Spiritum ſanctum profitendo Deum verum eſſe, cognoſcit ipſum conſolatorem ſuum. Iulius Cæſar Cappaccio in ſuis Impreſſis libro 2. liberam à tyranno regionem vt exprimere poſſit, noctuam depinxit cum ſcripto: *NEC TANTVM ATHENAS.* puta, liberauit ſuo omine à terrore. Magis accommodate de Spiritu ſancto conſolatore id dicendū, quia non ſolùm iuſtos, ſed peccatores; non ſolùm innocentes, ſed condemnatos liberat à periculo omni: verumetiam hoſtes ſubiecit pedib9. Vide B. Raymundum Ordinis Prædicatorum, qui cùm non proficit monendo in peccatis Principem, cō ſolatus in tribulatione à Spiritu ſancto, miſit ſe in mare ſuper veſtem religioſam geniculatus, at 600. milliaria in paucis omnibus miraculo, cōfecit horis. Ita & B. Lucia confortata à ſpiritu dicebat: Si me Paſchaſi templum probaſti Spiritûs ſancti, & habitare in corde meo, crede; ſi non probâſti, diſce magis. Conſolator fuit pincernæ in carcere Ioſeph, maior in Ægypto dum regit. Sed cedunt omnia conſolatori noſtro Spiritui ſancto; ille etenim eſt, qui etiā Ieſum Chriſtum conſolatorem noſtrum miſit ad nos. Ita enim Iſid. vt ſuprà: Chriſtus non tantùm à Patre, ſed etiam à Spiritu ſancto ſe miſſum teſtatur, dicens per Prophetam: Accedite ad me & audite. A principio in abſcondito locutus ſum vobis, ex tempore antequam fieret ibi eram, & nunc Dominus miſit me & ſpiritus eius. Inſuper Spiritus ſanctus talis eſt conſolator, quod nunquam cōtriſtet. Nam principes mundi ſi ſunt conſolatores aliquorum, illos tamē leui occaſione contemnunt. Vnde Ferdi-

Paupertas aduocatus bonus.

Inimici ex duobus

Paracletus conſolator.

Animal quod habet guſtum

Ferdinandus Medices cuidam ſcribebat: Facile eſt cuiuis Principi in ſuo imperio quemcunque etiam bonum & innocentem, non accuſare ſolùm ſed etiam condemnare. Manna data filijs Iſrael poſita ad Solem euaneſcebat & nil remanebat, dicit Magiſter Hiſtor: poſita verò ad ignẽ omnes continebat ſapores. Ita ad Solem mundi; conſolatio hominum, euaneſcit & perit, poſita ad ignem Spiritûs ſancti, omnes ſapores continebit. Conſolatur nos in omni tribulatione noſtra. Epiſcopus Magdeburgenſis Comes à Bichlingen pertractus ad Epiſcopalem dignitatem fuit; contrà eum Dux Saxoniæ bellum parauerat, ille verò ceu neſciret, bono Eccleſiæ & orationi incumbebat: cùm verò in procinctu eſſet Dux, nunciatum eſt Epiſcopo. Et ille: Benè eſt; ego curabo meas Eccleſias, Deus autem pro me pugnabit. Hæc verba delata à ſpeculatore ad Ducem, & Dux dimiſit militem dicens: Longè inferior ſum, quàm cùm contrà eum pugnem, qui ſocium pugnæ Deum habet. At cõſolator dicitur, inquit Greg. Hom. 30. quia merentibus de peccato ſpẽ veniæ præparat & à triſtitia mentem leuat.

Aliud nomen eſt tertiæ in diuinis perſonæ Spiritus. Dicitur ergò Spiritus, non vt quieſcat vt Atlas, cùm Hercules ſubijcit humeros ad deportandum orbem. ſeu non vt Pater & filius in diuinis iam non ſint ſpiritus, cùm perſona tertia dicitur eſſe Spiritus; ſed quia ſpirat, viuificat, illuminat, occultus eſt, & à carne & ſãguine non percipitur. De 1. Ioan. 3 *Spiritus vbi vult ſpirat.* ſpirat autem ad gratiæ informationem. Ioel: 2. *Erit in nouiſſimis diebus, effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri & filiæ.* Vbi Iſid: lib: 1. cap. 17. Cunctis gentibus gratia Spiritûs S. tradita eſt, neque in paucis, vt in populo Iſrael, ſed in omni credentium multitudine Spiritus s. gratia manet. Locum illum Gen. cap. 2. *Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ.* explicârunt Hebræi in plurali: Spiraculum vitarum. Vbi Caietanus: Anima rationalis licèt ſit vna ſecundùm ſubſtantiam, potentia tamen & ipſo effectu triplex eſt, nam præſtat homini vitam vegetatiuam, ſenſitiuam & intellectiuam. Vitalis in corde, animalis in capite, naturalis in iecore. Alij dicunt Moyſen his verbis indicâſſe duplicem viuendi modum animæ, vnum vt eſt in corpore, ipſum informans, animans, viuificans, ad operandum mouens; alterum prout ipſa à corpore ſeiuncta per ſe ſubſiſtit, & ſine corporis adminiculo actiones ſuas perficit. Alij inſinuâſſe hominis duplicem vitam, vnam corporalem & naturalẽ, alteram ſpiritualem & ſupernaturalem; illam præſtat anima naturali vi & poteſtate ſua, hanc non niſi ſingulari gratiâ & auxilio Dei inſtructa & adiuta. Optimè igitur dictum quòd Spiritus ſanctus ſpirat ad gratiæ informationem. Dicitur in 7. Phyſic.

Spiritus S. cunctis datus.

Spiraculum vitæ.

Animæ triplex effectus.

Animæ modus viuendi duplex.

Hominis vita duplex.

Perfe-ctū attigit propriā virtu-tem.

Vnumquodque tunc maximè perfe-ctum eſt,. cùm attingit propriam vir tutem Spiritus ſanctus cùm voce-tur Spiritus, ideò recte dicitur quòd ſpirat.

Spiri-tus vi-uificat

De 2. quod Spiritus ſanctus viui-ficet. Ioan: 6. *Spiritus eſt qui viuificat.* Ezech: 37. *Ingreſſus eſt in oſſa ſpiritus vitæ, & vixerunt.* Fortiùs, Spiritus ſanctus viuificat, nam procedendo à Patre & filio, vitalem tribuit intellectum; Etſi verba Chriſti quæ locutus eſt ſpi-ritus & vita ſunt, etiam & illius vita, & ſpiritus erunt. Vnde 1. Corin. 13. *Litera occidit, ſpiritus viuificat.* Apoc. 22. Vidit Beatus Ioannes oſtenſum ſi-bi fluuium aquæ viuæ ſplendidum, vt cryſtallum Omnes expoſitores fluuium hunc exponunt Spiritum Sanctum, qui ſuo ſplendore viam pandit æternæ vitæ, quæ priùs erat i-gnota. Quocircà S. Leo in ſerm. de die Pentec: dicit: Ab hac igitur die tuba Euangelicæ prædicationis in-tonuit, ab hac die imbres chariſma-tum, flumina benedictionum, om-ne deſertum & vniuerſam aridam ri-gauerunt. Quid his verbis ſignifi-care voluit, niſi quod viuificatio conueniat ipſi ſpiritui Sancto, qui etiam propter hoc ſpiritus nuncu-patur? Hinc Eccleſia Catholica ſpiritum viuificantem in ſacrificio Miſſæ decantat, & denominat per-ſonam in diuinis vltimam. Geneſis cap. 8. dicitur. *Adduxit Dominus ſpi-ritum & imminutæ ſunt aquæ.* Quærunt SS. Patres, quis ſit ille ſpiritus, qui adductus fuit à Domino ad ſiccan-das diluuij aquas? Et cùm alij ſo-lem interpretantur quia, ille vita-lem rebus vim inſpirat & infundit. Ambroſius & alij ventum calidum. Theodoretus Moyſen ſpiritum di-uinum innuiſſe affirmant. Ait ergò Theodor. Non ſolent aquæ ventis imminui, ſed potiùs fluctuare & tur-bari. Iam enim hoc pacto ampliſ-ſimi maris ſinus eſſent exhauſti; Spiritu verò diuino omnia ſane fi-unt & agitata quieſcunt. Ambroſ: verò libro de Noë in Arca cap. 16. dicit: Spiritûs diuini virtute in-uiſibili, diluuium illud repreſſum eſ-ſe dubium non eſt, cæleſtiq; ope-ratione non flatu. Vnde Pſal. 31. *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu o-ris eius omnis virtus eorum.* Et Pſal. 103. *Emitte ſpiritum tuum & creabuntur, & re-nouabis faciem terræ.* Ex quo loco col-ligitur apertè, quòd Spiritus diui-nus ſit viuificator. Et licèt ventus acceſſerit quoq; ad ſiccandũ, non ta-mẽ hoc habuit ex propria vi, ſed ex omnipotẽtia Dei, ſupra vim & pote-ſtatem naturæ illius venti, accepit exſiccatiuam tantam diluuij Iſid. libro 1. cap. 17. Spiritus Domini fecit me, & ſpiraculum omnipoten-tis viuificauit me.

Fluui-us aquæ viuæ Spiri-tus S.

Spiri-tus ex ſicca-uit a-quas di-luuii.

Spiri- diuinus illumi- nat.

De 3. quod Spiritus S. illumi-net. Iob 32. Vt video ſpiritus eſt in hominibus, & inſpiratio altiſſi-mi dat intelligentiam. eſt igitur il-luminator intellectus humani. Iſi-dorus vt ſupra, Spiritus diuinus a-lijs largitur ſermonem ſapientiæ, alijs ſcientiæ, alijs fidem, ipſe etiam ineffabilia docet quæ proferre hu-

manus

manus ſermo non poteſt. Quocircà in igneis linguis apparuit ſuper Apoſtolos; vt doceret non combuſtionem, ſed illuminationem muneris ſui eſſe. Dicebat Pſalmiſta Pſal: 26. *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea quem timebo.* Quis eſt iſte Dominus? Omnes quidem perſonæ diuinæ Domini ſunt, quandoquidem omnium Perſonarum eſt operatio ad extra, vt Theologi dicunt, attamen ſingulariter Spiritus diuinus nuncupatur Dominus; eò, quia Chriſtus Saluator mundi illum gentibus, & Eccleſiæ aduocatum conſiliatorem, Doctorem & fortitudinem dereliquit. Quocircà D. Iſid. l. 1. cap. 17. dicit: Donum ſancti Spiritûs, in membris Eccleſiæ ſigillatim diuiditur, & ſingulis ſingula dona tribuuntur. Et inde Spiritus Diuinus rectè illuminator dicitur. Fertur de Vrbano V. Pontifice Maximo, quod importuno Legato dixerit: Malum habetis caput; Cui Legatus, Fateor: inquit ſi melius haberemus caput, melius aliquanto nobiſcum ageretur. Video reſpondentis prudentem aſtutiam, qui quod in eum dictum fuerat, in alium retorſit. Sed capio ex vrtica dulcedinem melis, ceu apis. Caput illuminationis, & origo lucis Eccleſiæ, Sanctorum & Chriſtianitatis eſt Spiritus Sanctus paracletus relictus à Chriſto in columnam veritatis. Ad Argum centum oculis lumina fundentem, addiderat quidam pro lemmate: FRVSTRA VIGILAT Attendebat profectò aliquem fuiſſe oculatiorem Argo, quem Poëtæ fingebant, qui in veritate lunam & ſolem oculos mundi, nedum penetrabat lumine; at ipſis quoque, & his qui ſub illis erant, viuebantq; intrà elementa, illuminationem conferebat. Dicebat Sen: de morib. Magnarum rerum etiam ſi ſucceſſus nõ fuerit, honeſtas tamen eſt ipſe conatus. me hercule! plurimi Philoſophi, Prædicatores, Theologi, atq; Eccleſiaſticj lumina ſpargere hominibus conati ſunt, & ſparſerunt, & non immeritò lumina Eccleſiæ dicti fuerũt: at illorum illuminatio erat à primo illuminatore Iesv Chriſto & Spiritu ſancto. Quocircà Leo Papa ſer. de Spiritu ſancto: O quàm velox eſt ſermo ſapientiæ, vbi Dominus Magiſter eſt. citò dicitur quod docetur, non eſt adhibenda interpretatio ad audiendum, non conſuetudo ad vſum, non tempus ad ſtudium, ſed ſpiritus veritatis vbi voluerit.

Magnarum rerũ conatus.

Illuminatio ab illuminatore.

Doctrina cæleſtibus

De 4. quod Spiritus S. occultus ſit. Nota. Ioan: 3. *Neſcis vnde veniat aut quò vadat.* Et Eccleſiaſtici 11. *Neſcis quæ ſit via ſpiritus.* Proprium eſt cuiuſcunque Spiritûs inuiſibilem ſe præbere; natura enim illorum eſt non eſſe corporeos, quocircà vt Angeli videantur, & appareant hominibus, formant ſibi corpora ex aëre. At ſicut bonus Angelus non aſſumit corpus, vt aliquem decipiat; ita & Spiritus diuinus non ideò occultus ſit vt detrimentum afferat, ſed vt bonum licèt inſperatus etiam indignis conferat. Et quò magis longe eſt ali-

Via ſpiritus.

Angeli corpora aſſũmitur.

quis à receptione Spiritus diuini, eò propius ille intentat & occultus accedit. Vnde Iſidor: lib: 1. cap. 17. inquit lib: de ſummo bono. Aliquando non dignis, & reprobis dona Spiritus Sancti conferuntur ſicut & Balaan Prophetia data fuerat, & multi in fine dicturi ſunt. *Domine virtutes in nomine tuo fecimus.* quibus dicturus eſt Dominus. *Neſcio vos vndè eſtis.* Perditio enim erit ex homine reprobante inſtinctum Spiritus diuini aſſiſtentis & monentis. Hæc via eſt, ambulate in ea; ſalus autem ſemper à Deo. Liceat inferre occultas inſidias, quæ & infamiam inter homines, & maledictum à Deo, generarunt. Fecerant quondam inducias Galli cum Anglis; ſed Angli corrupto præſidio, arcem quandam in ſuam poteſtatem redegerunt. Conqueſti ſunt Galli Anglorum Regi; Angli pecuniam pro arce dediſſe, quo induciæ non franguntur, reſponderunt: *Occultatio in fraude.* At Spiritus Diuinus dicitur occultus, quia citò & properè accelerando non facit ſciſure hominem vndè veniat. Quis exiſtimaret Spiritum Diuinum acceleràſſe ad Latrones in Cruce? Et ecce vnus factus eſt Diuinus & exclamauit: *Memento mei dum veneris in regnum tuum.* Alter verò factus eſt reprobus ex dictis proprijs. Sancti Anachoretæ ſub vili ſuo habitu ſanctitatem & prudentiam colligebant, quibus rectè ſubſcribendum erit. *Mitem animum agreſti ſub tegmine ſeruo.* In quem ſenſum etiam ſcribebat Cicero. Sæpè ſub ſordido palliolo latet Sapiētia. Miſer autem Latro deſpectus, nudus & percuſſus immitē & ſuperbum in pectore gerebat animum, & meritò qui alta cum ſocio tenere noluit, in profundū inferni detruſus, gemit. Hinc de occultato Spiritu Sancto dicebat S. Iſidorus, vt ſupra; In abſcondito locutus ſum vobis, accedite ad me & audite. Fælix qui potuit viſere fontem boni lucidum. Fælix qui potuit grauis terræ ſoluere vincula. Heu, quàm miſeros tramite deuio abducit ignorantia. Dicit Boetius.

Spirit. S. aliquādo indignis dātur.

Saluſ à DEO.

Induciæ fraudu-li.

In latrone Spiritus S.

Mitis animus ſub tegui agri.

De 5. Quod Spiritus Diuinus à carne & ſanguine non percipitur. Nota. Ezech: 18. *Anima quæ peccauerit ipſa morietur.* Quare morietur? Quia Spiritum viuificantem, illuminantem non poteſt percipere. Cur non poteſt? Reſpondet Sapiens Sap. 1. quia *in maleuolam animam non introibit Spiritus Sapientiæ.* Tum quia amor eſt, vnde redamantem deſiderat, tum quia ſibi obicem poſuit ipſe, in peccatis delectando. E paradiſo terreſtri primi parentes cum quanto rumore eiecti ſunt, nouimus. Quæſiuit Deus. *Adam vbi es?* Sciebat Deus vbi ſit, at quia poſt peccatum in duritiam animi ne confiteatur & doleat peccatum iuit miſericordiarum Pater, quærit pulſando Cor. Vbi ſit. Sed incautus negationem conſtruxit & ejectionem de paradiſo, ſibi ordinauit. Quocirca inſtruebat B. Nilus. Tum maximè odio maliti-

malitiam habebis, cùm fulgurantem dæmoniorum ſuper nos gladium eſſe conſiderabis. Caue igitur datum decretum à Deo Gen: 8. *Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro eſt.* Nunquam malum impunitum fuit, nec decet niſi vt punitum ſit. Ludouicus vndecimus Franciæ Rex deuictis rebellibus & pacato regno. Quibus cum Magiſter equitum quē illi Comeſtabilem vocant re & conſilio fuit, id tamen licet clanculum ageret Rex certò reſciuit. Cùm ſe vellet purgare, reſpondit Rex Nuncio. Nil opus fuiſſe, ſatis enim ſuperque ſibi tam de Comeſtabilis ergâ ſe animo quàm meritis & officijs conſtare. Et hoc quidem pro certo ac ſine vlla fictione tibi affirmo, me ad res meas conſtabiliendas, tali capite vehementer opus habere; vt à ceruicibus ſcilicet auulſum eſſet: intelligebat Rex & ſecretò tenebat. In triumpho ſeruum curru portare eodem ignominia eſt, ita Domino & Principi naſcitur malum, ſi ſeruum principalem aſpirantem in dignitatem Principis, habebit. Multò deformius eſſet, ſi Spiritus Diuinus à carne & ſanguine perciperetur. Vndè ad Gal: 5. *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ inuidiæ, homicidia, ebrietas, cōmeſſationes, & his ſimilia, quæ prædico vobis ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.* Igitur ſpiritu facta carnis mortificanda, ut viuamus.

Tertium nomen perſonæ in diuinis tertiæ eſt; Sanctus. Nota. Iſa. 6. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus.* Ter dicitur ſanctus, quia tripliciter eſt ſanctus, Spiritus diuinus. inquit S. Alb: Mag. ſuper 14. Ioan. *Sanct9 dicitur ter ob ſanctitatem triplicem inſinuandã.*

1. dicitur Sanctus, quia mund9 & liber ab omni inquinamento. Nā ſi reluctatur ſanguini & carni, iam mundus & liber ab eis erit. S. Dionyſius de Diuinis nominibus cap. 12. Sanctitas eſt, ab omni inquinatione libera & perfecta munditia. Talem innuebat ſanctitatem in Sent: Tropol: B: Nilus Martyr & Epiſcop. *Sanctitas quid.* Ad virtutem via bona & compendioſa, vitæ ſæcularis eſt fuga. In vita enim ſæculari inquinatio & immunditia non cauetur; in fuga verò talis vitæ, virtus & ſanctificatio radicatur. In ſanctitate huiuſmodi perſeuerantem ſororem Ord: s. Dominici nomine Mariam Razzi ſub titulo pœnitentiæ viuentem; quæ moriendo, Chriſtum Ieſum, Beatiſſimam Virginem Mariam, & ſanctum Hyacinthum vidit vt Antonij Calendarium ex Ryberan: & Saragoca, 12. Iunij habet. mors ipſa declarauit: cùm enim corpuſculum illius ad ſepulturam delatum in Eccleſia ad diuiniſſimum ſacramentum præſentatum fuiſſet, apparuerunt à capite eius radij ſolares vſque ad altare protracti; quocircà cogitantibus de Requiem, ſuppeditauit vox Angelica, vt pro Requiem. *Gaudeamus in Domino*, decantarent. *Soror S. Dominici Ord. radios post mortē emittit.*

2. Dici-

Sanct9 obſfirmitate Cõfeſſ.

2. Dicitur Sanctus, quia fortis & firmus eſt, neq à contrario vincitur. Et talis Sanctitas in Martyribus præcelſa conſpicitur. Quis nos ſeparabit à Chriſto? Dicebat D. Paulus. Et reſpondet tacitè: Nullus. Dicitur 1. Petr: 2. *Genus electum & regale ſacerdotium.* In quem locum D.

Chriſtianus malus.

Auguſt: de Symb: ad Catech: Deprehenderis & detegeris Chriſtiane, quando aliud agis aliud profiteris; fidelis in nomine, & alius in opere: non tenens profeſſionis tuæ fidem; modò orare in Eccleſiam ingrederis, poſtmodum cum hiſtrionibus impudice clamas. Innuit his verbis D. Aug: Quòd fortes, firmi, ſtabiles & perſeuerātes fieri debem9, ſi Sancti & mori pro Chriſto deſideramus. Quocircà D. Bern: Epiſt. 9.

Perſeuerantia eſt ſanctitatis ſignum.

Abſq; perſeuerantia in pugna, nec victoriam nec palmam victor conſequitur. Sola eſt cui æternitas redditur; vel potiùs, quæ æternitati hominem reddit. dicente Domino Matth: 10. *Qui perſeuerauerit vſq; in finem hic ſaluus erit.* Nam firmitas & talis fortitudo illum Sanctum effecit.

Operatio ad veſperam.

Pſal: 103. *Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam vſq; ad veſperam.* Hoc eſt, ad vltimum vitæ diem in operando firmus erit. 1. Reg: 4. Ionathas contra Philiſthæos certauit vſq; ad

Melle guſtato viſum recepit

veſperam, in tanto labore & ſudore, quòd quaſi defecerant oculi eius; ſed inuento & guſtato melle, viſum recepit. Spiritus Sanctus eſt dulcedinem afferens operanti; nam nedum in virtutibus dulciter proficere fecit, ſed Sanctum efficiendo dulcedinem patriæ operantibus confert. Vngitur in baptiſmo Chriſtianus, vis rationem? Docet eam D. Aug: lib: Sent: 341. Sent. Ideò omnis Chriſtianus vngitur vt ſanctificetur, quo intelligat ſe non ſolùm ſacerdotalis & regiæ dignitatis eſſe conſortem, ſed etiam contra diabolum fieri luctatorem. Proſcribe igitur ignauiam & tepiditatem, renuntia leuitati & inſtabilitati, & ad firmitatem Chriſtianam Spiritum nempè diuinum recurre; atq; vt te fortem & victorem conſtituat, inuoca.

3. Dicitur Sanctus, quia diuinis intentus. Vnde Philoſophi: Sanctitas eſt virtus ſcire faciens quæ ad Deum juſta ſunt. Hanc Spiritus diuinus ſanctitatem docuit. Dicitur enim. Luc: 12. *Spiritus S. docebit vos omnia quæcunq; dixero vobis.* Non ita mirabor Chriſti Magiſtri diſcipulos veros, qui ſequi non aliud contendunt quàm diuina ipſa: ſed miror Platonem qui diſcipulis ſuis certè diſciplinā Chriſtianam in ſua Rep. ſeu de Iuſto Dial. 7. talem reliquit: Omni ſtudio danda eſt opera vt quiſq; noſtrum omiſſis cæteris diſciplinis hanc quærat aſſequaturque pro viribus diſciplinam, per quam & poſſit & ſciat vitam bonam à mala diſcernere, & quoad fieri poteſt ex omnibus eligere meliorem. Videmus enim & viuenti & mortuo electionem hanc optimam eſſe. Sed ad diuina intentum Ioannem II. Luſitaniæ Regem cognomento Maximum,

mum adducam. De illo refert Vaſconcellus: Hic ex Chriſti Domini tormentis, plagas quinque ſingulari quadam religione proſequebatur, vnde votum nuncupauit concedendi cuilibet quidquid ijs interpoſitis obſecraretur. Rem diu ſecretam, data propè mortem occaſione, patefecit. Adſtabat morienti è prima nobilitate quidam, qui extremas rei familiaris anguſtias profeſſus, regem enixè precatus eſt, ob Chriſti vulnera, vt eius egeſtatem releuaret. Tum Ioannes inſitâ miſericordiâ præter annuos reditus etiam argenteam ſupellectilem homini dono dedit. Rectè igitur admonebat B. Nilus Martyr: Ita curras vt vincas, hoc eſt, indeſinenter; per virtutis enim ſemitam currere oportet, donec vitæ ſtadium exuperemus. Concludam verbis Apoſtoli, 1. Theſſ. 5. *Ipſe Deus pacis ſanctificet vos per omnia, vt integer Spiritus veſter & anima & corpus ſine quærela in aduentu Domini noſtri IESV Chriſti ſeruetur.*

De doctrina Spiritûs S. Nota. 1. Ioan. 2. *Non eſt neceſſe vt aliquis vos doceat, ipſa enim vnctio docebit vos de omnibus.* Hoc eſt: In cuius virtute vncti eſtis. Doctrinâ hæc Spiritus ſancti excedit omnes doctrinas, quia non tam ſcholas, quàm vitam docet. Docebit enim ea ad intellectum, quæ docuit filius Dei. Hinc Ioan. 16. *De meo accipiet & annunciabit vobis.* Quomodo accipiet de eius? Non poteſt quod eſt filij accipere, niſi procedat ab ipſo. Et omne quod eſt & habet, & poteſt & facit, habet ab ipſo. Et ſicut nemo ſcit quæ ſunt hominis niſi ſpiritus hominis qui eſt in ipſo, ita etiam quæ ſunt Dei nemo nouit niſi Spiritus Dei. Vnde accipere ſpiritum eſt didiciſſe à ſpiritu. Et quia Spiritus omnia ſcrutatur etiam profunda Dei, 1. Cor: 2. ideò etiam profunda docebit ille, qui Spiritũ Dei acceperit. Iſid: l. 1. de Sum. bono, cap: 17. Ineffabilia docet, quæ humanus ſermo proferre non poteſt. Apparet in Ieremia dicente. Ier. 1. *A a Domine, loqui neſcio.* & vt iuit, loquebatur comptè & efficaciter. Non enim ille loquebatur, ſed Spiritus Dei in eo. Ad linguam ferream Pindarus adſcripſit: *VERITAS.* Nam lingua ſi fabricata fuerit ad incudem, ferrea erit; etſi ferrea, ſolidiſſimæ firmitatis erit, & nunquam labetur. Vnde rectè ad ferream linguam appoſuit veritatem. Lingua ignea Spiritûs ſancti, quia omnia ſuperat elementa ignis; erit notanda nedum veritate, ſed etiam ſanctitate. Doctrina namque ex tali lingua procedens veriſſima & ſanctiſſima eſt. Didymus l. 2. de Spiritu s. Docebat omnia eos, qui in Chriſti fide perfecti ſunt, omnia quæ ſpiritualia ſunt, & intellectualia veritatis ſacramenta. Docebit, non ſicut artes docent, ſed quaſi ipſa ars doctrina & ſapientia veritatis ſpiritus inuiſibiliter mẽti inſinuat ſcientiam diuinorum. Et ne in dubium vertas eiuſmodi doctrinam, reſoluit dubia. Aug. tract. 77. Nunquid autem dicit filius & do-

Profũda docet.

Lingua ferrea.

Lingua ignea.

Omia docere.

 cet Spi-

Docet S.Trin. vt percipimꝰ à Spiritu S. cet Spiritus ſanctus. vt dicente filio
verba capiamus, & docente Spiri-
tu ſancto eadem verba intelligamus.
Omnis & dicit & docet Trinitas, ſed
niſi etiam ſigillatim commendare-
tur, eam nullo modo humana cape-
re vtcunque poſſet infirmitas. Tali
S. Virgilius. doctrinâ Spiritus Sanctus, (Vigiliꝰ
Mart. Epiſc. Trid. Eutych.) qui ver-
bi diuini & carnis vnam eſſe naturã,
& Chriſtum non de ſacro virginis
Error Eutich corpore carnem, ſed de cælo aſſum-
ptam, ſine mole ex vtero natum, ſed
ceu radij ſolis per vterum penetraſ-
ſe blaterabat, confutauit ſcriptis &
ſuperauit. Et concinne D. Bern.
Doctrina ſancti Spiritus charitatem accendit. ſuper Cant. ſerm. 5. Spiritus ſan-
ctus doctrina non curioſitatem acu-
it, ſed charitatem accendit. Ea e-
nim accenſi, & inimicos Eccleſiæ
deturbârunt, & ipſum totius mali
authorem diabolum debellant.

Suſurrare. De ſuggeratione Nota. Iob. 4.
*Quaſi furtiue ſuſcepit auris mea venas ſuſur-
rij eius.* Ille enim qui ſuggerit ali-
quid furtiuè loquitur & ſubmurmu-
rat ei. Spiritus ergò Sanctus ne-
dum docet, ſed etiam ſuggerit oc-
culte oculta, vt ea quæ aure audit,
poſſit prædicare ſuper tecta. Tali e-
nim ſuſurro aperit oculos, & ſugge-
rit veritatem. inquit D. Greg. Cùm
Spirit. S. Tradic. ſuſurr. S. Dominicus mittebat fratres ad
prædicandum, dicebant illi ſuam in
ſufficientiam & librorum egeſtatem.
& reſpondebat S. Dominicus: Da-
bitur vobis in illa hora quid loqua-
mini. Et prædicabant cum tanta fi-
de & ſpiritu, vt Philoſophos ſupera-
rent, & oratores vincerent. Alijs
adſtabat in columbæ ſpecie Spiritus
ſanctus, alijs in radijs ſolaribus ſplé-
debat caput, alijs in ſpecie Angeli
aſſiſtebat Spiritus S. ſed explicent
SS. Patres talem ſuggerationem.
Greg. hom. 30. Suggerere dicimus
ſubminiſtrare. Vnde Spiritus non
ab imo nobis ſcientiam infert, ſed
ab occulto D. Aug. Tract 77. Sug-
geret, id eſt commemorabit. Et
clarius Theophil. Docuit Spiritus
ſanctus, quæ non dixerat eis Chri-
ſtus, tanquam non valentibus por-
tare. Commemorauit verò quæcun
que Dominus dixerat, ſed obſcuri-
tatis cauſa, vel intellectus tardita-
te commendare memoriæ nequiue-
runt. Dicitur Tren. 3. *De excelſo mi-
ſit ignem in oſſibus meis.* Ignem Spiritum
ſanctum intelligimus, qui ad nos ve-
nit in igne. Cùm ergò penetrat cor-
da hominum, penetrat & oſſa; h. e.
in tantum accendit ſuggerendo, ani-
mam & affectum humanum, vt ceu
ignis oſſa aduraret. Suggeſtio enim
illa, ipſe effectus eſt. Camelo ex cer-
ta ratione additum eſt dictum: *NEC
META NEC ONVS.* puta tranſgre-
ditur; ſed certam metam eundo ſer-
uat, & certum onus defertur ſine o-
mni reſtrictione, ſuggerationi & do-
ctrinæ S. Spiritus adſcribendum eſt.
Nec meta nec onus, ſpirat enim vbi
quando & quantum vult. Vide quæ
ſuggerendo ſpirauerat Sancto Baſi-
lio, quomodo Iulianum Apoſtatam
interrimeret. Adſtabat orando in-
quit S. Damaſcenus imagini Domi-
næ no-

næ noſtræ, in qua Mercurij mart. e-
rat etiam depicta figura, ſupplica-
bat S. Baſilius, vt impius Iulianus e
medio tolleretur, & mandato Dei-
paræ Virginis Mercurius Martyr tra-
iecit Apoſtatam. Cognoſcebat
hoc Sanctus Baſilius ceu in ſpeculo
in imagine S. Mercurij; nam facta
erat obſcura imago eius ad exiguum
tempus nec multò autem poſt. ha-
ſtam cruentam tenebat. Greg. in
Regiſtr. Spiritus ſanctus cor im-
plet, ſimplices facit & ardentes.
B. Alb. M. in tali ſuggeſtione penſat.
quod Spiritus Sanctus ſuggerendo,
præmia cœleſtia promittat. Et pro-
fectò docti per Spiritum ſanctum fa-
cti, non in terris cùm habitent. ſed
vmbram hîc ſui, & totam intentio-
nem, & intellectum in cælis teneant
promiſſionum cæleſtium participes
ſine dubio erunt. In quem ſenſum
D. Paulus Gal. 2. *Viuo ego, iam non e-
go, viuit autem in me Chriſtus.*

De arcta via. Nota. Hier. 10. *Scio Do-
mine, quia non eſt hominis via eius, nec viri eſt,
vt ambulet & dirigat greſſus ſuos.* In quem
locum Hugo: Scio Domine adeo
fragilem eſſe hominem, vt neſciat
vias ſuas ad virtutem dirigere: neq́;
valeat, niſi tu opem feras; præſertim
cum tam multis tamq́ue varijs rebus
diſtrahatur, affectibus aduerſis præ-
pediatur, ab alijs hominibus & à dæ-
monibus à recta via diducatur. Cùm
igitur de via arcta ſeu via Dei loqui-
tur, vt in ea ambulemus, & non in
via lata, quæ & via inferi atque dia-
boli; vt ea non incedamus, hoc nō
ſine adiuuante gratia ſua nobis com-
mendat. Nam hanc viam ad cælum
& viam Dei ipſe Spiritus ſanctus qui
eſt digitus & index demonſtrat no-
bis. Vnde dicit Chriſtus Math. 7. *In-
tra te per anguſtam & arctam portam.* Vbi
Hieron. Latam non quærimus quia
ſponte ſe offert & via errantium eſt.
Arctam quærimus quia pauci eam
inueniunt, & inuenta nō ſtatim pro-
grediuntur illa, & capti voluptati-
bus ſeculi, de medio itinere reue-
tuntur. Accipitri habilitato ad ve-
nandum, & in manu venatoris reſi-
denti, additur lemma. *Ad nutum.* Ita
profectò homini neceſſū eſt vt ad nu-
tum Euangelij & Chriſti ſe ſemper
habeat & nunquam ad ſiniſtram de-
clinet, ſed pauci ſunt (inquit apud
S. Matthæum) qui velint viâ eius eo
quòd anguſta & arcta ſit incedere.
Felix hac in parte à Domino percuſ-
ſus Paulus. Nam dicebat Actor. 9.
Domine quid me vis facere? Quaſi dice-
ret: Paratus ſum ad omnia quæ man-
daturus es, & qui fui tui nominis per-
ſecutor, ero Prædicator, defenſor,
vt tamen de portis his & vijs latius
quid dicamus; adduco Chryſoſt.
hom: 18. Op. Imp. Porta perditio-
nis eſt diabolus, per quam introitur
in gehennam; porta vitæ Chriſtus,
per quam introitur in regna cæle-
ſtia. Lata porta dicitur diabolus,
non magnitudine poteſtatis exten-
ſus, ſed effrenatæ ſuperbiæ licentiâ
dilatatus. Porta anguſta dicitur
Chriſtus, non paruitate poteſtatis
exiguus, ſed humilitatis ratione col-
lectus:

Intrã-dum & angu-ſtã por-tam.

lectus: quia quem totus non capit mundus, ſeipſum intra anguſtias virginalis vteri incluſit. Via ſpatioſa dicitur via iniquitatis, quia non eſt intra regulam diſciplinæ incluſa. & ambulantes in ea, quicquid eos delectauerit, hoc ſequuntur. Via verò vitæ dicitur, omnis iuſtitia. & propter contrarias cauſas dicitur arcta. Et qui ambulauerit per viam iuſtitiæ, perueniet ad portam Chriſti & ipſum cognoſcet. Hæc ille. Hanc arctam viam, quam ſedulò elegerit Oſanna Catharanenſis Sanctimonialis Ord. S. Dominici, recenſet Seraphinus Razzi; quæ nil dulcius habuit, quàm delectari in titulo cruci Chriſti affixo: *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.* Hæc tota in ieiunijs diſciplinis & aſſiduâ oratione & contemplatione fuit, à quo ſancto opere diuerſis vijs eam reducere diaboli tentauerunt. Modo enim quod ex ſimplicitate blaſphemias diceret, modò quod non placeret Deo tantæ auſteritates ſuæ, illi inculcabat. Sed firma ancilla Chriſti in propoſito S. à via Chriſti arcta & anguſta, nedum non recedebat, ſed arctiorem eligebat. & ieiunijs ieiunia, orationibus orationes, &c. cumulabat. Accipe igitur ſuadentem Tob. 4. *Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo vt vias tuas dirigat.*

Circà obſeruanda in via Dei Nota. 1. Debet immundis & blaſphemis cogitationibus repugnare. Magnum antidotum poſuit B. Alb. Magnus: Dicere de hac obſeruatione licebit, quod Prou. 4. legitur: *Viam ſapientiæ monſtraui tibi, & duxi te per ſemitas æquitatis, quas cùm ingreſſus fueris, non arctabuntur greſſus tui, & currens non habebis offendiculum.* Profectò duo iſta, immunditia & blaſphemia, ſumma mala; quæ ingentes pœnas accelerant, hominum Chriſtianorum ſunt. De immundis cogitationibus dicitur Ier. 4. *Auferte præputia cordium veſtrorum ne fortè egrediatur vt ignis indignatio mea, & ſuccendatur; & non ſit qui extinguat propter malitiam cogitationum veſtrarum.* Et de blaſphemis legimus Leuitic. 24. *Educ blaſphemum extra caſtra, & ponant omnes qui audierunt manus ſuper caput eius & lapidet eum omnis populus.* Vbi verò iſta duo defuerint viatori in via Chriſti, ille perueniet ad portam cæli. onere namque ſublato ex humeris & ſcapulis, celeriter & promptè incedit homo; ita ſi munditia carnis & animi, atque laus & benedictio permanſerit in viatore Chriſtiano, cùm iſta nedum alleuiantia ſed impellantia ad greſſum ſalutarem deſignantur, & ad promptè in via Dei ſuccedet, & ad terminum deſideratum in cælis perueniet. Et licet terreitas retardat hominem ab hac veloci via, Spiritus Diuinus addit alas vt alacriter incedat. Nam & corpora cæleſtia licet non calefaciunt in quantum calida, quia talia non ſunt, ſed in quantum ſunt velocis motus & luminoſa. Ita in via Dei incedet agiliter; quia motum eius agit Spiritus ſanctus & illuminat. Et non ſolùm Spiritus ſanctus in via hac cæli properum facit homi-

hominem, at etiam B. V. Maria deducit in talem viam, vbi properè & ſalutiferè inceditur. De Syluestro Ord. S. Dominici Hiſtoriæ referunt Hic cùm orbatus eſſet vtroq; parente Florentiam tendebat, vt conditionem vitæ ſibi proſpiceret. Occurrit Deipara, à qua poſtquam varia vitæ bene gerendæ documenta audiſſet, eum Florentiam propè Diui Dominici monaſterium deduxit, & mox diſparuit. Admiſſus ad Ordinẽ euaſit in magnum concionatorem, ſanctuſq; omnium opinione habitus eſt. Et ita verificatur illud Pſal. 83. *Ibunt de virtute in virtutem, & videbitur* putaab eis, *Deus Deorum in Sion.*

2. Obſeruabit in tali via. Os & linguam non ſolùm à malo ſed etiam à verbo otioſo refrenabit. Vera obſeruatio & pernecessaria. Auer. in 12. Meth. dicit: Ars gubernandi ciuitates, principatum tenet in omnibus artibus. Sed ſuperat tale gubernium ſcire & poſſe gubernare linguam. Quocircà orabat Eccleſ. 22. *Quis dabit ori meo cuſtodiam, & ſuper labia mea ſignaculum certum, vt non cadam in ipſis, & lingua mea non perdat me?* Curtius lib. 2. refert de moribus Perſarum: Apud Perſas (inquit) lingua grauiùs caſtigatur quàm vllum probrũ, nec magnam rem ſuſtinere poſſe credunt ab eo, cui tacere graue ſit. Quocircà antiqui Romani vt ſilentium docerent obſeruare, ſtatuebant Diuam nomine Angeronam, cui religioſe deuouebant ante diem 12. Calen. Ian. & illa preſſo obſignatoque ore erat, inquit Solinus. Nil enim peius eſt licentioſâ linguâ, & nil meliùs refrenatâ. Vnde ceu optimum & nobiliſſimum membrum quod in corpore ſibi vendicat principatum. Mercurio illa lingua adolebatur & captantibus ſomnum, dicit Pier. Val. l. 33. c. 42. Et profectò obſeruanti hanc conditionem in via peregrinationis ad cælum, & vita ſecura, & clauditur æternitate. Tam ſanctam linguam tendentem in opꝰ ſalutis mirificè Angeli reficiũt Refertur in Calendario B. V. ad 1. Oct. reficientem Angelum quendam pœnitentem confitentem peccata cum gemitu & lachrymis. Suſcipiebat confeſſionem B. Syluester Ordinis Præd. pœnitentis, quem cùm grauiùs admoneret de quodam crimine, pœnitens ad pedes eius inſtar mortui corruit; quo caſu turbatus Confeſſor, enixè Deum eiuſq; ſanctiſſimam parentem precatus eſt, vt ei in iſto diſcrimine adſit: vix orationem finierat, & Angelus ab ijs viſibiliter ſubmiſſus cæleſtem quendam liquorem in os adoleſcentis infudit, & ipſum vitæ reddidit. Qui cùm Confeſſionem proſecutus eſt, tempore procedenti ſanctiſſimam vitam duxit. Concludam igitur dictis B. Nili M. obſeruationem aſſumptam. Si ventri imperabis, impera & linguæ: ne ſeruituti iſtius ſubiaceas, huius verò libertate inutilis, exultes. *Pœnitenti vere e cælo liquor datus*

3. Obſeruandum & ambulandũ in via Dei, eſt iuxta dictum B. Alb. Magni,

Pugna continua in carne.

Magni, vt contra incentiua carnis, quotidie litigent. Nota: Non coronabitur niſi qui legitimè certauerit. Ignauis egeſtas: laborantibus, merces paratur. Incentiua carnis, ſunt ignis & fumus, quocircà repellanda

Fuge pugnando.

fugienda pugnando. Alexander Seuerus Imp. aliquem Vetronium, qui largè promittebat his qui à Cæſare petere quid volebant operam ſuam, ſi munera ſibi dediſſent: ſed

Vendere gratiam Cæſaris

cum p'ero q; inani ſpe decepit, palo alligatus fumo necatus fuit: additum ipſi elogium: *FVMO PVNITVR, QVI FVMOS VENDIDIT.* Ita & incentiua carnis, quia fumus ſunt, fumo æternali puniuntur. Non enim gratia Cæſaris regni cæleſtis operibus carnis datur, ſed caſtis & victoribus. Virgines ſunt qui ſequuntur agnum quocunque ierit. Quare vt cautos nos reddat B. Nilus m. & Ep. dicit:

Terrena vitanda vt fumus.

Diligentiâ multa à rebus terrenis oculos contine, ex illis enim fumus oritur, qui animam fuligine denigrare ſolet. Et conſuetudine aliquâ prauâ detineris eam reſcinde; & ſine labore ab anima ſpinas extirpabis. Iudic: 11. Poſt bellum & victoriam filiam ſuam Domino in ſacrificium Iepte obtulit. Offert homo animam ſuam dilectam ceu filiam Domino in ſacrificium cum carne cùm debellauerit affectus malos & carnem. Vnde Greg in Moral. Dum à malis vita corrigitur, & vſque ad abſtinentiæ & orationis ſtudium peruenitur, quaſi in altari iam caro incenditur, vt inde in conſpectu omnipotentis Dei ſacrificium redoleat, vnde priùs culpa diſplicebat. Ad venaticum canem qui inſequitur leporem, additum lemma: *DONEC CAPIAM.* Ita Chriſti viator & attentus ad cæleſtia Dominicus ſeruus, ſedulò pugnare contra carnem & perſequi vitia debet, donec capiat & conſtringat carnales motus & affectus. Non enim ſufficit hodie eſſe ſine peccato & vitio, ſed quoad vixeris, liber à malo eſſe debebis. Dies enim vltima, probat hominem bonum.

4. Obſeruandum ad ambulandum in via Dei; vt omnia mala mundi æquanimiter feras. Prov. 10. *Ne dicas reddam malum pro bono. Expecta Dominum & liberabit te.* Tollerantia commendatur, patientia iuſtruitur, pro ſuſtinentia mali gratia promittitur. *Dominus*, inquit, *liberabit te.* Ita Iob. c. 1. *Si bona ſuſcepimus, mala cur non ſuſtineamus?* Bonum & malum non accidit homini, niſi ex manu Dei, bonum ex manu propria, malum ex permiſſione eius, vt meritum habeas & lidio patientiæ proberis. Vnde Apoc. 3. *Quoniam ſeruaſti verbum patientiæ meæ, & ego ſeruabo te ab hora tentationis, quæ ventura eſt in orbem vniuerſum tentare habitantes in terra.* Sit nobis in exemplum B. Margareta de Cortona ſoror Ordinis S. Franciſci, quæ in perſecutione á ſpiritibus immundis, qui ei in forma viri, feminæ, ſerpentis apparebant; increpando, verberando, blandiendo ſummam tollerantiam obſeruauit: & licet crucifixus ad eam lo-

am locutus erat aliquoties, & dæmonibus vt ab obſeſſis recederent imperaret, in hac tollerantia & æquanimitate permanſit, vt ſe ſummam peccatricem populo diceret, & canale quoddam ſordidiſſimum & vas turpitudinis nominaret. Notanda doctrina B. Nili m. Si contumeliâ affeceris, gaude; nam ſi iniuſtè, copioſa erit retributio tua. Si iuſtè & reſipueris, flagellorum pœnam euitabis. Hoc enim ſingulare ſciendum eſt homini accedenti ad ſeruitutem Dei, quod tentationibus obruetur. Eccl. 2. Præpara animam tuam ad tentationem. Mundus enim contra ſuos deſertores fortiùs pugnat (inquit Petrus Rauen. in Epiſt.) Et Sathanas egrediens ab homine quem tenuerat, in ipſum grauius deſeuit. Communis curſus vitæ eſt tentationibus apprehendi. Nam & in exitu Iſráël de Ægypto, Pharao vehementius ardeſcebat, & in terra Promiſſionis plurimis bellis moleſtati erant. Roſa non reperitur niſi inter ſpinas. Quocircà in eiuſmodi malis ſpiritualis ædificationis Chriſtianus, æquanimiter in via ſuæ peregrinationis incedere debet ceu nimirum illa mala non fuiſſent. Et profectò non adeò mala ſunt, quæ non habentes hîc noſtras manſiones nobis inſinuant, & ſuſtinentes ad cæleſtia propulſant. Adhibeo D. Paul. ad Hebr. 12. *Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit á peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem, vt ne ſatigemini animis veſtris deficientes.*

5. Obſeruandum ad ambulandũ in via Dei, inquit B. Alb. Magn. Vt contra omnem delectationis faciem trepidemus. Nota: Bonum bene fac & habebis laudem. Contingit namq; bonum ex modo, medio, loco & fine vituperium mæreri. Hîc B. Iob. 3. *Verebar opera mea ſemper.* Diuus Greg. hom. 12. in Euang. vbi obuiam euntes virgines deſcribit: Sæpè vos admoneo praua opera fugere, mundi inquinamenta deuitare, at hodierna Euang. lectione compellor dicere, vt & bona quæ agitis cũ magna cautella teneatis, ne per hoc quod à vobis rectè geritur, fauor aut gratia humana requiratur, ne appetitus laudis ſubrepat; vt quod foris oſtenditur, intùs à mercede vacuetur. Ad lupum inſidiantem pedibus fugientibus ouibus, addidit ſcriptum Areſius: SCANDALIZAVIT ME. Id eſt, offendit. Vnde pſ. 139. Iuxta iter ſcandalum poſuerũt. *Scandalum* Profectò qui nota bona inſignitus eſt, ſi bonum facit non reſpectu ſuæ ſalutis vel honoris diuini, ſed mundi illecebri & profanæ laudis; ſibi ponit ſcandalum iuxta iter, & bonos ſcandalizat. Vnde admonet Iſid. de Sum. bono l. 2. c. 5. Multis Dei donis gaudemus, quæ nos ab eo percepiſſe cognoſcimus. Nam quod ſapientes ſumus, quòd diuites, quod potentes exiſtimus, non alterius ſed potiùs diuino munere ſumus. Vtamur ergò optimè diuinis beneficijs, quatenùs & Deum non pœniteat dediſſe, & nobis accepiſſe ſit vtile. *Bene vti Dei beneficijs*

vtile. Quocircà B. Alb. Magnus licitas delectationes & gaudia permiſſa, cum timore exercere peregrinanti ad patriam, monuit. Nam *Ioſeph in carcer.* & Ioſeph benefaciebat, fugiendo peccatum inſtantis reginæ, & niſi trepidaret in hoc bono opere, de carcere ad regnum non fuiſſet ſublimatus. Timebat Dominum, licèt in hac innocentia eſſet. Laudabat eiuſmodi viros B. Nilus mart. in ſententijs Trop. Bonum eſt intra fines neceſſitatis manere, & omnibus viribus contendere, ne tranſcendamus illos. Nam ſi quis ad modicum per cupiditatem ad vitæ delicias deflexerit, nullus deinceps quominus peragat, coercere poteſt. Iſa. 5. dicitur: *Paſcentur agni iuxta ordinem ſuum.* Beati viatores agni, qui nullo alio deſiderant paſci, niſi Deo & diuinis, iuxta ordinem & præcepta Dei, iter ſuum ad paſcua directè ſemper intendunt. Lego B. Conſaluum Ord. S. Dominici, qui cùm baptizaretur, ita vehementer in imaginem crucifixi oculos intendit, dulcedinem quandam contemplationis præſeferens, vt omnes in ſtuporem conuerterit. Cùm adoleuit monitus fuit à B. V. Maria, vt eum Ordinem ingrederetur, qui Dei laudes à ſalutatione Angelica inchoaret & finiret. *Laudes à ſalut. Angelica.* Inchoauit iſte viam peregrinationis à Crucifixo, proſequebatur cum crucifixo, finiuit in crucifixo.

Via ad cælum arcta ſed tamen directa. Nota: Via directa dicitur modis quatuor. Si complanata planis lapidibus, ſi circumſepta ſepibus, ſi ſolidata clauibus, ſi ſuſpensũ & certum finem habet. Cùm verò via in cælum non ſit, niſi ipſe IESVS Chriſtus. *Ego ſum* inquit *via* Ioan. 14. Concinne B. Alb. M. ex Chriſti paſſione directam & planam viam peregrinantibus commonſtrauit. S. Ciril. Epiſc: in Ioan. Demus operá, vt vinculis Sathanæ abruptis & iugo ſeruitutis peccatorum excuſſo in timore Domini ſeruiamus, & vt carnis voluptate per continentiam ſuperata ad cæleſtem gratiam accedamus. Et quis poteſt accedere ad cælum, niſi progrediatur viâ quæ eſt Chriſtus? Rectè Micheæ 4. *Venite aſcendamus ad montem Domini & ad domum Dei Iacob, & docebit nos de vijs ſuis, & ibimus in ſemitis eius.* Quæ ſunt hæ viæ, & quomodo imus in ſemitis eius? Beatus Fulg. li. 1. ad Traſimundam c. 9. inſtruit: In via Dei non greſſu corporis, ſed mentis ambulatur inceſſu. Via Dei eſt fides recta, quæ in tantum via prorſus oſtenditur, vt in ea nos Apoſtolus ambulare teſtetur. 2. Cor. 5. *Per fidem ambulamus non per ſpeciem.* Via Dei iuſtitia eſt, per quá ſe Dauid deductum commemorat, dicens pſ. 22. *Super aquam refectionis educauit me, animam meam conuertit, deduxit me ſuper ſemitas iuſtitiæ propter nomen ſuum.* Via Domini miſericordia & veritas. Sed hæ viæ & aliæ omnes ducunt ad cælum. quia 1. Ioan. 2. *Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet quemadmodum ille ambulauit, & ipſe ambulare.* Sed niſi ipſa via ad cælum non inducunt:

via Chriſtus. *Per me ſi quis introierit, ſaluabitur.* Ita eſt enim via, quod ſimul ſit oſtium cæli. Vnde dicitur ſtrata & directa via, quia nullum errorem nullam dubitationem generat, at cum ſua arctitudine, rectè ducit ad æternitatem in cælis. Beatus Philippus Ordinis ſeruorum Beatæ Virginis, cùm Florentiæ in Ecclesia Seruorum ex Actis Apoſtolorum audiſſet: Philippe, accede & adiunge te ad currum iſtum, raptus in extaſim currum aureum quem ouis & Leo trahebant vidit. Quis eſt iſte Leo & ouis? Eſt Chriſtus ipſe. qui Leo de tribu Iuda dicitur; & ouis, qui coram tondente ſe obmutuit. Aſſume igitur vias quæ ſunt à dextris; nam quæ ſunt à ſiniſtris, perverſæ viæ ſunt, & ducunt ad mortē; illis verò peruenies ad Chriſtum, qui tibi erit via & porta cæli. Oſeæ 12. *Ero eis ſicut exaltans iugum ſuper maxillas eorum.*

Via lata ad interitum. Nota: Via peccantium complantata lapidibus & in finem illorum inferi & tenebræ & pœnæ. Eccl. 21. Aſſimilatur plateis latis in vrbibus, quæ communiter lapidibus aſperis ſternuntur, & quaſi plantantur in itineribus, vt potiùs diutiùs durent, quàm vt facili9 in eis incedatur. In quibus rotæ curruum franguntur, attenuantur & rumpuntur ferra & feramenta, pedeſtres verò læduntur. Talis eſt via ad interitum licèt lata, & in fine inferi tenebræ pœnæ. Vnde Prov. 4. *Non tibi placeat malorum via.* Subdit Hugo Card. quia lutoſa eſt in luxurioſis, tenebroſa in iracundis, ſpinoſa in auaris, petroſa in detractoribus, cauernoſa in ſimulatoribus, montuoſa in ſuperbis. B. Alb. M. In hac via 4. enumerauit mala duriſſima, ſicut in via cæli poſueratameniſſima bona. Sunt globi artificiales ad expugnandas & incendendas vrbes, quæ nullo modo extingui poſſunt, ſed aſperſi adhuc magis flammeſcunt. Addunt ergo illis artificiatis lemma: ASPERSVM FLAMMESCIT. Ita poſt plurima mala & damnabilia in hac via diabolica, nō præſtant lachrymæ, gemitus & ſingultus poſt mortem, at omnia magis incendunt & inflammant. D. Auguſt. ſerm. 3. de natali Dom. Delectatio in hac via, occidit & præterit: vulnerauit & tranſijt: miſerum fecit & abijt: infælicem reddidit, & reliquit. Verè cibauit abſynthio, & potauit felle. Iſid: l 2. de ſum. bono c. 9. Ante conuerſionem præcedit turba peccatorum, poſt conuerſionem ſequitur turba tentationum, illa ſe obiciunt ne ad Deum conuertamur, iſta ſe ingerunt ne liberius oculis cordis Deum cernamus. Quod ſi his malis impedit nos in via Chriſti diabolus, quantis impedimentis ſepiet vias impiorum, ne recedant ad dexteram malorum iſte conſtructor? Fertur de Henrico Imperatore, quod in Italiam proficiſcens, cùm ſummum Alpium iugum vnde proſpectus in Italiam patet, attigiſſet, manibus in cælum eleuatis Deum exo-

Globi in exting.

Aſperſum flammeſ.

Delectatio in via.

Vias ſepit Chriſti diabolus.

um exoraſſet dicens: O Deus hanc nobiliſſimam regionem à deteſtandis Guelforum & Gibellinorum factionibus liberandi gratiam tribue. *Factio mala.* Cui Amadæus Sabaudiæ Comes Facile id fore, ſi tanquam communis princeps neutram factionem amplecteris. Laudârunt aliqui conſilium. Mihi verò ad propoſitum dicenti ex his duabus vijs anguſta & lata; vna eſt amplexanda, altera abominanda. Fuge à via impiorum, nec tranſeas per illam, declina & deſere eam. vt Prou. 4. dicitur Accipe verba D. Ambr. *Viatorum eſt tranſire.* Viator es huius vitæ, omnia tranſis, omnia poſt te fiunt. Omnia in hac via cernis & tranſis, vidiſti amænitatem arborũ, herbarum viriditatem, puritatem fontium, & quodcunque huiuſmodi quo delectantur oculi, iuuit ſpectare, delectauit parumper attendere, dum attendis, pertranſiſti. Optimè demonſtrabat Saladinus mòrtalium delectationem & fælicitatem. Paululum telæ conto affixit & dixit: Ex omnibus diuitijs id ſolum refero. Igitur ſperne hanc viam latam & falſam, laborem & contumeliam parit, & poſt vitam condemnationem atque cum diabolo conuerſationem tribuit. Vnde ex conſortio Angelorum ſanctorum, ex beatitudine cæleſti, ex præſentia Ss. Trinitatis, maximum & ineffabile gaudium colligimus, ex viſione verò dæmonum, ex illorum pœnis, ex loci tenebritate, vbi triſtitia pro gaudio, fletus pro melodia, ignis & ſtridor pro delitijs, ſempiternus horror pro amenitate, ſummum & ingens calamitatis malum.

SERMO SECVNDVS

Per anguſtam portam intrare contendamus.

Contendere intrare. LVcæ 13. *Contendite intrare per anguſtam portam, quia dico vobis: multi quærunt intrare & non poterunt.* Gloſſa: Modò tempore miſericordiæ contendite, quia tempore iudicij tolletur locus pænitẽtiæ, qui nunc aperitur cunctis piè pulſantibus. Et nota; quòd anguſta dicitur porta cæli propter quinque: Nullus enim intrabit 1. ſine omnis rei ablatæ plena reſtitutione. 2. Sine rancoris & odij renunciatione. 3. Sine veſtimentorum decenti emundatione, 4. Sine capitis inclinatione. 5. Sine ſigno Dei viui repræſentatione.

Nullus itaq; intrabit portam cæleſtem, niſi rem iniuſtam plenè reſtituerit. Vnde dicitur in Pſalmo 117. *Hæc porta Domini, iuſti intrabunt in eam.* Iuſtus autem eſt, qui reſtituit vnicuique quod ſuum eſt. Hinc etiam Domi-

Dominus Lucæ. 18. *Faciliùs eſt, Camelum per foramen acûs tranſire, quàm diuitem intrare in regnum.* Hæc verba intellige de tali diuite, qui diues factus eſt per res iniuſtè conquiſitas, vel etiam de illo, qui res benè acquiſitas nimis auarè detinet, nec pauperibus miſeretur. Item Auguſtinus ad Macedonium: Si res aliena, cùm reddi poſſit, non redditur, non agitur pœnitentia, ſed fingitur: ſi autem veraciter agitur, non remittetur peccatum, quin reſtituatur ablatum.

Item nullus intrabit, niſi rancori & odio renunciauerit. Vnde Ioan. in 1. Can. 3. *Nos ſcimus, quoniam à morte tranſlati ſumus ad vitam, quoniam diligimus fratres: qui non diligit, manet in morte. Omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt; & ſcitis, quia omnis homicida non habet æternam vitam, in ſeipſo manentem.* Igitur qui odit & inuidet proximo ſuo, non poteſt intrare illuc, vbi regnat vita æterna, & vbi charitas poſſidet principatum. Vnde Boëtius in 2. l. Conſolationum: O fælix hominum genus, ſi veſtros animos amor, quo cælum regitur, regat!

Item nullus intrabit, niſi veſtiméta ſua emundauerit. Vnde Apoc. 7. cùm vidiſſet Ioannes turbam magnam amictam ſtolis albis, ſtantem ante thronum Dei, dictum eſt ei: *Hi ſunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine agni.* Item Apoc. 22. *Beati qui lauant ſtolas ſuas, vt ſit poteſtas eorum in ligno vitæ, & per portam intrent ciuitatem.* Debet igitur in lauacro veræ pænitentiæ ſtolam animæ ſuæ emundare, qui vult in regnum Chriſti intrare.

Item nullus intrabit, niſi caput ſuum inclinauerit. Vnde ſuper illud Ioan. 10. *Amen amen dico vobis, qui non intrat per oſtium in ouile ouium; ſed ſi aſcendit aliunde, fur eſt & latro.* Dicit Gloſſa: Hæc ianua eſt humilis, qui per hanc vult intrare, oportet vt ſe humiliet, ne ſi erectus eſt, offendat in humilē ianuam. Debes igitur te per humilitatem & obedientiam inclinare, ſi vis portam Dei intrare. *Inclinatio capitis.*

Poſtremò nullus intrabit, niſi ſignum Dei viui in fronte deportauerit. vnde Apoc. 6. *Vidi Angelum aſcendentem ab ortu ſolis habentem ſignum Dei viui, & clamantem voce magnâ quatuor Angelis, quibus datum eſt nocere mari & terræ, dicens: Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus, quoadusq́ue ſignemus ſeruos Dei in frontibus eorum.* *Signum Dei in fronte.* 1. Angelus aſcendens ab Ortu Solis, & habens ſignum Dei viui, eſt ipſe Ieſus filius Dei, qui ſignum crucis ſuæ omnibus repræſentat. Iſte verò præcipit voce magnâ quatuor Angelis, id eſt, Dæmonibus, qui punierint peccata cōtra admonitionem quadriformis Euangelij perpetrata, qui etiam vindicabunt exceſſus corporis quod ex quatuor elementis conſiſtit, videlicet ex àëre & terra, ex igne & aquâ. Præcipit (inquam) eis, ne per finalē vindictam noceant terræ, id eſt auaris & mari, id eſt, luxurioſis; neque arboribus, id eſt, ſuperbis, niſi priùs ſerui Dei, qui ſaluandi ſunt ſigno

crucis; ſignentur in frontibus eorum.

Si igitur intrare vis portam aulæ Dei, oportet vt ſignum Sanctæ crucis tripliciter repræſentes, vt videlicet per firmam fidem ſit in corde, vt per conſtantem Confeſſionem appareat in fronte, vt per executionem boni oporis deferatur in manu.

ANNOTATIONES.

Impedimentum ex duobus.

QVoniam ex duobus aliquod impedimentum oritur vel ex parte rei vel ex parte recipientis, ideo ad conſequendum regnum cœli arctam viam conſtituit B. Alb: Magnus, ex parte quidem rei, quia non peruenitur ad illud niſi legittime certãdo & ſollicite quærendo, & ex parte peregrinantis cum non ab omnibus conſequitur eo quod ſibi obicem quinquenariam ponant.

Reſtitutio nece.

Primum impedimentum. Ablatarum rerum retentio. Iſa. 3. *Quare atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis?* Talis interrogatio nil aliud eſt niſi objurgatio præparatoria vindictæ & pœnæ, vndè facilè colligitur, obicem eſſe ad conſequendum cœlum ablationem alienorum. Quocirca Matth. 5. dicitur. *Non exibis inde donec reddas nouiſſimum quadrantem.* Iam vt intelligis talis eſt in carcere, jam excluſus à regno niſi reddiderit ad quadrantem id eſt ad duo minuta. Laudatur Zachęus. Lucæ 19. *Si quid aliquem defraudaui reddo quadruplum.* Erat mandatum Exod 23. vt ouis in quadruplum reddatur, ſed alia non præcipiebantur; quocirca Zachæus plurimum placuit qui ſtatim in quadruplo reddebat. Reddebat ſimplum pro damno quod fecit duplum pro mora qua ablato caruit; is quem fraudauerat, triplum pro injuria quam læſo intulit, quadruplum pro peccato quod commiſit. Quod ſi ablatæ res fuerint Eccleſiæ vel eccleſiaſticis, quale impedimentum erit ad regnum? S. Germanus Pariſienſis Epiſc: in Synodo cum Epiſcopis nouem celebratâ, ita ait. Indigne ad altare Domini properare permittitur qui res eccleſiaſticas & audet rapere, & injuſtè poſſidere, ac in iniqua defenſione perdurare. Necatores enim pauperum judicandi ſunt qui eorum taliter alimenta ſubtraxerint. Iucundum quid referunt de quodam militum duce. Ad Tarquinium Abbatonium militum ducem in lectulo cubantem miles quidam venit totus ſudans ac triſtis eũque affatus. Quid (inquit) agis Dux optime? an dormis? Cur hoc rogas (inquit) Tarquinius. Ah (inquit ille,) rogare te volui vt decem ducatos mihi commodes; vt ijs peccuniam luſu perditam cum fortuna fauente recuperem. Abi (inquit Tarquinius,) ego dormio. Me Hercule dormit Deus ad concedendum cœlum aliena tenentibus, ſed non dormit ad ſupplicia illis imponenda. Si Tarquinius ad opus malum peccuniam non conceſſit militi; nec Deus retribuere gratia raptoribus ſed juſtitia conſueuit.

Quadrans minimus.

Zachei quadruplum.

Secun-

Secundum impedimentum rancor & odium. Nota: Odium eſt bonum & malum, ita & rancor. Bonum odium non poteſt eſſe impedimento ad cœlum. Pſ. 137. *Nonne qui oderunt te Domine oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam. Perfectò odio oderam illos.* Odium igitur malum & rancor iniuſtus impediunt conſecutionem cœli. In quem ſenſum Pſal. 10. *Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam.* Indirectum quidem odium, ſed malum tamen. Iſid, l. 3. de ſum. bono c. 27. A regno Dei ſe ſeparant, qui ſemetipſos à charitate diſſociant. Vt autem fundamentum talis impedimẽti intelligamus, innuit Chryſoſt. ſuper Matth. 22. Sicut Rex in imagine ſua honoratur; ſic Deus in homine diligitur & oditur: non poteſt hominem odire, qui Deum amat; nec poteſt Deum amare, qui hominem odit. Ad lucidiſſimum adamantem adſcripſerat quidam. *MACVLA CARET.* Rancor & odium nunquam ſine macula, vnde licet durum ſit odium, non tamen fieri poteſt niſi deforme & atrum. Quapropter odium cæcum dixit Plutarchus. Iſidorus eiuſmodi viros deplorat in ſententijs cap. 27. lib: 3. dicens. Non homines ſed eorum vitia odio habenda ſunt. Flebiliter autem deplorandi ſunt, qui odio in fratrem tabeſcunt, & contra alios perniciosum animi dolum ſeruant. Scæuola cum odium haberet in quendam Principem, & volendo occidere alterum occidit, ſibi ipſi malum generauit, nam manum quaſi illa falleret ipſe attriuit & combuſſit. Non igitur illi nocet qui alterum odit, ſed ſibimetipſi. optimè B. Nilus: omne opus malum contra nos diabolum armat, armatus verò grauiter contra armantes inſurgit. Omnem igitur viam iniquitatis odio habeto, ſed proximum tuum dilige, quia non niſi amor & Charitas cœlum aſcendere & recipere dignantur. *Via iniquitatis odio habenda.*

Tertium impedimentum, veſtes immundæ. Nota: Si à nuptijs punitus & excluſus erat, quia veſtem nõ habuit nuptialem, quomodo non excludetur à cælo, qui immundas habuerit veſtes? Semper obnoxij criminis & facti, ſordidi, immundi, ſquallidi incedunt; illuſtres verò viri & Senatores, veſtimenta candida & alba deferebant. Vnde Tertull. de Reg. carnis. cap. 57. Si famulum tuum libertate mutaueris, veſtis albæ nitore, & aurei annuli honore, & patroni nomine ac tribu menſaque honoratur. Vide quem conuenit alba veſtis: non enim in cælum intrauit, qui ſordidiſſimâ veſte fuerit. Eccleſ. c. 9. *Omni tempore ſint veſtimenta tua candida.* Suadet Eccleſiaſt. ut pro ſua quiſque ſorte curet veſtium ſplendore, & cultu aliquid eximium & illuſtre præſeferre, ne ſordeſcat turpiter in uita, ſed cùm pietatis cultura coniungat etiam cultum corporis, & dignitatem nitidorum veſtimentorum honore libero & ingenuo dignam. In veſtibus albis non tam extrinſeca notanda eſt veſtis quam in- *Sordida veſtis non ad cælum.* *Libertate donati ſerui.* *Omni tempore candida veſtis.*

Veſtis in trinſeca & extr.

trinſeca. Ita namq; Chaldeæ ſcriptu ræ expoſitores habent. Sint omni momento veſtimenta tua cãdida ab omni immunditia peccati, ſint puræ ab omni labe peccati. Pelagius impugnabat veſtium candorem dicens. Gloriam veſtium & ornamentorum Deo eſſe contrariam. Miſer hæreticus decorem impugnabat Eccleſiæ plenum ſenſu myſtico, nam qui maculatam jam conſcientiam, immundam vitam, & ſordidam peccatis animam tenebat, turpidia & maculata illi arridebant. Vndè confutabatur à D. Hieron. Quæ ſunt rogo inimicitiæ contra Deum ſi tunicam habuero mundiorem? Seneca, idem docebat. Non ſplendeat toga, non ſordeat quidem, placet non ex arcula prolata, non ponderibus ſplendere cogentibus preſſa, ſed domeſtica, nec ſeruanda nec ſumenda ſollicitè. Ex quibus verbis & luxuoſa redarguitur veſtis, & commendatur candida & alba. Inſuper ornatus animæ mundus & albedo omnibus perſuadetur. Sophoniæ 1. *Viſitabo ſuper omnes qui induti ſunt veſte peregrina.* Hoc de veſtitu carnis, ad oſtentationem. Sed de veſtitu animæ Prou. vltimo. *Biſſus & purpura veſtimentum eius & ridebit in die nouiſſimo.* Conſcientia munda eſt byſſus & mortificatio carnis eſt purpura bonorum, ideo ridendo moriuntur & læti ad cœlum vadunt. *Ecce video cœlos apertos & IESVM ſtantem à dextris virtutis Dei.* Dicebat B. Stephanus ſub lapidibus Iudæorum moriendo. Apoc. 3. *Qui non inquinauerunt veſtimenta ſua, ambulabunt mecum in albis.* Infero ornatos byſſo & purpura conjuges. Die 27. Auguſti in Calendario B. V. legitur de Sanctis Aurelio & Nataliâ. Viuebant continentes & thoris ſeparati, quod quã ſuperis placuerit, varijs oſtendit Deus prodigijs. Inter cætera vidit Natalia domum ſuam penetrari à turba Monachorum clamantium: Ecce venit. Ecce venit Domina. Succeſſit virgo inæſtimabili ſpecie cultuq; veſtium nimis vernantem, quæ confeſtim adiens virum Nataliæ arriſit ei, hincq; receſſit. Hanc cognouit Genitricem Dei fuiſſe, quæ caſtitatis amantes fouet, ac blandè amplectitur. Vt autem continentiam ſuam cælerant hi Sancti conjuges, thoros ſuos operimentis pretioſis tegebant. Sed in interiori cubiculo extructis è crudis lateribus thoris, ac hiſpidis tantum adjectis è cilicio inſtratis, ſeparatim cubabant, digni poſtmodum facti ſunt martyrio in Hiſpania. Quocirca ad propoſitum Ambroſius & Hieron. candorem veſtium interpretantur Virginitatis puritatem. Et Philo Carpathius in Cant: Pœnitentiam (inquit) ſemper intelligit. Poſſunt veſtimenta gerere cenſeri candida qui ſe à quotidianis peccatis per pœnitentiam lauant & à majoribus ſibi cauent, & quamuis frequenter peccant, tamen per pœnitentiam munditiam ſuam perpetuò ſeruant. Ariſt: 1. Ethic Bona animæ, ſunt maximè bona. Has nec erugo demolitur

Candor veſt à pelagio impug.

Veſtis honorata & chriſtiana.

Byſſus & purpura quid.

tur nec fur aufert, his immortalitatem & incorruptibilitatem corpori promereris, his commutaris ex terreno ſpiritualis etiam in corpore. Laues igitur veſtimenta tua, vt talium hæres fieri merueris.

Quartum impedimentum. Non inclinare caput. Nota: Ad portam Palatij alicuius Principis nedum ſtamus, ſed etiam ut ingredi liceat petimus, inclinamus. Et nulla erat ratio diſcordiarum inter Aman & Mardochæum ante portam Principis, niſi inclinatio non reddita. Quod ſi vt introeas ad Principem ſæcularem te inclinare oportet, multò magis inclinandum ſi in cælum ingredi contendimus. Boet. l. 3. de Conſolat. Gloria mortalium nil aliud eſt, niſi aurium inflatio magna. Igitur ad portam gloriæ æternæ & verú principem mundi & cæli dum ingredi deſideramus, reuerentius inclinandum quàm ante portam & aulam alicuius potentati. Idem Boetius ib: Illa eſt vera & perfecta fælicitas, quæ potentem, ſufficientem, reuerendum, celebrem lætumque perficit. Multa dicit de fælicitate; ſed ſi fælicitatem æternam conſideremus, vnum ex mille vix nominauit. Beatus Albertus Magnus, portam illam arctam dixit, ideò inclinandum caput monuit. At quia anima ſine corpore ingreditur cælum, quomodo illa caput habebit? In via, non in termino, oportet inclinare caput. vnde humilitatem & obedientiam per quæ fit inclinatio nominauit. Et

Capitis inclinatio.

Felicitas.

quia humiliatio eſt nedum corporis ſed etiam ſpiritus, vtrumq́ admonuit. Hinc Eccl. 7. *Humilia valde ſpiritum tuum, quoniam vindicta carnis impij ignis & vermis.* Primam humilitatem dicit expreſſe, alteram tacitè, & qui ſe corpore & ſpiritu non humiliauerit altiſſimo non ingredietur cælum, quia altis & ſuperbis Deus reſiſtit; ſed in vindictam habebit ignem & vermem. S. Ambr. in pſa. 118. concione 20. Omnis ſumma ſtudij noſtri vt ſimus humiliores, veritatem ſequamur. Inflatus caput non tenet, hoc eſt, illam humilitaté Chriſti, qua deſcendit uſque ad crucem deſcendit vſque ad inferos. Hæc humilitas virtutum omnium caput eſt, quæ totum velut quoddam noſtrorum actuum fouet corpus. Feliciſſimum hac in parte B. Hermanũ Socium S. Dominici prædicabo. hic illa ſancta verba: Adoramus te Chriſte & benedicimus tibi, quia per ſanctam crucem tuam redemiſti mundum, vbertim flens & poplite flexo frequenter promebat. Quã cùm ſemel ex intimo corde eructaſſet, apparuit illi Chriſtus & amplexum admouit vulneribus ſacris atque ori ſanguineum rorem inſtillauit. Pſal. 33. *Humiles ſpiritu ſaluabit.* Boetius l. 2. de Conſol. Omne terrenũ negotium ſpernit anima, quæ ſe cælo fruens, terrenis gaudet eſſe exemptam. Vltimum impedimentum ad ingreſſum cæli: Non deferre ſignũ Dei vivi. Nota: Seneca de prudentia: Conſilia tibi ſalutifera aduoca; nullum conſilium ſalubrius atq; ſalu

Humilitas duplex.

Caput inflati.

B. Hermani adoratio.

Christi amplexus.

Deus viuus S. Trinit. tiferum eſt, quàm deferre ſignum Dei viui. Deus viuus eſt S. Trinitas, quia eſt origo & fons vitæ & viuentium; attamen ſingulariter hoc tribuitur Deo Patri, quem & Patrem luminum dicimus. Quadam ſingularitate dicimus Filium Dei Deum viuum, quia ipſe eſt Deus de Deo, lumen de lumine, & vita redemptorum. *Ego ſum via veritas & vita.* Quadam etiam ſingularitate attribuitur & Spiritui S. quia in Niceno ſymbolo, ſpiritum viuificantem profitemur. *Signũ in corde frõte manu.* Quapropter ſignum Dei viui B. Alb. M. poſuit in corde fronte & manu vt repreſentemus, fide, confeſſione & opere. Nam fides à Deo Patre tradita per Chriſtum Eccleſiæ Spiritu S. operante, in fidelibus perficitur. Illud verò ſignum, de quo in Apoc. cap. 6. dicitur: per Angelum, Chriſtum intelligunt Ambroſius, Primaſius, Anſelmus, Beda & alij qui ſignum ponet Tau in frontibus. *Signũ Tau.* Taulerus ex reuelatione Hildegardis, fol. 671. Opuſc. de Vaticinijs ait. Signum Tau in frontibus habent omnes, qui per fidem Chriſti viuam in quodam melioris vitæ initio atque profectu inuenti fuerint at ij erunt immunes ab his plagis, quas Ioannes deſcribit. Verum tale ſignum non erit, quod oculis corporeis cerni poſſit, & per ipſum Spiritum ſanctum Dei viuentis ſigno notatur, & notabatur etiam in primitiua Eccleſia, quia ille ſe liberaliter *Spirit. S. ſignauit nos.* communicat tantâ diuinæ gratiæ affluentiâ, vt eos eximat ab omnibus plagis. 1. Cor. 2. *Qui confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui vnxit nos Deus, & qui ſignauit nos, & dedit pignus Spiritus ſanctus in cordibus noſtris.* Concludit B. Albertus Mag. Signum ſanctæ crucis, eſt primò repreſentandum ante ſignum aliud in anima, vt appareat in corde per fidem, in fronte per confeſſionem, in manu per opus bonũ. Fælix es B. Iuliana Falconeria Ord. Seruorum Deiparæ, quæ in tantum ſponſo tuo Iesu Chriſto & Saluatori ab incunabulis te deuouiſti, vt ab ipſius honore & meditatione paſſionis non deſiſteres. Ecce tuæ carni iuxta cor crucifixi imaginem impreſſit, vt tibi ſit in ſignum, ad ingreſſum cæleſtem & æternum. Seneca: Bonus fruitur bonâ ſcientiâ.

Quomodo domum noſtram ſupra firmam petram debeamus conſtruere?

Matth. 7. *Omnis qui audit verba mea, & facit ea, aſſimilabitur viro ſapienti, qui ædificauit domum ſuam ſupra firmam petram*, & deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cõcidit: fundata enim erat ſupra firmam petram. 1. Nota: quòd firma petra ipſe eſt filius Dei, Chriſtus Jesvs, ſupra quem pijs eleemoſynis & deuotis orationibus ac bonis operibus, necnon & mundis laboribus domus nobis ædificare debemus. Qui enim fide integra, & ſpe firmâ, & charitate perfectâ fundamenta animæ

animæ ſuæ jecerit ſuper ipſum, etiáſi deſcenderit pluuia, id eſt, per voluptates carnis Spiritus inquietetur, & etiamſi venerint flumina, id eſt, per Concupiſcentiam rerum cor impugnetur: nihilominus etiamſi flent venti, id eſt, per ſuggeſtiones diabolicas anima moleſtetur, non tamen cadit domus ſua. Per firmæ enim petræ bonitatem conſeruabitur. 2. Nota quod monet nos Dominus, ne domum noſtram ſuper terram, id eſt, ſuper rerum terrenarum confidentiam conſtruamus. Vndè dicit Luc, 6. *Qui audit verba mea, & non facit, ſimilis eſt homini ædificanti domum ſuper terram ſine fundamento*, in qua illiſus eſt fluuius, & continuo cecidit, & facta eſt ruina illius domus magna. Qui ſuper terrã, id eſt, ſuper huius mundi domũ ſui laboris conſtruxerit, cum venerit fluuius æternæ deſolationis, deſtruetur. Quicquid enim ſuper terram ædificatur, cum terra deſtructa fuerit, deſtruetur. Quod autem terra deſtruenda ſit, teſtatur Iſa: 24. *Confractione confringetur terra, contritione conteretur terra, commotione commouebitur terra, agitatione agitabitur terra.* 1. Per terram enim intelliguntur omnes terreni & peccatores, qui confractione confringentur in mundi conſummatione. 2. Tunc opera omnia peccatorum confringentur contritione, & conterentur in ſententiæ prolatione. Sententia enim Domini, quam Dominus profert in judicio, tanquam lapis molaris conteret omnes peccatores. 3. Commotione etiam commouebuntur in flebili ad inferos detractione. 4. Cùm enim prolata fuerit ſententia, peccatores à Dæmonibus ad inferos detrahentur. 5. Agitatione etiam agitabuntur interminabili cruciatuum paſſione. Cùm enim detracti fuerint ad inferos de vnà pœna in aliam, & de diuerſis tormentis in diuerſa interminabiliter agitabuntur.

ANNOTATIONES.

PRæpara foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum, & poſtea ædifica domum tuam. Prou: 24.

PRæpara foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum, & poſtea ædifica domum tuam. Certos poſuit gradus ante ædificium domus, qui ſcilicet conuenientes ſint ceu materia quædam ad ædificium erigendum. Sicut enim B. Alb: Mag: non intendit in ſermone de domo materiali, qui protegit turpitudinem: vt Eccl. 19. dicitur, ſed de ſpirituali domo; jta & Salomon domum ædificare docuit, quæ æuiternè maneret. Vnde D. Cyrill. Alexandr. in Ioan. l. 3. c. 27. Præparet opus Dei in exitum ſuum; præparet donec in hoc agro ſcilicet mundo eſt, vt cum ſanctitate & iuſtitia pro tribunali iudicis poſſit cõſiſtere. Ad eundem ſenſum & Diu⁹ Greg. l. 10. Moral. c. 11. Euulſis iniquitatis ſentibus, actionem noſtram ad frugem retributionis excolamus, tum donum ædificemus. Præcipitur Moyſi Exod. 25. *Facies mihi ſanctuarium & ibi videbor à vobis.* Domus hæc ædificanda, vt ſit ſanctuarium quoddam, vbi Deus maneat, & videatur ab ædificante. Ita enim B. Leo in ſerm. de Nat. B. V. Mariæ. Oportet quippè

Gradus ante ædificium. *Ædificiũ æternũ.* *Quomodo præparanda Domus* *Sanctuarium.*

Hoſpitium Dei. quippe ædificari domum, in quam deſcendens cæleſtis Rex haberet hoſpitium. Talem igitur domum docet B. Alb. M. vt ædificetur ſupra petram; nam licet venerint flumina, flauerint venti, deſcenderint pluuiæ & irruerint in eam, non cadet. Ex ædificatione materiali, inſtruit ædificationis ſpiritualis modum. Stultus ædificat ſupra arenam, id eſt, impietatem, & diaboli ſuggeſtionem; ſapiens ſupra petram, nempe ſupra Chriſti doctrinam & fidem. Vnde Chryſoſt. hom. 25. in Matth. Op. Imperf. In illa verba adducta à B. Alb. Mag. Matt. 7. Chriſto ergò

Similis Chriſto quis. ſimilis eſt, qui audit verba Chriſti, & facit ea: ipſe enim ædificat ſupra petram, id eſt, Chriſtum, qui eſt omne bonum: vt in quacunque ſpecie boni aliquis ædificauerit, ſupra Chriſtum ædificaſſe videatur: Sicut autem Eccleſia ædificata à Chriſto, dirui non poteſt: ſic talem Chriſtianum, qui ſe ædificauit ſupra Chriſtum, nulla aduerſitas deijcere poteſt; ſecundùm illud Rom. 8. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti.?*

Diabolo ſimilis quis. Diabolo autem eſt ſimilis, qui audit verba Chriſti, & non facit. Verba enim quæ audiuntur & non fiunt, ſeparata ſunt & diſperſa: & ideò aſſimilantur arenæ. Arena etiam eſt omnis malitia, vel etiam mundialia bona. Sicut autem domus diaboli deſtructa eſt; ita tales ſupra arenam fundati deſtruuntur & cadunt. Et erit maxima ruina ipſorum, quia vnde reſurgant nec modum nec medium habebunt. Non autem ſic erit cum ipſis, qui erunt ſimiles Chriſto, quam etſi fornicati fuerint aut homicidiũ fecerint, quia habent vnde per pœnitentiam ſurgant ſicut Dauid & Petrus. Vt igitur ædificare poteris ſupra petram domum tuam, primo Platonis etiam conſilium adhibe: In omnibus rebus dicendis, cogitandis. agendis principium à Domino ſume. Secundò proſequendo opus, audi verba Chriſti & fac ea. Vltimò domum conſtrue cum ſapiente Salomone ex ſeptem columnis, nimirum donis ſeptem Spiritûs ſancti. Ita erit vt tabernacula tua germinabunt. vt Prou. 14. dicitur: *Germinabunt gratiam inhabitationis in te* Spiritus ſancti, & *conſtitutionis* domus ſeu habitationis *tuæ in cælis* Quàm pulchrè de hoc D. Iſidorus l. 3. de Sum. bono cap. 17. *Sancti viri* funditus ſæculo renunciantes, *ita* huic mundo moriuntur, *vt ſoli Deo* viuere delectentur: quantoq; ab huius ſæculi conuerſatione ſe ſubtrahunt, tantò internæ mentis acie præſentiam Dei, & Angelicæ ſocietatis frequentiam contemplantur. Refert Plut. in Alex: Obtulerant illi paridis lyram, & ille repudiauit, arbitratus indignum munus fortiſſimo viro amatorias fides. Me herculè, tacitè admonet Chriſtianum tam magnanimo opere. Licèt ſuggerat amatoria diabolus, licet oculi offerunt delectabilia, licet memoria repræſentat mundana, licet affectus trahit ad delicias, licet caro ſtimulatin.

lat in placita, tu quia ſeruus Chriſti & Dei plaſma es, ea repudiare debes, & arbitrare indigna honori tuo, qui imaginem refers Dei, qui ad cæleſtia es ordinatus. Non habemus hîc manentem ciuitatem ſed futuram inquirimus. Sanctum Theophilum Militem & Mart: exiſtimo hac in parte fælicem, qui cùm ob Chriſti confeſſionem cruci adiudicatus eſſet. vt dicit Sur. in vita ipſius ſuſpenſus in cruce dicebat: Ecce iam Chriſtianus ſum, quia in cruce ſuſpenſus. Gratias ago tibi Chriſte, quia in ſigno tuo leuari me permiſiſti. Ædificauit hic certè ſibi domum in cælis cum illo iuſto latrone, quia hac die de terrena habitatione fuit ad cæleſtem tranſlatus. Attende igitur B. Nili doctrinam in ſent: Tropol. Omnia terrena ſunt corruptibilia, anima verò eſt immortalis, quapropter immortalia corruptibilibus anteferre decet. Vnde ſi domos magnificè conſtruimus pro corpore atq; illius commodo, multò magis ædificare debemus pro anima domos tam in terris quàm in cælis: in terris in Eccleſia militante ex materia virtutum; in cælis, ex deſiderio cæleſtium & contemplatione. Hinc B. Nilus: In Eccleſia non ſecus ac cælo verſare, ideò in ea nihil loquere vel cogita terrenum. Ita enim ædificabitur domus vtraque.

Anima anteferenda.

In Eccleſia vt in cælo.

FERIA II. POST PENTECOSTEN.

Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret; vt omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. *Ioan. 3.*

AD QVID DEVS FILIVM SVVM VNIGENITVM DARET

DEVS filium ſuum vnigenitum dedit, propter tria, videlicet, 1. vt nos ab obſeſſione Dæmonum liberaret. 2 vt nos æternæ vitæ doctrinis illuſtraret. 3. Vt formam viuendi, nobis ſemetipſum demonſtraret. De primo dicitur Lucæ 7. quod IESVS cùm à nauicula egreſſus eſſet ad terram, occurrit ei quidam vir, qui à legione Dæmonum obſeſſus fuit, & qui veſti mento non induebatur, neque in domo manebat, ſed in monumentis, qui etiam vinciebatur catenis & cõpedibus & à cuſtodibus cuſtodiebatur, ſed raptis vinculis agebatur à Dœmonio in deſerto, quem Dominus ab obſeſſione Dæmonum liberauit. Dæmones verò eiecti acceptâ priùs à Domino licentiâ porcos intra-

intrauerunt, eoſq; in mare præcipitantes ſuffocauerunt. Vbi etiam dicitur, quod homines hoc miraculum audientes exierunt, & inuenerunt hominem veſtitum ac liberatum, & ſana mente ſedere ad pedes Iesv. Cui dixit Iesvs: Redi in domum tuam, & narra, quanta fecerit tibi Deus, & abijt per vniuerſam regionem prædicans, quantà illi fecit Iesvs.

Iſte vir ſignificat peccatores, qui à Dæmonibus mentaliter obſeſſi, veſtimentum baptiſmale lacerant, ac ſeſe caſtitate denudant. Et hoc multi incipiunt facere à pueritia, qui & fugiunt domum orationis, vbi Dei Filius immolatur, & verbum vitæ prædicatur, & libentius habitant in monumentis, id eſt in lupanaribus & tabernis, & diligunt conſortia ſcortatorum & potatorum, quorum guttur, ſicut ſepulchrum patens, exaltat luxuriæ fœtorem ac putredinem voluptatis, qui etiam licet catenis decem præceptorum, & compedibus Sanctarum prædicationum vinciantur, omnia tamen hæc diſrumpunt & à Dæmone in loca deſerta ab Angelis agitantur. Loca verò deſerta ab Angelis Dei ſunt illa loca, vbi choreæ ducuntur, & globis ad ſignum luditur, & vbi etiã aliæ vanitates exercentur. Si tamen Dominus tales per ſuam gratiam viſitaret, & ipſi ei per veram conuerſionem ac pœnitentiam occurrerent, proculdubio à Dæmonibus liberarentur. Dæmones verò ab homine verè pœnitente exeuntes intrant in porcos, id eſt homines vitam porcorum habentes, à quibus in mare æternæ amaritudinis præcipitabuntur, ac morte perpetuâ ſuffocabuntur.

Obſeſſo peccatores ſignif.

Et Nota, quod homo per quatuor debet oſtendere, quod verè per Dominum ſit à Dæmonio liberatus. Primum eſt, quod deinceps debet innocenter viuere, ac bonis operibus ſe veſtire. Secundum eſt, quod per mentis tranquillitatem ac corporis ſtabilitatem debet ad pedes Domini reſidere. Tertiùm, quod debet in domum cordis ſui redire & ſemetipſum, vtrum proficiat an deficiat quotidie diſcutere. Quartum quod debet Domino pro beneficijs gratias agere, eiuſq; miſericordiam per bonam vitam prædicare publicè.

Secundo etiam Deus Filium ſuum vnigenitum dedit, vt nos vitæ æternæ doctrinis illuſtraret. Vnde Dominus dicit in Euangel: hodierno Ioan: 3. *Hoc eſt judicium quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem, erant enim eorum mala opera: Omnis enim, qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius.* Nota ergo quod homines propter hoc judicium æternæ damnationis patientur, quia lucem verbi Dei fugiunt, nolentes audire verba ſalutis æternæ. Hinc etiam dicitur Ioan: 3. quod Iesvs, cum diceret carnem ſuam verè eſſe cibum, & ſanguinem ſuum verè eſſe potum; multi

multi audientes ex diſcipulis ſuis dixerunt: *Durus eſt hic ſermo, quis poteſt eum audire, & multi diſcipulorum eius abierunt retrò.* Dixit ergo IESVS ad duodecim: *numquid & vos vultis abire?* reſpondit ei Simon Petrus, & dixit: *Domine ad quem ibimus, verba habes vitæ æternæ, & nos credimus & cognouimus, quia tu es Chriſtus Filius Dei viui.*

Tertiò dedit etiam nobis Dominus Filiū ſuum vt nobis ſemetipſum formam benè viuendi demonſtraret. Chriſtus enim eſt forma vitæ noſtræ. Hæc enim forma repreſentat nobis reformem imaginē munditiæ, miſericordiæ, ſiue beneuolentiæ, & imaginem juſtitiæ, ad quarum imitationem debemus eſſe mundi, miſericordes, & juſti: vt autem huic reformi imagini conformemur, neceſſe eſt, vt credamus in Chriſtum.

ANNOTATIONES.

OSeæ 13. *Ego Dominus Deus tuus in terra Ægypti & Deum abſq; me neſcies, & Saluator non eſt præter me.* Plurimos homo ſibi particulares ponit Saluatores, nā parentes Filijs; amici amicis, Domini ſeruis, principes regnis ſuis ſunt ordinarie Saluatores, ſed Deus eſt & vniuerſalis & intimè particularis Saluator omnium præcipue ſperantium in ſe. *Spera in Domino & fac bonitatem & paſceris in delicijs multis.* Pſal. 36. Vnde Iſidorus lib. 1. de ſum. cap. 17. de Chriſto Filio Dei dicit: Propria Dei dona eſſe, quibus nos nobis reos eſſe oſtendit, qui dum jacemus ſub reatu culpæ, juſtos nos eſſe credebamus. Venit medicus, patefecit vulnus, compoſuit ſemetipſum, & de ſua morte nobis medicinam aptauit, vt non eſſet oſtenſor tantum vulnerum, ſed & ſanator. *Chriſtus medicus.*

Ælianus lib: 9. cap. 23. refert Ariſtotelem egrotantem, medico injungenti ſibi quoddam præceptum, dixiſſe. Ne (inquit) me cures, vel vt bubulcum vel vt foſſorem, ſed prius cauſam ediſſere. Ita Chriſtus cum venit in mundum, prius patefecit vulnus, tum medicinam adhibuit. *Ratio infirmit.*

Quocirca B. Alb. Mag: oſtendit cauſam morbi, diabolum eiuſq; malitiam. Venit (inquit) Filius Dei vt nos ab obſeſſione dæmonum liberaret. Abacuc. 3. *Percuſſit caput de domo impij.* Domus impiorum, eſt infernus, percuſſit Luciperum caput inferorum, & ita nos liberauit à dæmonio. *Diabolus cauſa morbi hum.* D. Aug: in quodā Tract: Hoſtis humani generis diabolus, caput ſcelerum, princeps vitiorum, ſuaſor malarum cogitationum, inuentor mortis, inuentus eſt videre hominē de terra ad imaginē Dei creatū, innocentiâ veſtitum, temperantiâ cōpoſitum, charitate ornatum, ſe autem cum eſſet Angelus omnibus his priuatum, inuidit, talibus bonis ſpoliauit, & peremit. *Spoliator hominum diabolus.* Venit Chriſtus Ieſus Saluator hominis, alter & verior Dauid contra Goliath, & percuſſit caput de domo impij, ac liberum genus humanum fecit. Redi ergo in domum tuam, & narra quanta fecit tibi Deus & Saluator tuus Ieſus. Ita D. Paulus. 1. Cor. 8. *Et ſi ſunt qui di-*

Multi dii & Domini, ſed vnus nobis.

cuntur dij ſiue in cælo ſiue in terra, ſi quidem ſunt dij multi & Domini multi, nobis tamen vnus Deus Pater ex quo omnia & nos in illo, & vnus Dominus IESVS CHRISTVS per quem omnia & nos per ipſum. B. Iacobus Venetus Ordinis S. Dominici in grauiſſimo cancri dolore qui eius pectus inſederat, hoc vnicum loquebatur. Laudetur Iesvs Christvs. Et ſanatus eſt.

Qualis quis eſt, ita viuit.

Pro ſigno 1. liberationis à diabolo. Nota. Ariſt. Ethic: 3. Qualis vnuſquiſq; eſt, taliter viuit. Si eſt probus vir in ſe, probas exercet actiones; ſi iniquus eſt, iniquè agit. Cùm ergò aliquis obſeſſus à dæmone, nec innocenter viuere nec bona agere poteſt, non plene liberatus eſt, nam impeditus, non facit quod vult, ſed quod non vult. Si verò & innocenter viuit, & opera exercet bona, ſignum eſt inquit B. Alb: Mag: quod liberatus jam fuerit. O quam cautè viuendum eſt illi qui liberatus eſt à poteſtate tenebrarum, non enim ceſſauit debellare hominem, licet ſemel victus fuerit ſathanas; ſed diuerſos tentat modos vt hominem ſuperet & ſeducat. Greg. in Moral: Antiquus hoſtis, ex proprio certamine dum ſe ſuccumbere conſiderat, ad alia tentationum bella reſtauratur. Intuetur humani generis vniuſcuiuſq; mores cui vitio ſint propinqui, & illa ponit ante faciem, ad quæ facilius nouit inclinare mentem. In ſacrificio quod Abel & Cain obtulerant Domino, vidit promptitudinem & deuotum feruorem in Abel, auaritiam verò in Cain, & ſuggeſſit Caino, vt holocauſtum macrum offerrat, & quia cum ſummo deſiderio holocauſtum pingue offerebat Abel, quod ſuſcepit ab eo Deus, incitauit inuidiam erga Abel, & ita occiſus à fratre fuit. Oportet igitur liberatum à demonio virtuti innocentiæ & bonis opertibus inſiſtere. Iſid: lib. 2. de ſum: bono cap. 7. Tripartitus deſcribitur eſſe vnius cuiuſq; conuerſi profectus, primus corrigendi à malo, ſecundus faciendi bonum, tertius conſequendi boni operis præmium. Nam quod ait Propheta Iſa: 8. *Solue faſciculos deprimentes.* Mali eſt emendatio; quod verò adjecit, *Frange eſurienti panem tuum,* operis boni eſt actio. In eo verò quod ſubjungit. *Tunc erumpet quaſi mane lumen tuum;* operis boni eſt retributio. Ergo non proficit facere bonum, niſi corruptum fuerit malum; nec poterit quiſquam ad contemplationem Dei proficere, niſi ſe prius in bonis ſtuduerit actibus exercere.

Caute viuendum victori.

Vitia aſſuefacta quam mala.

Pro 2. ſigno reſidentiâ nimirum ad pedes Domini. Nota. Mira diſpoſitio eſt ſupernæ diſtributionis, nam aliquando juſtus amplius juſtificatur, impius amplius ſordidatur: malus ad bonum aliquando conuertitur, & bonus ad malum aliquando reflectitur, vult quis eſſe bonus & non valet, vult alter eſſe malus & non permittitur interire. Attamen ſecurius eſt cum Magdalena ad pedes Domini recurrere, quam cum Iuda deſperare. Sedere ad pedes, ſecundum

dum literam, ad pedes Sanctos eius, vt ſanctificeris in greſſibus & operibus tuis. Sedere ſpiritualiter eſt pedes miſericordiæ & veritatis ipſius imitari. Zachar: 14. *Stabunt pedes eius in die illa ſuper montem oliuarum ad orientem.* Stetit enim in paſſione ſua in cruce ſupra verticem eleuationis miſericordiæ, & omnis gratia ex ipſo orta fuit. Signum ergo liberationis à diabolo ponit B: Alb: Mag: ſi reſidet ad pedes Domini, contemplando redemptionem ſuam & gratias agendo. Hos enim pedes peccatrix vnxit, lauit, terſit & oſculabatur. Vnxit vnguento deuotionis & compunctionis, lauit lachrymis, terſit à puluere capillis Sanctæ cogitationis. Hos pedes adorauerunt Patres. *Adorauimus in loco vbi ſteterunt pedes eius* Pſal: 151. Iuxta hos ſederunt qui doctrina eius fuerunt imbuti. *Qui approquinquant pedibus eius accipient de doctrina ipſius*, Deut: 33. Iſti ſunt pedes qui ſuo pondere omnes conculcabunt inimicos. Pſal: 109. *Sede à dextis meis donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* Tritum prouerbium. *PEDIBVS TIMOR ADDIDIT ALAS.* Puta, ad fugiendum malum: Tu ergò cum deſideras fugere à diaboli malitia & aſtuta ſupplantatione, fuge ad pedes Domini, adde pedibus tuis alas, amoris & timoris. Amoris Dei, timoris gehennæ. Innocentium tertium Pontificem maximum ad hos pedes Domini refert hiſtoria, quod etiam citat in Calendario B: V. Antonius Soc: Iesv. Vidit eum in ſomnis Abbas Ciſtercienſis, velociter currentem ad Dominum in throno ſedentem Angelis circumſeptum, hic voce alta clamabat: Miſerere mihi miſero miſericordiſſime Deus. Sequebatur ipſum draco clamans. Iuſte judica juſtiſſime Iudex. Experge factus, audiuit luctum flentium & dicentium. Heu Papa Innocentius obijt. Refert talis viſio quod ad pedes Domini factus liber à demonio perſequente. Vndè qui ad pedes Domini reſidet, ſecurus ab hoſte manebit. Eccl: 3. *Honora patrem tuum vt ſuperueniat tibi benedictio.* Sumo documentum. Adora Chriſtum redemptorem tuum vt ſuperueniat tibi, liberatio ab hoſte, retributio in cœlis à Deo Patre. Seraphin duo apud Iſaiam pedes Domini obtegebant. Quo ſignificato? Honoris & adorationis. Ergo te magis id decebit, ô homo. Triumphatorum mos erat conculcare pedibus victos. Pſ: 66. *Impoſuiſti ſuper nos capita noſtra.* hoc eſt: De nobis triumphum alijs conceſſiſti. Reſide igitur liberatus ab hoſte animæ ſub pedibus tui triumphatoris & redemptoris, & viues in æternum. Quam pulchrè Iſidorus lib: 1. de ſum: bono. cap: 2. Dum de Deo nec ſecundum quantitatem, nec ſecundum qualitatem, nec ſecundum ſitum, nec ſecundum habitatum aut motum aliquid dignè dicatur: ineſt tamen ei quodammodo latitudo charitatis, quâ nos ab errore colligit, & continet in veritate, ineſt ei longitudo, qua nos lon-

Ad Deum recurrere.

Honoratio & adoratio.

In Deo latitudo longitudo profundũ quomodo.

gani-

ganimiter malos portat, donec emendatos patriæ futuræ reſtituat; ineſt ei altitudo, per quam omnem ſenſum ſuæ ſcientiæ immenſitate exuperat: ineſt & profundum, quo damnandos infernis juxta æquitatem diſponens præordinat. Iſa: 52. *Quam pulchri pedes annunciantis & prædicantis pacem, annunciantis bonum, prædicantis ſalutem.* Cuius ſunt hi pedes! ſunt Domini noſtri Iesv Chriſti, quibus nos ſubmittere verticem, eſt ſanitas; ſubſternere corpora, eſt eleuatio: ſubijcere corda, eſt benedictio & ſalus.

Pedis pulchri Chriſti.

Pedibus ſubmittere verticem.

Pro 3. ſigno quod liberatus ſis ab hoſte animæ, nempe ſi proſpicit ac deficiat vel proficiat in virtute Nota. Exod:38. In introitu tabernaculi erat labium æneum de ſpeculis mulierum, & juxta templum erat piſcina aquæ, & ſic introeuentes poterant ſpeculari & lauari ſi opus erat. Profectò ante ingreſſum ad futuram vitam, debemus ſpeculari faciem animæ noſtræ, nimirum conſcientiam, & ſpeculari clarè lucidè & completè, die omni examinando, an profecimus vel defecimus à bono. Qui enim de continuò profectu non cogitat nec curat, ſignum eſt inquit B: Alb: Mag: quod non fuerit liberatus à Dæmonio. Delicias expellere oportet, inquit B: Nilus Mart: ad opera enim perducunt, & quibus ſuſpiria poſtquam ad ſe reuerſus homo fuerit, oriuntur. Die ac nocte vltima tibi coram oculis verſetur hora, & nullum vitæ deſiderium ad terrena te detrahet. Ezech: 2. Miſſus erat liber Prophætæ ſcriptus intus & foris, ſcriptæ verò lamentationes carmen & væ. Hunc locum dum conſiderat Hugo de S. Vict. ait Conſcientia eſt liber, aperiendus in die rationis & judicij, reperientur ibi remiſſæ culpæ, lamentationes omnes, creaturæ etiam omnes contra peccatores accuſabunt, manifeſtabitur quæ mente & opere fecimus. Iob:20. *Reuelabunt cœli iniquitatem eius & terra ſurget contra illum*, erunt ibi ſcripta tormenta, & væ neceſſe eſt pati pro peccato. Seneca de 4. Virtut. ſi prudens eſſe cupis in futuros proſpectus intentus, & quæ poſſunt contingere animo tuo propone. Nam qui prudens eſt, non dicit, non putaui hoc fieri, quia non dubitat ſed expectat, non ſuſpicatur, ſed cauet. Iſocrates ad Demonicum. Nunquam ſperare debes ſi quid turpè feceris te latiturum, quamuis enim alios lateas tute, tamen tibi conſcius eris. Addit enim Rhadamantus Lucian: Quæcunq; quis malè in vita perpetrauerit, eorum ſingulorum obſcura in anima ſtigmata circumfert. Proſpicere igitur debes & majori ſolertia quam ille centum oculis Argus an proficis vel deficis, an plantas virtutes, vel vitia figis & caue ne de te malè loquantur homines, & Deus ne te puniat. Seneca de Remedijs Fortunæ. Malè de te opinantur homines, ſed mali. Reſpondet: Moucrer ſi de me Marcus Cato, ſi Lelius ſapiens, ſi alter

Curante tabernaculum lauatoria.

Examen conſcientiæ.

Cato,

Cato; ſi duo ſcipiones iſta loquerentur. Homini Chriſtiano magis verendum, ne de te conſcientia tua malè loquatur, quæ eſt dignior fide quàm Catones, nam loquentem malè conſcientiam, vltio diuina ſequitur. Adfero tibi proſpicientem die ac nocte ad profectum & conſcientiam B. Mauritium Ordinis S. Dominici. Hic erat natione Hungarus, ſed mente Angelus. Cùm illi juſta Iaurienſis pontifex perſolueret at Chriſti corpus ad adorandum à populo, eleuaret, omnibus cernentibus Sanctum illud cadauer oculos inſpectandæ hoſtiæ gratiâ aperuit, idem fecit ad eleuationem calicis Domini. Conijce igitur, quam diligenter introſpiciebat conſcientiã, ſi mortui cadauer, oculos ad videndam hoſtiam ſacram, eleuabat? Pind: in Olymp: Thim:8. Orci obliuiſcitur, qui facit ea quæ conueniunt.

Pro 4. ſigno, nempè ſi non agit gratias Deo pro beneficijs, nec miſericordiam eius prædicat. Nota. Graue fuit Chriſto cum decem mundaret, & tantum vnus gratias agit. Vnde dicebat. Luc:17. *Et nouem vbi ſunt. Non eſt inuentus niſi hic alienigena.* Gratus meretur ampliora recipere, ingratus & his priuari debet. Hic admonebat Iſidorus lib: de ſumm: bono. cap: 5. Multis Dei donis gaudemus quæ nos ab eo percepiſſe cognoſcimus. Nam quod ſapientes ſumus, quod diuites, quod potentes exiſtimus, non alterius ſed potius diuino munere ſumus. Vtamur ergo optimè diuinis beneficijs, quatenus & Deum non pæniteat dediſſe & nobis accepiſſe ſit vtile. Antiquitas Romana ædificabãt gymnaſia in altitudinem, & in tres ſcholas diſponebat. In inferiori ad portam, ponebant lemma: *DISCE.* Puta, litteras cum virtute. In media, ponebant dictum: *FAC.* Hoc eſt, Ea quæ didiciſti in prima ſchola cum juniori ætate, nunc in prouectiori. Tam ſtudia quam virtutes, ad exercitium deducas. Oportunum enim pubenrem ætatem & adoleſcentiam exornare factis, & hoc ſapientibus & virtuoſis. Ad ſupremam verò portam claſſis, ſcribebant. *QVIESCE.* Hoc eſt. Accipe honorem & dignitatem, Senatoriam, Regiam, Sacerdotalem. Incomparabiliter majora ex doctrina Chriſti & Dei donis percepimus. Nam ille dat ſapientiam & dona, ille opus tecum exequitur, ille te in quiete æterna collocat. Si ergo Præceptori artium & diſciplinæ non redditur æquiualens, quomodo Deo reddetur? Et ſi gratias agere teneris Præceptori ſcholæ, atq; bona de illo dicere, cur non amplius hæc Deo tuo pro tot benefactis, & gratijs, reddere obligaberis? Ariſtoteles in Poſterioribus lib: 2. duas ponit præcognitiones. Quia eſt, & Quid eſt. Ingrato, duo præcognoſcenda. Primũ. Quia eſt Deus vindex & vltor ingrati. *Vocaui & renuiſtis, ideò in interitu veſtro gaudebo.* Alterum. Quod Deus tuum quid conte-

ret & annihilabit in pœnis æternis, eò, quod gratiam eius qua tibi æternum fœlixq; præparabat donabatq; quid in cœlis, reſpuiſti. Scito & vide quàm amarum ſit te dereliquiſſe Deum tuum. Symbolum gratitudinis Alexander Oliua Cardinalis. Inciderat in fontem triennis & exanimis eductus, mater ad opem B. V. conuerſa, quæ erat propè in Eccleſia P. Auguſtinianorum, & repente viſus eſt moueri & matrem appellare. Mirantes puerum offerunt altari, qui vt vidit Dalmaticam, in qua erat imago auro intertexta B. M. V. digito imaginem oſtendens, & manu complexus Dalmaticam dixit: O mater, hæc mihi manum porrexit in fonte, nec aliquanto ſpatio potuit abduci vt inde diſcederet. Anno 5. Ord. S. Auguſt. traditus & dedicatus. nunquam ex corde beneficium dimiſit, & in ore nomen Mariæ Virg. deuotè tenuit. Et quia Nobilis & Magnarum facultatum Parentes eius fuerant, ſacellum ad fontem erexerunt, & prouiderunt. Factus Cardinalis, quotidie ad Baſilicas S. Mariæ Maioris & Populi gratias referendo B. M. V. frequentabat, Eccleſiam cui ſe dedicauerat in ſaxo ferato ciuitate ſua, munificè prouidit, ſingularem gratitudinem B. M. V. referendo, ſæpius illam conſpexit, atq; extremum diem agendo dixit: *AD NVPTIAS EO.* Et profectò gratus donorum Dei, vadit ad nuptias & gaudia; ingratus verò, vadit ad lachrymas & ſuſpiria.

Ad nuptias eo.

Secunda cauſa propter quam venit Chriſtus in mundum, eſt, inquit B. Alb. M. vt nos æternæ vitæ doctrinis illuſtraret. Nota: Dicitur Eccl. 6. *In multitudine præſbyterorum prudentium conſiſte, & ſapientiæ illorum ex corde coniungere, vt omnem narrationem Dei poſſis audire.* Quid his verbis inſtruitur? Ipſa doctrina vitæ æternæ, quam vt diſſeminaret Chriſtus, venit in mundum prædicauit & prædicare miſit Apoſtolos. Beatus Nilus: Sanctorum gaude colloquio, per ipſos enim Deus tibi manifeſtabitur. At nulli prædicabant, & prædicant, ſed fructũ non afferunt. Vis rationem. Vnam tetigit D. Greg. hom. 10 ſuper Ezech. Neceſſe eſt, vt qui verba Dei loquitur, prius ſtudeat qualiter viuat, vt poſtea ex vita colligat, quæ & qualiter ſit dicturus. Hæc eſt ratio ex parte prædicantis, cur in prædicatione non proficiat Altera verò ratio eſt ex parte audientium, quem tetigit B. Alb. M. dum adduxit illud Ioan. 3. *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem.* Ad hunc ſenſum arguit D. Bern. Vtinam (inquit) ſaperes & intelligeres & nouiſſima prouideres, ſaperes quæ ſunt Dei, intelligeres quæ mundi ſunt, prouideres quæ inferni ſunt: Profectò inferna abhorreres, ſuperna peteres, quæ vana ſunt contemneres. Chriſtus ſummus prædicator hac ex parte non fecit profectum in auditoribus, quia tenebras & opera praua dilexerunt magis. Erat ille in prædicando ceu lignum ſcientiæ boni &

nì & mali, non ſolùm quia nouerat, qui permaneant ad coronam, & qui permaneant ad flammam, ſed qui bonum & malum auditoribus conferre poterat: Bonum, puta præmium in cælis; Malum, ſupplicium in inferis. Attamen magis dilexerunt tenebras quàm lucem. Beda in Gloſ. Ord. Illi magis tenebras quàm lucē diligunt, qui ſuos prædicatores bene docentes odijs & detractionibus inſequuntur. Fæliciſſima atq; ſanctiſſima doctrina Chriſti. nam antequam loquatur dat intellectum ad intelligendum, cùm loquitur aperit ſenſum ad credendum, poſtquam locutus eſt, perficit intellectū ad percipiendum æterna. Hinc Ioan. 3. cum multi ex diſcipulis retro abierunt ab eo, dixit ad duodecim: *Nunquid & vos vultis abire?* Reſpondit Petrus & dixit: *Domine ad quem ibimus, Verba vitæ æternæ habes.* Credimus & cognouimus quia tu es Chriſtus filius Dei viui. Sed ſibi ipſi in culpa, qui præcepta Magiſtri ſpreuerunt. Iſocrates vt refert Cicero de claris Oratoribus. De auditoribus ſuis Theopompo & Ephoro, quorum prior erat acerrimo ingenio, alter leni, dicere ſolebat. ſe alteri adhibere calcaria, alteri frenas. Inuenit modum ſapiens Pædagogus, ingenium & naturam introſpiciendo diſcipulorum. Chriſtus prædicando, tantus Magiſter, non potuit inuenire modum, ob peccati obſtacula, vt fructum in ipſis feciſſet. Magis dilexerunt tenebras, quia opera illorum mala, nec retrahi ab eis cupiebant. Felices Apoſtoli, qui dixerunt: *Verba vitæ æternæ habes.* Crediderant enim, eſſe filium Dei. Expreſſit tantum Magiſterium Chriſti S. Thomas Aquinas, qui in difficultatibus ſcripturarum non niſi ad orationem coram crucifixi imagine, confugiebat. Verba vitæ æternæ Chriſtū Iesvm habere cognouerat & credebat, idcircò, à tanto Magiſtro confirmationem obtinuerat. *Benè ſcripſiſti de me Thoma, quam ergò mercedem accipies?* Prudenter B. Nilus perſuadebat: Cùm operi manum adhibes, lingua cantet, mens oret. Devs enim à nobis vt ſui memores ſimus, exigit.

Credidit S. Thoma verba vitæ in Chriſto.

Tertia cauſa propter quam Chriſtus venit in mundum eſt, vt formam viuendi nobis ſemetipſum demonſtraret. Nota: Dictum Moyſi Exodi 25. *Fac ſecundùm exemplar, quod tibi monſtratum eſt.* erat figura, vt iuxta vitæ exemplar faciamus & viuamus. Hinc dicebat Apoſtolis Ioannis 13. *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, & vos faciatis.* Nam etſi Sanctorum vita ſit nobis in exemplum. (dicit enim B. Nilus: Semper aliquid lucri ex ſanctorum ſpeculatione cōſequi adnitere, formam quoque & aſpectum eorum obſerua, ambo etenim prodeſſe ſolent.) nullum tamē exemplar viuendi efficacius, quàm vita Chriſti, quæ eſt via veritas & vita. Ioan. 3. Vnigenitum dedit, vt homo habeat vitam æternam. Vetus teſtamentum his qui ſeruabant illud,

Fac ſecud. exemplar.

Veteris & noui Teſt: dona.

illud, longitudinem dierum promittebat, Euangelium verò æternam & inſolubilem vitam. Iſocrates candidos pueros ac felici ingenio natos appellare ſolebat, Deorum filios; eò quòd hominis mens, diuinæ ſit originis. Quantò magis eos filios Dei dicemus, qui ſunt ſcientiæ & doctrinæ, morum & vitæ, Chriſti Dei? Ad talem ſcientiam incitabat Sapiens Prou. 27. *Stude ſapientiæ fili mi, & lætifica cor meum.* Sapientia enim vera lætificat cor Dei, & adoptionem filiorum confirmat. Refert Liburnius Venetus in gemmis Platonis: Cùm Perſarum Regum primogenitus in regnum, annum 14. agens, acclamatur. quatuor illi Sapientes electos ex præcipuis Perſarum aſſignant. Hos vocant: Sapientiſſimos. Iuſtiſſimos, Temperantiſſimos, Fortiſſimos. Primus docebat Deorum cultum, atq; idem tradit inſtituta regia. Secundus admonebat, vt in omni vita ſit verax. Tertius, ne vllâ cupidine ſuperetur. Quartus denique impauidum illum & intrepidum ridebat, ne quando quiſpiam metuens, ſeruus fiat. Non modicæ ſunt conſiderationis iſta. Sed quis verum exemplar ſapientiæ, iuſtitiæ, veritatis, temperantiæ, & fortitudinis, demonſtrabit verè? Ipſe qui eſt ſapientia, veritas, iuſtitia & fortitudo. Pſ. 118. Bonitatem & diſciplinam & ſcientiam doce me. Optimè igitur in exemplar vitæ noſtræ veniſſe Chriſtum B. Alb. M. aſſignauit. Dedit enim nobis formam munditiæ, miſericordiæ & iuſtitiæ, viuendi ſcilicet modos.

Deorū Filij.

Regum inſtructores.

Qualiter in Chriſtum credere debeamus?

IN Chriſtum credere, eſt per charitatem in ipſum fluere, vt autem anima noſtra fluat in Chriſtum, ſuam triformem imaginem acceptam, neceſſe eſt, vt liquefaciat eam Spiritus Sanctus. Vnde & ipſe diſcipulis ſuis in ſpecie ignis apparuit. Ignis enim duram materiam diſſoluit & liquefacit, eamq; in formam ſubjectam currere facit; veram, vt oſtenderetur, quod ignis diuinus virtuoſè liquefaciat animam, propterea tanquam ventus vehemens venit Spiritus Sanctus; ventus enim acuit virtutem ignis.

ANNOTATIO.

TRia neceſſaria ſunt eunti ad beatitudinem. 1. Fides. Nam ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, vt dixit Apoſt. Hebr: 11. Spes. Nam Iſidorus de ſummo lib: 2. cap: 4. dicit. Omnis juſtus ſpe & formidine nitet, quia nunc illum ad gaudia ſpes erigit, nunc ad formidinem terror gehennæ adducit. 3. Charitas. Vnde Iſidorus ibidem cap: 3. Sine amore Charitatis, quamuis quiſq; rectè credat, ad beatitudinem peruenire non poteſt, quia tanta eſt Charitatis virtus vt etiam Prophetia & Martyrium ſine illa eſſe nihil credantur. Cùm ergo harum trium virtutum

majoꝛ

major ſit charitas, non ſine ratione B: Alb: Mag: explicauit, quod in Chriſtum credere, eſt per charitatem in ipſum fluere. Fluere, & non ire dicit; quia ire, aliquando tepiditatem & tædium, aliquando moram & retentionem habet. Fluxus verò perpetuitatem & conatum exprimit. Fluere ergo & tendere per charitatem continuam in Chriſtum, eſt verè credere in ipſum. Vnde Io: 5. *Qui credit in eum qui miſit me, in judicium non veniet, ſed tranſiet à morte in vitam.* Quaſi diceret. Fides formata charitate, propter charitatem, non veniet in judicium vt judicetur, ſed vt tranſeat de morte in vitam. Synodum Chalcedonenſem B. Leo Papa in Epiſt: ad Theodoret. Secundam poſt aduentum Domini feſtiuitatem orbis, appellauit. Ratio, quia in ea hæreſis Eutychiana quæ ſacræ incarnationis miſterium abolere præſumpſerat, condemnata fuit. Quid inde colligendum erit, niſi quod qui non habent charitatem in Chriſtũ, illi fidem in Chriſtum habere non poſſunt. Qui verò charitatem in ſe excitant in Chriſtum, illi dilatata charitate, nedùm credere, in Chriſtum actis profitentur ſuis, at duntaxat omnem cordis affectum & deſiderium animæ, ipſi Chriſto conſecrant & retribuere obligatos ſeſe, declarant. Hinc B. Iſidorus Epiſc: Hiſpalenſis in ſent: lib: 2. cap: 3. Qui Dei præcepta contemnit, Deum non diligit. Neq; enim Regem diligimus, ſi odio leges eius habemus. Quomodo igitur fidem in Chriſtum habebis, ſi ipſum non dilexeris. Fides igitur fundat charitatem, & charitas firmat roboratq; fidem. Quocirca Apoſtolus 1. Cor: 13. *Si tradidero corpus meum ita vt ardeam nihil mihi prodeſt.* Quia charitatem non habeo, quæ eſt vinculum omnium virtutum & ligamen indiſſolubile & ſalutis operatiuum.

Quod Spiritus S. liquefaciat animam vt in Chriſtum fluat. Nota. Spirit⁹ S. dicitur nexus Patris & Filij in diuinis, eo quod Pater & Filius ament ſe Spiritu S. Vbi igitur inuenitur amor diuinus, ibi neceſſario & opus Spiritus S. Quocirca B: Alb: Mag: dixit. Non poteſt anima fluere charitate in Chriſtum, niſi fuerit calefacta ab igne, nempe Spiritu S. Apoſtolus charitatem nominauit vinculum perfectionis, dat rationẽ B: Iſidorus, quia vniuerſæ virtutes eius vinculo religuntur. Cùm verò nexus & vinculum idem ſunt, nec differunt, niſi quia nexum ad perſonas diuinas referimus. vinculum verò ad virtutes, ille qui eſt nexus in Diuinis, erit vinculum in virtutib⁹, nempè, Spiritus S. Vt igitur flua anima noſtra charitate in Chriſtum Spiritus S. rogandus, vt tantum donum concedere animabus noſtris dignetur. Vnde Bern: ſupr: Cant: Serm: 18. Spiritus S. gratiâ indigemus vt cuſtodiat corda & intelligentias. Et Serm: 3. Doctrina Spiritus Sancti, non curioſitatem acuit, ſed charitatem accendit. Hinc Spiritus

Spiritus S. in igne apparuit.

ritus S. apparuit in igne, non vt comburat ſed illuminet, non vt exſiccet, annihilando, ſed inflammet, incendendo non vt cinere conſpergat, ſed vt ſplendorem adaugeat. D: Aug: Serm: 185. de Temp: Spiritus S. ſolus aperit oculos & docet veritatem. Gen: 2. *Fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum.* Fluuius dicitur eo, quod fluat ſemper, vnde aqua Fluminis dicitur aqua viua, ob talem motum continuum, aqua ſana ad bibendum & piſces quos producit ſunt optimi. Fluuius irrigans paradiſum eſt Spiritus S. atque gratiâ ſua, qui de ſinu Patris & Filij procedens ſemper infunditur in cordibus fidelium & ſanctorum, doctrina eius ſana & rectà, qui biberit eam, & piſces optimi, hoc eſt merita quæ producit, nam æternæ retributionis digna ſunt. Vnde S Eccleſia canit. *Sine tuo numine nihil eſt in homine, nihil eſt innoxium, laua quod eſt ſordidum riga quod eſt aridum, ſana quod eſt ſaucium. Da tuis fidelibus in te confidentibus ſacrum ſeptenarium. Da virtutis meritum, da ſalutis exitum, da perenne gaudium.* Quibus verbis virtus Spiritus S. exprimitur, quod anima noſtra nil poteſt nec valet, niſi accendatur & inflammetur à Spiritu S. qui eſt ignis & ventus, ignis ad accẽdendum & illuminandum, ventus ad reflandum ne tepeſcat in bono virtutum. Non grauabor adducere in exemplo tantum opus Spiritus S. quomodo ille liquefaciat animam. In Indijs dum fidem S. prædicarent ignaris homi-

Fluuius eſt irrigans paradiſum.

nibus filij S. Dominici, rectis moreſtiſq; actionibus facti ſunt Dei dono accepti regiæ dignitati. Tale Donum Spiritus S. non in temporanea conuerterunt, ſed filiam regis virginem vt Deo conſecraret virginitatem exemplo caſtiſſimæ Virginis Matris Dei, effecerunt. Proceſſit in donis Spiritus S. in ſignum filiæ cœleſtis, illa filia cui in baptiſmo Clara impoſitũ nomen ſuſcepit habitum candidum Ord: S. Dominici. Iuuit interceſſio Sancti ad largitorem donorum, vt virgini Angeli aſſignarentur in conſolationem, & obtinuit 60 Angelos cuſtodes & promotores in cœlum, quam illi deferebant in cœlum. Liquefacta anima virginis dum his contemplationibus extra mundum conuerſatur, ad incruentum ſacrificium liquefactæ, apparuit in hoſtia ſacra Chriſtus in figura quâ peperit ipſum Deipara. Deniq; in ſignum futuræ gloriæ induebatur à Chriſto & B. V.M. veſte ſummi pretij gemmiſq; diſtinctâ. Neſcit parua molimina Spiritus S. gratiâ. Oſeæ 13. *Adducet vrentem ventũ Dominus de deſerto aſcendentem, & deſiccabit venas mortis.* Exponunt Gilbertus & Hieron: de Chriſto, quem miſit pater in mundum ex vtero virginis natum, quæ ſine peccato fuit, qui contriuit mortem. Sed explicatur quoque Oſeæ dictum de Spiritu Sancto, qui in vento apparebat, & quem nobis reliquit Dominus IESVS in conſolatorem, vt deſiccaret malum peccati, & venas mortis tolleret. *Hinc*

Hinc B: Alb: Mag: in hoc ſermone dixit. Vt oſtenderetur quod ignis diuinus virtuoſe liquefacit animam, ideo tanquam vehemens venit Spiritus S. ventus enim acuit virtutem ignis.

Quale bonum conſequitur qui credit in Chriſtum?

QVi in Chriſtum crediderit, id eſt, per charitatem in ipſum fluxerit, hoc bonum conſequetur, quod non peribit, ſed vitam æternam habebit. Et nota quod non perire; ſed vitam æternam habere, conſiſtit in tribus, videl. in ſupercæleſtium bonorum vbertate, in felici corporis, & animæ ſanitate, in diuinæ cognitionis infaſtidita ſacietate. Ille enim non perit qui in æternis bonis cum amicis innumerabilibus deliciatur. Ille enim non perit, qui nulla infirmitate vel dolore grauatur. Ille etiam habet vitam æternam, qui Beatæ Trinitatis faciem jugiter contemplatur. Vnde ipſa veritas dicit: Ioan: 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti IESVM Chriſtum.*

ANNOTATIONES.

QVi ex fide ſunt, benedicentur cum fideli Abraham. ad Gal: 3. Benedictio, eſt bonum credentis. At majus ad huc credenti promittitur bonum & infinite infinitum bonum, ſi ei vita æterna donatur pro fide. *Hæc eſt vita æterna* dicitur Io: 17. *Vt cognoſcant te ſolum verum Deum & quem miſiſti IESVM Chriſtum* Vnde S. Hilar: 3. de Trinit. In quo æternitatis vita eſt oſtendit cum ſubdit: *Hæc eſt autem vita æterna &c* Vita eſt verum noſſe Deum, ſed ſolum hoc non facit vitam, quid ergo connectitur, *Et quem miſiſti IESVM Chriſtum.* In quibus verbis S. Ioannis offerunt ſe duæ quæſtiones vna cum Arrianis altera cum Caluiniſtis. Arriani ex hoc loco propter hoc additum ſolum, intelligunt ſolum Patrem verum Deum. Solum juſtum, ſapientem, ſeparant ab his Filium Dei. Ratio illorum. Quia propria non participantur ab altero. Ac per talem ſeparationem inquit. Hilar: lib: 4. erit juxta illos, falſus, injuſtus, inſipiens Chriſtus. Sed reſpondet idem D. Hilar: lib: 5. Nulli dubium veritatem ex natura & ex virtute eſſe. Verum enim triticum comminutum in farinam & coctum, reddit ex ſe & naturam panis & munus. Quæro ergo quomodo filio veritas deſit, cui non deeſt Dei & natura & virtus. Naturæ enim virtute vſus eſt, vt eſſent quæ non erant, & fierent quæ placerent. Non enim vnigenito Deo naturæ demutationem, naturalis natiuitas intulit.

Credẽti in Deum donatur vita æterna.

Reſpondet quoq; D. Aug: ſolum Verum Deum & eſſentialiter & notionaliter intelligere poſſumus Sunt enim tria ſimul ſumpta Pater Filius & Spiritus S. ſolus verus vnus Deus, non tres Dij. Separatim quoq; ſumpta

pta Pater eſt ſolus verus Deus. Filius ſolus verus Deus. Spiritus S. ſolus verus Deus. Vtrumq; ergo teſtimonio Domini inſtruimur. *Hæc lib: 6. de Trin: cap. 9.*

Altera eſt quæſtio ex hoc loco cum Caluiniſtis qui docent ad conſecutionem vitæ æternæ ſufficere vnius Dei & Filij eius redemptoris notitiam, etiam ſi quis ab Eccleſia Dei alienus ſit. Sed reſpondetur non ſufficit ad ſalutem ſi quis Patrem & Filium cognoſcat, niſi cum Patre & Filio ſocietatem habeat, quam non habet qui eam non habet cum membris eius Filij. Non enim ipſa rerum natura patitur, vt ſocietatem habeat cum capite, qui ſit alienus à corpore. Aug: Tract: 45. in Ioan: Non poteſt quiſquam per oſtium id eſt Chriſtum ingredi ad vitam æternam quæ erit in ſpem, niſi per ipſum oſtium, id eſt, per eundem Chriſtum in Eccleſia eius quæ eſt ouile eius, intrauerit ad vitam temporalem, quæ eſt in fide.

Non conſequitur ſalutem alienus ab Eccleſia.

Cum igitur vita æterna poſita eſt in cognitione Dei, quanto ergo magis aliquis proficiet in cognitione Dei, tanto etiam magis proficiet in vita æterna. Et quia talis cognitio eſt per fidem, rectè concluditur quòd qui crediderit in Chriſtum, vitam æternam in retributionem habebit. Chriſtum in cruce expanſum & cruentatũ ſanguine conſidera mente. Quid cordi noſtro inſinuat? Hoc ſitientes venite ad aquas. In regno verò cœleſti à throno Patris inuocat Chriſtus fideles dicens. *Venite, poſſidete regnum, vobis paratum.*

De primo in quo conſiſtit, non perire, ſed habere vitam. Nota. Eccleſ. 2. *Qui timetis Dominum, credite illi, & non euacuabitur merces veſtra.* Nulla tanta vbertas, nullibi tanti theſauri vt non poſſint exhauriri & euacuari, niſi in cælo. Terrena enim omnia cum ſuo decore & ſplendore, vel diuturnitate temporum, vel mutatione regnorum, vel poſteritatum & ſucceſſorum periodis tolluntur, pereunt, annihilantur. Vnde Salomon Eccleſ. 12. *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Inchoata ruunt. Tempora temporibus cædunt. Deus autem in gloria ſua ante ſæcula eſt & manet in æternum. Vnde Lucæ 12. *Theſauriſate vobis theſauros in cælo vbi nec fur nec tinea nec ærugo* audent nec vigent. Equidem non auris audiuit, non oculus vidit, nec in cor hominis aſcendit quæ præparauit Deus diligentibus ſe, At tamen nullus eſt, qui ſummum non coniecturetur in patria cæleſti, bonum. B. Nilus in ſent. Tropol: Bonorum futurorum multitudo pulchritudo & magnitudo eſt inexperta, at præſentia, vmbra, fumus, bulla. Quocircà, terrena negligenda, & cæleſtia deſideranda, in terrenis enim concipitur triſtitia & generatur mors, in cæleſtibus verò bonis concipitur vita & generatur beatitudo. Boet: libr: 3. de Conſol. Ad verum bonum naturalis ducit intentio, ſed ab eodem multiplex

error abducit. Corrige igitur errorem virtute, non peribis, & vitam æternam poſſidebis.

Sed ad gloriam cæleſtem reuertamur. Audiſti de prodigo filio? conſidera quantus erat cum à patre amplexatus fuit, togâ, annulo, delicijs ditatus. Amici circumſeptum videntes congratulabantur, ſerui ad genua veniebant, cognati faciem deoſculabantur. Ita cogita de peccatore conuerſo ad Deum, de homine in originali nato ſquallore, qui indignus erat in terris honore, ecce ab Angelis ſuſcipitur, à Sanctis Prophetis viſitatur, à Patriarhis honoratur; à Sanctis gloria, à ſpiritu S. decore, à filio Dei amore, à Patre Deitatis origine, corona dignatur. Quot ibi amici, quot reges mundi, magna gloria in ſæculo Principes illi ſubſeruiunt, eum obſeruant; magnoque adhibito honore, vt conprincipem, vt regni hæredem, vt cælorum compatriotam, vt Dei patris aulicum, filij Dei cohæredem. Spiritus S. creaturam, reuerentur & congaudent. Aliquam ſcintillam beatitudinis glorioſæ & leticiæ ſanctorum ſuſpicari vel inde liceat. Henricus S. Dominici filius & Ordinis frater, de quo in SS. Belgicis cum ſtudij vel orationis cauſa lumen haberet, illud extinctum eſt, & ſtatim circumfulſit eum lux magna, è qua quaſi muliebris vox prodire videbatur. Qui ſtupefactus ait: Deus meus quæ eſt hæc vox quã audio. Ego ſum (inquit) Maria mater Chriſti: Cui ille, ô Domina oſtende mihi tuam faciem gratioſam. Quæ reſpondit, adhuc puer es creſce & videbis me. Et cum ipſum multoties à dæmonibus liberaſſet, morienti adſtitit, & animam eius ſuſcepit. Dicite, quantam ille dulcedinem in corde, quantam læticiam in fronte, quod gaudium in totis ſenſibus retulit, dum ſe circumſeptum tanto lumine, recreatum inauditâ voce, retractum à ſæculo tam feliciter, vidit & ſenſit? Res eſt, quæ exprimi non poteſt, laudari autem, ſatis nequit. Multò igitur excedit intellectum, illa gloria, beatitudo, ſocietas, & cæleſtium amicitia, quam Sancti diuino munere recipiunt in cælis.

De 2. in quo conſiſtit habere vitam æternam. Nota. Sanitas animæ, corporis ſanitatem meretur. Et cum precamur alicui: Sit tibi mens ſana in corpore ſano, non id quod deterius eſt præponimus, ſed quod præſtantius. Non enim ex ſanitate corporis eſt ſanitas animæ, ſed è contra. Vnde Philoſ. Forma corporis eſt anima Quocircà Chriſtus ſanato infirmo dicebat Ioan. 8. *Vade & amplius noli peccare.* Indicauit, ex infirmitate animæ accidiſſe infirmitatem corporis. Poteſt etiam corpus fieri infirmum, & animꝰ erit ſanus. Nam Martyres ſub gladio & lapidibus poſiti, laudabant mente Dominum nec erant infirmi in anima. Dicit ergo B. Alb. Magn. non perire ſed vitam æternam habere, con-

re, conſiſtit in fælici corporis & animæ ſanitate. Ille enim non perit qui nullâ infirmitate vel dolore grauatur. Fortè reſpexit ad primos parentes poſitos in paradiſo, qui nullam infirmitatem, defectum, & dolorẽ poterant ſentire, ante peccatum. Ita qui nec corpore nec animo æger ſignum ad beatitudinem æternam habebit. Vnde laudat ſacra ſcriptura Sanctos Patres etiam ex eo, quod oculj eorum non caligauerunt, dentes non ceciderunt. Ponit Seneca l. de Moribus licentioſa mancipia, quibus homo in infirmitatem deuenit in quo ſi cautus homo erit ſanitatem vtramq; conſeruabit. Dicit ille: Licentioſa mancipia, animi imperio rege. Linguam, libidinem, ventrem cupiditatemq; comprime. Qui enim propter pecuniæ amorem & libidinem moritur, oſtendit ſe nunquam ſui cauſa vixiſſe. Dicitur Matthæi 5. *Beati mundo corde, quoniam ipſi DEVM videbunt.* Quaſi diceret: Cor immundum & maculatum peccatis, inferos & Luciperum videbit. Peribit & vitam æternam non habebit. Infirmitas enim cordis eſt immunditia, ſanitas verò munditia. 3. Reg. 9. Non apparuit Heliæ Deus in tẽpeſtate, in turbine, in terræ motu, in igne, ſed in ſereni & tranquilli aeris flatu. Iſta enim ſignificant infirmitates animæ; tranquillitas verò, ſanitatem illius denunciat. Hinc B. Nilus: Carnis voluptates odio proſequere, nam corporis ſordes, animam quoq; inficere ſolent. Vt verò

Infirmitas cordis qua?

ſis ſanus mente & corpore; remediũ adfero S. Ludouici Bertrandi Ord. S. Dominici: Hic Proregi Aragonici regni, Iacobo Ferrerio in quodã maximo damno vt recuperaretur, dedit remedium. Recita (inquit) vicibus nouem: Magnificat. Fecit, & inuenit amiſſum. Periclitanti verò mulieri nobili ad partum, iuſſit tenere candelam benedictam in manu, & in altera chartulam, in qua ſcriptum erat: Neſciens mater virgo virum, peperit ſine dolore Saluatorem ſæculorum, ipſum regem Angelorum, ſola Virgo lactabat vbere de cælo pleno. Ad omnem verò præſeruatiuam mali, Roſarium Deiparæ integrum quotidie recitabat, illud ſemper ſecum deferebat, etiam noctu, quo tempore illud ad collum appendebat. Et hoc vltimũ didicerat ex geſtis S. Dominici. qui ceu generale antidotum & præcipuum infirmitatis Pharmacum Roſarium ſacrum B. V. M. prædicabat. Sed ſanitatem animæ & corporis his concludamus B. Iſid. de ſum. bono, l. 3. c. vlt. Finem iuſtorum optimũ, vocatio tranquilla commendat, vt ex eo intelligantur Sanctorum habere cõſortium Angelorum, ex quo ab hoc corpore; ſine vexatione dura tolluntur.

Pro 3. in quo conſiſtit habere vitam æternam. Nota Dicit B. Alb. Mag. Ille habet vitam æternam, qui beatæ Trinitatis faciem iugiter contemplatur. Eſt hæc planiſſima veritas, & maior illa. Ortus eſt Sol, ergo dies.

gò dies eſt. B. Fulg. l. 1. ad Moni-
num, c. 16. Quia Deus ſuos iuſtifi-
cat & glorificat, ſicut gratiæ ipſius
opus eſt cum iuſtos facit ſic gratiæ
ipſi9 opus erit cùm faciet glorioſos.
Vnde increpabat Saluator Iudæos.
Quomodo poteſtis vos credere, qui
gloriam ab inuicem accipitis. & glo
riam quæ a ſolo Deo eſt non quæritis
Hæc ille. Et inchoatur & perficitur
gloria Sanctorum ab ipſo Deo. Sed
B. Alb. M. non contemplationem
illam, quæ eſt in patria viſio Dei hîc
intellexit, at illam quæ viatori con-
ſentanea eſt, contemplatio ſcilicet
per fidem Sanctiſſimæ Trinitatis in
ſpe firma & charitate perfecta.

Talem contemplationem inſtru-
it quemq; Chriſtianum ſancta Ec-
cleſia; dum ad fontem ſanctificatū
in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis,
infantes & adultos baptizare man-
dauit. B. Fulg. ad Traſimundum l.
2. cap. vlt. Si omnis Trinitas in ba-
ptiſmate ſanctificare creditur, om-
nis vtique Trinitas adeſſe monſtra-
tur. Et in hoc fidei Catholicæ ve-
ritas agnoſcitur. Quàm plurimum
iuuet hominem talis meditatio San-
ctiſſimæ Trinitatis; perpulchrè o-
ſtendit Granatenſis in meditationi-
bus. Memento quod ſemper aſtat
animæ tuæ tanquam creator & gu-
bernator, qui te conſeruat in tuo eſ-
ſe Deus. nec contentus quod ſic a-
ſtat, adeſt etiam tanquam iuſtifica-
tor conferens gratiam, amorem: &
multas ſanctas inſpirationes atque
deſideria. Ille ſit teſtis vitæ tuæ, il-
le ſocius peregrinationis, illi partē
tuorum negotiorum trade, illi te in
omnibus tuis periculis commenda,
cum illo nocte fabulare in ſomno,
cum illo manè expergiſcere. Ali-
quando contemplare illum glorio-
ſum inter Angelos in cælo, aliquan-
do tanquam hominem mortalem
conuerſantem in terris. Nunc in ſi-
nu Patris, nunc in brachijs matris;
nunc iunge te orationi eius in hor-
to, nunc ſequere illum in Caluariam
nec deſere pendentem. Ad menſam
condimētum ciborum ſit fel & ace-
tum, potus fons ſanguinis. Cùm i-
turus cubitum, imaginare lectulum
tuum eſſe crucem eius, ceruical co-
ronam eius. Induis vel exuis veſti-
menta, cogita quanta cum ignomi-
nia Chriſtus nunc exutus, nunc in-
dutus fuit veſtimentis. Plurimum
delectantur oculi ex contemplatio-
ne tabularum, in quibus pictores,
tres diuerſas figuras depingunt: Re-
ctè aſpiciendo, vident Saluatorem
ſtantem ad columnam à parte vna,
iconem B. V. M. à parte alia, mor-
tem, vel quid ſimile. Magis deuotus
homo delectatur ex contemplatio-
ne Sanctiſſimæ Trinitatis. Sperat e-
nim ex hoc illud Apoſt. 1. Cor. 13.
*Videmus nunc in ſpeculo & in ænigmate, tunc
autem facie ad faciem.* Eſt theſaurus in-
æſtimabilis contemplatio Trinitatis
Si ex contemplatione Natiuitatis
Chriſti, B. V. M. matris, & Ioſeph
illis inſeruientis, nati erant tres la-
pides in corde B. Margarethæ de ca-
ſtro Monialis S. Dominici, in vno la-
pide effigies B. Virg. cum corona, in
altero

Tres lapides in corde.

altero Iesvs natus iacens inter animalia, in tertio S. Ioſeph. ad cuius pedes hæc Monialis Beata genufle-ctebat, quid igitur contemplator verus S. Trinitatis non recipiet pretioſitatis ex tali contemplatione? Dicebat hæc virgo: O ſi ſciretis, quantus in corde meo lateat theſaurus. Dicet pius meditator S. Trinitatis; ô quantus theſaurus in anima mea ex contemplatione vnius & trini Dei apparebit in cælis? Diuus Greg. in Moral: Apertè tunc videbimus quomodo & vnum, viſibiliter tria ſunt, & indiuiſibiliter tria, vnum.

Theſaurus magnus.

Videbimus S. Trinit.

Quod malum incurret qui non credit in Chriſtum?

QVi in Chriſtum non crediderit, id eſt, per charitatem in Chriſtum non fluxerit, peribit, & morte morietur æternâ. Peribit inquam tripliciter: 1. videlicet aquæ ſubmerſione. 2. Ignis combuſtione, 3. & multiplici infirmitatum oppreſſione: peccatores, qui in Chriſto inuenti non fuerint, tanquam plumbum in aquis vehementibus ſubmergentur, igne æterno comburentur, & diuerſis infirmitatum doloribus affligentur. Væ ergò ei, quem ſic perire contigerit. Vnde Aug. in Enchir. Perire à regno Dei, exulare à ciuitate Dei, alienari à vita Dei, carere tam magnâ multitudine dulcedinis Dei, tam grandis eſt pœna, vt ei nulla poſſint tormenta, quæ no[...] uimus comparari: morte etiam morientur æternâ, qui non credunt in Chriſtum, id eſt, qui per charitatẽ non fluunt in ipſum. Quid autem ſit mors æterna, dicit Bernar. Mors æterna eſt, quæ omnem tolerantiam excedit: cui nulla conſolatio ſuccedit: à qua deſperatio nunquam recedit. Rogate ergò Deum Patrem, vt igne S. Spiritus liquefacti ſic per veram charitatem fluamus; vt filium ſuum vnigenitum, & vitam æternã cum electis poſſidere valeamus.

ANNOTATIONES.

CLarâ ſententiâ prolata in non credentes in Chriſtum Ioan: 3. *Qui non credit in eum jam judicatus eſt, quia non credidit in nomine vnigeniti Filij Dei.* In quem locum D: Aug: Tract: 12. Quid autem dicturum ſperabas de eo qui non credit, niſi quod judicatur! Sed vide quid dicit. Qui autem non credit jam judicatus eſt. Nondum apparuit judicium, & factum eſt judicium. Nouit enim Dominus qui ſunt eius, nouit qui permaneant ad coronam, & qui permaneant ad flammam. Habet Plut: in Apoph: Rom: Scipio Iunior C. Liuium prætereuntem cùm vidiſſet, inquit: Hunc virum ſcio peieraſſe, verùm quoniam nullus illum defert, non poſſum ſimul & accuſator eſſe & judex. Iuxta rationem legum ſcriptarum proceſ-ſit. Sed Deus judex hominis, quem conſcientia ipſa accuſat: ideò vir[...] dex & judex eſſe poteſt, & in vita [...] & in [...]

& in hominis morte. Quocirca admonebat B: Nilus Mart. & Epiſc: Cùm à Deo corriperis ne murmura, nam vt pater caſtigat. ideò tanquam benefaciens gratiarum actione dignus exiſtit. Ad flagellum Dei, rectè adhibe lemma. *SANITAS ANIMÆ.* Caſtigat enim & flagellat, vt in æternum parcat. Et ſi condemnat, non ſine miſericordia, nec de condigno, plura enim meruimus, condemnat, quocirca dum in via ſumus excitemus animum, cum Pſal: 114. *Conuertere anima, mea in requiem tuam quia Dominus benefecit tibi, eripuit animam de morte, oculos tuos à lachrymis, pedes tuos à lapſu.*

Mali adhuc in vita puniuntur.

De aquis in quibus ſubmergentur. Nota. Sicut boni, adhuc in vita præmiantur, ita mali adhuc in vita puniuntur. Quocirca per aquas in quibus ſubmerguntur non credentes in Chriſtum ex obſtinatione & malitia, intelligere debemus pœnas peccati & afflictiones, quibus adhuc in hac vita puniuntur. Sic factũ cum Lucifero, qui poſt ſuperbiam ſtatim exturbatus è cœlo; ſic factum cum Adamo in paradiſo, cum Pharaone in Mari; cum Saule, qui regno priuatus; cum Nabuchodonoſore qui in beſtiam transformatus. Cùm Antiocho qui teterrimâ & viliſſimâ obijt morte, ſubmerſi in aquis tribulationum vt lapis, Chryſoſt: Epiſt: ad Theod: Num vidiſti quoſdam qui in delicijs, ebrietatibus, & in reliquo hujus vitæ ludibrio, mortui ſunt? Vbi nunc illorum tumida ſuperbia, vnguenta, ſcenæ, cænarum ſumptus, immodicus riſus, cogitationis diffuſio, vita molis, otioſa, luxa perdita vbi? Euolarunt omnia. Corpus abijt in ſepulchrum, contemplare eorum cineres, puluerẽ, vermes, & amarè ſuſpirabis. Quod ſi his addideris, dæmonum inſultus dum è vita exibant, terrorem morientis, deſperationem, & flatum miſerabilem, mutationem ſenſuum, horrorem animę, judicem verum, conſcientiam apertam, quid mali non ſuſpicaberis? ſi dignè atriti malis, puniti in filijs, orbati in neceſſarijs fuerunt in vita, quę illos expectabunt mala poſt mortem? Optime de conditione hominis poſt mortem D: Bern: Quid cadauere magis fœtidum! quid homine mortuo magis horrendum? qui & vultu venuſto & ſtaturâ formoſa erat dum viueret; poſt mortem aſpectu horrendo jacet. Hominem enim mortuum ſequitur vermis, putredo & horror. Quod ſi conditio tam lachrymabilis poſt mortem, quam multo lachrymabilior erit eius mors qui ob infidelitatem vel ſuperbiam aut aliquod graue ſcelus condemnabitur in infernum. B: Nilus Mart. Qui voluptatibus obſcenis detinentur, quàm breuì illis frui concedatur, quàm diu verò pro eis pœnas ac ſupplicia expenſuri ſunt, cogitent. B: Alb: Mag: ponit primò quòd patientur ſubmerſionem. Alia profectò hæc eſt pœna ab ea ſubmerſione in aquis elementaribus. Iob: 24. Aquas niuium ponit. *Tranſibunt*

ſibunt (inquit) ab aquis niuium. Quo ſignificatur quod impiæ animæ acerrimũ frigus in illa ſubmerſione glaciali patientur. Sed comparatio hæc aliquam tantum exprimit ſimilitudinem, pœna enim illa frigiditatis excedit imaginabile frigus. Tantalus in aquis ſubmerſus, vidit tamen poma licet veſci non dabatur illis, dicunt Poëtæ. At in his aquis glacialibus ſubmerſi infideles & impij ſemotâ omni ſpe & conſolatione poſt aliquot mille annorum extracti, ad ignem eijcientur. Ibi erit fletus & ſtridor dentium. Pſal: 27 *Da illis ſecundum opera illorum & ſecundum opera ad inuentionum ipſorum.* Iſidorus lib: 1. de ſumm: cap. 32. Sicut vnusquiſq; Sanctus in futuro judicio pro quantitate virtutum glorificabitur: ita & vnusquiſq; impius pro quantitate facinorum condemnabitur, nec deerit in ſupplicio futuro damnationis ordo, ſed juxta qualitatem criminum, diſcretio erit pœnarum, vt alius alio ſit miſerior. Ad euitandam igitur tantam pœnam in ſæculo & poſt mortem, adduco in monitoriũ ſempiternum. Inquit Molanus ad 5. Febr. Conſtanti fama traditur, Gandaui B. Bertulphum Confeſſorem edere circa ſuum feretrum pulſum velut manibus, dum grauis aliqua imminet vltio. Et ita monentur fideles vt fletibus, & fructibus pœnitentiæ, iram Dei accenſam placant. Ita nos mala imminentia peccatores tam in vita quam poſt mortem, ponamus ob oculos & mentem, vt

Tantalus.

Damnati in inferno diuerſas pœnas ſuſtinent iuxta diuerſitatem criminum.

ſi quæ feretrum noſtrum peccata & ſcelera non conturbabant, penſemus Quod ſi ſentimus & conſcientia dictat, moueamur in lachrymas & ad pœnitentiam accendamur, Audiamus D. Bern: Fugite de medio Babylonis, & ſaluate animas veſtras, conuolate ad vrbes refugij, vt poſſitis de peccatis agere pœnitentiam, & in præſenti obtinere gratiam, & futuram gloriam finaliter præſtolari.

De igne. Nota. Alteram pœnã corum qui in Chriſtũ non credunt ponit B. Albertus ignis combuſtionem. Dicerem quod temporali igne bona infidelium punit Dominus, imò & eorum corpora. Nam ſi ſanguinem ſeruorum ſuorum vlciſcitur, magis vlciſcetur iniuriam filij ſui, ſed quia nedum temporali ſed æterna quoq; pæna eiuſmodi non credentes punit ideo de pæna inferi & igne magis intelligendus B. Alb. Mag: Equidem dicit. B. Aug. lib. 20. de Ciuit. cap 16. Ignis æternus cuiuſmodi ſit, hominem ſcire arbitror neminem, niſi forte cui ſpiritus Domini oſtendit. At ſi conſiderabimus ipſum ignem elementarem, ille propter hoc quod eſt inter elementa maximæ virtutis in agendo, alia corpora pro materia habet; dicitur 4. Metæorum. Quid igitur dicemus de virtute illius ignis quem Deus inſtituit ad puniendos damnatos? Greg. 15. Moral: cap. 14. ad locum Iob. 20. dicit. *Deuorabit eos ignis qui non ſuccenditur.* Ignis

Ignis gehennæ licèt ſit corporeus & improbos corporaliter exurat, non ſtudio humano ſuccenditur, nec lignis nutritur, ſed creatus ſemel durat inextinguibilis, & ſucceſſione non indiget, & ardore non caret. Quapropter non lucet, tenebras tenet. Quo aliquas differentias ab igne noſtro habere oſtẽditur. Mat. 22. *Mittite eum in tenebras exteriores.* Vt ita & pœna corporali & ſpirituali punirentur impij tam in corpore quàm in anima. Horrendas pœnas Pſ. 10. legimus. *Ignis & ſulphur & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.* Si ſolum pars eſt, quæ erunt in toto pœnæ! Aug. lib. 20. de Ciuit. cap. 22. In pænis malorum inextinguibilis ignis & viuacissimus vermis. ſiue hoc de pæna corporis, ſiue de pæna animæ intelligamus, inexplicabilis pæna. Æternitas enim in pænis ſenſualibus corporis & ignem & vermem habebit infatigabilem, & anima vermem & ignem eo ardentius ſentiet, quo magis hæc duo, in pænam ſibi paratam experimento vero comprobabit. Ignem hunc, elementarem excedentem virtute, ſi in ſymbolum aſſumere licebit non aliud lemma dandum, niſi: *HEV HEV ÆTERNITAS.* Narrat Paleonidorus li. 3. Dum à Clericis malis multa paterentur Ordines Mendicantium opem B V. implorabant. Apparuit Priori Generali Ordinis Carmelitarum B. V. M. 1245. dixitq; Vade ad Innocentium IV. intrepide, qui iuxta ſui nominis interpretationem partes Innocentium fouebit. Iuit & quicquid voluit obtinuit. O quam fælices animæ eſſent ſi eiuſmodi indultum obtinuiſſent in inferno, ſi dictum eſſet illis. Ite ad vicarium Chriſti. Amplius non datur Iubileum. Heu heu Æternitas. Vtinam non nota fuiſſes Igitur dum tempus habem⁹, operemur bonum. Et ſi contingit peccare, pænitentiam faciamus. Deus miſericordiarum Pater, & Deus omnis conſolationis, miſereatur noſtri. Satagite vt per opera bona certam electionem veſtram faciatis.

De multiplici infirmitatum oppreſſione. Nota. Riuulus ante torrentem. eſt pæna temporalis ante æternam. Multis infirmitatibus merito opprimuntur, qui in æternum puniendi erunt. Nam licet afflictiones & pænas ſequatur ceu terminus mors, illa tamen non erit terminus malorum in damnandis, ſed initium malorum in æternitatem; *Mors malorum initiũ pœnarum æternarum.* quoniam ſententiam damnationis quæ inflicta eſt damnato, adhuc in nouatio malorum reſeruata manet vt accidentales recipiat pænas, pro illis quos ſcandaliſauit vel ad peccandum inſtruxit, induxit. Quocirca Eccl. 18. *Ante languorem adhibe medicinam, & ante iudicium interroga ſe ipſum & in conſpectu Dei inuenies propitiationem.* Quid ergò miraris quod Iudas crepuit medius, & Petrus liber extitit? Venditio & negatio Chriſti, auaritiam & infidelitatem fundant.

fundant. Quod malum his duobus maius fuerit non quæro, ſed cur operator vnius mali gratiam, alter condemnationem meruerit, expendo. Redit Petrus ad ſe & interrogauit ſe ipſum, atq; exinde amarè fleuit. Iudas verò nilhorum arripuit, at de profundo malo ad aliud profundum, deſperationem (inquam) declinauit, & idcircò in æternum perijt. Ariſt. in 8. Phyſ. In circulo, non eſt dare principium nec finem Ita quia in circulo impiorum ambulando non redijt Iudas ad ſuum principium, Petrus verò redijt, iſte ad finem non peruenit interitus ſed ad initium boni, ille vero, principium mali crepando medius inchoauit, & in perpetuæ damnationis chaos introiuit. Hinc B. Iſidor. lib. 3. cap. vlt. Prauos homines Apoſtatæ Angeli excipiunt morientes, vt eis ſint ipſi tortores in pænis, qui fuerunt ſuaſores in vitijs. Quam diuerſus eſt homo à ſtatu ſuo adquem eſt creatus cum peccatis deditus eſt, ante peccatum erat ab Angelis cuſtoditus magis quàm lectulus Salomonis, de quo dicitur, quod ſexaginta fortes ambiunt illud ex fortiſſimis Iſraël, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi, modo verò eſt à bonis derelictus, eo quod illis obſequi nedum non velit ſed aduerſatur, malos verò & damnatos Angelos, Apoſtatas ceu Apoſtata ipſe, ſibi adſciuit & adiunxit. Quam ſalutarem medicinam perſuadebat B. Nicolus Mart. Priuſquam animæ denudentur vlcera, lachrymis ſunt curanda, vt pharmaco iſto pæna valeat euitari. S. Dominicus corruptam moribus & vita reduxerat per pænitentiam ad viam ſalutis mulierem, cum petijt ab illa an vellet à Deo pænitentiam quæ ſibi ſit ſalutaris ad animã, conſenſit illa. Fecit orationem S. Pater & in bonum animæ ipſius, aſſignauit Deus dæmonum legionem. Suſcepit illa, in feruore, & conſolata interius orationi ſeſe comendauit Sancti Patris. Redijt poſt annum Pater Sanctus rogauit pro illa Dominum, & liberata fuit. Venit iterum poſt annum Pater S. in locum illum, quærit de illa, & dictum eſt, quomodo peior redijſſet. Iuit Pater ſanctus, retraxit peccatricem, reduxit ad pœnitentiam, rediere legione dæmonum, cui in cõſolationem & tutamẽ, recitandum Roſarium B: V: M: ſuaſit. Atq; hoc medio, ceu via ſalutis cæleſtem obtinuit gratiam. O quam felix eſſet dies ſi talis eris Pater Sanctus Angelorum bonorum deſideria, (vt omnes homines ſalui eſſent,) compleuiſſet; ſi roſaria, ſacra tantæ virtutis perſuaderet quibus inferi euacuari poſſent. Sed immutabilis ſententia Dei omnia media poſſibilia juſtè & ſapienter excluſit. Pœna non credentibus in Chriſtum jam aſſignata. Æternitas miſerabilis, cujus echo. Fletus & ſtridor.

FERIA

FERIA III. POST PENTECOSTEN.

Ego ſum oſtium per me ſi quis introierit ſaluabitur *Ioan. 10.*

QVARE IESVS SE IPSO TESTE OSTIVM NOMINETVR.

RESp. Quia ſicut nemo clauſam vndiq; domum intrare poteſt niſi per oſtium, ita & nemo poteſt venire in Patris regnum, niſi per Filium. Io: 3. *Pater diligit filium & omnia dedit in manum ſuam.* Solent etiam quædam oſtia rubricari & clauis ornari, ſic & iſtud oſtium fuit proprio ſanguine rubricatum & clauis perforatum.

ANNOTATIOINES.

INgreſſus ad regnum Dei eſt per Eccleſiam & per Chriſtum. Per Eccleſiam, quia qui Eccleſiam non habuerit matrem non habebit Deũ Patrem inquit S. Cypr: Ezechiel. 43. *Ingreſſa eſt gloria Domini, Domum Domini, per portam orientalem.* Porta orientalis eſt Eccleſia S. in qua baptiſati filij regni facti ſumus. Gloria Domini, anima Chriſtiana ad Deum ordinata & ſignata ſignaculo S. Trinitatis. Eſt etiam per Chriſtum ingreſſus ad cœlum, vt hic dicitur. Sed cur non nominatur hic Eccleſia ſed ipſe Chriſtus? Quia Chriſtus eſt oſtium ad regnum cæli principaliſſimum, & eſt ipſe quoq; caput Eccleſiæ, quocirca illi ſoli oſtium adſcribitur, quia etiam per oſtium Eccleſiæ non intratur, niſi per Chriſtum intraretur. Eius ſcilicet doctrinam & exemplum. Ioſue 2. Patrem & matrem & fratres & omnem cognationem tuam congrega in domum, qui oſtium domus tuæ egreſſus fuerit ſanguis eius ſuper caput ſuum Significatur quod qui extra Chriſtum & eius Eccleſiam egreſſus fuerit, abſq; dubio morietur. B. Albertus Mag: in cap: 10. Ioan: oſtendit quod Chriſtus ſit oſtium quatrupliciter. Ineſt oſtium veritatis, quoad fidei ingreſſum Apoc: 3. *Ecce dedi oſtium apertum coram te, quia ſeruaſti verbum meum & non negaſti nomen meum.* Eſt quoq; hoſtium poteſtatis & dignitatis. Ad Hebr: 5. *Chriſtus non ſemetipſum clarificauit vt pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum, Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* De hoc oſtio Gen: 6. *Oſtium arcæ pones ex latere deorſum:* Arca Eccleſia, de latere Eccleſiæ aſſumi debet ad Epiſcopatum, deorſum oſtium, vt licet premineat, facilis ſit tamen ad eum acceſſus. Eſt quoq; hoſpitalitatis oſtium. Recipit omnes. *Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me* Eccl: 24. Nulli gremij ſui hoſpi-

Chriſt. oſtium quadruplex.

hoſpitium claudit. *Oſtium meum viatori patuit* Iob: 31. Vltimo eſt oſtium beatitudinis, *Vado parare vobis locum.* Ioan: 14. Intrant per Chriſtum ſicut introductorem, & oſtium per opus redemptionis & glorificationis. *Per me ſi quis introierit ſaluabitur* Jo: 10. vnde D: Aug: Tractat: 49. in Io: Ecce quod clauſum poſuerat, aperuit: ipſe eſt oſtium, intremus vt nos intraſſe gaudeamus. Ingredi quippe in Eccleſiam per oſtium ipſum, valde bonum eſt, exire autem de Eccleſia non eſt bonum. D. Greg: vero ſuper Ezech: hom: 13.

Ingredietur per fidem, egredietur ad ſpem, paſcua verò inueniet in æterna ſatietate. Cùm feliciter moriebatur 1296. Frater Moricus Laicus in Ordine S. Franciſci. inclamauit nomen IESV & poſt cecinit. Petierunt ab eo cur ita inclamaſſet & ceciniſſet. Videbat mihi eſſe coram tribunali, vbi quia omnia tam exacte diſcutiuntur, videbar mihi damnandus. Quæ dum fierent, monuit me B: V: M: vt in ſatisfactionem delictorum centies pronunciarem nomen IESV hoc modo me ſaluandum. Idque erat quod modo canebam. En Chriſtus IESVS eſt oſtium beatitudinis noſtræ. D: Aug: in lib: de Paradiſo. Tu qui veram requiem quæ poſt hanc vitam Chriſtianis promittitur quæris, & hac cauſa inter amariſſimas huius vitæ moleſtias es, ſuauem & jucundam guſtabis, ſi eius qui tibi eam promiſit mandata dilexeris. Aug: de Verb: Dom: ſer: 49. Intrat per Chriſtum qui imitatur paſſionem, cognoſcit humilitatem Chriſti.

Nomen Ieſus centies prolatum.

Pro oſtio rubricato, Notá. Plurimis ſolent oſtium ſuum adornare coloribus, picturis, hierogliphicis & titulis, ſapientes & Principes mundi, ſed nullus adornare melius poterat oſtium, quam ille Angelus qui in poſtibus domus adnotabat *Tau.* Nam nedum ſalus illi domui facta vt benedictio data, ſed myſteriū beatitudinis æternæ inchoatum & ſignificatum fuit. Superat tamen ornatum quemcunq; oſtium, ipſa Chriſti adornatio per ſanguinem & clauos. Quocirca conſiderando tale oſtium D. Aug: Tract: 46. in Ioan: dicit. Chriſtus eſt oſtium & paſtor bonus. Et quidem qui paſtor eſt, dedit membris ſuis vt ſint paſtores, nam & Petrus Paſtor & cæteri Apoſtoli paſtores, & omnes boni Epiſcopi. Oſtium verò nemo noſtrum ſe dicit, hoc ſibi ipſe proprie tenuit. Dicitur Iſa: 3. *Auferet Dominus olfactoriola.* Quæ Hebræi legunt, domos animæ. Quam habet rationem domus ad animam? Corpus poteſt quidem dici domus animæ. Nam Ariſt: dicit. Anima eſt tota in corpore & tota in qualibet parte corporis. At hîc jam non intelligitur de corpore, cum talis domus animæ ad olfactoria comparatur vel per ea explicatur, P. Stephanus Menochio è Soc: IESV in Inſtitut: œconomicis lib: 1. cap: 1. dicit. Hac formula dicendi Domus animæ ſignificatur.

catur ornamenta quædam quæ mulieres inter vbera ſuper cor ſuſpendebant, dicebantur Domus animæ, id eſt vt aliqui explicant, deſiderij, quod eſſent deſiderabilia, vel quod ſuaues ſpiritus animæ refocillandæ idonei ex illis myrothecis exhalarentur. Sciebat vt video luxui dedita gens adinuenire falſas Domos animæ, at hi ſine oſtio erant. Manebant in illa Domo incluſi, ſuperbus lucifer, fętidus & carnalis Epicurus, luxurioſus cupido. At vera animæ Domus cœlum oſtium habet, Chriſtum, deſideratum bonis, qui refocillare ſuauiter animas & vitam illis æternam dare nouit, & poteſt. Vndè Prou: 14. *Domus impiorum delebitur, tabernacula verò juſtorum germinabunt.* Omnia enim deſiderabilia vitæ præſentis perdent in morte improbi, ex tabernaculis verò ſuis peregrini & hoſpites juſti in patriam cæleſtē transferentur. Germinabunt dicit, vt inſinuaret quod fortuna in vita præſenti juſtorum, futuræ fœlicitatis certiſſimum prognoſticum & exordium eſt. Habet Veget. lib: 3. Militesad ſuſpendenda tabernacula pellis & perticis fixis in terram vtebantur, cujus perticæ actis radicibus germinarunt, futuræ fœlicitatis & fecundæ admodum fortun[illegible] omen exiſtimabant. Sed caſuale hoc & naturæ arborum conueniens experte erat. Germinabunt tabernacula juſtorum, plus ceu virga in arca Domini, nam inconcuſſæ & immotæ manebunt, florebunt, ſtabunt.

Quis huius oſtij oſtiarius appelletur.

RESp: Spiritus Sanctus. Io: 10. *Qui intrat per oſtium, huic oſtiarius aperit.* Gloſ: Spiritus S. qui docet omnem veritatem. Bonum ergo eſt, quod quilibet huius oſtiarij familiaritatem acquirat, vt cum venerit, ipſo intromittente, in cœleſtes delicias admittatur. *Oſtiarius Spiritus S.*

ANNOTATIONES

De apertione oſtij.

PSal. 117. *Aperte mihi portas iuſtitiæ.* qui tam audacter oſtiarios potuit vocare ad aperiendam portam iuſtitiæ, profectò oſtiarius præſto ſibi erit. Vigilabat ille ad ſponſum animæ, portabat lampadē operum bonorum plurimo miſericordiarum oleo refertam, cordis domicilium ornatum in aduentum Patris, Filij, & Spiritus ſancti tenuit, ſenſus retractos à vanitatibus mundi cuſtodiuit, intellectum in obſequium Dei captiuauit, totum ſeipſum & quicquid erat Domino conſecrauit. Intimus Deo, exemplaris proximo, Angelis charus, ſanctis reuerendus fuit. Iuſtitiæ portas aperite quia iuſtitiam dilexi. Nullus Magnatum tantam authoritatem in mundo habet, qui dicere poſſit, aperite mihi portas iuſtitiæ, quia iuſtus ſum quia nemo in vita beatus, ſed ipſe Dauid vnus ex millibus fuit, qui ſic auda-

audacter oſtiarium euocauit. Attamen ſi rem attentius conſiderauerimus, ſpe vocabat, at re illam iuſtitiæ portam ingredi niſi Chriſto iubente & aperiente non poterat. Quocirca in themate dicitur. *Qui intrat per oſtium, huic oſtiarius aperit.* Quid hîc dicent Ethnici, Turcæ, Tartari, Arriani, qui Chriſtum non recipiunt pro oſtio? His me hercule oſtiarius non aperiet. Æſopo mandauerat Dominus vt non intromittat aliquem in domum ſuam ad conuiuium, niſi ſapientes. Vnde pulſantibus fores vt aperiatur obijciebat quæſtionem. Quid mouet canis? Quo audito, plurimi cum indignatione recedebant à foribus. Ita his dicetur Canes eſtis, fures eſtis, latrones eſtis, quia per oſtium intrare noluiſtis, & ego oſtiarius non aperiam vobis. D. Aug: Tract: 45. in Ioan: Dicant ergo Pagani vel Iudæi vel Hæretici, bene viuimus, ſi per oſtium non intrant quid eis prodeſt? Ad hoc enim debet vnicuiq; prodeſſe bene viuere, vt detur illi ſemper viuere, quia nec bene viuere dicendi ſunt, qui finem bene viuendi vel cæcitate neſciunt, vel inflatione contemnunt. Non eſt enim cuipiam ſpes vera ſemper viuendi niſi cognoſcat vitam quæ eſt Chriſtus, & per hanc ianuam intret in ouile.

Infideles canes.

Ad caulam ouium delineare liceat in foribus lupum, & demus lemma: OVIS. quicunque aſpexerit cognoſcet lupum non ouem. Ita ſi humiliatum viderit quis Turcam in turbante, Arriannm, in blaſphemia filij Dei, Hæreticum extra caulam Domini, dicito lupus es, licet oras, ieiunas, humiliaris. Dicit enim Saluator: *Ego ſum oſtium ouium, per me ſi quis introierit ſaluabitur.* Audi igitur doctrinam B. Nili mart. Noſmetipſos diiudicemus, & iudex placabitur, vt bonus enim gaudet, cum peccatorem onus ſuum deſerentem videt.

Pro oſtiario Nota: Varij variè Chriſtum expoſuerunt oſtiarium. alij ſacram ſcripturam, ſeu Moyſen, & ſecundùm diuerſas rationes rectè oſtiarios nominarunt. Chryſoſt: ho. 58. in Ioan. Nihil prohibet oſtiarium vocare Moyſen, ille enim eſt cui eloquia Dei credita ſunt. Numer. 10. *Seruus meus Moyſes, qui in domo mea eſt fideliſſimus.* B. Albe. M. in cap. Ioan. 10. Iſte perfectus Spiritu S. clauiger eſt Domini. Theophilact. in cap. 10. Ioan. Spiritus ſanctus eſt oſtiarius, per quem ſcripturæ reſeratæ nobis indicant Chriſtum. Quod S. Auguſtinus exponendo dicit Tractat. 46. De illo Dominus Ioan. 16. *Ipſe vos docebit omnem veritatem.* Oſtium eſt Chriſtus qui eſt veritas. quis aperit oſtium niſi qui docet veritatem? Non tamen per hoc maior erit Oſtiarius oſtio, in domibus enim hominum oſtiarius præponitur oſtio. Quaſi diceret, in domo ſpirituali pares ſunt oſtiarius & oſtium. vnde etiam Chriſtus oſtiarius dicitur. Nam ſi Chriſtus eſt paſtor & oſtium, poteſt eſſe
& oſti-

&oſtium & oſtiarius ille idem. Nam ille ſe aperit, qui ſeipſum exponit. Gloſſa: Oſtiarius eſt triplex, exemplo, doctrinâ, & inſpiratione. Exemplo eſt Chriſtus: doctrinâ eſt ſcriptura; inſpiratione Spiritus S. nam per inſpirationem docet veritatem. Et ſunt oſtiarij Eccleſiæ, Chriſtus dat claues, hoc eſt, poteſtatem ſoluendi ad aperiendum. Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cælorum.* Iſaiæ 22. *Dabo clauem domus Dauid ſuper humerum eius, claudet & non erit qui aperiet, aperiet & non erit qui claudat.* ſcriptura autem ſacra docet claues voluere & ſeras reſerare. Nam per clauem ſcientiæ admittuntur & excluduntur alij. Lucæ 11. Tuliſtis clauẽ ſcientiæ & ipſi non intratis, nec intrantes intrare permittitis. Eſa: 26. *Aperite portas ingrediatur gens iuſta.* Spiritus autem S. dignitatem & idoneitatem confert ad intromittendum. Aperit verò oſtium humile ad quod ſuperbi impingunt. 1. Reg: 12. *Impegit ad oſtia.* Aperit oſtium paruum. Per quod auari, gibboſi, diuites non poſſunt intrare. Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire quam diuitem in regnum cœlorum. Qui mollibus veſtiuntur in domibus regum ſunt vbi ſunt latæ valuæ, ad cœlum arctæ & ſtrictæ. Neq; dubium aliquando erit ſacram ſcripturam oſtiarij munus habere, cum ſerutamini ſcripturas, dictum fuit. Spiritus S. quoq; cum aſſiſtens erat & in ſpecie ignis & columbæ apparebat dum prædicabant prædicatores, clare ſeſe oſtiarium demonſtrauit. Et in Anglica Hiſtoria legimus quod in an. 1395. Cum imago crucifixi cũ ſtigmatibus ſanguinolentis apparuerat ſupra Landunenſem Eccleſiam per mediam horam, oſtium & oſtiarium ſeſe comprobauit.

Qui ſint qui per hoc oſtiũ ingredientur.

RESp. Illi de quibus Iſaiæ 33. 1. *Qui ambulat in juſtitijs.* In juſtitijs dicit pluraliter, quia quilibet homo, cuiuſcunq; ſit dignitatis, vel ordinis aut officij, oportet vt juſtitiam comitem habeat, & per hanc ſaluetur. Iuſtitia verò eſt vnicuique reddere & dimittere quod ſuum eſt. 2. Et ſequitur Veritatem, quia perdentur omnes, qui loquuntur mendacium. 3. Qui proijcit auaritiam ex calumnia, id eſt, nullum propter auaritiam calumniatur. Calumnia verò eſt falſum crimen intendere. 4. Et excutit manum ſuam ab omni munere. Hîc ad minus quatuor prohibentur, videlicet ſimonia. 5. Qui accipit munus à corde, ab ore, & manu: prohibetur etiam hîc vſura, & juſti judicij, ac linguæ in aduocatione, venditione. 6. Qui obturat aures ſuas, ne audiat ſanguinem. Hîc jubetur, ne detractio audiatur, detractores enim fraudant ſanguinem animarum proximorum ſuorum. Sanguis animæ eſt bona fama, quæ per detractionem effunditur. 7. Et claudit oculos ſuos, ne videat ma-

malum. Malum hîc appellatur Mulier fornicaria, ſiue quæcunque fœmina, quæ per libidinoſam concupiſcentiam etiam aſpicitur. Malum dicitur omne id, quod nocet animæ, vtpote inſania & vanitas huius mũdi, qualiſcunq; ſit illa. 8. Iſte in excelſis habitabit, quaſi diceret, qui ſupradicta obſeruauerit, ille cæleſtis regni januam ingredietur.

ANNOTATIONES.

PRo primò Nota. Iſa: 3. *Dicite juſto quoniam benè, quoniam fructum adinuentionum ſuarum comedet.* Vt ſuauis denunciatio, ita ſalutaris operatio. Comedere enim talem fructum, eſt recipere deſideratam retributionem pro opere ſuo. Iudic: 14. Samſon inuenit mel in ore leonis, quo comeſto percuſſit Philiſtæos. Vnde mel in ore leonis? ex opere Samſonis, quia diſcerpſerat leonem, & ideo comedit fructum adinuentionum ſuarum. Epictetus in Enchirid. Cap: XI. ſuadet conſtituendam nobis regulam ſecundum quam viuamus. Dicit præſcribe jam tibi formam quandam & legem, quam cuſtodias, quamq; & ipſe tecum & in congreſſibus hominum obſerues. Rem bonam ſuadet ſed non inſtruit ipſam. Verior eſt inſtructor vitæ humanæ Deus. Deſcribit regulam vitæ. Ambula in juſtitijs vt ingrediaris per oſtium, Chriſtum. Sed cautos nos & in hoc paſſu vult fieri Iſidorus lib: de ſummo bono cap: 34. Nam nedum vitijs vitia ſed etiam

Regula viuendi.

non ſemper & virtutibus virtutes, at interdum vitia oriuntur. De primo dicit. In cordibus ſeculariter viuentium inuicem ſibi ſuccedunt vitia, & dum vnum abierit ſuccedit aliud, juxta Ioëlis Proph: cap: 1. teſtimonium. *Reſiduum erucæ comedit locuſta, & reſiduum locuſtæ comedit bruchus, & reſiduum bruchi comedit rubigo.* His enim vitia coniuncta ſunt. Nam ſequitur. *Expergiſcimini ebrij & flete.* De ſecundo verò dicit. Quædam virtutes dum diſcretionem non ſeruant, in vitia tranſeunt. Nam ſœpè juſtitia dum ſuum modum excedit, crudelitatis ſæuitiam gignit; & nimia pietas, diſſolutionem diſciplinæ parturit: & Zeli ſtudium dum plus eſt quàm oportet, in iracundiæ vitium tranſit. Et multa manſuetudo, torporis ſegnitiem gignit. Prudentis ergo viri diſcretio ſolerter proſpicit ne bonum intemperanter agat, & de virtute in vitium tranſeat. Hinc Pſal: 18. *Iuſtitiæ Domini rectæ lætificantes corda.* Quaſi diceret. Omnes juſtitiæ Domini, non falſè lætificant corda, ſed verè & rectè, at ſi juſtitiæ erunt rectæ, non mixtæ aliquo obliquo, verius lætificabunt corda. Clarum id in ſacrificio Abel & Cain. Vnius erat rectum & ſimplex, alterius mixtũ & illuſionis plenum. *Qui ambulat ſimpliciter ambulat confidenter.* Placuit adducere B: Bernardum Senenſem, hic cum grauem diſputationem habere deberet, in grauem oculorum ægritudinem incidit & lumen amiſit. Præcatus B: V: & promiſit relicto mun-

mundo ſibi famulatum. Voti compos, loco diſputationis grauem fecit orationem de contemptu mundi, narrando que facta ſunt. Nec mora, rudi amictu indutus in montem oliuetum ſeceſſit, quem Senenſes Nobiles ſecuti, Ordinem montis Oliueti B: Mariæ condidit. Ambulabat in juſtitijs, iuit de virtute in virtutem, & contemplatur Deum in Sion. Hujus viæ Symbolum erit via roſis & lilijs ſtrata Habebit additum. *SEMITA IVSTORVM.* Nam quicquid aduerſi Sancti Viatores ſuſtinent, omnia hæc in roſas conuertere ſciũt, & quicquid proſperitatis habent, omnia in odorem & gloriam Dei conuertunt, atq; liliorum fragrantiam conſeruant. Vnde Ezechiel 14. *Noë, Daniel & Iob juſtitiâ ſua liberabunt animas ſuas.*

Pro 2. Nempè veritate Nota. Miram Adamantinus apud Platonem dial: 2. de Iuſto reliquit doctrinam. Si beati eſſe volumus, hâc eundum eſt, qua rationem veſtigia ducunt. Non explicuit, veſtigia, puto tamen, exempla virorum bonorum vel legum aliquarum, intellexiſſe. Sed ſumo inde ſuccum inſta r apis quæ ex aggreſtibus herbis colligit. Sequenda ſunt veſtigia veritatis ſi beati eſſe deſideramus. Oppoſitum veritati nempe mendacium ad interitum ducit, veritas ergò ad vitam monſtrauit iter. Et ſi per veritatem ipſiſſimam veritatem intelligemus nempè Deum & Chriſtum, ſumma veſtigia habebimus, & conſentaneum erit, vt ratio noſtra ſequatur veſtigia Dei. Ad eundem ſenſum Seneca in fine libri de morib: Poſt Deum veritatem colendam, quæ ſola homines dijs proximos facit. Fundabat dictum in eo fortè, quia Deus ſummè verax eſt. Neque mirum quod veritas ſemita ad introitum cœli aſſignatur, nam B: Iſidorus ita illam euehit.
Iniquis moleſta eſt veritas & amara *Veritatis* diſciplina juſtitiæ, non delectantur *laus.* niſi in placentijs, ſunt in juſtitiæ fœcundi, ſteriles veritati, cæci ad contuendam lucem, oculati ad tenebrarum errorem. Si igitur Symbolum veritatis nobis aſſignandum erit. Via lucida verſus portam auream adnotanda erit. Et ſubſcribendam *Via lucida.* *INGREDIATVR.* Dicitur namq; Iſa: 26. *Aperite portas & ingrediatur gens juſta cuſtodiens veritatem.* Quocirca nemo vir bonus & rectus pati pro veritate *Pati* denegat, ſed feruidiorem ſe Ethnicis *pro* & ſapientibus antiquis demonſtra- *veritate* bit. Erybiades cum doceret verita- *laus.* tem in ſummo bonorum ſimul ac vitæ periculo profitendam eſſe, & tum maximè cum multorum ſalus inde emineat, percuſſus fuit baculo à Themiſtoclè inquit Ælianus lib: 13. de Var: Hiſtor: Cui ille. Verbera intrepidè, modo quæ dico audias: Fortiſſima res veritas, vnde aduerſarios omnes vincit, & viam ſecuram ſibi ſternit, vt ad veritatem ipſam Chriſtum perueniat, atque per ipſum vt oſtium ingrediatur regnum Dei. *Veritatem facientes in charitate creſcamus in illo per omnia.* ad Epheſæos 4.

Pro 3.

Pro 3. nempe per auaritiam non calumniari. Nota: Explicauit locũ iſtum Iſa. 30. *Qui proijcit calumniam & auaritiam ex calumnia, in excelſis habitat.* Quid clarius dicere potuit oſtendẽdo quis per portam quæ eſt Chriſtus ingreditur in cælum. Multis virtutibus hic ornatus incedit, qui proijcit calumniam. Eſt in illo dilectio proximi, & amor Dei, eſt patientiæ virtus, fortitudinis columna, pietatis ſpeculum. In ſumma compendium ille decalogi in ſe expreſſit. Amos 3. *Audite verbum hoc vaccæ pingues, quæ eſtis in monte Samariæ, qui calumniam facitis egenis.* Vt quantum ſit malum calumnia videamus; Helianum audiamus. Ariſt. cum iudiciorum metu Athenis profugiſſet, interroganti qualis eſſet ciuitas Athenienſium? reſpondit: Pulcherrima. ſed in ea pyrus ſuper pyrum, & ficus ſuper ficum conſeneſcit. Notabat ſycophantas, calumniatores pernicioſiſſimos bonis viris. Multa hic dixit de calumnia, ſed maiora inſinuauit ſcriptura. Eccl. 26. *A tribus timuit cor meum Deleturam ciuitatis. collectionem populi, & calumniam mendacem.* Quocirca in ſymbolum calumniæ ſumamus viam lapidibus, ſpinis, paludibus obſitam. Cui ſubſcribamus: REIICE. Stulti enim eſt incedere hâc ſemitâ, prudentis verò reijcere iſta. Qui calumniam in ſe proiectam patientiâ prudenter reijcit, verè prudens eſt. Seneca de 4. virt. Scit quid, quâ via aggredi debeat, & citò ſingula & diſtinctè cuncta videt. Perplexa expedit, dura mollit, exequat ardua.

Calumniarum aſellus.

Calumnia malum.

Symbolum calumniæ.

Alexander M. laudandus plurimis modis, qui cùm de Antipatro ſibi inuiſo audiſſet calumnias & legere ſibi feciſſet in Epiſtola matris contentas per ſecretarium, annulum ſignatorium ori lectoris, vt ſecretum teneret appreſſit. Fecit quod Iſaiæ 34. ſcribitur: *Recede procul à calumnia.* Habet Molanus quod virgo nomine Maria 1290. in pago Brabantino quieſcit, quæ Deo vouerat caſtitatem. impudicus cùm tentando nil proficit. vt eam pollueret, accuſauit ipſam falſo de furto ſcyphi argentei, & innocenter defoſſa terræ, & ſude transfixa, ſepulta in templo B. Virginis doloroſæ. Calumniator, poſtquam ſeptem annis demoniacus fuerat, in loco ſepulturæ ipſius cùm clarere miraculis cœpiſſet, reſtitutus libertati. *Eruite vi oppreſſum de manu calumniantis,* Ieremiæ 27.

Pro 4. Nota. Vt puluis de pedibus prædicantium excutiendus ob ingratis beneficij verbi Dei, ita manus judicis & Prælati excutiendæ ſunt, à muneribus. Pſal: 14. *Quis habitabit in tabernaculo tuo? Qui munera ſuper innocentem non accepit.* Neſcis quam plus breuitate Cathegorica Gal: 23. Sap: concluſerit tempora accipientis. Audi *Donec accipiant oſculantur manus dantis & in promiſſionibus ſuis humiliant voces ſuas, in tempore retributionis poſtulabunt tempus.* Nota velim vltima hæc verba, clarè illis indicat quod qui munera accipiunt, mendaces neceſſario ſunt. Dicent. Expecta, expecta.

Ab

Ab alio enim aduerſario cupit accipere, vt ſeruiat conſcientiâ; plus offerenti. Quid putas iuſtus iudex cùm te videt munera ſuſcipientem, ante ad tempus & tempora non differret? De malè acquiſitis non gaudebit tertius hæres; imò ad tertiam & quartam generationem caſtigabit domum tuam. Et ſuper omnia, qui promittebas ob munera tempus, pœnitentiæ non habebis tempus; inueniens viam in perditionem, non in vitam æternam. Ille enim largitus eſt tibi munera ſecundum munficentiam principalem vt ſis iudex iuſtus, tu tamen factus es iniuſtus. Gratis iuſtitiam adminiſtrare debuiſti, tu tamen & muneribus acceptis pro iuſtitia, inique iudicaſti. Perſonam indignam pro donis promouiſti. Ergo iuſte iudicaberis pro tuis nedum muneribus acceptis iniqnæ, ſed etiam pro tua iniuſtitia. B. Iſidorus lib. 3. de ſum. cap. 55. Latrones in faucibus inacceſſis ac latebroſis latentes inſidias ponuut, praui verò iudices palam rapacitatis auaritia ſæuiunt. Recte igitur, qui non extendit manum munera per oſtium Chriſtum ingreditur cælũ, cum ille tot beneficia ſua gratis nobis donauit, docuitq́; gratis accepiſtis gratis date. Symbolum talis viæ ad regnum, pono ſemitam vndique arboribus fructiferis & amenis adornatam. Et ſubſcribo. *FRVCTVS GVTTVRIS.* Rectus namq́; iudex, non manibus fruct⁹ ſed gutture & prolatione iuſtæ ſententiæ, colligit. *Iſidorus.* Boni iudices iuſtitiam ad ſolam obtinendam ſalutem æternam ſuſcipiunt, nec eam muneribus acceptis deſtruunt, vt dum de iuſto iudicio temporalia lucra non appetunt, præmio æterno ditentur.

Pro 5. obturatione aurium. Nota. Via ad cælum per Chriſtum eſt certa hæc Dicitur Pſ. 13. *Quis eſt homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Prohibe linguam tuam à malo.* Puta detractionis. Tantum detractionis malum quametſi prudentes nihili habeant. Dicit enim Terent. Valeant, qui inter vos diſſidium volunt. Non Apollinis magis verùm atq; hoc reſponſum eſt. Attamen conturbant plurimum detractores. Quod ſi eſt ab amico, à conſanguineo, à fideli, à ſpirituali, à magnate aliquo, ſummè conturbabit. Inſurgit contra detractores, ipſe Deus Nũ. 12. *Quare non timuiſtis detrahere ſeruo meo Moyſi?* Non potuit Deus non defendere ſeruum ſuum à lingua venenoſa, Tranſibat enim cælum vt innocens ſanguis iuſti Abel, vel vt Deus puniat derractorem ſanguinem fugientem, vel vt defendat obſequium Dei peragentem. Quid dicent illi qui detrahunt nedum Sanctis ſed Chriſto & B. V. Mariæ. Audrent vocem Iudicis Quare detraxiſtis Filio meo & genitrici Dei? Cum Siſaræ clauus infixus erat in tempora capitis non erat tantus ipſius dolor quantus dolor eſt in detrahente. Teſtis D. Bern: in ſerm:

Detractio malum.

Tolleratur ſed contur batſap

Deus à detractione defendit.

Detractio eſt lancea.

Nunquid non lancea eſt lingua detractoris? Profectò acutiſſima, nam tres penetrat actu vno, ſcilicet, cui detrahit, ſeipſum, & audientes. Pſal. 56. fundamentum dicti ipſius. *Filij hominum dentes eorum arma & ſagittæ & lingua eorum gladius acutus.* Recte igitur B. Alb. Mag: ſtatuit viam ad cælum, obturatas habere aures, ne audiat ſanguinem, id eſt detractionem. Maxima namq; virtus eſt, nec detrahere nec detrahentem audire & detractionem impedire. Bruſonius refert. lib. 1. c. 16. Ariſtippum, cuidam dixiſſe detractori. Vtinam tu linguæ tuæ ſicut ego aurium mearum Dominus eſſes. Laudabilis ſententia. Incedit hic ad regnum illa ſemita quæ venientibus amicis & regibus ad reges ſternitur pretioſis pannis, nil enim ibi macularum, nil animalium ſectilium atq; natorum ex putredine, in tali reperitur ſemita. Quocirca tali ſemitæ addendum lemma. *VIA REGIA.* Sen: de magnanimitate. De inimico dicas non nocuit mihi, ſed animum nocendi habuit. Et cum illum in poteſtate tua videris, vindictam putabis vindicare potuiſſe. Concordat hoc dictum cum doctrina Chriſti dicente *mihi vindictam & ego retribuam*, Rom: 12. Vis retributionem ſcire? En Marci 22. *Serpentes genimina viperarum, quomodo fugietis à judicio gehennæ?*

Non detrahere, magnauirtus.

Via regia.

Pro 6. nempè non videre malum. Nota. Si oculus tuus ſimplex fuerit non habens aliquam partem tenebrarū ſicut lucerna illuminabit te. Lucæ 6. Non faſcia ſupra oculos, non albugo in oculis clauſum oculum facit ne videant malum, ſed obumbratio oculorum animæ, ne malum concupiſcentiæ auaritiæ & quod nocere animæ poteſt admittat. Plato de Iuſto. Nullus ſtultorum & inſanorum Deo amicus eſt. Intelligebat de ſtultitia & inſania animæ in peccatis. Ad hunc ſenſum B: Nilus in ſent: Tropol: vt mali originem & diaboli tentamenta oſtendat, dicit. Quando in ſomnis dæmonibus obedire incipimus tunc etiā vigilantes deinceps illudit. Qui igitur tam cautus & vigil eſt, vt omnia mala & nociua animæ reijciat nec illa vel oculis attingere didicit, ille ad regnum cœli intrabit per oſtium Chriſtum, & illi oſtiarius aperiet Spiritus S. Plato de Iuſto Dial: primo lib: 31. Quicunq; juſtè ſanctèque vitam exigit, dulcis eum ſpes comitatur, cor nutriens ſenectutéq; fouens. Nec iſta eſt modica retributio vitæ bonæ licet temporanea; at Chriſtianum rectè vitam exigentem, altior retributio manet. Nempè, gloria cœleſtis per Chriſtum. Querit Pſal: 23. Quæ eſt generatio querentium Deum, querentium faciem Dei Iacob! *Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vano animam ſuam nec jurauit in dolo proximo ſuo.* Quid his verbis aliud exprimit, quam habere oculos clauſos ne videat malum peccati? Symbolum viæ illius recte erit via illa quæ pulchris & magnis,

gnis adornatur epitaphijs, memo-
rijs, ſtatuis, arcubus. Et ſubſcriben-
dum. *IN EXCELSIS HABITAVIT.* Ta-
lis namq; non cum hominibus &
peccoribus vixit in terris, ſed cum
Angelis & beatis in cœlis. Erat al-
ter D: Paulus in hac vita dicens. *Viuo
ego jam non ego viuit autem in me Chriſtus.*
Et profectò ſi quis per Dei gratiam
in principio vitæ cum ratio viam
monſtrat obſtiterit malis, hîc
via incedere poſſit. Dicit enim
Iſidor: libr: 3. cap: 5. Diabolus
non eſt immiſſor ſed incentor po-
tius vitiorum. Neq; enim alibi con-
cupiſcentiæ formenta incendit, niſi
vbi prius prauæ cogitationis dele-
ctationes aſpexit, quæ ſi à nobis
ſpernuntur, ſine dubio ille confuſus
abſcedit, ſtatimq; franguntur jacula
concupiſcentiæ eius contemptæq;
jacent, & ſine luce faces illius. Cum
B: Lutgardis totam ſe Domino vt
mancipium conſecraſſet poſtratus
vndiq; hoſtis animæ Angelos bonos
non diſturbauit cum ſuis legionibus
ab illa. Multoties demum caſta ani-
mo & corpore virtutibus plena ful-
ſit Chriſtianitatem orationibus. Ap-
paruit illi ſemel B: V: M: vultu & ve-
ſte lugubri dicens Ecce iterum ab
Hæreticis crucifigitur filius meus,
(erant hi Albigenſes) præcepitq; ei
vt ad auertendam Dei iram ſe-
ptem an̄nos jeiunet. Collige igitur
ſi in terra manens hæc virgo, non in
excelſis habitabat?

Qui ſunt quibus hoc oſtium ptæcluditur.

RESp: Illis qui tanguntur Apoc: 21. Timidis, id eſt, ad omne opus bonum deſidioſis & incredulis verbo Dei, quod juſtis gaudia perpetuare promittit: 2. Peccatoribus æterna ſupplicia comminatur: 3. Execratis, id eſt, propter iuſtam cauſam excommunicatis: 4. Homicidis, id eſt animarum vel corporum occiſoribus: 5. Fornicatoribus, quia fornicatores & adulteros judicabit Deus: 6. Veneficis, id eſt, malis conciliarijs: 7. Etiam his, qui ad literam dant vel præparant venena: 8. Incantatoribus & idololatris ad literã: 9. Auaris, quia auaritia eſt idolorum ſeruitus: 10. Omnibus mendacibus, id eſt, omnibus his, qui quod Deo, & Sanctis, & hominibus promiſerunt, non perſoluerunt, ſi tamen ſoluere potuerunt, pars illorum erit in ſtagno igne ardenti, & Sulphure, quod eſt mors ſecunda, quaſi diceret: nullus talium per Chriſtum, qui eſt oſtium, intrabit in regnum cœlorum.

ANNOTATIONES.

PRo timiditate Nota: Mali ſemper timent, inquit Euripides. Neſciebat ille dicere, quòd vbi timor ibi malitia; nam boni qnandoq; cuſtodes hominis ſunt timor & pudor; at ex dicto moderno cum B, Alberto Magno concludendum venit. Quod vbi timor talis eſt, ibi malitia eſt.

Timidos enim vocauit, deſidioſos ad bonum & incredulos Chriſto. Talem timidum, qui timuit operari talentis duobus, eò quòd Dominus auſterus eſſet, dicit Euang. quod condemnauerit Dominus. Ariſtot. de virtute & vitijs: Ignauia eſt, quouis metu facile perturbari, & mortis maximè, & noxarum corporis: & arbitrati præſtabilius eſſe quomodocunque ſeruari, quàm pulchrè mortem obire. Comitatur autem ignauiam mollities, effæminatio, torpor vitæ tedium, ſubeſt etiam quædam timiditas & contentionis detractio. 1. Regū. 26. Congregato exercitu Saul contra Dauid, ille dormiebat, iſte vigilabat. Ingreſſus eſt tentorium Sauli dormientis, potuit ipſum confodere, ſed noluit, abſtulit enim ab eo ſcyphum & haſtam eius. Vide quod periculum illi ignauia pepererat: Actor belli vix non corruerat, qui victor fieri deſiderabat, iam victus erat. Quid igitur ignauia ad bonum opus, timor in remedio animæ, non inducet mali! Abſtrahet fortitudinem & robur, tollet conſolationis optimæ ſpem. proſcribet gloriam ſibi æternam confundet. Pulchrè Euryp. Nullus ignauus in celebrem virum euadit. Et Saluſt: in bello Iugurtino. Ignauia nemo mortalis factus. At ſuperat Iob. 6. *Qui timet pruinam, irruet ſuper eos nix.* Non vanus ſit timor, ſed verus ſit timor Dei. nam per vanum timorem amictitur regnum cælorum, per timorem verò Domini couſequitur

Ignauia mala.

Timor Dei verus.

regnum. Eccl. 40, *Timor Domini, ſicut paradiſus benedictionis.* Aliquando membrum putridum, pedem, manum abijciunt Chirurgi. Sit ergo his in Symbolum, & ſubſcribamus. *PARTVS VANI TIMORIS.* In Anglia poſt Annum 720. S. Eriguino Epiſcopo jeiunanti & oranti apparuerat B: V: M: cùm agmine Virginum quæ manu crucem & librum geſtabat. Potuit tali actu approbare ipſius mortificationem & orationem, nam cruce benedicebat ipſum, at inſtruebat quoq; ſimul perſeuerantiâ in meditatione paſſionis & doctrinæ Iesv Chriſti atq; exercitium cæteris commendauit. Vnde B: Nilus Legis meditatione intellectus agrum colito, id ſi frequentabis cogitationes peruerſas extirpabis.

Pro peccatoribus Nota. Pſal: 5. *Odiſti omnes qui operantur iniquitatem.* Nullus ægris oculis lumen aſpicit, nec cœium quoq; peccatorem tolerat. Ad miſerationem Domini concordat vices, quia ille expectat peccatori, & cœlum illi præſtolatur. At cum diem clauſerit vitæ, ſentiet peccator quod Ier: 20. dicitur. *Scito & vide quia malum & amarum eſt reliquiſſe Dominum Deum tuum,* & non eſſe timorem eius apud te. Vix peccauerunt parentes, quæruntur vt expellantur; vix Cain peccauit, factus eſt exul. Iſidorus lib: 2. cap: 23. Mora peccandi imanitatem facit ſceleris. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri, peccatum.* Iſa: 5. Trahit enim iniquitatem in funi-

funiculum qui tardat conuerti ad Deum. Trahere enim iniquitatem eſt moram facere in iniquitatibus, Pſal:128. *Prolongauerunt iniquitates ſuas, Dominus iuſtus concidet ceruices peccatorum.* Vndè Symbolum horum non melius eſſe poteſt quàm varia ſtercora. Eijcientur enim à regno vt ſtercora. Et ſubſcribendum. *EX DIABOLO.* Nam 1. Ioan: 3. *Qui facit peccatum ex diabolo eſt.* Fœdauerat fontem ad baptiſma Copronimus. Fedauerunt iſti conſcientiam, proximum, militantem Eccleſiam, vita, exemplo, moribus. Reijcientur ergò à Regno vt ſtercora.

Pro execratis, id eſt excommunicatis, Nota: Gen. 25. Rebecca, vt ſenſit geminos in vtero filios collidentes inuicem ait, cur neceſſe fuit vt eos conciperem: Natus vt baptizatus in gremio Eccleſiæ, ſi ab ea ſeparatur per excommunicationem vt quid naſci eum profuit, ſi ab Eccleſia nedum militante, ſed triumphante quoque ſeparatur & reijcitur? Excommunicatus enim nihil habet in corpore Iesv Chriſti, nec participat in aliquo bona ipſius, 1Cor.16. *Si quis non amat Dominum IESVM Chriſtum, ſit anathema.* Vnde ille ſic ſegregatus à corpore Chriſti diabolo traditur puniendus. 1. Corin. 5. Sepes ſeu leges antiqui ſemper ſeruabant. Quidam viuebant in legibus Pythagoræ, quidam in legibꝰ Zabadorum, qui omnia ad naturalẽ referebant rationem, quidam legibus Solonis & aliorum, ſed abſque fide Chriſti fuerunt. Excommunicati verò vel pares illis ſunt, vel extra leges Chriſti & eius Eccleſiæ eſſe volunt, quocirca ad regnum Chriſti peruenire non poſſunt. Abigentur à regno cæli ceu canes execrabiles. Vnde ſymbolum habebant, canem circa ianuam oberrantem; & ſubſcribendum illis: *Foras, canes.* Petro namq́, Apoſtolo data poteſtas Matthæi 18. *Si te non audierit corripientem frater & eccleſiam, ſit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus.* Doctores SS. dicunt, quod per prædicta verba innuit Dominus quod rebelles præceptis Eccleſiæ, debent excommunicari. D. Hierô. Poteſtatem dedit Apoſtolis, vt ſciant quod qui talibus condemnantur humanam ſententiã diuina ſententia corroborari. Vnde ſequitur: *Amen dico vobis, quæcunq́ alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo.* D. Thomas 4. ſent. diſt. 8. Separari à communione per excommunicationem conueniens eſt. 1. vt qui per ſuperbam contumaciam Eccleſiæ parere recuſant, de tali confuſione erubeſcentes humiliter ad reconciliationem Eccleſiaſticam reuertantur, & malam vitam ſuam corrigant. 2. vt alij timore illius peccare modo ſimili timeant. 3. ne alios ſimili errore inficiant: Iſid. lib. 1. cap. 24. de ſummo bono. Qui intra Eccleſiam non ex dignitate Eccleſiæ viuunt, ſed fidem quam verbo tenent operibus deſtruunt, de ipſis legitur Pſalm. 39. *Multiplicati ſunt ſuper numerum.* & ſubaudias, in regno reproborum.

Separatio ab Eccleſia per excommunicationem conueniens eſt.

Pro homicidio Nota: Iudas Apoſt. *Væ illis qui in via Cain abierunt.* quæ erat via Cain? Homicidium fratris. *Væ illis:* Nedum væ Cain, ſed væ ſupra væ. Nam homicida non habet vitam æternam in ſe manentem. Ioan. 3. Quid igitur amplius ſperare debet, non enim in futuro ſæculo illam habebit, qui hîc eam habere in via per gratiam non potuit. Epict. in Enchirid. cap. 65. docet hoc malum vitare dicens: Vnaquæq; res habet duas anſas, vnam tollerabilem, alteram intollerabilem; ſi frater iniuriã fecerit, non eam prehende quâ facit iniuriam, ea enim eius anſa non eſt tollerabilis, ſed illam potiùs præhẽde, quod frater, quod tecum [illegible] catus: Sic præhende eum, qua eſt tollerabilis. Exprimitur hîc hiſtoria Tobiæ de Sara, cuius viros ſeptẽ Aſmodæus occiderat, mox vt ingreſſi fuiſſent ad eam. Hæc cùm pro culpa ſua increpauerat ancillam, illa reſpondit dicens: Ampliùs non videamus ex te filium vel filiam interfectrix virorum. Nunquid & me vis occidere! Ad vocem hanc perrexit in cubiculum ſuum, & tribus diebus & noctibus non manducauit nec bibit. Non potuit ad tam graue obiectum ſcelus, licet innocens, verbum reſpondere. Tam graue enim eſt homicidium. vt Exo. 21. dixerit: *Si quis per induſtriam occiderit proximum vel per inſidias, ab altari meo euelles eum vt moriatur.* Cum ergò repellitur à regno homicida; ſit illi in ſymbolum, *Lupus ſanguine ſparſus.* Abigitur enim à regno cæli, vt lupus rapax. Ei in gnome ponamus: *Filius Diaboli.* Ita enim Saluator, Io:8. *Vos ex Patre Diabolo eſtis & deſideria patris veſtri vultis facere.* Ille homicida erat ab initio. Mirabile quid legitur in Hiſt: Minorum Redibant tres ex Pariſijs per montem Sineſium, orta tempeſtas horrenda cum tonitru, vrgent ij equos calcaribus, & ecce vox de aëre? *Occide, occide.* Et occiſus à fulgure vnus. Relicti duo fortius vrgent equos, & iterum vox: *Occide occide,* & occiſus alter. Fugit ille vnus quantum poteſt dicendo *ſub tuum præſidium confugimus,* & ecce vox. *Occide, occide.* Reſpondet ille, *Non poſſum.* Muniuit ſe interceſſione, ſic ſaluus remanſit & Ordinem S. Franciſci ingreſſus eſt. Quid ſecreti hîc erat. An viri erant ſanguinum? An filij diaboli & homicidæ? Nolo judicare. Sed hoc vnum ſcio quod ad imaginem Dei factus homo, ſi occiditur, vltor Deus accelerat. Morte moriatur. Audiat igitur, pronus ad gladium vir, doctrinam Senecæ ad Lucillum lib: de Formula vitæ. cap: de Continentia. Cunctis eſto benignus, nemini blandus, paucis familiaris, omnibus æquus. Sed ad iram tardus, ad miſericordiam pronus, in aduerſis firmus, in proſperis cautus & humilis.

Homicidium graue peccatum.

Pro fornicatoribus Nota. 1. Cor. 6. *Fornicarij regnum Dei non poſſidebunt.* Solidam ponit rationem dicti ibidem. *Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? tollens ergo membrum Chriſti faciam mere-*

meretricis? Et infra. *Neſcitis quia membra veſtra templum ſunt ſpiritus S. qui in vobis eſt?* non eſtis veſtri. Meritò ergo arcetur à regno fornicator & adulter, quia membrum Chriſti tradidit immunditiæ; & templum Spiritus S. polluit turpitudine. Antequam homo factus eſt membrum Chriſti & templum Spiritus S. vis ſcire quis & qualis erat? Audi conſitentem S. Aug: in ſoliloquijs cap: 2. Ego cadauer putredinis, eſca vermium, vas fœtidum, cibùs ignium, abyſſus tenebroſa, terra miſera, vas aptum ad contumeliam, genitus in immunditia viuens in miſerijs moriens in anguſtijs, heu miſer quid ſum ego & quid futurus ſum, vas ſterquilinij, concha putredinis, plenus fœtore & abominatione, cæcus, pauper, miſer & miſerabilis. Vide homo qualis es ex aſſe naturæ, vt verò es membrum Chriſti & templum Spiritus S jam, factus es filius adoptiuus Dei, frater Chriſti, deliciæ Trinitatis, ornamentum & triuphus Spiritus Sancti. Quocirca membra aliena, & vſus Trinitatis diuinæ cum in abuſum trahis & in deſpectum atq; contumeliam deducis, peccas in eos, quorum membra ſunt, Rectè igitur excluderis à regno, & detruderis ad inferos. Quocirca fornicarij & adulteri non immerito porca notabuntur. Eorum enim verum Symbolum erit. PORCA INFECTA. Cum inſcriptione. FORNICARIS ODOR. Abſtulit enim cor ipſorum porca & volutabro immerſit. Vnde vt redeat fornicator ad cor, aureis exaret notis illud Deut: 23. *Non erit meretrix de filiabus Iſraël, nec ſcortator de filijs.* Hoc enim filijs & filiabus Chriſti nomine ſignatis, magis condecens eſt & conueniens. Sed heu. Magnatum hodie luſus eſt. Vndè Filius Dionyſij Tyranni, dum reprehenderetur à Patre de adulterio, reſpondit: Tu non fuiſti filius regis. At pulchre repetijt Pater. Nec tu filium habebis regem, ni talia perpetrare deſinas. Plut: in Apopht: Reg: & imp: Iob: 35. *Ignis eſt vſq; ad perditiones deuorans & omnia eradicans.*

Magnates nil habent fornic. & adult.

Pro veneficijs. Nota. Venena præbere vt occidat, aut impediat natiuitates jam claurum ſuperius, talem non poſſe ingredi cœlum. Vndè matres quæ etiam in caute ſuffocant prolem, & nutrices, & procurantes ſterilitatem medici, & cæteri huiuſmodi malefici homines, intelligant propriæ ſalutis periculum. Nullum habebitis antidotum amplius contra data venena & veneficia, nam ipſe ſummus medicus pœnā maledictionis vobis promulgauit. Contra veneficia, antiqui in vim præſeruæ, vtebantur roſtris luporū, & in qua domo appenſū fuerat, non nocebant veneficia. At qui pro venenis & veneficio adjudicatus fuerit luciferi ditionibus, nec lupi roſtrum pro remedio erit, ipſe enim eis lucifer erit pluſquam lupus rapax. Abigentur igitur à regno venefici vt malefici ceu aſpides, non enim in Sym-

Venena.

Symb: Venefici. Symbolum aliud illis aſſignari poteſt. niſi aſpis teterrima, cui ſubſcribendum, *VENENO PEIOR.* Qui enim veneficijs tollunt homines è vita, vel maleficijs exagitant homines, peiores ſunt aſpide, & venenoſiores omni veneno. Inferam, quanta venena, nedum in vitam hominis, ſed in animā quoq; ſtruunt malefici homines. *S. Iuſtina.* S. Iuſtina Virgo & Martyr juniori in ætate inquit Greg: Nazienzenus, libidinis facibus exagitata à dæmone (quem magicis artibus Cy*Maleficia quomodo tollantur.* prianus ad oppugnandum Virginis animum, quam juuenis quidam deperibat miſerat) ad Deum confugit, ac ſimul Virginem Matrem ſupplex obſecrat, vt ſibi periclitanti opem ferret. Interim corpus jeiunio ac humi cubatione ſubigere non deſiſtens, de dæmone, Deiparæ adminiculo triumphauit, ipſumq; Cyprianum magum hac vſus occaſione, ad fidem conuertit, ac nobis martyrij ſocium habuit. Alexandro Magno *Sagittæ venenata* plurimi milites vulnerati venenatis ſagittis interempti, remedium non inuenerant. Draco in ſomnijs apparuit Regi qui in ore herbam geſtabat, requiſiuit talem herbam & ad Sibuit vulneribus & milites ſanauit. Ita draco infernalis, cum Sanctæ Virgini nocere voluit, venenum & veneficum, nedum amiſit, atcum ſuo dedecore martyrem fecit.

Auaritia. Pro auaritia Nota. *Auaro nihil eſt ſceleſtius.* Eccl: 10. Auarus enim conturbat Domum ſuam, cogitans & vigilans vnde colligat, habeat, nec ſomnum nec deuotionem nec menſam nec amicitiam conſeruare poteſt, anhelans vt habeat quod videt & audit alterum habere. Ad vltimum multa ſolicitudo & inuidia excludit eum à regno Dei 2. Cor: 6. *Auari regnum Dei non poſſidebunt.* B: Greg: Auarus hîc ardet eſtu concupiſcentiæ ac multiplici cura cuſtodiæ & poſtmodum ardebit igne gehennæ. Seneca in Prou: Auarus nulli eſt bonus ſibi autem eſt peſſimus Duæ enim eius conditiones peſſimæ auiditas in acquirendo auſteritas in retinendo. Abigitur iſte à regno cœli ceu fur. Vnde Symbolum eius erit ſaccus perforatus quem multæ implent manus nec implere poſſunt. Subſcriptio. *NON SATIABITVR INFERNVS.* Habet enim conuenientiam in hoc auarus cum inferno. Vn de Iſid: lib 2. cap: 41. Qui deſiderio cupiditatis exeſtuant flatu diabolicæ inſpirationis vtuntur. Accendit enim mentem Euæ ſuperbia, vt de ligno vetito manducaret. Accendit Cain mentem inuidia, vt fratrem occideret, Accendit Salomonem luxuriæ facibus, vt per amorem libidinis idola adoraret, Accendit Achab cupiditate, vt homicidium auaritiæ annecteret. His ergo inſpirationibus diabolus corda hominum ocultis deprauat cupiditatibus. Valer: Max: tali proemio auaritiam inſigniuit lib: 9. cap: 4. Protrahatur etiam in medium auaritia, latentium indagatrix lucrorum, manifeſtæ predæ auidiſſima vorago, nec

nec habendi fructu fœlix & cupiditate quærendi miſerrima.

Quid per Paſcuà quæ ingredientes inuenient intelligitur.

RESP: Gaudia quæ habebuntur ex contemplatione S. Trinitatis & delectatione illius beatæ ſocietatis. Qui enim illuc peruenerit, ingredietur ad contemplationem S. Trinitatis, & egredietur ad condelectationem illius beatæ ſocietatis & paſcua inueniet vtrobique: Vtinam his aggregaremur.

ANNOTATIO.

BEatus Nilus Epiſc: & Mart: inci piendo ſententias Tropologicas colligere hanc in capite poſuit. Timorem pariter & deſiderium erga Deum habere neceſſe eſt, erga homines verò cunctos, puro conſcientiæ teſtimonio, vti decet. Nil verius, nam ad gaudia vera & contemplationem Trinitatis ſanctæ, aliter peruenire nullus valet. Cant: 5. *Anima mea liquefacta eſt vt dilectus locutus eſt.* In hæc verba Bonauentura. Accendit Deus animam ſuo amore, vngit ſuâ gratiâ, quæ ſic vncta & eleuata in ſpiritu contemplatur, & contemplando amat, & amando guſtat, & guſtando quieſcit & in iſta quiete omni fruitur gloria quæ in hoc mundo poteſt haberi. D: Aug: Verba Dei inſtar dulcium ſagittarum feriunt cor & tanquam carbones ſpirituales accendunt & inflammant illud diuino amore. Si hîc contemplatio Dei, tantam dulcedinem affert, quantam in cœleſti gloria, illa S. Trinitatis contemplatio non afferret animæ eleuationem, dulcedinem, delectationem? Deuotus Granatenſis Sacri Ord: mei contemplationi in via hos titulos tribuit, eſt porta regalis per quam ad cor Dei ingredimur, primitiæ futuræ gloriæ, manna in ſe habens omnis dulcedinis ſuauitatem, ſcala Iacob, quæ terræ cœlum jungit, per quam Angeli equites ſpirituales aſcendunt & deſcendunt portantes libellos ſupplices noſtros ad Deum & reportantes ad nos negotiorum noſtrorum expeditiones. Dominus enim intelligit idioma cordis noſtri non minus quam linguæ noſtræ loquellam. Pſal: 118. *Clamaui in toto corde exaudi me Domine.* Quaſi diceret, cauſa exauditionis potiſſima, clamare in toto corde. Greg: Tanto minus quis clamat, quanto minus deſiderat, & tanto fortiùs cœlos voce penetrat aureſque Dei pulſat, quanto amplius deſiderium ſuum coram illo dilatat. Induco viuum contemplationis teſtem. S. Nicaſius Epiſc: Rhemenſis, cognito barbarorum aduentu ijs cum hymnis & canticis ad oſtium Baſilicæ occurrit. Dumque diuinæ deditus Pſalmodiæ hunc pronuntiat Pſalm: 118. verſiculum. *Adhæſit pauimento anima mea*, mox inſequente gladio ceruicem amiſit, verbum tamen pietatis ab ore cæſi non defecit, capite

Contē. plationis tituli.

pite enim in terram cadente, Pſalmum proſecutus eſt dicens: *viuifica me ſecundum verbum tuum.* En contemplationem diuinam beatorum in terris nec mors interumpere valuit, quantæ igitur virtutis illa in cœleſti beatitudine contemplatio erit. A. A. A Domine neſcio loqui, homo peccator ſum & terra indignus, juſtitijs tuis peſſundari debebam, at tua miſericordia longanimi ſublenatus exiſto. Cogito tamen licet plurimis obductus tenebris, quod viſio illa Sanctiſſimæ Trinitatis, quæ nec tantam multitudinem Angelorum ſatiare poteſt, nec tam numeroſa deſideria beatorum in cœlis beatificatione & gloriâ replet ſine deſiderio, exceſſum inducat & inducere valeat, licet tot millia nouarum & aliarum creaturarum intellectualium & gloria donatorum adhuc ſuper fuiſſe opinarentur, & crederentur. 2. ad Tim: 2. *Firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc. Cognouit Dominus qui ſunt eius.*

FERIA IV. POST PENTECOSTEN.

Nemo aſcendet in cœlum, niſi qui de cœlo deſcendit, filius hominis qui eſt in cœlo, *Ioan: 3.*

SVpple, & niſi ille, quem trahit Pater, & Filius, & Spiritus S. Nota ergo, quod Filius hominis aſcendit in cœlum in Patris dextera regnaturus, qui de cœlo deſcenderat hominem perditum redempturus, qui tamen ſemper erat in cœlo per diuinitatem, licet in terris ad tempus ambulauerit per humanitatem. Nota etiam, quod & illi aſcendent in cœlum, quos traxerit Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Quod Pater trahat, teſtatur filius Ioan: 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit illum.* Quod filius trahat, ipſe de ſe loquitur Io: 12. *Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.* Quod autem trahat Spiritus Sanctus, orat prudens anima Canticorum 1. *Trahe me, inquit: poſt te, curremus in odore vnguentorum tuorum.* Spiritus Sanctus, vt dicit Eccl: 38. Vnguentarius eſt, qui facit pigmenta ſuauitatis, & vnctiones conficit ſanitatis. Vnde & dona ſua dicuntur charifmata id eſt charachriſmata.

Trahit itaq;. 1. Pater funiculo potentiæ. 2. Filius funiculo Sapientiæ. 3. Spiritus Sanctus funiculo charitatis, ſiue beneuolentiæ. Pater enim largitur potentiam, Filius Sapientiam, Spiritus Sanctus charitatem ſiue beneuolentiam. Iſti ſunt tres funiculi, de quibus dicitur Oſeæ. 11. *In funiculis traham eos in vinculis charitatis.* Contulerat enim Dominus, robur potentiæ, & lumen ſapien-

pientiæ, & donum charitatis ſiue beneuolentiæ, quibus quaſi quibuſdam funiculis eum ſibi aſtringeret, alligaret. Sed miſer homo auertit ſe ab eis, ingratus collatori, vndè & à ſummo bono decidit in baratrum multiplicis mali. De tribus prædictis dicit Eccleſ. 17. *Deus creauit de terrâ hominem & ſecundum ſe veſtiuit illum virtute, & dedit illi poteſtatem eorum quæ ſunt ſuper terram.* Ecce primum videlicet potentia. Sequitur; *creauit illis, ſcientiam. Spiritus ſenſu impleuit cor illorum.* Ecce ſecundum, ſcilicet ſapientia. Sequitur: addit illis diſciplinam, & lege vitæ hæreditauit illis. Ecce tertium, ſcilicet charitas. Ipſe enim eſt lex vitæ. Et Nota, quod Paterfamilias ſeruum conducturus iſta principaliter in eo deſiderat inuenire videlicet quod poſſit, quod ſciat, & quod velit opus ſuum operari. Sic & ipſa tria Deo ſeruituris ſunt neceſſaria videlicet quod poſſint, & quod ſciant, & per charitatem velint operari bonum.

I. Trahit igitur primò Pater largiendo potentiam.

VNde dicitur in Pal: 67. *Deus Iſraël ipſe dabit virtutem & fortitudinem plebis ſuæ benedictus Deus.* Et certè benè indigemus fortitudine & potentia, quia retrahunt nos tria videlicet caro: mundus, & dæmonia. Caro enim multipliciter ſpiritui reluctatur, cumque ab omni bono propoſito detrahit, ſicut quædam grauis maſſa. Detrahit enim hominem ne recordetur, & gratias agat Domino de ſingulis beneficijs, quæ nobis exhibuit in ſeptem horis: videlicet in matutinis ſi in prima, in tertia, in ſexta, in nona, in veſperis, & in completorio. In matutinis enim Dominus coram pontificali judicio conſputus fuit, & alapatus, & colaphis cæſus, tunc etiam Petrus amare fleuit, & Dominus ignouit ei reatum ſuum. Tunc etiam Dominus à ſepulchro reſurrexit. In hora prima Dominus judicio ſæculari vinctus traditus fuit, & grauitèr coram Pilato Iudice accuſatus. Tertia hora Dominus flagellatus fuit & Spinis Coronatus, & Barraba latrone dimiſſo, Dominus ad Crucem fuit magnis clamoribus poſtulatus. Circa tertiàm enim horam tranſmiſſus fuit Apoſtolis Spiritus Sanctus. Sexta hora Dominus exutus veſtibus ſuis ſuſpenſus fuit in ara crucis. In eadem etiam hora Dominus in die aſcenſionſis cum diſcipulis ſuis diſcubuit, & etiam tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram in die Dominicæ paſſionis. Nona hora Dominus aceto & felle potatus. In eadem etiam hora Dominus expirauit, & latus eius fuit lancea perforatum. Veſpertina hora Dominus de cruce depoſitus fuit. In eadem etiam hora Dominus in die præcedente cænauit cum diſcipulis ſuis, eiſq; ſui corporis & ſanguinis tradidit ſacramentum In completorio enim Dominus ſepultus fuit. In eadem etiam

hora Dominus præcedente die pro diſcipulis orans & factus in agonia ſudorem ſanguineum emiſit ex omnibus membris ſuis. Retrahit igitur caro hominem, ne etiam ſeptem horis canonicis diuinis inſtet obſequijs. Inuitat autem eum ad fornicationem, immunditiam, impudicitiam, luxuriam, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia; ſicut dicit Apoſtolus ad Galatas 5. 2. Mundus etiam retrahit hominem à Diuino ſeruitio. Vnde Bernard. Noli (inquit mundus) præcipitanter agere, diu conſidera, diligentius intuere, magnum eſt, quod proponis, & opus habes deliberatione, experire quod poſſis: amicos conſule, ne poſt factum pœnitere contingat. Hæc eſt maledicta ſapientia mundi, quæ multos ſupplantat. 3. Dæmonia etiam verſutis & fraudulentis perſuaſionibus multos à Dei obſequio retraxerunt, ſicut nullus ſanæ mentis ignorat.

2. Trahit nos Filius, Largiendo pænitentiam?

VNdè Iacob 1. *Si quis veſtrum indiget ſapientia poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.* Et certe multum neceſſe eſt nobis vt veram ſapientiam poſtulemus: ea namq; tripliciter indigemus, videlicet, ad præteriti temporis recuperationem, ad præſentis ordinationem, & futuri præmeditationem. Et 1. Nota, quod præteritum tempus per veram ſapientiam & per veram contritionem quodammodo recuperatur. Qui enim vere dolet, quod dies præteritos inutiliter expendit, quodammodo recuperat illos. Licet enim non recuperet eos, quantum ad hoc vt pro ſingulis diebus inutiliter tráſactis præmium ſibi detur, recuperat tamen eos quantum ad hoc, quod pro ipſis perpetua ſupplicia non patietur. 2. Nota etiam, quod per ſapientiam præſens tempus vtiliter ordinatur. Qui enim verè ſapiens eſt, ad hoc nititur vt omnia mométa præſentis temporis in Dei ſeruitio expendat. Sicut enim capillus de capite, ſic etiam momentum de tempore non peribit. Et verè neceſſarium eſt quod præſens tempus in bonis operibus expendatur. Dicit enim Seneca: Nemo noſtrum idem mane eſt, quod fuit pridie; corpora noſtra rapiuntur fluminum more, quicquid vides, currit cum tempore. 2. Nota præterea, quod per ſapientiam futurum tempus præcogitatur, vt videlicet homo præpararet ſe ad rationem reddendam dæmonibus, quæ in vita ſua commiſit cogitatione, locutione, & opere. Vnde Eccleſ. 12. *Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequã veniat tempus afflictionis tuæ & appropinquent anni, de quibus dicas: non mihi placent.* Ita Seneca: Ego certè ſicut ille laturus ſententiam de omnibus annis meis dies venerit, ita me obſeruo & alloquor.

3. Tra-

3. Trahit nos Spiritus S. conferendo charitatem ſiue beneuolentiam:

VNde ad Roman: 8. ſupre illũ locum: *Ipſe Spiritus reddit teſtimonium ſpiritui noſtro, quod ſumus filij Dei.* Dicit Gloſſa, Charitas vnde eſt, niſi à Spiritu Sancto? Igitur Spiritus Sanctus eſt charitas increata, qua ſe diligunt Pater, & Filius, & hæc charitas confert nobis charitatem creatam, quæ monet nos ad tria. Primum eſt, vt per mutui collationem indigentibus ſubueniamus. Secfundum eſt, vt res noſtras pauperibus tribuamus. Tertium eſt, vt ex corde omnes iniurias remittamus. De primo dicit Dominus Luc. 6. *Mutuum date nihil inde ſperantes.* De ſecundo ibidem: *Date, & debitur vobis.* De tertio ibidem: *Dimitte, & dimittetur vobis.* Rogemus igitur chariſſimi Sanctam & indiuiduam Trinitatem, vt ipſius adiutorio trahi mereamur ad perpetuam fælicitatem.

ANNOTATIONES

PRo Notatione 1. B. Alb: Mag: obſeruandum. Hilarius lib. 10. de Trinit. Quia de cælo deſcendit, conceptæ de ſpiritu originis, cauſa eſt. Non enim corpori Maria originem dedit, licet ad incrementa partumue corporis omne quod ſenſus ſui eſt, naturale contulerit: quod vero filius hominis eſt, ſuſceptæ in virgine carnis eſt partus, quod autem in cælis eſt, naturæ ſemper permanentis poteſtas eſt.

Theophil. Cum audis filium hominis deſceudiſſe de cælo, non putes quod caro deſcenderit de cælo, sed vt dicit Chryſoſt. à minori ſubſtantia ſe totum nominauit. Deſcẽdit enim per hoc quia filius hominis eſt, aſcendit & in cælis eſt quia verbum caro factum non amiſerat manere quia factum eſt. Aug: Tract. 12. in Ioan. Miraris quia hic erat & in cælo? Tales fecit diſcipulos ſuos. Paulum audi Philip. 3. *Noſtra conuerſatio in cælis eſt.* Si homo Paulus ambulabat in terra & conuerſabatur in cælis, Deus cæli & terræ non poterat eſſe in cælo & in terra. Amos. 9. *Qui ædificat in cælo aſcenſionem ſuam & faſciculum ſuum ſuper terra fundauit.* Faſciculus ſunt electi. *Cælum & terram ego impleo.* dixit Ierem 23. B. Alb: Mag: ſuper 3. Ioan. Opiniones collegit ſcholaſticè, ſunt qui quærunt. Vtrum hoc quod dicitur hic: conueniat Chriſto ſecundum humanam naturam: vel diuinam: aut ſecundum vtramq;! Si ſecundum humanam: Contra: Illius non eſt deſcendere qui in infimo fuit humilitatis. Si autem ſecundum Diuinam. Contra: Illius non eſt aſcendere qui in ſummo eſt maieſtatis. Si ſecundum vtramq; aut diuiſim, aut coniunctim Si diuiſim: aut ergo fit quod natura humana deſcendit: & tunc ſequitur idem quod prius, & tunc etiam diuina aſcendit, quod etiam prius oſtenſum eſt eſſe inconueni-

Chriſtus deſcendit de cælo.

ens. Si autem humana aſcendit: hoc quidem eſſe poſſet aliquo modo ſecundum aſcenſum loci: ſed tunc Diuinæ deſcendere non conuenit. quia humiliari non poteſt, & quia eſt vbique. Ad hoc autem non eſt difficile reſpondere, quia quod Chriſtus de ſe dicit ſecundum vtramq; naturam: prout ipſe vnum corpus eſt cum omnibus electis. Sic etiam ratione formæ filij. Quam operatione Spiritus Sancti habet ille homo qui dicitur Chriſtus ſibi inditam: ſecundum vnionem facientem eſſe perſonale, & ratione eiuſdem formæ quam per adoptionem habent membra eius eſt aſcendere in cælum. Ratione autem formæ diuinæ (in qua viſibilis apparuit; homini largiens ſuam deitatem) eſt deſcendere. Nec ex hoc ſequitur quod Deitas humiliata fuerit vel reſtricta localiter quæ eſt vbiq; quia in illo deſcenſu nec commixtionem paſſa eſt nec mutationem: ſed aliquid in ſe aſſumpſit: quod prius non habuit, & alicui ſe conformauit in natura aſſumpta: cui prius cõformis per naturam non fuit; ratione cuius inferius apparuit ſecùndum quod prius non apparuerat, & hoc modo venit. In cælo autem ſemper fuit, eſt & erit per diuinitatem. Et quod quidam dicunt: quod nemo aſcendit in cælum propria virtute niſi quod deſcendit de cælo: Verum eſt, quia omnis qui aſcendit: virtute ipſius aſcendit, & ipſe ſolus per virtutem ſuam propriam

Aſcẽſionis ſenſus qui eſt.

aſcendit. Et iſte eſt intellectus iſtius literæ Catholicus & verus. Tanti myſterij inſcrutabilis in quo perfectus Deus & perfectus homo exprimitur & creditur non in congrue tali delineabimus ſymbolo: Sol ab vna parte luna cum ſtellis ab altera oculos hominum & Angelorum agmina habens, & dandum lemma. *OMNES NON SVFFICIVNT.* Nam ſi luna & ſtellæ continuo accipiendo lumina à ſole, non diminuunt lucem ſolis, & oculi hominum métales, atq; viſio Dei ab Angelis & beatis in cælis, contemplando continue Deum, illius tamen eſſentiam, ſolùm apprehendere poſſunt, comprehendere non. Omnes non ſufficiunt, at vnus ſufficit nempe Deus. ſed non in omnibus eſt ſcientia. Nos benedicat Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus.

Pro tractione Patris. Nota. Aug. Tract: 26. in Ioan. Magna gratiæ commendatio: Niſi tractus venit. Accipe & intellige. Si non traheris ora vt traharis. Venimus autem ad Chriſtum credendo, ſeu voluntate. Quid eſt trahi voluntate! *Delectare in Domino & dabit tibi petitiones cordis tui.* Pſal: 36, Voluptas trahit, magis trahet ad Chriſtum qui delectatur veritate, beatitudine, iuſtitia, ſempiterna vita, quod totum Chriſtus eſt. Oportet ſi corporis ſenſus habent ſuas voluptates, vt animus quoq; habeat. Trahit pater ad filium eos, qui propterea credunt in filium, quia eum cogitant

tant patrem habere Deum, quia æqualem ſibi Deus Deum genuit. Arrius credidit creaturam, non illũ etiam Pater traxit, Fotinus hominem ſolum dicit Chriſtum, nec illũ trahit Pater, trahit P. vnde dicit. *Tu es Filius Dei viui*. Aut ſicut dicit idem Aug: trahit Pater per opera quæ faciebat per illum. Cyrillus quoque lib. 4. in Ioan: cap. 5. Non vi quadam trahi putandum, ſed monitione doctrina, reuelatioue infallibiliter facta & talis expoſitio ex conſequentibus habetur, ſubiungit enim. *Omnis qui audiuit à patre & didicit, venit ad me.* Ioan: 6. Vbi auditus diſciplina doctrinaq; adeſt, ibi fides non vi ſed perſuaſione oritur. Patrocinio ergo Dei patris quod ex charitate dignis præſtatur non vi Chriſtum fideles agnoſcunt. Talis tractio ſymbolo hoc declaratur. Sit manus è nubibus ſtollam manu tenens, qua ad infantem infantes trahit dulciter, ipſis ſcilicet vltrò arripientis ſtollam. Et ſubſcribamus. *AD FILIVM ITE*. Vnde Ioan. 6. *Nemo poteſt venire ad me niſi fuerit ei datum à patre meo.* Vbi B. Alb. Mag: Non poteſt venire per fidei deuotionem & ſactamenti participationem, niſi pater dederit ei, qui cum paterno affectu libenter omnibus dat qui recipere volunt Iacob: 1. *Dat omnibus affluenter & non improperat.* D. Aug: lib. de predeſt: Sanct: cap. 8. Omnes Deus docet venire ad Chriſtum, non quia omnes veniunt, ſed quia nemo aliter venit,

Pro tractione filij. & Spiritus S. Nota: Præter authoritatem adductam quam ſerpens in deſerto à Moyſe exaltatus ſignificabat, eſt Iſa. 52. *Seruus meus exaltabitur & eleuabitur & ſublimis erit valde.* Nunquam apparuit ſublimior virtus Chriſti quam in cruce, nam cælum, terra & totus mundus cantauerunt virtutem eius excelſam Pſ. 20. *Exaltare in virtute tua cantabimus & pſallemus virtutes tuas.* Ibi enim & gentiles, qui ante non trahebantur traxit ad ſe. Rom. 3. Vnus Deus eſt qui iuſtificat circumciſionem ex fide, & præputium per fidem. B. Iuſtinus in Apolog: ad Antonium. Fide iam recepta, pie ac docte iam non ſunt ſcripturæ ſcrutandæ ad videndum, an hæc ita ſe habeant, ſed ad intuendum clarius ac prædicandum probandumq; fortius, quod vtique ita ſe habeat. En quam fortis tractio Chriſti ex cruce. Vndè in ſymbolum talis tractionis ponamus manum è cælo in qua funiculus aureus ad cuius extremum ſunt alæ alaudæ: Omnis enim qui talem tetigit funiculum curret velociter ad Chriſtum & laudabit Deum. Hinc appono lemma, *LAVDA ET BENEDIC.* Chryſoſt. Hom: 45. in Ioan: Hoc quidem præcipuum eſt quia ante per homines diſcebant quæ Dei ſunt, nunc autem per vnicum Filium DEI & Spirirum Sãctum. Vnde nolle trahi à Chriſto eſt ſubire maledictionem Iſa. 1. expreſſam. *Dereliquerunt Dominum blaſphema-*

Trahit ad ſe filius DEI.

Scriptura ante fidem & poſt quid facit.

Manus cum aureo funiculo.

Lauda & benedic.

ſphemauerunt Sanctum, Iſraël, ab alienati ſunt retrorſum. Eſt quoq; tractio particularis cum delectatur cum anima ceu ſponſa Chriſtus vt Cant. 1. dicit: *Trahe me poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum.* De B. Oſanna Mantuana Ordinis S. Dominici ſorore legitur, quod legere & ſcribere à Chriſto & B. V. M. didicerit, in extaſi audiuit Angelicum concentum, multoties rapta in ſpiritu vidit Chriſtum in vlnis B. V. quem ſibi porrectũ manibus tenuit, & genibus flexis miſericordiam Dei pro ſe & vniuerſo mundo implorabat. At talis tractio, conuenit illis, qui illud Apoſt. ad Philip: 3. obſeruant. *Omnia detrimentum feci & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam.* Talem igitur tractionem à Patre, Filio & Spiritu Sancto triplicẽ funiculum quo attracti erant primi parentes, meritò renouatum per Sanctiſſimam Trinitatem declarauit B. Alb. Magnus.

Particularis tractio filii.

B. Oſanna.

Parentes primi triplici Funiculo tracti.

De potentia & fortitudine nobis neceſſaria Nota. *Inimico tuo non confidas in æternum.* Ecl. 12: Non fortior nec peior inimicus eſt, quam qui pugnat contra animam. Fatetur D. Paulus Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ & captiuitatem me in lege peccati.* D. Greg: in Moral. Nos geſtamus laqueum noſtrum nobiſcum. Circumferimus inimicum noſtrum carnem noſtram de peccato natam, in peccato nutritam, corruptam nimis in ipſa origine, ſed multo amplius praua conſuetudine conniti-atam: hinc eſt quod tam acriter aduerſus Spiritũ concupiſcit, quod aſſidue murmurat, impatiens eſt diſciplinæ, illicita ſuggerit, quæ nec rationi obtemperat nec vllo tempore ſubeſt. Pugna carnis in animam tam fraudulenta eſt, vt ſicut Dalila Iudic. 16. Ademit vires & fortitudinem Samſoni vt cæcus factus præcipitio interijt, ita omnem fortitudinem animæ debilitat caro. Hinc nobis potentia à Deo Patre neceſſaria eſt. Vnde 2. Corint: 4. *Semper mortificationem IESV Chriſti in corpore noſtro circumferentes vt & vita IESV manifeſtetur in corporibus noſtris.* Si verò adiungitur alter hoſtis animæ nempe mundus, amplius requiritur potentia. Apoſt. Iacob. 4. *Quicunque voluerit eſſe amicus hujus ſæculi inimicus Dei conſtituitur.* Vnde clarum eſt quod mundo viuere, mortis opus ſit. Vti igitur & tranſire per mundum non verò manere & delectari permiſſum eſt homini peregrinanti, nam illius conuerſatio eſt in cœlis & requies in Deo. Hieron: in Epiſt: Difficile imò impoſſibile eſt vt præſentibus & futuris quis fruatur bonis, vt de delitijs ad delitias tranſeat, & in hoc ſæculo primus ſit, & in terra & in cœlo appareat glorioſus. Apocal: 7. Ioannes vidit ornatos ſtolla candida, & interrogauit qui ſunt hi! reſponſum audiuit. *Hi ſunt qui venerunt ex magna tribulatione.* Quod ſi tibi pulcher videtur mundus, cogita pulchritudinem

Inimicæ animæ non confidas.

Caro hoſtis.

nem Dei vel ex ſole, luna & ſtellis, & inuenies, quod mundus ſit turpitudo. Sed anima Spiritus, plures adhuc ſeueriores habet hoſtes, dæmonia. Erectus eſt inimicus, vt Tren: 1. dicitur. Nunquam non pugnat in hominem Antiquus hoſtis dicit Greg: in Mor: ex proprio certamine, dum ſe ſuccumbere conſiderat ad alia tentationem bella reſtauratur. Eſt alter Goliath nec victorem habebit niſi puerum. Dicebat Dauid. Si non eſt qui pugnet contra ipſum, ibo ego increpabant fratres dicentes. Nouimus ſuperbiam tuam & præſumptionem, at cum audiuit Rex Iſraël dixit. Non poteſt pugnare cum illo cum puer ſis. At ille tacitè reſpondit, imo quia puer ſum, pugnabo. Occidi leonem & vrſum ego puer. Profectò ille victor dæmoniorum erit qui puer & ſimplex eſt, Deum qui timet & conſcientiam metuit; qui occidit leonem carnem propriam quæ vt leo fremit in animam & ſpiritum. Qui occidit vrſum mundum. Mundus enim alijs terribilis, alijs riſibilis, vrſus aſpectu terribilis ſaltu & geſtu ſuo riſibilis. Plurimis figuris & ſpeciebus hi tres hoſtes offerunt ſeſe ſpiritui noſtro. Aliquando monſtrant ſi ſequatur illos vtile', Honeſtum, Delectabile. Aliquando monſtrat glorioſos in ſæculo & carne, obtinuiſſe felicitatem in fine vitæ. Aliquando ſeſe & ipſe dæmon transformat in Angelum lucis, aliquam ſpeciem ſancti, imo aliquando crucifixi. At his hoſtes animæ plurimum expugnare nituntur Spiritus S. leo malitiæ nocendi auidus & audax in Dominum ipſum irruit. Quocirca cautella & potentia opus eſt, cautella. Nam omni arte expugnare hominem deſiderat, & ſub dulci eſca aut potu venenum offert. Refert Seneca quod fulgur vinum gelat, ferrum & æs fundit. Et vinum fulminatum & fulmine gelatum cùm ad priorem habitum reddit, potum ſumentes aut exanimat aut dementes facit. Non profectò diuerſa eſt ratio hoſtium quacunq; ſpecie homini oblatorum. Dementant vel exanimant. Potentia igitur Dei Patris neceſſaria nobis. Inde Auguſt: in Soliloq: Venit tentator tenebroſus vt eſt, & vt eum deſpicerem, tu me confortaſti, venit tentator fortis, vt me non vinceret, tu eum refrænaſti & me roboraſti, venit transfiguratus in Angelum lucis vt me deciperet, & tu eum increpaſti, & vt ipſum agnoſcerem illuminaſti me. Vt igitur tantos hoſtes vincere poſſis remedium tibi offert S. Dominicus. Hæreticum Albigenſem blaſphemum dæmonum quindecim millia obſeſſa erũt. Interrogati à S. Dominico de cauſa ingreſſus, hanc protulêre Peccatum irreuerentiæ in Dei matrem. Quæſiuit Cur 15. millia! dixerunt. Ob quindecim decades SS Roſarij contra quas malè ſanus blaterabat. Tandem D. Dominicus ſingulos de populo eſt hortatus vt alte Roſarium recitarent, recitabat & ipſe, tunc-

Fulgur vinum inficit.

Potentia Patris oſtenditur.

Obſeſſus à 15 millibꝰ dæmonum liberatur.

que ad ſingula Aue Maria multitudo dæmonum è corpore in ſpeciè carbonum ardentium erumpebat. Quã concinnè admonuit Iſidorus lib: 3. cap.4. Malignus Spiritus, hoc quod intra nos mundare cupimus, ſine intermiſſione tentat iterum ſordidare. Sancti autem eorum inſidias præſago ſpiritu præcognoſcunt, & quicquid in ſemetipſis terrenum ſentiunt, in deſinenter operibus ſanctis atq; virtuoſis exhauriunt, vt de intimis puri inueniantur.

Sanctorũ cautio contra dæmonia.

Pro ſapientia neceſſaria homini. Nota Eccl: 1. *Fons ſapientiæ verbum Dei in excelſis & ingreſſus illius mandata æterna.* Et indè ſapientiam à Filio Dei impetrare ſuaſit B: Alb: Mag: Cuſtodienda enim cum ſit anima noſtra à noxijs cogitationibus & inordinatis affectibus, ſine ſapientia id efficere nequimus. Turbant cor hominis naturales paſſiones, amor, odium, gaudium, triſtitia, timor, ſpes, deſiderium, ira & ſimilia. Sunt ceu venti qui mare agitant; ceu nebulæ quæ cœlum obſcurant ceu pondera quæ ſpiritum noſtrum deprimunt. Quare, quomodo oculi carnis nec ſtellas nec cœli pulchritudinem videre poſſunt cum nubilum eſt, ſic nec animarum oculi lucem æternam contemplari poſſunt, cum nebulis & paſſionibus huius vitæ obſcurati ſunt. Et quemadmodum in aqua lympida omnia objecta videntur vſq; ad minutiſſimam arenam quæ in fundo eſt, id quod in turbida fieri non poteſt, ſic anima noſtra liquido cognoſcit, quid in ſe habeat cũ quieta eſt & ſerena: ſi autem motus paſſionum eam obſcurent & turbent, nec ſe poteſt videre nec quicquam aliud. Sapientia ergo neceſſaria eſt vt ſemper excubes & cordi frænum impoſitum habeas, ne quid cogitet, nec ad aliquid à paſſionibus ducatur, quod Dei aut de Deo non eſt. Non contriſtetur niſi in eo quod à Deo ſeparat, non lætetur niſi in eo quod ad Deum adducit, nulla ſanctior nulla ſit illi cogitatio frequentior, quam quibus modis eſt Deo ſeruiendum, non viuat in alio cum timore, amore, deſiderio, vel ſpe, quam de illo in illo & propter illum. Sit illi mundus crucifixus & ille mũdo. In hac ſapientia quæ Chriſtus eſt omnia tempora fæliciter percurremus, & æuum quod æternitas ſequitur fœlix & beata inchoabimus. Cadent à nobis hoſtes, victi proſternentur inimici, triumphum cum cantico quo cœlum lætificabitur inchoabimus. Annibal cùm hoſtem non in Africa expectabat ſed in Italiã proceſſiſſet, ita animauerat militem. Inferimus bellum infeſtis quæ ſignis deſcendimus in Italiam, tantò audacius fortiuſq; pugnaturi, quantò major ſpes majorque animus inferentis eſt vim, quam arcentis. Si potentia Dei Patris, ſapientia Dei Filij cum hoſte in arenam pugnaturi deſcendemus, quis contra nos? *Iſidorus.* Diabolus ſuis fautoribus blanditur, Dei verò ſeruis molitur tentamenta contraria. Et quia ſanctos

Sapientia neceſſaria Chriſti filii.

Aſſimilatio oculorũ ad animam.

non

non tenendo poſſidet, ſed tentando perſequitur, in eis non intrinſecus regnat, ſed extrinſecus pugnat. Et qui intrinſecus amiſit Dominium, exterius commouet bellum. Gen: 3. Diues auro & argento Abraham venit in Chanaan. Loth verò diues beſtiarum deſcendit in terram Sodomorum, Diues in anima Abraham, diues beſtijs eſt in corporali affectu homo beſtialis, Loth vnde ille ſalutem, iſte condemnationem mæretur, quia ille ſecutus Chriſtum ſapientiam, iſte inſipientiam, diabolum.

Pro charitate neceſſaria nobis No: *In charitate radicati & fundati, vt poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis.* Ad Epheſ: 3. Nec ſolum eſt conditio ſine qua non ingredimur cœlum charitas, at illa eſt quæ nobiſcum in cœlos aſcendit, remanentibus hîc alijs Theologicis virtutibus. Pſal: 96. *Ignis ante ipſum præcedet.* Filij Iſraël tranſeuntes per mare in deſertum, cum neſcirent viam, miſit eis Deus igneã columnam quæ nocte lucens precedebat, die verò protegebat ab æſtu. Ita Chriſtus de Ægypto inferni credentes cum eduxit, dedit illis Spiritum S. vt eluceret & protegeret eos & deduceret. D. Aug: de laude char. Charitas eſt actio rectitudinis oculos ſemper habens ad Deum, glutinum animarum, ſocietas fidelium, actio non frigida, actio non fracta, non frigax. Et quia charitas in via neceſſaria Dei & proximi hanc à Spiritu S. petere debemus; ille enim charitatis donum, vtrumq; & tali vinculo trahit nos, & colligat. *Iſidorus.* Seruat in ſe dilectionem Dei qui *Dilectio Dei*
à charitate non diuiditur proximi. *& proximi.*
Qui à fraterna ſocietate ſecernitur à diuinæ charitatis participatione priuatur. Nec poterit Deum diligere, qui noſcitur in proximi dilectione errare. Chriſtus Deus & homo eſt, totum ergo Chriſtum non diligit qui hominem odit. Quocirca in Symbolum non diligentis proximum ponamus Baſiliſcum qui aſpiciendo hominem occidit eum, ſic
enim, qui odit proximum, facit. E- *Symb: non di-*
rit titulus. *MORS HOMINIS.* B. Ni- *lectio-*
lus in ſent: Tropol: Si potus aquæ *nis proximi.*
frigidæ juſtificat miſericordem, quàm retributionem pauperibus denegantem manere exiſtimas? Faciamus igitur quod Leuitici 6. ſuadebatur. *Ignis ſemper ardebit in altari,* puta, cordis, *quem nutriet ſacerdos,* id eſt offerens ſacrificium homo, *ſubjiciens per ſingulos dies ligna,* charitatis puta.

DE SANCTISSIMA TRINITATE.

Aduerte quod ſermonem de illa vſq; in fine ſermonum de Sanctis B: Alb: Mag: poſuit, at in gratiam Lectoris hoc in loco ponimus.

BENEDICAMVS PATREM ET FILIVM CVM S. SPIRITV.

Benedicendus DEVS Pater.

BEnedicendus eſt Pater quia filium ſuum vnigenitum miſit & dedit. Iſa: 9. *Paruulus natus eſt nobis & filius datus eſt nobis.* Dedit autem Pater filium ad tria ſcilicet, in ſocium noſtræ fatigationis, D: Paulus Hebr: 2. *Debuit per omnia ſimilari fratribus vt miſericors fieret.* Chriſtus in humana natura quam aſſumpſit de Virgine paſſus eſt noſtras pœnalitates, eſuriem, ſitim, frigus æſtum laſſitudinem & mortem, vt per experimentum eorum facilius huiuſmodi compatiatur.

Filium miſit ad tria

Dedit etiam Pater Filium in pretium noſtræ redemptionis. Apoſt: Rom: 8. *Qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.*

Dedit etiam in viaticum noſtræ peregrinationis. Ioan: 6. *Ego ſum panis viuus qui de cœlo deſcendi Si quis manducat ex hoc pane viuet in æternum.* Vndè in cæna ſedens cum diſcipulis inſtituit Sacramentum corporis & ſanguinis ſui vt hoc à fidelibus & infirmis in via hujus exilij, quaſi pro viatico habeatur.

Benedicendus etiam eſt Filius, quia venire voluit. Iſa: 6 *Quem mittam & quis ibit ex nobis?* Reſpondit Patri Filius. *Ecce ego, mitte me.*

Benedicendus etiam Spiritus S. quia ad hoc vt Filius incarnaretur & mitteretur, conſilium dedit, & cooperator bonus fuit. Gen: 12. Angelus, id eſt, Spiritus S. dixit ad Abraham, id eſt ad Patrem. *Accipe Filium tuum vnigenitum quem diligis Iſaac*, id eſt riſum vel gaudium, quia ab Angelis nunciatum eſt gaudium in Natiuitate Chriſti, *& offer illum in holocauſtum*, id eſt, illum in monte Caluariæ pro mundi ſalute crucifigi permitte.

ANNOTATIONES.

ISidorus de ſum: bono lib: 1. cap. 18. In ſcripturis ſacris quaſi in montibus excelſis, & viri perfecti habent ſublimia intelligentiæ quibus greſſus contemplationis quaſi cerui erigant, & ſimplices quaſi parua animalia inueniunt modicos intellectus, ad quos humiles ipſi refugiant. Cum Sanctiſſimam Trinitatem in diui-

diuinis contemplor, cum ſpeculari non liceat plurimum, nam ſcrutator majeſtatis opprimetur à gloria, aliquid tamen contemplari fidelem ſi decet, hoc erit particulare, vt ſtudeat benedicere Patrem cum Filio & Spiritu S. Referunt ſcriptores Indiarum. Brachmanes Gymnoſophiſtarum reliquiæ, vt myſterium Trinitatis profiteantur, ab ætatis ſeptennio funiculum geſtant & rumpere nefas ducunt, Symbolo ex tribus alijs intorti, quorum ſinguli rurſum conſtent ex tribus lineis ad perſonarum numerum deſignandum, hæc verò vt vnum & idem eſſe declarent extrema funiculi inter ſe nodo connectunt. Major diligentia chriſtianos ſpectat vt Sanctiſſimæ Trinitati deferant, nec inanis tricis at vera confeſſione nomen Sanctiſſimum celebrent. Ita enim S. Leo Papa ſerm: 3. de Pent: Cùm ad confitendum Patrem & Filium & Spiritum S. aciem mentis intendimus, procul ab animo formas viſibilium rerum & ætates temporalium naturalium naturarum, procul corpora locorum & loca corporum repellamus. Diſcendat à corde quod ſpatio extenditur, quod fine concluditur & quicquid nec ſemper vbique nec totum eſt. Cogitatio de Deitate Trinitatis concepta nihil per diſtantiam intelligat, nihil per gradus quærat. At ſiquid dignum de Deo ſenſerit, nulli hoc ibi audeat negare perſonæ, tanquam honorificentius Patri adſcribat, quod Filio Spiritui-que non tribuat. Ad clariorem intellectum, ne magis ſcrutemur Trinitatem quam laudemus, admonet Dominus apud Iſa: 55. *Non enim cogitationes meæ cogitationes veſtræ, neq; viæ meæ viæ veſtræ, Quia ſicut exaltantur cœli à terra ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à vijs veſtris & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris.* In quem locum S. Fulg. lib: 2. ad Traſimundum Regem cap: 1. Quæ ergò humanæ diſciplinæ peritia! quæ viuacitas animi? quæ cordis ſagacitas illius Trinitatis eſſentiam contingeret arcanum. Homo, cùm plenè quod in ſe eſt non cognoſcit, Deum ſuper ſe minus cognoſcere poteſt. Paueſcens admiranſque ſupernæ, infinitatis magnitudinem omnes intelligentiæ terminos excedentem, ſolo ſe ad cognitionem altiſſimi humilitatis aſcenſu reſipiſceret puta luciper prouehi, à quo ſuperbæ cogitationis caſu quondam meruit ſegregari. Laudemus igitur & benedicamus Dominum cum Thob: 13. *Anima mea benedic Dominum quoniam liberauit Ieruſalem. Beatus ero ſi fuerint reliquiæ ſeminis mei ad videndum claritatem Ieruſalem. Portæ Hieruſalem ex Saphiro & Smaragdo ædificabuntur & ex lapide pretioſo omnis circuitus ejus ex lapide candido & mundo omnes plateæ ejus & per vicos ejus Alleluia cantabitur.* Quod ſi inde ad laudem & benedictionem De ſtimulabatur Thobias quod patria illia tam ſplendida & felix, quomodo non magis benedicenda erit Sanctiſſima Trinitas cuius pulchritudo incomprehenſibilis cuius decor

SS. Trinitas laudetur non ſcrutetur.

decor inæſtimabilis, cuius ſpecioſitas inexplicabilis, propter quam hæc cæleſtis Hieruſalem, & per quã ſtabit in æternum. Deuotus Granatenſis de conuerſione peccatoris in floribus. O iucunda patria, o dulcis gloria, o beata ſocietas, quid facient illi tam fælices & vt te fruantur electi! Videtur eſſe præſumptio ſiquis te deſideret, ſine tui tamen deſiderio nemo poteſt viuere. O filij Adæ, o poſteritas cæca & miſera, oues timidæ & perditæ ſi hoc ſit pabulum veſtrum, quo tenditis? quid facitis? cur tanta bona ob exiguum laborem reſpuitis? *Aug:* Quæ erit iuſtorum gloria, quæ grandis Sanctorum lætitia cum vnaquæque facies fulgebit vt ſol.

Benedicendus Filius per fidē

Benedicendus etiam Filius Dei. Ex primo per fidem. Hanc B. Fulg: ad Traſim: Reg. cap. 3. inſtruit. Chriſtus naturaliter eſt Deus, immenſus, altiſſimus, ſempiternus. Quid dicatur melius Deo; quid maius immenſo! quid ſuperius altiſſimo! quid anterius ſempiterno? Deus igitur non diſcrepat à Patre, immenſus non caret Patris æqualitate, altiſſimus non celſitudine priuatur, nec eſt origine poſterior ſempiternus. Nam quia in DEO Patre nihil poteſt eſſe mutabile ex Deo natus eſt Deus, quia nihil locale ex immenſo proceſſit immenſus, quia in Deo humile aliquid non eſt altiſſimum generauit altiſſimus; & quia initiatum nihil in Deo poterit reperiri ſempiternus protulit ſempiternum. Hanc fidei regulam Iſai: 45: expreſſerat. Qnoniam in te eſt Deus, & non eſt Deus præter te. Tu enim eſt Deus, & neſciebamus, Deus Iſrael Saluator. Erubeſcent & pudebunt omnes qui aduerſantur ei & ibunt cum confuſione. Sic igitur: Primo benedicemus Chriſtum, cum credimus in illum & Filium Dei verum de Deo vero profitemur. Secundo benedicere debemus, laudem ipſi dando: Leo Papa in Epiſt: ad Epheſinam Synodum ſecundum contra blaſphemias Eutychetis, dicit: Abolito hoc quo inquinatus videbatur errore, in laudem & gloriam Dei, per totum mundum vna ſit fides, & vna eademque confeſſio, & in nomine Ieſu omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris, Habac: 3. *Ego autem in Domino gaudebo & exultabo in Deo Ieſu meo.* Liranus in hunc locum, quia liberatio de captiuitate Babylonica figura eſt liberationis Patrum de Lymbo inferni fienda per Ieſū Chriſtum, hic nomen IESVS erit nomen proprium. Exaltabo ergo cantando tropheum & laudem dando IESV Cffriſto Deo & liberatori ſuo. Sanctus Petrus Chryſologus ſerm: 141. ad benedicendum & laudandū dulciter admonuit hominem ſcribendo ſuper verba Iſa. 1. *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum & aſinus præſepè Domini ſui.* Tu homo, nſi on mox cum Angelis, agnoſce vel tardiſſimè cum iumentis,

ne dum

ne dum moraris, ipſis iumentis qui-
bus ante comparatus fueras, poſtpo
naris. Ecce iumenta adulantur cau-
dis, blandiuntur auribus; linguis
lambunt & motum: quo poſſunt au-
thorem ſuum fatentur, & tu cum Iu-
dæis diſcutis, carpis, qui excluſe-
runt à diuerſorijs ſuis Dominum ſu-
um, quem iumenta ſuis in præſepi-
bus ſuſceperunt. Igitur benedic &
laudem refer Deo, Patri & Filio e-
ius. *Benedic anima mea in Domino, & o-
mnia quæ intra me ſunt nomini Sancto eius,
benedic anima mea Domino & noli obliuiſci
omnes retributiones eius.* Ita faciebat B.
Auguſtinus in libro ſupputationum
parte 3. Dicam ego ad Deum. Deus
meus vita mea, fortitudo mea, lau-
datio mea, dignare me laudare te:
da mihi lumen in corde, verbum in
ore, vt cor meum meditetur glori-
am tuam, & lingua mea cantet tota
die laudes tuas; ſed quia non eſt pul-
chra laus in ore peccatoris, & quia
vir polluti labij ego ſum, munda ob-
ſecro cor meum ab omni inquina-
mento.

Benedicendus quoque eſt Spir.
Sanct. O quam blaſphemauerat im-
pius Manichæus cum ſuis ſequaci-
bus in Spiritum ſanctum. Idcircò
nobis plurimum benedicendus, glo-
rificandus & ſummè laudandus e-
rit. Audi & contremiſce quid di-
cat referatq; S. Leo Papa. ſerm: 2.
de Pentecoſt: Præter alias locutio-
nes quibus Manichæorum confuta-
batur impietas hâc apertiſſimè ſen-
tentia totum ſacrilegæ falſificatis do-
gma proſternitur. Nam vt magnũ
quendam atq; ſublimem viderẽ-
tur ſequi authorem in Magiſtro ſuo
Manichæo apparuiſſe Spiritum S.
crediderunt, promiſſumq; à Domi-
no paracletũ non prius veniſſe quã
hic infelicium deceptor oriretur,
in quo Spir. S. manſerit, vt non a-
liud fuerit Manichæus ipſe, quam
ſpiritus, qui per miniſterium cor-
poreæ vocis & linguæ diſcipulos ſu-
os in omnem induceret veritatem
& nunquam cognita præteritorum
ſecreta ſæculorum reſeraret.
O puniendam impietatem. Be-
nedicendus ergo Spiritus S. con-
tra maledicentes & blaſphemantes
profitendo Spiritum S. eſſe Deum
de Deo procedentem à Patre & Fi-
lio. Iſid. lib. 1. cap. 17. de ſummo
bono Spiritus S. creator eſt ſicut
Pater & verbum. Hinc Iob 33. *Spiri-
tus Domini fecit me & ſpiraculum omnipo-
tentis viuificauit me.* Benedicendus e- *Ipſum inuocando.*
tiam Spiritus S. inuocando & gra-
tias pro donis ſacris ipſi referendo.
Primum docet S. Eccleſia quæ do-
cet inuocare ipſum veni S. Spiritus
& emitte cælitus lucis tuæ radium.
Alterum inſinuauit & B. Iſidorus
dicens. Ante aduentum Domini *Gratias ipſi agendo pro donis.*
tantum Prophetæ & pauci ex omni
populo iuſti Donum Spiritus S. me-
rebantur, poſt aduentum autem Do
mini, Spir. S. cunctis eſt credentibus
diſtributus. Vnde Propheta Ioel:
2. *Et erit in nouiſſimis diebus effundam de
ſpiritu meo ſuper omnem carnem & pro-
phetabunt filij veſtri & filiæ veſtræ.* Cun-

ctis enim nunc gentibus gratia Spiritus S. tradita eſt, neq; in paucis vt in populo Iſrael ſed in omni credentium multitudine Spiritus Sanctus gratiâ manet. Deuotus Granatenſis ſcribendo de Conuerſione peccatoris oſtendit dona Spiritus S. vt gratias & laudes ſibi referamus. Præcipuus (inquit) gratiæ illius effectus eſt, animam facere tam gratam & formoſam in oculis Dei, vt eam aſſumat ſibi in filiam, in ſponſam, in templum, in domicilium, in quo delicijs fruitur cum filijs hominum. Alius effectus eſt animam corroborare mediantibus virtutibus, quæ ſunt quaſi capilli Samſonis in quibus conſiſtebat non tantum eius pulchritudo ſed & fortitudo. Armat eius gratia totum hom,nem, & tam fortem facit vt B. Thomas dicat, minimam ſgratiam ſufficere ad vincendos & ſuperandos omnes dæmones ſ cum peccatis omnibus Inſuper facit nos filios Dei per adoptionem & hæredes regni cæleſtis, dignos etiam qui ſcribamur in libro vitæ. Igitur Spiritus S. merito benedicendus, laudandus & glorificandus. Laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula. Solidum quid de Spiritu S. referebat Seneca filio. ſacer intra nos ſpiritus ſedet bonorum malorumq; noſtrorum obſeruator & cuſtos, qui

prout à nobis tractatur,
ita & nos tractat
ipſe.

DOMINICA INFRA OCTAVAM CORPORIS CHRISTI.

Aduerte, in hanc Dominicam non feciſſe ſermonem B: Alb: Mag: at quia hoc Euang: pertractat in Dominica 2. poſt Trinitat: idcirco gratiā lectoris hîc poſuimus.

Homo quidam fecit cænam magnam, *Luc: 14.*

QVIS EST ISTE HOMO A QVO CÆNA MAGNA PARATVR.

REſp. Eſt Filius Dei. Hic eſt homo de quo dixit Caiphas Ioan. 11. *Expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo & non tota gens pereat.* Iſte eſt homo de quo Ioan. 19. *Exiuit IESVS portans ſpineam coronam & purpureum veſtimentum.* Et dicit Pilatus Iudæis. *Ecce homo.* Gloſſa. Non clarus imperio ſed plenus opprobrio.

ANNOTATIO.

IPſa additio ad hominem, nempè quidam, non ſimplicem virum nec hominem purum indicati. Vnus talis debebat eſſe inter omnes homines homo, qui hominum omnium caput erat & Princeps, cuius dignitas, dominatus, & honor ineffabilis erat. Dicitur homo, ipſe tamen eſt & Pater & Rex & Deus. D. Aug: de verhis Domini cap. 33. Homo iſte mediator eſt Dei & hominis Chriſtus IESVS. *Græcus*. In nouiſſimis temporihus & quaſi in occaſu noſtri ſæculi illuxit nobis Dei Filius, & mortem pro nobis ſuſtinens dedit nobis proprium corpus comedere. Vnde & agnus in veſpere immolabatur iuxta legem Moſicam, Merito igitur cæna dictum eſt paratum in Chriſto conuiuium. Exod. 15. *Quis ſimilis tibi in fortibus Domine? quis ſimilis tui magnificus in ſanctitate, terribilis atq́; laudabilis faciens mirabilia.* An non mirabile quod homo ſis & Saluator mundi? Quod Deus ſis & homo ſis! Audi D. Maximum Taurinenſem Epiſc. Hom: 2. in Epiph. Expendit illa verba Pſal. 28. *Afferte Domino patriæ gentium, afferte Domino gloriam & honorem.* Quid eſt quod ait. Domino & Domino? Dominum illum eſſe ſecundum hominem myſtico ſermone declarat. Quod enim Deus eſt creator eſt mundi: quod homo eſt redemptor eſt mundi. Quomodo ergo non priuilegio vtriusq́; ſubſtantiæ Dominus eſt omnium Chriſtus qui ſibi vniuerſa aut creatione aut redemptione ſubegit? Afferte igitur illi licet homini gloriam & honorē. Quantum verò huic Domino & homini referre debeamus honorem, qui nos etiam inuitauit ad cænam, vel ex reuelatione B. Mechtildis colligamus. Explicando illi B. V. M. ſalutationem Angelicam & conceptam dulcedinem ex illa dicit. Cum quis dicit. *Dominus tecum.* Admoneor inæſtimabilis vnionis & operationis quam tota Trinitas effecit in me, cum carnis meæ ſubſtantiam diuinæ naturæ in vna perſona copulauit, ita vt Deus fieret homo & homo Deus. Porro quid illa hora dulcedinis ſenſerim, nemo potuit experiri. vide igitur quis eſt iſte quidam homo qui nobis parauit hanc cænam. Talem hominem exprimunt Maximi & ſancti Pontifices vicarij Chriſti, dum pedes lauando pauperum, ad pedes ipſorum procumbunt, Talem exprimunt omnes Patriarchæ Archiepiſcopi; Epiſcopi & Abbates, cum ſeſe ad eiuſmodi humilitatem demittunt. Talem exprimunt hominem, Imperatores & Reges Catholici, dum ex manibus Archiepiſcoporum aut ſummorum Pontificum in clericali & Eccleſiaſtico habitu coronas ſuſcipientes, proni & proſtrati in terram, laudes & gratias Chriſto Deo & homini referunt. Inquit Philoſ. Homo eſt animal manſuetum natura. Cui māſuetudo magis aſſcribetur quam Chriſto? Ductus ad occiſionem vt

Quæ ſunt qui talem hominem exprimunt.

ouis & pro inimicis exorauit. Sed etiam modo ad delicias vocauit omnes nec eximendo peccatores nec puniendo. Fertur de Auguſto Cæſ: quod tam lucidos haberet oculos, vt in quos paulo attentiùs illos defixiſſet tanquam ſolis fulgorem ferre non poterant. Lucidiores habet oculos hic homo Chriſtus quia eſt Deus, non tamen à manſuetudine receſſit, ſed omnes ob benignitatem ſuam ad ſe recipere voluit ac ſaluos fieri. Vnde Chryſoſt. Ideo homo dicitur, quia miſericordiam exprimere voluit.

Quæ eſt cæna magna quæ ab hoc homine præparatur.

EST gaudium & ſocietas æternæ & ſupernæ patriæ, quam electis Dei filius præparauit. De hâc cæna dicitur Apocal. 19. *Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati ſunt.* Et nota quod, cæna Filij Dei magna dicitur propter Sex cauſas. Primo magna dicitur propter præparantis diuitias ac dignitatem. Ipſe enim Deus Dei Flius, qui hanc cænam fecit, eſt diuitijs opulentiſſimus, & dignitate ſupremus, vtpotè Dominus Dominantium, Rex regum, Auguſtorum, & trinus & ſimplex æterni Regni Monarcha. Secundò magna dicitur propter miniſtrorum nobilium claritatem. Nobiles enim ſunt, & præclari ſancti Angeli, qui in cæna Dei miniſtrabunt. Tertiò magna dicitur propter conuiuarum excellentiam, & qualitatem. Omnes enim, qui cænabunt in Regno Dei, Reges erunt & Reginæ, ſedebuntq; veſtimentis gloriæ decorati. Quartò magna dicitur propter regalium ferculorum innumerabilitatem. Fercula quippe curiæ cœleſtis regalia ſunt & innumerabilia, & nunquam a mortali homine prius viſa. Vnde 1. ad Cor: 2. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus his qui diligunt illum.* Quinto magna dicitur propter ſolennis ac ſecuri loci amænitatem. ſecuriſſima namq, ac amæniſſima eſt glorioſa ciuitas Dei, in qua cum Deo cænabunt electi. Sextò magna dicitur propter cænandi infaſtiditam perpetuitatem. Semper enim electi cum Deo cænabunt, nec tamen eis ferculorum interminabilitas faſtidium aliquod generabit: fruuntur enim nec faſtidiunt, quo frui magis ſitiunt.

Cæna Filij Dei magna quater.

ANNOTATIONES.

NOn eſt difficile conjecturari quod de gaudio in æterna beatitudine ſit ſermo, cum cæna hæc proponitur. Dictum enim ſuperius à Domino quod retribuetur his qui pauperes ad conuiuium vocauerint in reſurrectione juſtorum. Quid verò intelligatur per reſurrectionem talem, ſubjunxit auditor. Beatus qui manducabit panem in regno Dei. Lucæ 14. Magnam conſequentiam fecit, quia ad latus habuit magnum.

Cæna eſt gaudium in beatitudine.

gnum doctorem & illuminatorem intellectus Chriſtum. Non enim remuneratio ſanctorum fit per bona corporea & fluxa, ſed perpetua & æterna. Magna cæna (*inquit Greg:*) quia facietatem nobis dulcedinis æternæ præparauit. In quo differentia eſt conuiuiorum Principum & Auguſtorum mundi à conuiuio Regis regum & Auguſti Auguſtorum Chriſti, quia eorum conuiuia non ſatiant ſine faſtidio & corruptella ſanitatis aliquando corporis, aliquando ſanitatis animæ, in hoc verò conuiuio ſatietas ſine faſtidio, & quo magis ſatiantur eo amplius ſatiari deſiderant. Parauit enim Pater in Chriſto bona collata mundo per ipſum peccatorum amotionem, Spiritus S. participationem, adoptionis ſplendorem: Et D: Aug: de Verb: Dom: ſer:33. Quis panis eſt regni Dei, niſi qui dicit Ioan: 6. *Ego ſum panis viuus qui de cœlo deſcendi.* Nolite parare fauces, ſed cor. Quocirca Eccl: 15. *Cibauit illum pane vitæ & intellectus & aqua ſapientiæ potauit illum.* Paſtus ille non ex fructibus natiuitatis ſeu de terra, ſed ſermo illum diuinus quo erat Moyſes ſatiatus pauit. Moyſes enim 40. diebus & 40 noctibus panem non comedit & illuſtrata facies eius fuit ex conſortio ſermonis Domini. B: Alb: Mag: magnificando hanc cænam dicit 4. refectiones in cæna ſuper 14. cap. Lucæ. Doctrinæ, virtutis & gratiæ, Euchariſtiæ, & gloriæ. At quia hîc eſt ſermo de cæna gloriæ, ex illo loco ponamus. Cæna gloriæ maxima quidem dici non poteſt quia comparationem non admittit, ſed ſuper effluentis magnitudinis eſt, ſuper omnem comparationis proportionem, nam ipſe Rex tranſiens miniſtrabit illis, noua fercula continuo proponet. *Ecce noua facio omnia.* S. Dionyſius. Numerum & magnitudinem iſtarum deliciarum etiam ipſos non ad plenum ſcire, qui eas percipiunt, Erunt prætioſiſſimæ, quia glorioſæ & beatæ. Iſa: 66. *Ecce declinabo in vos ſicut flumen pacem, & tanquam torrentem inundantem gloriam gentium quam ſugetis.* Non Aſueri conuiuium, non Salomonis prudentia, non Prophetarum ſedulitas, non Martyrum amor poteſt comparari conuiuio & apparatui, quod Chriſtus & quali modo reddet in cœlis electis præparatum. Sed dolendum ſatis nequit quod ingrati tanti beneficij, venire ad conuium recuſant. Greg: hom: 36. merito lamentatur. Offert ſe Deus, qui rogari debuit, non rogatur. Dare vult quod vix ſperari poterat, & tamen ſimul omnes excuſant. Ecce homo diues inuitat & pauperes occurrere feſtinant, ad Dei inuitamur conuiuium, & nos excuſamus, Malumus cum prodigo porcos & ſiliquas, quam cum Deo & Angelis; cœlum. Thob: 10. *Omnia in te vno habentes non te debuimus dimittere à nobis.*

Ingrati ſunt quo ad tamen venire recuſant.

Quid per horam hujus cænæ intelligatur.

HOra cænæ eſt quodlibet tempus hujus ſæculi, eſt quoq; quælibet ætas hominis. Nullum enim tempus vnquam fuit, in quo non fuiſſent aliqui vocati ad cænam Dei. In quacunque etiam ætate ſit homo, ſiue ſit in infantia, ſiue in pueritia, ſiue juuentute, ſiue in viriſi ætate, ſiue in ſenio, ſiue etiam in ætate decrepita vocatur ad cænam Dæi. Bonum eſt igitur, quia quotidie ad delicioſam cænam Dei vocamur, vt feſtinè veniamus, & non de die in diem, de tempore in tempus venire differamus. Vnde Auguſtinus in Libro de Verbo, Domini: Dicunt aliqui, ſi Deus mihi per Prophetam promiſit, quod quacunque die conuerſus fuero, omnium iniquitatum mearum obliuiſcetur; Quare hodie conuertor, & non cras: Vnde quidem gaudes, quod tibi ab iniquitatibus conuerſo, Deus indulgentiam promiſit, ſed craſtinum diem tibi nemo promiſit.

ANNOTATIO.

1. Ioan: 2. *Filioli nouiſſima hora eſt.* Id eſt vltima, jam non ſequitur niſi nox. Quia neſcimus diem neq; horam quibus ad judicium erimus vocati, jam nedum omne tempus, omnis ætas, nobis ſuſpecta erit, ſed quacunq; minuta temporis & ætatis parati eſſe debemus, vt vocati ad Dominum judicem & retributorem, ſtare coram valeamus. Sæculum hoc incepit à creatione & corruptum eſt per diluuium, Reſtitutum per Patriarchas, directum per legiſlatorem, illuminatum per Prophætas, perfectum vltima perfectione per Chriſtum & nulla jam renouatio & perfectio manet, igitur nos ſumus in quos fines ſæculorum deuenerunt. Parati ergo eſſe debemus omni momento, vt veniente hora vocati ſimus ad conuiuium Chriſti. Ier: 51. *Qui fugiſtis gladiū venite nolite ſtare, recordamini Domini & Ieruſalem aſcendat ſuper cor veſtrum.* Fugerunt illi gladium qui vulnera diaboli effugerunt per contritionem & confeſſionem; veniunt autem, qui ſe per virtutem expediunt, non ſtant qui ſemper in virtute proficiunt recordantur Domini, qui inuitationis factæ non ſunt immemores: Ieruſalem in cor aſcendit, cum dulcedinem conuiuij parati nunquam à mente dimittunt. D: Aug: de verbis Dom: ſer 33. Qui cænam repudiarunt, tunc nobis cænam neſcientes parauerunt, Parata cæna, immolato Chriſto. Ab iſta ergo hora tam fœlici & ſancta, nobis aperta eſt janua ad conuiuium cæleſte, vt quacunq; hora atq; momento eius voluerimus & deſiderauerimus intrare per mentis eleuationem, introeamus, & deguſtemus cibaria vitæ æternæ, donec vocati, transferi mereamur primùm anima & ſpiritu, tum corpore poſt finem mundi, ad tantum conuiuium æternum. Deuotum Abbatem, Cluniacenſem, Odilonem beatum inde prædicabo, qui horam conceptionis Chriſti in vtero virginis Beatæ ceu ini-

Hora cænæ quæ?

ceu initium gaudij futuri cœleſtis ſummis adorabat medijs. Nam cum in Cantico SS. Ambr: & Auguſt. chorus cecinerat. Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem non horruiſti virginis vterum. In terram ſeſe proſternebat, ſicque per corpus oſtendebat, quibus deſiderij cœleſtis in mente æſtibus, æſtuaret.

Quis ſeruus huius Patriſfamilias eſſe dicatur?

IVxta Gloſſ. Eſt Ordo Prædicatorum: Quilibet enim Prædicator qui verbum Dei ex cordis ſinceritate, & propter animarum ſalutem pronunciat, & quilibet etiam ſacerdos, & breuiter omnis homo, qui proximum ſuum ad vitam inuitat æternam, per ſeruum huius patrisfamilias deſignatnr.

ANNOTATIO.

ORdinem Prædicatorum ſtricte ſumendo licet dicere eſſe ſeruum non obſtaret, cum S. Dominico liber & peregrinationis baculus ab Apoſtolis datus fuerat, & B. Virgo Maria in prædicando ipſum inſtruebat. F. Ioanni Tolomeo predicanti expanſum librum virgo vt legeret quid predicaret, tenebat, alijs columba, alijs prædicatoribus lumina, virtutem prædicandi ſubminiſtrabat, attamen hîc anteriora ſæcula & Prædicationes intelligenda veniunt. Vnde B. Alb: Mag: Prædicator & Philoſophus, perſeruum intelligit. Patriarchas, Prophetas, Doctores. Eſt enim ſeruus totus ordo Prædicatorum à Patriarchis inchoatus, per legislatorem & Prophetas in Ioanne Baptiſta continuatns extenſus per Saluatorem, per Apoſtolos in Doctores & Prædicatores vſq; in finem ſæculi, verbum Dei denunciabitur. Omnis ergo ille qui proximum inuitat ad regnum Dei, eſt ſeruus. Sed ſi clarius veriuſq; conſiderabimus. Patremfamilias Deum Patrē intelligemus, eius ſeruus eſt filius Deus. Ita enim S. Cyrillus. Iſte ſeruus qui miſſus eſt ipſe Chriſtus eſt, qui cū eſſet naturaliter Deus & verus Dei Filius exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens. Hic miſſus eſt hora cænæ quia mouiſſimo tempore, ille prædicatorum habitum, officium & actum aſſumpſit & predicabat verbo, vita, exemplo, miraculis, & ipſa iuſtitia eijciendo vendentes & ementes dicens. *Domus mea domus orationis.* Non latronū ſpelunca. Alij omnes Prædicatores hunc venientem prædicatorem denunciabant, poſteriores vero eundem prædicant. Non eſt aliud datum nomen ſub cælo hominibus in quo oporteat nos ſaluos fieri, niſi nomen Iesvs proprium & ſingulare Filij Dei. Hic ſeruus Iesvs Chriſtus Patrisfamilias cum ad cænam cæleſtem hora mortis vocabat anno 1087. Guilielmum Angliæ Regem hæc pia proferebat. Dominæ meæ Sanctæ Dei Genitrici Mariæ me com-

Seruus Patrisfamilias eſt Filius Dei.

commendo vt ipſa ſanctis ſuis præcibus me reconciliet chariſſimo ſuo Domino noſtro IESV Chriſto, & ſic religioſiſſimè placideq; expirauit. Ipſe enim Chriſtus eſt qui inuitat & præmiat, ille Sanctos & beatos facit tam in via quam in patria. Caue igitur tremendam homo ſententiam. *Nemo virorum illorum qui vocati ſunt guſtabit cænam meam.* Nemo ergo contemnat inquit B. Cyrill. ne dum ſe vocatus excuſet, cum voluntatem habuerit intrare, non valeat.

Quis ad cænam hanc magnam recipiatur.

QVatuor genera hominum recipiuntur pauperes, debiles, cæci, & claudi vt dicitur in Euangelio.

Pauperes ſunt, illius pauperis crucifixi veſtigia imitantes, nihil in hoc mundo contra ipſum volunt vel acquirere vel poſſidere: pauperes ſunt, qui de bonis ſiue ſpiritualibus, ſi quæ habuerint non tumeſcunt, qui de iuſto patrimonio vel de iuſto labore ſuo Deo & pauperibus eleemoſynas ſuas fideliter largiuntur. De iſtis pauperibus dicit Dominus Matth. 5: *Beati pauperes ſpiritu, &c.* Debiles ſunt, qui ad ea quæ mundi ſunt, debiles ſe exhibēt, & infirmos, & qui ſecundum Apoſtolum 2. Corinth. 4. Semper mortificationē Ieſu in corpore ſuo circumferunt, vt & vita IESV in eorum operibus manifeſtetur, & qui ibidem cum Apoſtolo dicunt: *Licet is, qui foris eſt, noſter homo corrumpatur, tamen is, qui intus eſt, renouatur de die in diem.* Cæci ſunt, qui cultro timoris Dei oculos deſideriorum & concupiſcentiam malorum ſibimet ipſis eruunt, ne videlicet reſpiciant in vanitates & inſanias falſas, & ne mulierem, vel quamcunq; aliam rem, contra Dei præceptum videant, & concupiſcant. Vnde dicit Domin⁹ Matth. 5. *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & proijce abs te.* Claudi ſunt, qui vno pedè terram tangunt, & alium à terra ſuſpendunt. Illi igitur Spiritualiter claudi ſunt, qui licet propter curam & neceſſitatem corporis vno pede affectus terram tangunt, alterum tamen pedem affectus propter ſalutem animæ ad cælum ſemper leuant: & certè talibus eſt neceſſatius baculus Sanctæ crucis, vt innitentur, & taliter claudi fiunt, qui imitatione illius beati Iacob cum Deo, qui eſt Angelus magni conſilij, duobus brachijs orationum ac lachrymarum luctati fuerint, & quorum fæmur Dominus tangens, neruum carnalis delectationis in ipſis arefecerit.

ANNOTATIONES pro paupertate.

CVm ad ſacrificium in veteri teſtamento nil voluit offerri De⁹ quod ſit immundum, diſtortū macrum, cur ad patriam cæleſtem pauperes debiles, claudos &c. deſtinauerit?

merit? Deformis curia Regum eſſet ſi aulici cæci, ſurdi, claudi ſolum fuiſſent, Pulchritudo vniuerſi tales requirit, at aula regia ſpernit. Sed quædam paupertas eſt virtuoſa & laudabilis; quædam vitioſa & illaudabilis. De virtuoſa Iacob. 2. *Non ne Deus elegit pauperes, diuites in fide & hæredes regni?* Ambr: Nullum debilitas corporis excludit à Regno, tarius enim delinquit cui deeſt illecebra peccandi; ſunt etiam pauperes, qui quantum libet diuites ſint, tamen ſe mendicos reputant niſi æterna bona adipiſcantur Val: Max: lib. 4. cap. 4. refert de Attilio Calatino quod à Pop: Rom: electus ad ſtabiliendam ſalutem publicam in eo tempore cum ſemina per agros aſpergeret, & ille manus ruſtico opere atritæ ingentes hoſtium copias peſſundarunt, pacem & ſalutem ſtabilierunt. Ille tantus vir aliquando eburneo ſcipione depoſito, ad aggreſtem ſtiuam aratri redibat. Laus pauperum. Et talis paupertas recommendata fuerat primis parentibus, cum in paradiſo operari illis iuſſum eſt. Illaudabiles vero pauperes ſunt, qui vt dicit D. Greg: Hom: 36. Poſiti in paupertate ſuperbiunt, iſti enim à regno excludentur, nam ſuperbis Deus reſiſtit. Hinc Tob: 4. *Noli ttmere fili mi, pauperem quidem vitam gerimus ſed multa bona habebimus ſi timuerimus Deum & receſſerimus ab omni peccato & fecerimus benè.* Ad noctuam poſuit quidam lemma: *SOLEM ME FACIT VIDERE.* Quis ſenſus. Noctua non videt niſi de nocte, quia ſol debilitat ipſius viſum, quomodo igitur Sol facit noctuam videre! Sol occidens, permittit noctuam vt videat. Ita pauperes ſpiritu, nil vident in mundo, nam licet plurima videant, illa tamen nec appetunt nec illis delectantur, ſed occaſum vitæ ſuæ expectant, vt verum ſolem Chriſtum in æterna vita aſpiciant. Manent hîc pauperes vt noctua orba lumine, at poſt mortem ſuam, videbunt cælos apertos & Iesvm a dextris Dei. Paupertatem ob exiguam ſubſtantiam & victum plurimi extulerunt. Luc. Apuleius dicit. Priſca apud ſæcula, paupertas omnium ciuitatum conditrix, omnium artium temperatrix Seneca in Epiſt: 15. Noua artificia fames docuit. Quid igitur pauper ſpiritu, non tentabit aut molietur pro bono animæ ſuæ? noua artificia pœnitentiæ, diuerſa temperamenta horarum, virtutes ceu ciuitates, fundabunt. Quocircà premiantur plurimum Iſa. 14. *Paſcentur primogeniti pauperum, & fiducialiter requieſcent, quia Dominus fundauit Syon & in ipſo ſperabunt pauperes populi eius.*

Pro debilibus. Nota. Debiles ſunt qui viribus deſtituti ſunt. Quare debilitas laborem corporalem recuſat, at laborem ſpiritualem recuſare non poſſunt. Datur enim illis firmitas à Deo ad laborandum. 2. Cor. 12. *Cum infirmus ſum tunc fortior ſum & potens.* De B. Dorothea vidua *Debiles recipiuntur ad Canam*

S. Doroth. vidua Pruthena quod hyeme aſpera tenui tunica vteretur, & nihilominus ex ardenti in Deum amore corpus eius quaſi in æſtate abundãti ſudore diffluebat. Hinc in die S. Agathæ poſt SS. Euchariſtiam altæ contemplationi immerſæ maximũ cordis dolorem patienti apparuit *Sagittæ in corde.* Chriſtus, cordique eius quinq; ſagittas leniter infigens dixit: Dorothea filia mea vt ego pro te, ſic tu pro me dolorem patiare. Pſal. 58. *Fortitudinem meam ad te cuſtodiam.* Qui vires ad terrenum opus non habet, hoc conſolationis habet vt conſcientiam & religionẽ erga Deum excitet & conſeruare laboret. Cum vero infirmus neglexerit conſcientiæ laborem, ſubibit ille æternum in pœnis, D. Greg: hom: 36. Sicut illi peccatores fuerunt, qui vocati venire noluerunt, ita hi quoq; qui inuitantur & veniunt. Nam hos elegit Deus quos deſpicit mundus, quia plerunq; ipſa deſpectio hominem reuocat ad ſemetipſum. Et tanto celerius vocem Dei aliqui audiunt, quando in hoc mundo non habent vnde delectentur. Ad ſagittas fractas addidit ſcriptum Areſiꝰ. *FRACTA MAGIS FERIVNT.* Hoc eſt magis vulnerat ſagitta ſi frangatur in vulnere. Ita debilis & infirmus qui nouit quod debilitas ſua proueniat vt plurimum ex debilitate animæ, ſi aliquid mali ſuggerit diabolus ſi ad peccatum incitat caro, ſi mundus illecebra offert, tunc ille magis ac magis inſurgit contra hoſtes animæ, nec aliquo modo offendere Deum amplius in illa infirmitate deſiderat Fractus magis ferit diabolum & carnem, hanc pœnitentia, illum oratione & pœnitentia. Ioan. 5. *Noli amp ius peccare ne tibi aliquid deterius contingat.*

Pro cæcis. Nota. Cæcitas eſt duplex corporis & mentis. At corporis cæcitas alia eſt viſꝰ, alia perfectio hominis. Perfectione cæci, intrabunt in cælum. Hi enim ea quæ fulgent in mundo non vident. *Pepigi fædus cum oculis ne videam.* Nec cogitatẽ malum. *Auerte Domine oculos meos ne videant vanitatem.* Pſal. 118. Cum vero quibus fulget cælum deſiderio magno vident & videre cupiunt. Matt: 9. *Tranſeunte Ieſu ſecuti ſunt eum duo cæci clamantes & dicentes, miſerere noſtri fili Dauid.* Tunc tetigit oculos eorum dicens. Secùndum fidem veſtram fiat vobis. Accipiunt illi lumen ad cæleſtia qui ſe ipſos ne malitiam viderent cæcos fecerunt. B. Peregrinus Ord: ſeruorum B. V. M. Orantis ſanitatem cæco ad ipſius feretrũ, manum ex feretro quaſi viueret cæco admouit, & viſum reſtituit. Quid non faciet ille qui propter nos Peregrinus factus eſt in mundo Filius Dei, ad orationem illius qui ſe vltro cæcum fecit, ne oculos à Deo ſuo retraheret? Iſa: 40. *Qui ſperant in Domino fortitudinem mutuabunt.* Hoc eſt ab illo mutuo accipient pro cæcitate viſum, pro paupertate diuitias, pro laſſitudine fortitudinem. Luc. 18. *Quid vis vt faciam tibi! Rabboni vt*

boni, vt videam. Videbunt ſalutare, Deum ſuum. Sed attendite diuerſam cæcitatem: ſunt cæci, qui ſe videntes reputant. De quibus Ioan. 9. *Si cæci eſſetis peccatum non haberetis nunc autem quia dicitis videmus, peccatum veſtrũ manet.* De his forte Greg: hom: 36. Cæci ſunt qui nullius ingenij boni lumen habent. Cyrill: vocati ſunt loco Principium Iudæorum, de multitudine Iudæorum fragilem & impotentem mentem habentes, qui loquente Petro, primò tria millia, deinde quinq; millia crediderunt, & poſt modum plurimus populus. Cæci igitur qui lumen veritatis noluerunt videre ſegregabuntur à regno Dei. Horum lamentum expreſſit Sap. 5. *Errauimus à via veritatis, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non eſt ortus nobis. Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus.* Oportet igitur quod felle pœnitentiæ & amaritudinis oculi eorum inungantur, & albugo ceu membrana qui egrediatur ex illis, & ſit aliquis ſanctorum qui eam trahat ab oculis mentis, & recipiet viſum, vt 11. Tobiæ dicitur. Quocircà auream ſubinfero doctrinam B. Iſidori Melius eſt peccatũ cauere quam emendare, facilius enim reſiſtimus hoſti à quo nondum victi ſumus, quam ei à quo iam ſuperati ac deuicti cognoſcimur.

Pro claudis. Nota. Claudos bonos, qui mundi delectabilia proſequi nolunt, ad familiam patriſamilias pertinere cogitandum, non verò malos, qui nimirum rectos greſſus in operatione non habent, vt docet D. Greg. De bonis, dicitur Iſa. 35. *Saliet ſicut ceruus, claudus.* Hoc eſt licet corporis pedes ad incedendum non habeat, at quia mentis pedes, affectus & inſpirationes, deſideria & motum mentis, ſanos habet, ſali & in montes cæli, & ſupra ceruos velocius qui ſaliunt in montibus & ſaltant. De malis verò dicitur qui ſcilicet in via recta claudicant. 3. Reg. 18. *Vſquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus eſt Deus ſequimini eum.* Ferdinandus Rex Catholicus cum acquiſiuit Regnum Caſtillæ armis, ad caſtrum quod pro ſymbolo erexerat, addidit: TANTO MONTA. Hoc eſt. *Tantum aſcende.* Omnis qui victoris trophea & honorem cupit poſſidere, non claudicare ſed aſcendere debet. Claudicans, amittit citò poſſeſſa, aſcendens verò citò poſſidet poſſidenda. Ad Hebr. 12. *Greſſus rectos facite pedibus veſtris, vt non claudicans quis erret magis autem ſanetur.* De Selimo 1. Turc. Imp: refertur quod rebus deliberatis, exequutio non ſit differenda, perſuadebat: Et rationem dicebat. Tempus acerbis fructibus maturitatem, & maturis putredinem affert. Ita profectò qui non operatur tempore bono regnũ Dei, ſed claudicando ſe ad opus applicat, tempus putridum illi præſtolatio & procraſtinatio adferret.

Selimi dictũ de tempore.

Quis ab hac Cæna repellatur.

TRia genera hominum excluduntur ab hac cæna. Qui villam comparauerunt, & qui quinq; iuga boum emerunt, & qui vxorem duxerunt. Primi ſunt ſuperbi, ſecundi auari, tertij luxurioſi. Gloſ. Aug: In empta villa dominatio notatur & ſuperbia. Habere enim villam, homines poſſidere, homines ſibi ſubdere, vitium malum, vitium primum. Primus enim homo dominari voluit, qui Dominum habere noluit. Alter dixit. *Iuga boum emi quinq;, & eo probare illa, rogo te habe me excuſatum.* Quinque iuga boum ſunt quinque, annexa ſunt auaris, qui per boues intelliguntur. Auarus enim ſicut bos terram per curas rimatur & verſat. Primum iugum eſt labor in inquirendo: Secundum eſt difficultas in inueniendo. Tertium eſt cura in ſeruando: quartum anxia delectatio in poſſidendo: quintum dolor in perdendo, & quodlibet iſtorum duplici preſſura grauat corpus & animam. De his quinque iugis dicit Proſper in Libro de contemplatiua vita, eis qui militant Deo, fugiendæ ſunt ex toto corde diuitiæ, quas qui habere voluerint, ſine cura non ſeruant, ſine anxia delectatione non poſſident, ſine dolore non perdunt. Tertius dixit: *Vxorem duxi, & ideò non poſſum venire.* Gloſſa, quia multi non propter fæcunditatem, ſed propter deſideria carnis vxores ducunt. Ideò per rem iſtam carnis voluptas deſignatur, propter quam ad cænam Dei recnſat venire faſtidioſum.

ANNOTATIONES

Pro villa.

D. Aug: in emptore villæ, ſuperbos inueſtigauit, ſerm: 33. Verè ſuperbus, qui terrenam ſolam ſubſtantiam cogitat, & præfert æternis bonis. At nedum ſuperbus ſed etiam ſtultus, qui cum villanis magis, quam cum Dominis & Monarchis conuerſari in delitijs, maluit. Initium apoſtatandi à Deo, eſt ſuperbia. Quia ergo ad conuiuium vocabat hîc Filius Dei, ſuperbia ſe primum offerre debuit, quæ vt primos parentes, ita omnes à Deo ſeparat & peſſundat. Vnde Tob: 4. *Superbiam in tuo animo nunquam Dominari permitte, quia in ipſa initium ſumpſit omnis perditio.* Quocirca vt ſpiritualem Monarchiam fundaret Chriſtus in terra inter fideles & Apoſtolos; dicebat Lucæ 21. *Reges gentium Dominantur eorum, & qui poteſtatem accipiunt ſuper eos benefici vocantur. Sic non erit inter vos, ſed qui major eſt veſtrum, erit ſicut miniſter.* Vndè vocando ad cænam ſuam, interdicit Dominatum, quia hoc notat ambitionem ſuperbiæ. D: Aug: *Non ſe exiſtimet poteſtate Dominante, ſed charitate ſeruiente fælicem.* Venire igitur ille vocatus, non ſe excuſare debuit, neq; pallio humilitatis, nempè, (rogo habe me excuſatum) contegere ſuperbiæ & Dominij ambitionem. At conſideremus Dominium eius. Villam emit

emit, & regnum gratis datum amittit videre vult, quaſi poſſeſſor eſſet in ipſis ſolùm oculis, & non in toto. Videre vult, poſtquam emit, ſignũ, quod plus amiſit, quàm acquiſiuit. Benè Iſidorus lib:2. cap: 38. Qui inflantur ſuperbia, vento paſcuntur, quo paſti, magis inflati & tumidi, quàm ſatiati manent. Dignam conſideratione rem & propoſitam declarantem affero. Suantocopius Bohemiæ & Morauiæ Rex ab Arnulpho Imperatore ingenti prœlio victus, quum ægrè viuus euaſiſſet tandẽ ad montis cuiuſdam pedẽ depoſitis armis & relicto equo loca auia & ſolitaria petijt, in quibus aliquamdiù vagatus, vitam pomis agreſtibus & radicibus ſuſtentans, tandem ad tres eremitas peruenit, & ab ijs in conſortium receptus, reliquum ibi vitæ curriculum in ſumma paupertate exegit, nec interea cuiquam quiſnam eſſet, aperuit. Tandem jam morti vicinus; ſocies ſuos ita affatus dicitur. Me quis ſim, vos hactenus neſcitis. Bohemiæ & Morauiæ Rex ſum vel fui potius, prœlio victus, in hâc ſolitudine latibulum quæſiui, & apud vos inueni, vtramq; vitam, Regis ſcilicet & priuati hominis deguſtaui, hoc ſanctè vobis affirmo, nullam regni fortunam eremi tranquillitati præferendam. Somnꝰ quietus equidem radicibus herbis & aquæ optimum ſaporem conciliat: contra pericula & curæ, quibus dies noctesq; Reges anguntur, omnem cibum & potum amarum reddunt. Quamdiu Deo viſum fuit, beatè apud vos vixi: at omne illud tempus quod in Regno tranſegi, mors potiùs mihi quàm vita videtur. Nunc hoc extremum à vobis officium peto, vt corpus meum anima ſolutum, hoc loco ſepeliatis. Ex plurimis quidem particularibus vniuerſale concluditur, at non eſt quid Græcum ſimilia colligere ſingularia, quibus mundi faſtus reprehenderetur. Vndè non immeritò quidam veſicam impletam vento, corona Imperatorum ornatam, ſceptris clauibus & gladijs circumſeptam, tali adornauerat lemmate. *FASTVS MVNDI.* Quem vt vanum & breuem demonſtraret, appoſuit ad veſicam terebrantem veſpam, quæ vt in veſica ſubtile infixit vulnus, abijt flatus, & compreſſa remanſit ſine vento veſica. Ita quidem ſemper tranſit gloria mundi. Villa remanebit, & tu vt dicebat quidam. Vnicam tellam ſecum vix reportabis Vxor, alia deſiderabit, Filij nec parentum memoriam habebunt.

Pro quinq; jungis boum. Nota. Maximè contrarius iſte fuit inſtitutioni Chriſti. Suadebat enim & jubebat cuidam adoleſcenti. Lucæ 18. *Vende omnia tua & ſequere me.* Iſte verò nedum vendere non vult ſed adhuc emit, vt plus habeat Origenes. Is qui paria quinq; boum emit, eſt, qui naturam intellectualem contemnit & ſenſibilia ſequitur, quocirca incorpoream naturam comprehendere non poteſt. Aug: ſenſus carnis

 juga

juga ſignificant. Iuga ſunt, duo oculi duæ aures, geminæ nares, in guſtu, genimatio eſt, quia nil guſtando ſapit, niſi lingua & palato tangatur Tactus qui voluptatem carnis exprimit, geminatur, quia eſt & forinſecus & intrinſecus. Simile quid geſſit iſte Iudæis. Num: 11. Faſtidientes manna fragrabat deſiderio carnium, ceparum, alij & peponum ille populus, hîc vero Domini conuiuio ſpreto, non paſcere juga boum, ſed probare ibat. In quo & ſuperbia quia venire contempſit, & auaritia, quia emere voluit, notatus erat. Optime adnotatur tali Symbolo. Cor à duabus ſanguiſugis preſſum, hoc eſt ab auaritia & ſuperbia. Cui ſubſcribendum illud Prou: 30. *Afferi Affer.* Ambitio enim quærit vt habeat vndè Dominetur, & auaritia vt poſſideat quod lucretur. De Ptolomeo Rege Cypriorum dicit Val: Max: lib: 9. Non poſſedit diuitias ſed à diuitijs poſſeſſus eſt, titulo Rex inſulæ, animo pecuniæ miſerabile mancipium fuit. Profectò cujus cor exſiccatur ab his ſanguiſugis ambitione & auarítia, miſerabile mancipium eſt. *Auaro nil ſceleſtius dicit* Eccl: 10. 4. Reg. 5. Dicebat Eliſeus puero Giezi quia queſiuiſti argentum vt emeres oliueta, ficeta, ſeruos & ancillas, ideo lepra Naaman adheret tibi. Lepra enim Naaman erat potentiæ ſæcularis & auaritiæ diuitiarum. Illud Pſal: 81 *Ego dixi dij eſtis & Filij excelſi.* Exponunt Doctores hominem non debere vilis rebus &

Quinque iuga boū ſignificant naturā corpoream hominis.

Significant auaritiam.

faſtidioſis occupationibus, vt ſunt artes & merces, ſed ſicut dij & excelſi Ptincipes, in altis & honoratis occupationib⁹ verſari debet. Theophilus Imper: Conſtantinopolitanus vxorem habuit auaram quæ exercitiam mercaturã terra mariq; exercebat. Accidit vt Imperator per feneſtram proſpectans ingentem onerariam appulſam in portum conſpicatus, miſſo puero cuianam illa eſſet, vndè veniret, & quas merces veheret percunctari juſſit. Vbi verò intellexit ad vxorem tam nauim quam merces pertinere, nautis mandauit vt ſtatim quæ ſua eſſent quiſq; exportarent, quo facto, igne injecto nauim & quicquid in ea erat comburi juſſit. Vxorem quæ hæc ſpectabat auſtero vultu ſic affatus. Me quidem Deus Imperatorem fecit at tu nauclerum & mercatorem facere me ſatagis Tu ſcito ſubditorum noſtrorum eſſe mercaturam exercere & victum inde quærere, quod ſi nos totius Imperij reditibus non contenti etiam mercaturæ vtilitates ad nos rapiamus, vndè ſubditi noſtri & vitam ſuſtentabunt & tributa nobis ſoluent? Te Imperatoris vxorem eſſe non mercatoris memineris. Attamen de diuitijs hoc notandum venit, quod vſus bonus diuitiarum bonus eſt ad ſaluté, abuſus verò ducit ad gehennam vndè Ambr: lib 9. ſuper Lucam. Diſcant diuites non in facultatibus crimen haberi, ſed in his, qui vti neſciunt. Nam diuitiæ vt ſunt impedimenta

repro-

reprobis, ita ſunt bonis adjumenta virtuti9.

Pro vxore ducta. Nota Inhumanus totus erat. Nam nec ſe vt primi excuſat, nec politice rationem refert. Sed adjungit. *Non poſſum venire.* Animalis homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus. Commodum carnis & voluptatem, antepoſuit æternis delicijs. Baſilius. Non poſſum venire dicit, quia intellectus humanus, vergens ad mundanas illecebras debilis eſt ad agendum diuina. Aug: ſerm: 33. Qui dixit vxorem duxi carnem amplexatur, carnis voluptatibus jucundatur, à cæna excuſatur, obſeruet ne fame æterna moriatur. Ne verò aliquis ex hoc loco vituperet conjugia occurant SS. Patres Greg: hom: 36. Quamuis bonú ſit conjugium atq́; ad propagandam ſobolem diuina prouidentia conſtitutum, nonnulli tamen per hoc non fœcunditatem prolis, ſed deſideria expetunt voluptatis, ideo vt res injuſta reprehenditur. D: Ambroſ: in Luc: lib: 7. Non reprehenditur conjugium, ſed ad majorem honorem vocatur integritas, quia innupta cogitat quæ ſunt Domini vt ſit ſancta corpore & ſpiritu, nupta verò quæ ſunt mundi cogitat. Etiam illud reprehenditur conjugium cum fœminæ maritos ſumunt vt licentioſius viuere poſſint, in quo tamen habeant defenſores ſuos maritos & protegentes. Quocirca aliqui dubitabant an illorum ſunt verè Filij, cum id nullus ſcire poteſt verius niſi mater, ſed prudentem in hoc progreſſum caſtæ mulieris contra maritum audiamus. Bernardus Amadæus filium ſibi ſine opera ſua natum ſuſpicans, dies noctesq́; multum ſeſe affligebat. Eam rem animaduertens Petrarcha amico vehementer objurgato, Tibi (inquit) Maria Rauennate magiſtra opus eſt, quum vxori, vtpote ſoli optime conſciæ fidem habere verearis. Et hanc quidem ad rem audi lepidam fabulam. Ante annos non multos. Senis ciuis quidam illuſtris & opulens habitabat, vxorem Mariam in Rauenna nomine eximia forma in Matrimonio habens, quæ tamen aduerſa pudicitiæ fama laborabat. Ea quum filium vnicum tenellum in ſinu geſtaret maritus defixis primum in puerum, deinde in matrem oculis, ex intimo pectore ſuſpirium duxit cauſam vxori roganti. Semiſſem, (inquit) bonorum meorum dederim, ſi tam certus eſſem filium hunc meum genuinum eſſe quam tu certa es: Ibi mulier nihil immutato colore, Tanto (ait) hanc in rem ſumptu opus non eſt: quod ſi mille tantum ducatos mihi donaueris, ſcrupulo omni excepto, huius rei quam certiſſimum te faciam. Conditione à marito accepta aduocantur cognati quidam & amici tanquam arbitri tum re tota explicata vxor infantem in vlnas ſuſcipit, & ſubridens, Mi marite, (inquit) numquid fateris infantem hunc meum eſſe. Certè, inquit, maritus: Sed quid tum poſtea? Ibi illa

accedens, Age igitur, eundem tu cape, à me tibi donatum: nec quiſquã jam tuum eſſe negauerit. Solutis in riſum omnibus, amici & ſingularem mulieris huius dexteritatem laudârunt, & ſtultam viri zelotypiam reprehenderunt. Non facile eſt deprehendere aſtutiam mulierum, at tamen ſi quæ viro contingit, mulier, ruminet dictum Eccleſiaſt. Dabitur viro pro factis ſuis.

DOMINICA I. POST TRINITATIS II. AUTEM POST PENT.

Congratulamini mihi quia inueni ouem meam quæ perierat. Congratulamini quia inueni drachmam quam perdideram, *Luc:15.*

ADuerte. Quod B. Alb: M. pro ſermone in Dominica prima tractat Euang: de diuite & Lazaro & cap. 16. Lucæ quale Euang: in ferijs Quadrageſimæ habetur. Hoc vero Euangelium de Oue & Drachma in Domini 3. poſt Trinit. tractauit, conformando igitur Euangelium ad modernum S. Eccleſiæ ritum, hic tractandum inſeruimus.

Quid per centum oues intelligitur?

REſp. Numerus electorum. Centenarius enim numerus multiplici perfectione dicitur eſſe perfectus. Decem namq; decies ducta faciunt centum. *Electi & boni ſunt oues.* Et Nota. Propter 4. cauſas electi & boni Chriſtiani ouibus comparantur. 1. Oues voci ſui paſtoris obſequuntur. 2. Oues poſt ſuum paſtorem gradiuntur. 3. Oues in paſtoris ſibillo delectantur. 4. Oues in feruore meridiei congregantur ad inuicem.

De 1. Ioan. 10. *Oues meæ vocem meam audiunt.* Gloſſ. Obediunt præceptis meis. Debemus quaſi bonæ oues audire vocem Domini ad bonum nos inuitantem & à malo reuocantem. Ad bonum nos inuitat Exod. 20. *Honora Patrem tuum & matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terram.* Hic præcipitur, vt Parentes à filijs honorentur, eiſque neceſſaria ſubniiniſtrent. Reuocat etiam nos à malo, & inhibet nobis idem Exod. 20. vbi dicit: Non habebis Deos alienos coram me. Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum. Hic prohibetur, ne aliquis periurium faciat, nec etiam ſine magna neceſſi-

ceſſiate iuramentum emittat. Sequitur: Non occides, Gloſſa, manu vel mente, vel ſubtrahendo conſilium vitæ ei; cui debes dare. Sequitur. Non mæchaberis, Gloſſa, id eſt, nulli miſcearis, excepto fœdere matrimonij. Sequitur: Non furtum facies. Auguſt. Furti nomine omnis illicita vſurpatio intelligitur rei alienæ. Sequitur: Non loqueris contra proximum falſum teſtimonium. Hic mendacium & detractio ac calumnia prohibetur. Sequitur: Non concupiſces domum proximi tui, nec omnia, quæ illius ſunt. Hic etiam mentalis auaritia prohibetur. Non deſiderabis vxorem proximi tui, Gloſſa etiam voluntatem adulterandi vetat.

De II. Nota, quod oues paſtorem ſequuntur. Vnde dicitur: Ioan. 10. oues meæ ſequuntur me, alienum autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo. Dominus enim cum baculo crucis præcedit nos, oſtendens nobis paſcua vitæ, cuius veſtigia ſequi debemus. De iſtis veſtigijs dicit Pet: in 1. cant. 2. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius, &c.* Qui in choreis circumeunt, & globos ſequuntur, non vadunt poſt veſtigia Chriſti ſed diaboli.

De III. Oues in paſtoris ſibilo delectantur. Vnde Dominus in Zacha. 10. *Sibilabo eos, & congregabo illos quia redemi eos* Per ſibilum Domini dulcis promiſſio regni cæleſtis intelligitur. De hac promiſſione dicit Ioan: 10. *Ego vitam æternam do ouibus meis, & non peribunt in æternum.*

De IV. Oues in feruore conjunguntur & congregantur: per hoc docemur, quando ſumus in æſtu alicujus tribulationis, qualem æſtum ſuſtinuerunt olim Martyres Chriſti, qui in magnis tribulationibus fuerunt, ſed modo ad conſolationes multiplices, & inuenibiles peruenerunt, & hoc erit ſolatiũ noſtræ tribulationis.

ANNOTATIONES.

De numero electorum. Nota. Ezech: 32. *Vos oues gregis mei, homines eſtis.* Maxima profectò multitudo gregis Dei eſt, ſi homines ſunt non grex ſed aliqua pars gregis, nimirum, ſunt ouium. Cyrill. Percipe latitudinem regni Saluatoris noſtri. Dicit enim oues eſſe centum, referens numerum ſubiectarum ſibi rationalium naturarum ad integram multitudinem. Et ex his centum, vna ouis oberrauit, ſcilicet genus humanum, quod terram colit. Tunc vero oberrauit addit Greg. quando peccando homo, paſcua vitæ reliquit. Oues vero omnem rationalem creaturam vocauit, licet ſit Angelus, quia in comparatione ad Deum inquit Theophil: omnis natura creata beſtialis eſt. Pone Solem lucentem in meridie, omnes ſtellæ & luna reſpectiue vmbra erunt. At tamen Angeli ſunt amici & vicini Chriſti & Dei ſunt. Amici, quia voluntatem eius continuè in ſua ſtabilitate

Homines electi pars gregis Chriſti

Angeli ſunt amici & vicini Chriſti.

tate

tate cuſtodiunt. Vicini ſunt, quia claritatem eius viſionis ſua aſſiduitate perfruuntur. Oues iſtæ igitur erunt velleris aurei, quali non licet aliquem inſigniri, niſi fuerit Imperator, Rex, Princeps, Dux in Chriſtianitate aut aliquis ſummus Palatinus vel Elector. Quod omne Angelis in cælis & beatis conuenit. Quocirca ſymbolum beatæ ouis, erit ipſa ouis cruce inſignita in vertice capitis, quæ eleuato pede monſtrat hoc lemma. *SIMPLICITATE ET MANSVETVDINE.* Hoc eſt. Electi ſunt facti. *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde & inuenietis requiem animabus veſtris.* Matth: 11. Prudentiſſimus Imper: Aug: Cæſar primum imagine ſphingis authoritatem inſignierat, ſed cauillantibus nonnullis quod enigmata non literas faceret, Alexandri imaginem poſtmodum aſſumpſit dicit Suetonius in Auguſto. Angelos, cum vnâ cum luce creauerit Deus, inſigniuerat illos lucidiſſimis radijs, ſed quia alij ex eis ſphingis imaginem per ſuperbiam ſumpſerant, noluit illis concedere amplius nec notam alicuius præcelſi viri licet victores malorum Angelorum eſſent. At humilitatem illorum & ſimplicitatem dignatus, oues illos Angelorum 9. choros vocauit, atq; electos ad cœlum homines, eodem nomine appellauit. D. Cypr. lib: de Liuore, Meminiſſe debemus quo vocabulo Chriſtus plebem ſuã appellet, quo titulo gregem ſuum nuncupet, oues nominat, vt innocentia Chriſtiana ouibus æquetur; agnos vocat, vt agnorum naturam ſimplicem; ſimplicitas mentis imitetur. Fabius Maximus fuit ouicula nuncupatus Pier: Val: Hierog: lib: 10. ponit rationem. Ab ineunte ætate aliquanto hæbetior videbatur, quietem & taciturnitatem adamabat, neq; ad capeſſendas diſciplinas promptitudine aut docilitate vlla præditus eſſe judicaretur, magnãq; de ſe torporis & inſipientiæ ſuſpicionem apud domeſticos conciliaſſet: ſed ex his rationibus magis bos quam ouicula erat nuncupandus. At in ſacris literis ouis ſignificat innocentiam, manſuetudinem & vtilitatem. Quocirca, ouem offerre Deo admonemur. Quod Cyrill: & Origen: expoſuêre, Expertes rationes motûs, inſipientes cogitationes, & quæcunq; per imprudentiam peccauimus, corrigere jubemur & admonemur.

Sunt oues vellerum aurei.

Pro voce ouis. Nota. Conſuetudo facit quod ſæpius loquentem ex voce cognoſcimus. Ita naturali inſtinctu, cognoſcit quoq; vocem paſtoris ouis, vt ex voce cognoſcit paſtorem ſuum, & libenter vocem eius audiunt & cum auiditate oues, alienum nec audiunt nec libenter vident. Ad eundem modum ſpiritualis ouis homo, paſtoris Chriſti, facere debet inquit B. Alb. Mag: Audire debet vocem paſtoris. Chryſoſt: hom: 58. in Ioan: Ab ouium congregatione ſe abſtrahunt qui ipſum non audiunt. Eccl. 45. Cinxit

ouem

eũ tintinnabulis aureis plurimis in giro dare ſonitum inceſſu ſuo in auditus facere ſonitum in templo. Tintinnabulum eſt vox prædicationis ad oues & laudis ad Deum. Hunc paſtor Chriſtus & fecit & facere paſtores inſtruxit, & proprias oues audientes, demonſtrauit. Sed oritur dubium, ſi ex auditu oues Chriſti concluduntur eo quod audierint Chriſtum quid dicemus? Iudas audiuit & lupus factus eſt, aliqui erant oues & non audierunt, vt illi qui Chriſtum crucifixerunt. Sed dicendum vt S. Aug: dicit. Quando non audiebant, oues non erant, non audita vox mutauit eos, ex ouibus lupos fecit, audita verò, ex lupis fecit oues. Non erraret enim ſi vocem paſtoris audiſſet, ſed quia alieni audiuit vocẽ, errauit. Noſcunt oues paſtorem & paſtor nouit oues. Nouit præſcitos nouit prædeſtinatos, & ſi oues aliquando ſeipſas ne ſciunt, ſed ille nouit oues: vox paſtoris eſt. *Qui perſeuerauerit vſq; in finem hic ſalus erit.* Hanc vocem non negligit proprius, non audit alienus. De eiuſmodi paſtoribus dicitur Gen: 47. *Si noſti in eis eſſe viros induſtriæ, illos conſtitue magiſtros peccorum meorum.* Nunquid induſtria viri in tali opere exercenda eſt? Debet eſſe induſtrius, magiſter virorum Seu ſenator, Magiſter execituum ſeu Dux militiæ. Quid induſtria hominis cum peccudibus? Nullum officium dignius eſt, quam eſſe paſtorem animarum peccantium & viuentium ſeu pecudes ſine rationis diſcretione, in hoc mundo calamitoſo. Oues etiam Chriſtum agnum Dei ſequentes, ſunt ob obedientiam ſimplicem peccora, quæ nutum ſui paſtoris obſeruant. B: Coleta Ord: S: Claræ reformatrix. Cùm vna tempore feruentiſſimè SS. Deiparam oraret pro peccatoribus vt pro illis apud filium interueniret, oblatus eſt illi diſcus plenus particulis carnis tanquam infantis in fruſta conciſi, dictumq; eſt illi. Quo pacto ego deprecabor filium meum pro his qui quotidie horrendis ſceleribus ſuis (quantum in eis eſt) etiam in minores eum diſcindunt particulas quam ſint hæ quas cernis. Vel indè cognoſce paſtoris dignitatem lucrum & officium, cùm ad caulam Domini & vnitatem fidei congregare contendit populum vt ſint oues Chriſti. Dicebat quondam S. Ambroſio Imperator; vade & age non vt judex ſed vt Epiſcopus. Magnam declarabat dignitatem his verbis Imperator quàm habent & habere debent Paſtores animarum, ſed verendum, ne his diebus, & judices & Epiſcopi non magis mercenarij ſint. Iſid: lib: 3. cap: 41. Elati paſtores plebem tyrannice premunt non regunt, quiq; non Dei ſed ſuam gloriam à ſubditis exigunt.

B. Coleta orat B. virg pro peccatoribus.

Pro 2. Comparatione, nempè quod ſequuntur oues paſtorẽ. Nota ex naturali induſtria ouis fugit lupum inimicum, ſequitur verò canẽ licet ſit eiuſdem coloris & quantitatis vt lupus. Vndè etiam habent

quod paſtorem ſuum ſequuntur quia illum cognoſcunt, alienum verò non ſequuntur, quia neſciunt nec cognoſcunt eum. Pari modo Chriſtianus ſequi debet veſtigia Chriſti vt ouis. præit enim Chriſtus. Micheæ 2. *Aſcendit pandens iter ante eos.* Exemplum ſcilicet præbens. *Exemplum dedi vobis vt quemadmodum ego feci & vos faciatis.* Ioan. 13. Optimè ad propoſitũ B: Anſelm: Homines plus aſpiciunt ad opera exemplorum quàm ad doctrinam verborum. Plus enim creditur quod herbæ ſalutiferæ ſunt quas comedit medicus & venenoſas eſſe dicit, quã quas dicit eſſe ſalubres, & vitat tanquam venenoſas. At ne lectorem vnica hæc authoritas ab exemplo vacillare faciat, alterum B: Iſidorum. Hiſpalenſem Epiſcopum lib: 3. de ſummo bono cap: 36. Dicentem contemplabor. Sicut in numiſmate metallum figura & pondus requiritur, ita in omni doctore Eccleſiaſtico, quid ſequatur, quid doceat, quomodo viuat. Per qualitatem igitur metalli doctrina, per figuram ſimilitudo patrum, per pondus humilitas deſignatur. Qui verò ab his tribus diſcrepauerit, non metallum ſed terra erit. Cùm igitur ſequi paſtorem debeat ouis, paſtor præire exemplo, hoc eſt vita & conuerſatione, debet; aliter enim nedum paſtor non vigilans erit, ſed nec nomine paſtoris appellari dignabitur. Herodotus lib: 9 refert In Apollonia oues ſoli ſacræ erant, quas noctu viri fortuna ſplendidi cuſtodiebant. Euenius aliquis ſuas pro more vices agens in pecoris cuſtodia, lupum ingredi in ouile & ſexaginta oues ſua incuria deuorari patitur, æquo iudicio ciuitatis, oculis orbatur. Attendant qui non ſolis oues cuſtodiunt ſed ſempiterni Dei, videantq; paſtorem Chriſtum quærentem vnam ouem atq; ſibi de inuenta congratulantem atq; in humeris ſuis portantem. Ita, enim facilè vocem tuã audient & te ſequentur. Arguit aliquos paſtores ouium D: Chryſoſt: hom: 58. in Ioan: qui ſequuntur oues. Et profectò illi ſunt paſtores non ille, illi oues baculis, fuſtibus, flagellis tractant, quia non veri paſtores, ſed Chriſtus ducit oues ad veritatem cum patientia & amore, anteit vt à periculo deuiare faciat oues.

Chriſtus prodit ſuis omnibus exemplo.

Pro 3. Quod oues in paſtoris ſibillo delectantur. Nota. Si ouis naturam ſpectemus, paruus ſibillus ipſam vigilantem facit, timidæ enim cum ſit naturæ, ſi non animaduertit paſtorem emoritur, non enim cogitat niſi lupum & paſtorem. Quocirca ſibillus quoq; paſtoris eſt jucundus oui, & ſi fiſtula vel melodia delectatur paſtor, illorum paſcua tunc ſunt jucunda, amæna & delectabilia, ita quod ſibillus ille ſaginet oues. Hinc Epictetus in Enchiridion cap: 95. Oues non fenum afferunt & demonſtrant quantum comederint, ſed paſtu intra ſe concocto, extra ferunt lanam & lac ſigna comeſtionis. Vis verò ſcire vndè tantum vellus & lac.

Oues ſibillo paſtoris delectan-tur

hac in oue, dico ex ſibillo paſtoris. Tunc enim ſecura paſcit & manet cum paſtor ſecurus eſt & lætus. Quod ſi nobis de ouibus Chriſti juxta intentum B: Alb: Mag: ſermo fuerit, quoniam redemit nos, ſibillus eius, paſcuarum felicitatis, & regni cœleſtis amplitudinis nota, quietudoq; erit ſibillum adfero ad indicium quoddam, ſibilli paſtoris Chriſti. Margaretha cognomine pœnitens ex ordine tertio S. Franciſci, hæc in oratione ante crucifixi imaginem orabat vt dolorum B: V: M: ad crucem particeps fieret. Tum audiuit ſibillum. Quid vis miſera, reſpondit. Nil præter te Domine. Quis non delectaretur in tali ſibillo? At non datur niſi gratiâ Dei & diſpoſitione cordis, ſint apti & delectationi diſpoſiti. Samuël Propheta conſecratus ex ſterili Anna & deuota ad ſeruitiū DEI, ille eſt, qui vigilando felix dicebat. 1. Reg: 3. *Ecce ego, quia vocaſti me.*

Pro vltima aſſimilatione ouis ad animam, nempè quod congregentur in æſtu Nota. Dicit Philoſoph: Virtus vnita fortior. Vndè & duo imbecilles anſeres, faciunt bellum cùm ſue, ſicut prouerbio fertur. At ex hac ouium congregatione ad vnum, non incommodè ad vnionem S. Eccleſiæ Romanæ referemus. Dicitur Act: 4. Multitudinis credentiū erat cor vnum & anima vna. Summa hæc fuit vnitas. B. Alb: Mag: ad c. 9. Lucæ ait. Vnitatis concordia perficitur in tribus. 1. In vnitate veritatis creditæ. 1. Cor: 1. *Idipſum dicatis omnes & non ſint in vobis ſchiſmata.* 2. In vnitate charitatis effectæ. Ioan: 13. *In hoc cognoſcent homines quia mei eſtis diſcipuli ſi dilectionem habueritis ad inuicem.* 3. In vnitate ſpiritus totum corpus Eccleſiæ viuificante & mouente. Ad Epheſ: 4. *Vnus Spiritus vnum baptiſma.* Et 1. Cor: 12. *Eodem Spiritu potati ſumus.* Et tam feliciſſimam vnionem deſiderauit ſemper Dominus IESVS vt Io: 17. *Volo Pater vt quos dediſti mihi vnum ſint ſicut & nos vnum ſumus.* Sicut tu Pater in me & ego in te vt & ipſi nobis vnum ſint. S. Fulgent. lib: 2. ad Monimum cap: 10. Fundamenta tantæ vnionis ſacræ deſcribit. Quid factum eſt miſterio incarnationis? Hoc, vt diuiſa vnirentur & diſcordantia pacarentur. Et hoc factum eſt Charitate diuina, vt ex ipſo ſpiritu corpus illius capitis eſſet renatum, de quo ipſum caput eſt natum. Et ob hoc neceſſarium nobis eſt, vt ſicut ex Spiritu S. natus eſt Chriſtus, quando Deus vnigenitus in vtero virginis vnitus tanquam ſponſus proceſſit de thalamo ſuo, ſic Eccleſia dono Spiritus S. adhæreat Chriſto, tanquam mulier viro ſuo & tanquam corpus capiti ſuo. Et vide majorem vnitatem, ibi enim ſunt duo in carne vna, hîc autem eſt & vnus & caro vna. Qui igitur ab hac vnitate Chriſti & Eccleſiæ manet, ſegregatus infeliciſſimus eſt, quia nec de Corpore Chriſti eſt, nec caput Chriſtum habet. Audiet in judicio ſuo *Foras canes.* Video ſummis laudibus euectum Catonem Vti-

Cato Viticenſis. cenſem à Val: Max: cap:2. Inquit enim, Ex fortiſſimis vulneribus tuis plus gloriæ quàm ſanguinis manauit. quæ laudantur vulnera? Se ipſum incumbendo in gladium occidit, & quomodo erit laus? Reſpondet Val: Max: Morte ſua declarauit, quod potior ſit dignitas ſine vita, quam vita *Vita ſine honore.* ſine dignitate vel honore. Non eſt quod laudem progreſſum, at ratio adducta eſt veritate illuſtris. Hinc colligo, quia non eſſe vnum cum Chriſto eſt indignitas, eſſe verò cum Chriſto vnum, eſt ſumma dignitas & vita, potius ergò eligenda eſt vita cum dignitate, quàm mors cum indignitate. Ioan: 17. *Tum in me & ego in eu, vt ſint in vnum conſummati.* Ergo qui cum Deo & Eccleſia vnus non erit, conſummationem perfectam non habebit.

Quid per drachmam intelligatur.

RESP: omnes electi. Gloſſ: Drachma eſt numerus certæ quantitatis habens imaginem Cæſaris.

Drachma quid Drachma genus nummi, nummos hæc quinq; valebat Drachmæ ſimiles eſſe debemus propter quatuor. Primò propter materiam: Secundò propter formam: Tertiò propter pondus: Quartò propter imaginis impreſſionem. 1. Materiæ igitur drachmæ, ſi eſt aurea, ſignat pa- *Drachmæ ſit homo ſimilis.* tientiam & charitatem. Sicut enim aurum optimè ſuſtinet percuſſiones malleorum, & ſicut fiunt ex auro coronæ Regum ac Imperatorum; ita & homo per patientiam vincit tribulationum aduerſitatem, & per charitatem ad Regiam vel imperialem aſſumitur dignitatem. 2. Si verò materià drachmæ argentea eſt, ſignat biformem munditiam & vocis claritatem. Sicut enim & argentum candidum eſt & tinnilum, ſic & caſti homines in die judicij mundas animas & lucida corpora repræſentabunt, & in voce exultationis coram Deo ſuo perpetuò jubilabunt. 3. Forma drachmæ rotunda eſt, & *Forma drachmæ* ſignificat ſpem æterni boni. Tunc enim in anima noſtra rotunditatem repræſentamus, cum ea bona, quæ finem non habent, tota ſolicitudine deſideramus. 4. Pondus drachmæ *Pondus drachmæ* ſignificat timorem Domini. Timor quippe Domini facit hominem grauem ac ponderoſum, ne tanquam pluuia, nec palea ab omni vento vanitatis ac voluptatis hujus mundi rapiatur, & per indecentem lætitiã diſſoluatur, Beatus eſt, qui ſemper *Imago drachmæ* eſt pauidus. 5. Imago hujus drachmæ duplex eſt, videlicet imago miſericordiæ, & imago juſtitiæ. Et hanc duplicem imaginem habemus ab ipſo Deo Rege noſtro, de cujus moneta ſumus, ipſe enim exhibet nobis in hâc vita imaginem ſummæ clementiæ, per quam recipiet omnes verè pœnitentes. In futuro verò oſtendet imaginem ſummæ juſtitiæ, per quàm damnabit omnes ſine pœnitentia vera morientes.

Itaq; & nos debemus eſſe miſericordes

cordes per largam eleemoſynarum noſtrarum largitionem. Debemus etiam juſti eſſe per plenam omnis rei ablatæ reſtitutionem. Hanc duplicem imaginem habuit Zachæus, qui dimidietatem bonorum ſuorum diſtribuit pauperibus, & ſi aliquem defraudauerit, quadruplum reſtituit.

ANNOTATIONES.

Electos per drachmam ſignificari, Nota. Ier: 49. *Quis erit electus, quem præponam ei?* Rem electionis & electi dignitatem, plurimis in paucis exaltauit vocibus, dum dixit. Quem præponam ei? Non habet nec poteſt aſſumi comparatio electi. Sed ſi quomodo aſſimilabitur, valor auri & argenti, non æquiualebit illi. Igitur Magiſter Magiſtrorum Chriſtus Iesvs electos drachmæ aſſimilauit, ad ipſam ſignificationem electorum vt B: Alb: Mag: explicauit. Primùm viuens & vltimum moriens dicitur eſſe cor. Electi verò dicuntur ſemper viuentes & nunquã morientes. Quos enim vocauit illos prædeſtinauit, & quos prædeſtinauit, illos & glorificauit. Vndè electi & ſemper viuentes & ſemper glorioſi, nunquam verò digni morte, numerabuntur. Cor Ægyptij drachmis duabus ſignificabant, Chriſtus verò electos comparauit drachmæ, ſpectabit igitur aliquid electio Dei ad cor, & cor ad drachmam. De Ægyptijs refert Pier: Hierogl: lib: 19. cap. 20. Infantium anniculorum cor duabus drachmis ponderari, augeri autem per annos ſingulos duabus itidem drachmis ad quinquaginta annos, hinc per alios annos decreſcente æquilibrio, hominem deficere vſque ad duas drachmas cor deuenerit, niſi affectum injuria & tranquillitate fraudatum à centum annis efflacceſcat & deficiat. At dices drachmæ ſunt hæ diuerſæ, illa nummum, iſta pondus ſignificat; ſed dicam æquilibrium tamen non diuerſificat, vbiq; enim drachma eſt. At indè facilè deduco quod ſi drachma cor ſignificat ratione ponderis, fortius electos ſignificabit ratione dignitatis, quàm drachmæ ad ſignificandum electos, Chriſtus impoſuit. Abſtrahimus enim hìc tam ab Apotecarijs quàm ab aurificibus, ſed docentem Doctorem Chriſtum audimus. Quod ſi perdiderit drachmam nimirum electum, euertit domum donec inueniat & congratulatur ſibi de inuenta. B: Alb: Mag: quàm clariſſimè dicit de hâc drachma in cap. 15. Luc: Drachma pondus eſt inquo numiſmatis imago eſt impreſſa, hæc autem imago ſummi Regis eſt, quia factus homo ad imaginem Dei. Hæc imago habet pondus gratiæ, quia Deus hominem ſecundum ſe creatum veſtiuit virtute Eccl: 17. Vnde addit Beda Drachma Regis etiam continet ſuperſcriptionem vt Matth. 22. dicitur. *Cuius eſt hæc ſuperſcriptio.* Inſcriptio autem in drachma eſt iuris naturalis faciendorum & cognitionis Dei, inſcripta in cordibus

dibus. Quæ vt Damaſc: dicit omnibus ab ipſa creatione impreſſa ſunt. Hinc Ierem. 31. *Dabo leges meas in corda eorum & in viſceribus eorum ſuperſcribam eas.* Quocircà ad propoſitũ ſatis, dum ad animam hic B. Albert. Mag. materiam formam & imaginem applicauit, & inſtruxit virtutes hominem. Sed vnicam Chriſto dilectam drachmam apponere liceat. Columba Rietenſis ſoror S. Dominici Regularis, inter plurima animæ ſolatia hoc inſigne retulit. Ipſa natiuitatis Domini nocte præbuit ſe viſendum ei Chriſtus Dominus in præſepio cum Matre Virgine ac S. Ioſepho audiuitq; eodem tempore cæleſtem Angelorum ſymphoniam concinentium. *Gloria in excelſis Deo.* Verè hæc drachma fuit, & non perdita, ſed dilecta à Chriſto ſponſo, & cuſtodita ceu electa.

Quid per ouem & drachmam perditam intelligitur.

RESp. Quilibet peccator, tunc enim homo perit & perditur, dum præcepta Dei contemnens declinat à bono, & facit malum.

ANNOTATIO.

IOb. 24. *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in ſuperbiam.* Iudicis deberet ſubſequi ſententia durior, at potius miſeretur omnium & diſſimulat peccata hominũ propter pœnitentiam. Ad minus faciet quod dicit Ionas, cap. 2. *Cum anguſtiaretur in me anima mea. Domini recordatus ſum.* Expectat Deus vt vel anguſtiatus redeat homo ad cor, & pœniteat, atq; Domini ſui recordetur. Iſidorus lib. 1. cap. 7. Diſcat humana miſeria, quod ea cauſa citius prouocetur Deus præſtare veniam dum infirmo compatitur homini, quia ſcilicet ipſe homo traxit ex parte inferiori peccandi infirmitatem: hoc eſt ex carne, qua incluſa anima detinetur. Apoſtatæ verò Angeli, ideo veniam non habent, quia carnalis fragilitatis nulla infirmitate grauati ſunt, & peccauerunt. Hinc Pſal. 88. *Memorare quæ mea ſubſtantia, nunquid enim vane conſtituiſti filios hominum!* Atteude ô peccator quanta beneuolentia te expectat Deus vt conuertaris, En te aliquando quaſi excuſabilem reddit, cum infirmitatem tuam & carnem aſpicit; aliquando excitat te beneficijs amplioribus vt omnes te videntes admirentur & dicant Deo. *Quare via impiorum proſperatur, benè ſit eis qui male agunt?* Hierem: 12. Aliquādo leuioribus afflictionibus te commonet, ita quod te non punit ſed tantum attingit. *Manus Domini tetigit me.* Inquit Iob. 19. Non percuſſit non contriuit inquit, ſed tetigit. Vide igitur, ne quando tarditatem ſupplicij grauitate pœnæ recompenſet. Cogita igitur quia es Drachma Dei prætioſa, quia te ſollicite perditum quærit & inuenire ſatagit, & de inuenta gratulatur & con-

congaudet cum Angelis, ne te quãdo, ingratum & contemptorem beneficiorum ſuorum, ſeuero tortori ex iuſtitia vera condemnatum, tradat. O te miſerum, niſi conuerſus in peccatis ad pænitentiam fueris. In ſepulchro cuiusdam vatis anno poſt Chriſtum natum 780. in longis Thraciæ muris inuentæ erant hæ literæ. *Chriſtus naſcetur ex virgine Maria: Credo in eum.* Sub conſtantino & Irenæ Imperatoribus. *O Sol iterum me videbis.* Profectò, ſepultus Chriſtianus in inferno, dignoſcetur à gentili per characterem baptiſmi, & ſcient qui viderint eum, quod natum Chriſtum de virgine Maria ille nouerat, & crediderat, at ſol iſte iuſtitiæ Chriſtus qui toties illum in terris peccantem & non pœnitentem oculis miſericordiæ videbat, iam amplius condemnatum non videbit tali oculo. Dices in tenebris: O Sol meus Chriſte Iesv, nunquam te videbo miſer, ſed ſera pœnitentia poſt fundum.

Quid per hominem & mulierem à quibus ouis & drachma quæritur accipiatur?

Reſp: per hominem Ipſe Chriſtus. Hic 1. tunc vadit ouem quærere, cum hominem peccatorem per prædicationem vocat. 2. Cum facit hominem cognoſcere & timere, quod venturus eſt iudicare viuos & mortuos & ſæculum per ignem. Tunc autem inuenit ouem, cum peccator conuertitur ab errore viæ ſuæ. Sic quoq; peccatorem imponit in humeros clementiæ ſuæ, & reportat primò in domum militantis Eccleſiæ, & poſtea in domum triumphantis. Per mulierem verò notatur diuina bonitas & ſapientia, quæ vt peccatorem inueniat, accendit lucernam hoc eſt facit hominem recordari quod omnia peccata delinquentium in die judicij recrelabuntur. Euertit etiam Domum, id eſt, cùm effectu inſinuat omnes hujus mundi concupiſcentias euertendas eſſe in die judicialis vindictæ & ſic drachmam inuenit, id eſt peccatorem compungit ad pœnitentiam.

ANNOTATIONES.

Languor prolixior grauat medicum dicitur Eccl: 10. Cupit namque medicus diligens vt citius leuet infirmum. Homo qui quærit ouem, medicus eſt animæ, Chriſtus enim eſt, grauat illum diu exiſtens in peccatis homo, magis grauat, dum jam videt pereuntẽ, ſummo grauat dum jam perditus eſt. Et hinc eſt quod 99. oues dimittit, vnam ſolam quærit, in humeris deportat inuentam. Ezechiel: 34. *Ecce ego ipſe requiram oues meas, ſicut viſitat paſtor gregem ſuum in die quando fuerit in medio ouium ſuarum diſſipatarum.* Sic enim de cœlo viſitauit nos oriens ex alto vt perditam generis humani ouem recuperaret. *Contere-bam molas iniqui & de dentibus eius auferebam*

Chriſtũ grauat peccator.

Elſa Indus Dominicanus à leonibus maleditur.

bam prædam. Iob: 29. Lego ardentem Zelatorem animarum atq; propugnatorem honoris & nominis B: V: Matris Dei Mariæ acerrimum Elſam Indum Dominicanum. Hîc cum ad Regem Abbaſſinorum, proficiſceretur ab eo vocatus. Ad conuincendum hæreticum, qui male ſentiebat de B: V: M: negans ei honorem Matris Dei, viſus eſt in oratione quàm fundebat ad proſperum itineris exitum conſequendum, eleuatus cum equo à terrâ aliquot cubitis. Itaq; hæreticum conuicit, ſed cum ille nihilominùs in errore perſiſteret Regis juſſu quatuor leonibus famelicis traditus eſt, qui momento eum deuorarunt. Sed cum id ægerrimè ferrent nonnulli, qui in eodem errore verſabantur, petiêre à Rege vt B. Elſa etiam ipſe traderetur leonibus, ac tum demum omnibus palam futurum quid de ea re tenendum ſit. Videns igitur Rex rem ad ſeditionem tendere rogauit Beatum virum vt ad eam ſedandam veritatiſq; confirmationem pateretur ſe leonibus etiam obijci. Quod ille non grauatè conceſſit, & poſtquam ſe crucis ſigno munijſſet in mediam leonum turbam ſe conjecit, qui ſuæ feritatis obliti ei manus & pedes linxerunt. Quo viſo portento Rex & proceres, immortales Deo Deiparæq; egêre gratias. Dicebat Boet: lib: 5. de Conſol: Nequitia florente ac imperante virtus non ſolum præmijs caret, verum etiam ſceleratorum pedibus ſubjecta calcatur, & loco facinorum luit ſupplicia. Quanta horum nequitia fuit qui virum innocentem ad terribilem mortem, vt à leonibus diſcerperetur, condemnabant, at Dominus Beatum cum religione ſua magnificauit. Quod ſi homo fultus ſpe in Domino & ardens charitate in ſalutem proximi, ſic quæſiuit perditos homines, vt ad Regis petitionẽ ſeſe leonibus obijceret, me herculè, Chriſtus Dominus perditum genus humanum, incomparabili feruore recuperare deſiderauit. Amos 3. *Quomodo ſi eruat paſtor duo crura de ore leonis aut extremum auriculæ, ſic eruentur Filij Iſraël.* Dum igitur te homo peccator, quærit ſic ſollicite Chriſtus, dum es in hâc vita, non te ad inueniendum ſtatuas difficilem, poſthæc enim occaſio calua. Audi ipſum Ethnicum admonentem in Enchiridion Epictetum cap. 36. Vide ne vt pueri, nunc Philoſophus mox publicanus, poſt orator, deniq; Cæſaris procurator fias. Iſta non conſentiunt, vnum te oportet hominem, eumque vel bonum vel malum eſſe, aut exercenda tibi ratio & mens eſt, aut res externæ colendæ aut in internis elaborandum, aut in externis. Concludam cum B: Nilo incautellam horum qui à malo recedere cupiunt. Inquit ille. Cùm eo homine, à quo bonos abhorrere cernis, nullum tibi ſit commercium.

Pro drachmæ perditione. Nota. Drachmæ perditio, idem eſt, quod imaginis ad ſimilitudinem Dei creatæ deturpatio. Nam licet non amittat

tat

Peccatum deturpat imaginem Dei hominis.

tat imaginem per peccatum, vt blaterabat contrarium Manicheus. Pſ: 38. *In imagine pertranſit homo.* Hoc eſt, dies vitæ agit vſq; ad mortem. Attamen homo peccando licet retineat eſſentiam imaginis, illam tamen multum deturpat & ſimilem diabolo facit. Naum: 2. *Facies omnium ſicut nigredo ollæ ſic ſunt combuſti. Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum* Tren: 4. Ideò eſt perdita, quando ſic deturpata. Deut: 32. *Inuenit eum in terra deſerta, in loco horroris & vaſtæ ſolitudinis.* Deſerta terra, ſterilis eſt conſcientia peccatorum, hæc eſt locus horroris, in quo horrendæ ſunt dæmonum figuræ occurrentes, vaſta autem ſolitudo, propter boni naturalis deſolationē, & ita inuentum, ad caulam reducit, atq; humeris debilitatam & conquaſſatam reportat. Inde quoq; drachmam mulier quærit nam qui per paſtorem idem per mulieres, Deus ſignificatur. Immultam conſolationem grauidarum fœminarum adduco rem miſericordiæ diuinæ & interceſſionis B: V: M: ex Vinc: Belluacen lib: 7. cap. 85. plenam. In loco qui tumba dicitur, eſt Eccleſia D. Michaëlis Archangeli, quæ Oceano cincta, qui terribiles habet æſtus, acceſſus & receſſus, non enim mare hic, vt alibi, paulatim accedit & recedit, ſed terrifico ſonitu & curſu accurrens, ſœpè intercipit iter agentes. In feſto igitur Archangeli turbis, ad ejus templum confluentibus ac in medio arenæ poſitis (erat autem inter eos mulier paupercula vterum ferens vicina partui) ecce mare ſubito fremit & arenam tegit aquis: diffugiunt omnes, ſola remanente muliere ob infirmitatem & nimium terrorem vſu pedum deſtituta, & quod in eam irruiſſent dolores ſubiti. Clamore quidem omnia complebat, ſed fruſtra, quiſque fuga ſaluti ſuæ conſulebat. Igitur ad Deum recurrit, eumq; cum SS. Dei genitrice ac B: Michaële inuocat, populus quoq; ad hoc ſpectaculum mulieris mari cinctæ ac diuos implorantis accurrens, manus ad Sydera tendens Deum Deique matrē pro mulieris ſalute deprecabatur. Aduenit itaque pia Dei Mater, & vt mulieri videbatur, mantica ſuper eam projecta, ita intactam à mari reddit, vt nec minima aquæ gutta eius veſtem tetigerit. Ibi vero quaſi tutiſſima in domo fuiſſet. Filium enixa eſt, ſine timore ibi permanens, donec iterum mare remeans liberum iter mulieri præberet. Itaque cum puerulo ſalua ad littus appulſa mirum ſpectaculum populo præbuit. Attende quàm fortiter adjuuit adductam periculo mulierem B: V: M: & quàm mirifice protexit. Ita igitur cogita Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM, quod inuocantes ſe ab omni perditione liberare ſit promptus paratuſque. Quid enim cauſæ putabis, ſi conuocat amicos & vicinos vt congratulentur ei de inuenta niſi quod deſiderio ſummo, neminem perdere deſideret? Vnde Greg: hom: 34. Hinc ergo colligen-

ligendum, quantum Deo gaudium faciat quando humiliter plangit juſtus,ſi facit in cœlo gaudium, quandò hoc, quod malè geſſit, per pœnitentiam damnat injuſtus.

Quid ſignificatur per amicos & vicinos quorum congratulatio poſtulatur.

RESp: Sancti Angeli, qui ſunt amici per diuinæ voluntatis adimpletionem. Sunt etiam vicini, per deſiderabilem diuinæ faciei ſpeculationem. Rogate ergo Dominum vt per ipſius miſericordiam ſic ab errore peccati reuocemur, vt cum electis in patria congregemur.

ANNOTATIONES.

Lætatur Chriſtus cum Angelis in conuerſione peccatoris.

ISa:9. *Lætabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe, ſicut exultant victores capta præda, quando diuidunt ſpolia.* Non ambigo, quod plurimum hi lætantur, ſed non eſt comparanda lætitia hominis cum inuenit ouem vel mulieris cum inuenit drachmam. Letabatur hîc Deus & Saluator IESVS CHRISTVS, vndè lætitia ipſius ſumma quia non coram hominibus licet amicis & vicinis, ſed coram cœlitibus. Greg: Nazianzenus. Inuentâ drachmâ cœleſtes virtutes facit participes gaudij, quas miniſtras diſpenſationis fecit. Amicæ ſunt inquit Theoph: ſupernæ virtutes, vicinæ, virtutes propinquiores, ſcilicet Throni Cherubin & Seraphin. Quid verò dicet perdita anima cum ſe in tanta felicitate conſpexerit. Credo illud. Ierem: 51. *Abſorbuit me* (miſeram) *quaſi draco, repleuit ventrem ſuum teneritudine mea, & ejecit me.* Puta ad fortitudinem Dauidis. Et Chriſtus exultando dicet, *Inueni* (ad gratiam) *drachmam* (imaginis) *quàm perdideram* per peccatum & imaginem deprauatam. Ita igitur reductis ad gratiam per Chriſtum vnicum relinquo memoriale. Photinus in Bibliot: pag: 68. Dicit fontem eſſe in India vnde hauritur aurum fictilibus, quod ſtatim congreſcit, nec eo quiſquam potitur niſi frangat fictile. Reducti ad gratiam à peccato per Chriſtum, jam fictilibus ſuis per oculos, aures, nares, tactum & guſtum, non aliud prenſare debet niſi aurum cœleſte, vnde fictile jam ſit inſtrumentum virtutum, vt erat peccati, ita auream beatitudinem, cum ex his compagibus exceſſerit, fœliciter obtinebit. B: Iacinctum Ord: S. Dominici excedentem è vita cum tanto gaudio vidit deductam animam ipſius monialis deuota Præmonſtratenſium ordinis, vt magna multitudo virginum circumſeptam, vna eminentior & cunctis ſpecioſior manu teneret eam & ſuauiter concineret. *Ibo ad montem Myrrhæ & ad collem Libani cum B: Hyacincto.* Refert etiam Author Ephemeridum B: V: M: 15. Aug: Et ſi juſtorum tantum gaudium, quantum erit de pecca-

catoribus Angelorum gaudium ſi pœnituerint, & conuerſi ad Dominum fuerint? ſit igitur antidotum conuerſis quod B: Nilus reliquit. Semper in operibus bonis vlterius procedere cura, nam ſi minutum minuto accumulaueris quotidie, breui diuitias ab omnibus expetendas congregabis.

DOMINICA II. POST TRINITATIS III. VERO POST PENT.

Aduerte, hoc Euangelium habet B: Alb: Mag: Dominica 5. poſt Trinit: ſecundam verò Dominicam cum Euang: de Cæna tractabat. Ad normam igitur moderni virtus de Nauicula conſiderabimus in præſenti.

Sedens IESVS docebat de nauicula, *Luc: 5.*

QVÆ EST NAVICVLA IN QVA DOMINVS SEDIT.

EST quadruplex nauicula Domini Prima nauicula eſt virgo gratioſa, id eſt B. virgo Maria, quæ benè dicitur gratioſa, hoc eſt, gratijs plena. Vndè ſalutando eam Angelus dixit. *Aue gratia plena.* Alijs quippe ſanctis diuiſiones gratiarum datæ ſunt, B. vero virgini totius fons gratiarum datus eſt. Hæc eſt nauicula per quam Dominus deſcendit in mundum qui per ciuitatem munitam & Idumæam figuratur. Mundus iſte munita ciuitas dicitur quia ciues hoc eſt amatores ſuos diuitijs delicijs & honoribus munit, quod non poſſint feriri iaculo verbi Dei ad ſalutem. Princeps huius ciuitatis eſt diabolus, ſicut teſtatur ipſe Chriſtus Iohan. 12. & 14. Mundus etiam vocatur idumæa, quæ interpretatur ſanguinea, quia hodie in mundo fornicatio, adulterium, homicidium inundauerunt, & ſanguis ſanguinem tetigit.

Igitur Dominus volens ad noſtram redemptionem venire in mũdum, dixit in conſilio Angelorum ſuorum, Pſal. 59. *Quis deducet me in ciuitatem munitam? quis deducet me vſq; in Idumæam!* Reſpondit Gabriel Archangelus, qui fuit Beatæ Mariæ virginis paranymphus, id eſt cuſtos virginitatis eius: *Facta eſt.*, inquit virgo Maria. *Quaſi nauis inſtitoris de longe portans panem ſuum.* Cui Dominus: Redeas ergo & dicas ei, quod per eam volo deduci in mundum. Reuer-

Reuerſus verò Angelus cum feſtinatione ad virginem, ait: Aue gratia plena, Dominus tecum, quod. Dominus iam paratus eſt eſſe tecum, ideſt: intrabit in vterum tuum mundiſſimum. Poſt conſenſum autem virginis Dominus ſtatim intrauit in eam, quem ipſa ſuo tempore eduxit in mundum. Bonum eſt chariſſimi, vt nos peccatores munuſcula noſtra, id eſt, orationes lacrymas, eleemoſynas, ac ieiunia noſtra per hanc fidelem nauiculam noſtro Iudici præmittamus, vt cum venerimus, ipſum propitium inueniamus. Ipſa quippe optimè aget negotia noſtra.

Secunda nauicula fuit virga pretioſa. Id eſt, crux Dominica, quæ bene dicitur pretioſa, quaſi pretio plena. Pretium enim totius mundi pependit in ea. De hac dicitur Matthæi 9. *Aſcendit IESVS in nauiculam, & transfretauit, & venit in ciuitatem ſuam.* Ciuitas Domini vocatur hic Capharnaum, quod interpretatur ager conſolationis, & ſignificat amænitatem paradiſi, ſciens ergo IESVS, quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit, aſcendit in nauiculam crucis; & per mortem transfretans venit in ciuitatem ſuam, id eſt, in paradiſum exultationis, in quam etiam confitentem latronem in vna hora ſecundum ſuam promiſſionem perduxit, quam multi electi in multis millibus annorum intrare non potuerunt: quia crucis nauiculam nō habuerunt.

Et in hoc patet, quod hæc eſt velociſſima, eſt etiam ſecuriſſima: omnes enim, qui inuenti fuerint in ea, Deus Pater protegit & defendit Vnde ipſe filius ait ad Patrem Luc. 23. *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Loquitur etiam ad Patrem Ioan. 7. *Pater, quos dediſti mihi, volo vt vbi ſum ego, & illi ſint mecum.* Si igitur ſpiritus filij in manibus Patris, certè & animæ dilectorum ſuorum erunt in manibus eius.

Tertia nauicula eſt Eccleſia glorioſa. Quod autem Eccleſia dicitur glorioſa, teſtatur Apoſt: ad Ephes. 5. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſemetipſum pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam nec rugam.* Duo itaq; Dominus requirit in eis, qui volunt eſſe de Eccleſia, videlicet vt non ſit in eis macula luxuriæ, neq; ruga auaritiæ. De hâc naue dicitur Lucæ 5. *Aſcendens in vnam nauim, quæ erat Simonis, & ſedens docebat de nauicula turbas.* Vnde igitur Eccleſia dicitur Nauicula Simonis, quia Eccleſia primo Simoni Petro commiſſa fuit à Domino.

Conuenienter etiam Eccleſia ſimilitudinem habet nauiculæ. Nauicula quippè & in principio & in fine eſt anguſtior, in medio verò ſpatioſior. Ita & Eccleſia in principio ſui paucos habuit fideles, & in fine paucos habebit. In principio verò Eccleſiæ veri fideles multis tribulationibus, & anguſtijs ſubiacuerunt.

erunt, & in fine ſimiliter ſubiacebunt. Dicit enim Dominus Matth: 24. *Quoniam abundauit iniquitas refrigeſcet charitas multorum.* Dicitur etiam Lucæ 18. *Filius hominis veniet, putas, inueniet fidem ſuper terram.*

Quarta nauicula eſt anima virtuoſa. Id eſt, virtutibus non otioſa. De hac dicitur Marci 4. *Facta eſt procella magna, venti, & fluctus mittebantur in nauim, ita vt impleretur nauis, & erat IESVS in puppi ſuper ceruical dormiens, & excitant eum & dicunt. Magiſter non ad te pertinet, quod perimus?* Anima igitur noſtra debet eſſe quaſi nauicula, in qua etiam debet IESVS pauſare in ceruicali, ſiue curſino pacis ac manſuetudinis, verùm quia ſæpè inſurgit procella tentationum, quaſi anima ſuſtinet ab importunitatibus Dæmonum vel malorum hominum, vel etiam ab inquietatione propriæ carnis, neceſſe eſt, vt ſemper Dei adiutorium imploremus, & ipſe cōpeſcet ventum tentationum, & ſic fiet in anima tranquilitas magna.

Et Nota. quod hæc nauicula conſiſtit ex quatuor, videlicet prora, puppi, rate, & carina. Et per hæc intelliguntur quatuor virtutes cardinales. 1. Prora eſt prima pars nauis, & ſignificat prudentiam, per quam nobis prouidere debemus, quorſum ſcilicet ituri ſumus. Ibimus enim ante tribnal Chriſti, vt referat propria corporis vnuſquiſque, prout geſſit ſiue bonum ſiue malum, vt dicit Apoſtolus 2. ad Corinth. 5. 2. Puppis eſt poſterior pars nauis, & ſignat Iuſtitiam, penes quam eſt nauiculæ gubernaculum, quia juſtitia cuſtodit innocentis viam, ſicut dicitur Prouerb. 13. vel Prouerb. 11. *Iuſtitia ſimplicis diriget viam eius.* Iuſtitia verò eſt nullam rem contra mandatum DEI vel concupiſcere vel acquirere, & omnem rem iniuſte conquiſitam plene reſtituere. 3. Ratis vocatur latus nauiculæ & per hanc intelligitur fortitudo. Duplici verò fortitudine indigemus, ne videlicet proſpera in vanitatem cordis nos deducant, & ne aduerſa per nimiam mæſtitiam nos confringant. 4. Carina verò dicitur venter vel fundus nauiculæ: & ſignat temperantiam, quæ neceſſaria nobis eſt, vt videlicet ab omnibus illis abſtineamus, & caueamus per quæ & De⁹ conturbetur, & proximus aggrauetur, & propria anima deturbetur.

ANNOTATIONES.

PRo prima nauicula. Nota. Ingenti probatione, B. V. Mariam nauem de longe panem portantem, vocauit B. Alb. Mag: Et ſi mare eſt mundus, nemo venit nec moratur in ea, niſi habeat nauem. Igitur filius Dei vt ad mare hoc perueniat, nauim ſibi elegit vterum B. V. M. Nec obſtat quod nauis hæc in Euāgelio dicatur eſſe Simonis, Simon enim interpretatur obediens. Vnde Theoph: 1. Vide Petri obedientiam quomodo in omnibus fuit obediens. At ſi in equilibrio Petri ſeu Simonis pone & B. V. Mariæ obedi-

 entias

entias ponemus, incomparabiliter ſuperexcedit obedientia B. V. Dixit enim, virgo cum volo fieri mater quomodo ero! Et Angelus. *Spiritus S. ſuperueniet.* Et illa. *Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Magna fides, ſumma obedientia. Aſſumpſit igitur nauem obedientiæ filius Dei, & reducens puſillum docebat de nauicula. Vix enim in præſepio poſitus apparuit in mundo, & mox Angeli, paſtores prædicant doctorem natum, bos & aſinus cognoſcunt Deum, B. V. Maria quem genuit adorat, Reges vocati accelerant, vt videant hoc verbum quod factum eſt omnes accurrunt. Qui inſtruunt alios ponunt doctrinam ad aurem vt illi exaratis verbis calamo in chartis tradant oculis ad legendum id quod audierunt. Ab aure ad oculum docuit nos Deus, prius enim audiuimus de illo à Prophætis Sanctis Dabo vobis Doctorem, nunc verò ipſum natum & docentem conſpexerunt. *Quotidie ſui in templo docens.* Chryſoſt: de nauicula cur Dominus aſcenderit eam refert. Volens autem diligenter congregare ſpectaculũ, vt nemo remaneret poſt tergum, ſed omnes facie ad faciem cernerent, aſcendit in nauim. Recta ratio iuxta literam, nam ex parte Chriſti docentis, dum aſcendit nauem & eam à terra reduxit, nullus à tergo remanſit. Sed diligentius inſpiciam⁹ quomodo facie ad faciem illa multitudo illum in tanta diſtantia videre potuit! Profecto cum reductus Chriſtus à terra nempe vtero B. V. & in carne ſua nauigabat in mari mundo in cunabulis iacendo omnes cum facie ad faciem cernebant, omnibus prædicabat ſe eſſe Saluatorem mundi, declarabat id concentu & voce Angelorum, feſtinatione paſtorum & adoratione, ſtellæ nouæ creatione, regum manifeſtatione, & nullum volebat habere poſt tergum, ſed Iſraël noluit videre faciem tergum maluit, non credere ſed perire deſiderauit. Iſid: lib. 3, de ſummi cap. 5. Eum diabolus iam deglutiſſe dicitur, quem iam perfectò ſcelere deuoraſſe videtur. Eum verò quem non deglutiuit operis perfectione, ſed tentationum illecebris mordet vt deuoret, adhuc quaſi in maxilla mandit. Cùm verò nauis portans nobis panem ſit B. V. Maria ſicut inſtruit B. Alb: Mag: iuſtum erit vt illum ſuadentem audiamus. Inquit enim: Iuſtum eſt vt munera noſtra per hanc fidelem nauiculam noſtro iudici præmittamus, vt cum venerimus illum propitium inueniamus. Munuſcula ſunt, non vt iuſtitia corrumpatur vel proximus lędatur per illa, ſed quatenùs noſtri vt ſui ſubditorum miſereatur, ploremus ieiunemus, deprecemus, charitati ſtudeamus. Beatus qui per anguſtam incedit ſemitam, coronatus etenim cælorum regnum ingredietur. Dixit B Nilus.

Aſcendens in nauim Chriſti non a tergo maneat.

Pro 2. Naui, nempè cruce, Nota. Si per crucem transferimur ad para-

paradiſum cæli de mundo, iam crux ceu nauis erit noſtra. Vnde D. Leo ſerm: 4. de Paſſione. Qui de crucifixis, cum Chriſto latronibus in Filium Dei credidit paradiſum iuſtificatus intrauit. Quis tanti muneris explicet ſacramentum; Quis potentiam tam miræ commutationis enarretur. Exiguo temporis pũcto, longorum ſcelerum reatus aboletur. Crux hæc quoq; nauis dicitur, quia nauis componitur ex lignis, clauibus, bitumine, Crux hæc totum habet, compoſita ex diuerſis lignis ex diuerſis clauibus & bitumine ſanguinis Chriſti. Chryſoſt: In cruce omnes inueniunt virtutẽ, qua ratione quia ſanguine Chriſti conſperſa fuit cum in ipſa Chriſtus paſſus eſt. En virtus eſt ex ſanguine, erit ergo bitumen quoddam nauis eius ſanguis, & ita in hac naui transferimur ad cœlum virtute crucis Chriſti. Lucæ 5. Stabat iuxta ſtagnum Genezareth antequam aſcendiſſet in nauim Chriſtus. Quale mare talis nauis eſſe debet proportionaliter. Mare illud inquit Beda ſuper 5. Luc: Stagnum Genezareth idem quod mare Galileæ & Tyberiadis, ſed mare Galileæ ab adjacente prouincia dicitur. Tyberiadis à proxima ciuitate, Genezareth a laci ipſius natura, quæ criſpantibus aquis de ſe ipſo ſibi excitare aurem perhibetur. Græco vocabulo quaſi generans ſibi auram perhibetur. Neq; enim in ſtagni morem ſternitur aqua, ſed frequentibus auris aſpirantibus agitatur, ſed hebræo more omnis congregatio aquarum mare dicitur Aqua huius ſtagni erat dulcis ad potandum. Mare profectò hoc ſignificat ſanguinis Chriſti abundantiam, quæ multorum aura agitatabur, alij enim crucis baiulatione, alij crucifixione, alij lanceis, alij clauibus, alij opprobrijs, è ſacro hoc corpore eliciebant, ſanguinem & in mare quoddam congregabant, per quod mare nauigium conſtituit Chriſtus crucem ſuam, & fecit dulcem aquam cum è latere cum ſanguine effluxit aquam, Frequentibus auris agitabatur nauis, non tamen emerſa erat. Auri erant. *Alios ſaluos fecit ſeipſum non poteſt ſaluare. Si Filius Dei eſt, deſcendat de cruce.* Inſultatio quoq; latronis erat aura valida, at nauis illa crux cũ ſuo nauclero ſalua ſtetit. Aliorum crura rupta ipſius non. Quocircà B. Leo ſerm. 4. de Paſſ: Dom. Paſſio Chriſti ſalutis noſtræ continet Sacramentum, & de inſtrumẽto quod iniquitas Iudæorum parauit ad pænam, potentia redemptoris gradũ nobis fecit ad gloriam, & inter clauos quibus ligno tenebatur affixus, pro interfectoribus ſuis paternæ clementiæ ſupplicaret & diceret. *Pater ignoſce illis quia neſciunt quid faciunt.* Quaſi diceret, concede illis gradũ ad gloriam, transferantur per hoc mare ſanguinis & auram pætulantem ad mortem meam in contumeliam adſpirantem, in hac crucis naue, ad cæleſtia regna, ſit medicina

ægris,

ægris, reconciliatio regis, redemptio captiuis, & condemnationis iuſtæ ſententia, iuſto liberatoris opere ſoluatur. Habeo memoria notatu dignam ex Hiſt. Neapolitana. Petrus Aragonius Alphonſi Frater (qui cum Rhenato Andegauenſi de Regni Neapolitani poſſeſſione armis contendebat) cum Neapolim obſideret, & quateret tormentis eius murum quæ eſt prope templum B. V. Mariæ de Carmelo, ex illo templo tormento percuſſus occubuit. Monebat illum Alphonſus ne verſus Deiparæ templũ tormenta dirigeret. Ibi crucifixi imago ictum globi è maiori tormento emiſſi, caput demittendo, inſigni miraculo declinauit. Si imago crucifixi ictũ declinauerat, multo ampliùs ipſe Chriſtus ictum omne declinare potuit à cruce, ſed nauem nobis conſtruebat, vt in crucis virtute ad regnum cæleſte de terrena habitatione trãſferri mereamur.

Pro nauicula 3. Nempè Eccleſia Nota Beda in hunc locum. Nauis Simonis eſt Eccleſia primitiua, de qua ad Gal. 2. *Qui operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis.* Vna dicta, quia multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna. Noë nauis erat, extra quam nihil viuebat. Eccleſia S. eſt talis nauis extra quam ſi quis eſt, non habet ſalutem, ſed mortem. S. Fulg: de Fide ad Petr. Diac. cap. 4. Qui in hæreſi vel ſchyſmate in nomine Patris & Filij & Spir. S. baptiſmi Sacramentum acceperit, integrum Sacramentum accipit, ſed ſalutem quæ virtus eſt Sacramenti, non habebit, ſi extra Catholicam Eccleſiã ipſum Sacramentum habuerit. Ergo ideo debet ad Eccleſiam redire, non vt Sacramentum baptiſmatis iterum accipiat, quod nemo debet in quolibet homine baptiſato repetere, ſed vt in Catholica ſocietate vitam æternam accipiat, ad quam obtinendam nunquam poteſt eſſe idoneus, quia cũ Sacramento baptiſmatis ab Eccleſia Catholica remanſerit alienus. Qui nauigat mare ſine arbore, tranſire altum mare non poteſt, ſed quaſſatur nauis & diſſipatur. Eccleſia S. Catholica nauis eſt in mari mundi, ſed firmam crucem tenet cuius virtute ſcindit mare, ſuperat fluctus, & ad portum ſecura venit Ita D. Maximus de paſſione Domini homil. 2. Sine arbore nauis infirma eſt, ſine cruce Eccleſia ſtare non poteſt. Statim enim diabolus inquietat, & illam ventus allidit, at vbi ſignũ crucis erigitur, ſtatim & diaboli iniquitas repellitur, & ventorum procella ſopitur. De hac nauicula docet Chriſtus Matt. 18. *Dic Eccleſiæ, quod ſi non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus.* Cauſinus habet in Polit. Symb. lib. 12. cap. 69. Sapientes In die, ad Hyphaſidē amnem turrim habitant, quam ne mille quidem Achiles aut ter mille Aiaces expugnaſſent, ita & caleſtibus præſidijs erat munita & tonitruum fulminumq; terroribus circumuallata.

Extra Eccleſiam Petri non eſt ſalus.

Aſſum-

Aſſumpſit id ex Philoſtrato in A-poll: lib: 2. cap: 16. Sed tali præſidio præſtantior eſt turris Eccleſia, quæ ſapientem habet Vicarium Chriſti, pios Cardinales, Epiſcopos Religioſos, prædicatores deuotos, hi verbi fulmine, morum ſanctitate, orationis feruore, Panum, Bachorum ſuperintendentum, miniſtorum fraudulentorum, paſtorum capros imitantium, ac turpium hæreticorum dementiſſimos impetus, frangunt veritate doctrinæ, & ſapientiæ æternæ præinſtructione. Portæ inferni non præualebunt Petre, aduerſus Eccleſiam quam ſuper te ædificabo atq; ſuper confeſſionem tuam, quã fecisti. Tu es, inquiebas, Chriſtus Filius Dei viui. Et hanc nauem regebat D. Petrus 25. annis vt D: Hier: in Cathal: Et ante illum Optatus Mileuitanus lib: 2. aduerſus Parmenianum. Negare non potes te ſcire in vrbe Roma Petro primo Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam in qua ſedit caput omnium Apoſtolorum Petrus. Et Aug: lib: 2. contra lit: Petiliani. Cathedra tibi quid fecit Romanæ Eccleſiæ in qua Petrus ſedit, & in qua hodie Anaſtaſius ſedit. D: Petrus gubernando hanc nauem, Simonem Magum Romæ ſuperauit, Martyrioq; ibidem Romam conſecrauit. Ergo appropinquate ad eam indocti, & congregate vos in domum diſciplinæ. Hæc enim Eccleſia quæ ante miraculis corruſcauit, nunc oportet, vt fidei confeſſione & ſcientia diuinorum corruſcet, opera enim requiruntur bona nunc in Eccleſiæ & confeſſio vera, non verò miracula. Diſcite & operamini fidem & charitatẽ. Iſidor: lib: 1. de ſummo bono cap. 27. Quod nunc Eccleſia non ea miracula faciat quæ ſub Apoſtolis faciebat, ea cauſa eſt, quia tunc oportebat mundum miraculis credere, nunc verò jam credentem oportet bonis operibus corruſcare. Nam ideò tunc ſigna fiebant exteriùs, vt interius fides roboraretur. Eccleſia igitur. Catholica nauis fidei doctrinæ Sacramentorum & virtutum eſt, vt ſecurè in ea nauigare poſſimus inter procellas mundi & ſcopulos hoſtium, atq; perueniamus ad portum ſalutis æternæ.

Miraculis nunc non eſt opus in Eccleſ. ſed operibus.

Pro 4. Nauicula nempè Anima. Nota. Iſa: 26. *Anima mea deſiderauit te in nocte, ſed & ſpiritu meo in præcordijs meis de mane vigilabo ad te.* Maximum deſiderium animæ deuotæ erga Deum & ſponſum, illa enim nedum ſe pro delicijs ſponſi in nauim conuertit, ſed in omne quod Sponſus voluerit. At quia, quædam ſunt deliciæ tempore noctis, quietem in lectulo, tempore verò diei, quietem in naui ſuper mare tenere, deuota & pia anima & aptat cor ſuum in lectulum ſponſo, & animam in nauim, vt perfruatur delicijs cum Sponſa ſua omni modo & tempore. Vndè B: Agnes Virgo & Mart: dicebat. Amo Chriſtum, in cujus thalamum introibo, cujus mater virgo eſt, cujus pater fœminam neſcit. Quem cum amauero caſta ſum, cùm tetigero munda ſum, cum

accepero virgo ſum. Qualem poſſumus imaginare affectum, inter talem Sponſum & talem Sponſam, niſi virgineum, Angelicum & cœleſtem? Illas igitur delicias Iesvs animæ Sponſus habet cum anima Sponſa, quas habet cum Angelis in cœlis, & anima his delicijs fruitur, quæ ſunt quædam principia & notæ primæ deliciarum Angelorum in cœlis. Dicit Apuleius de Deo Socratis. Nihil eſt generoſius & ſimilius Deo, quàm vir perfectè bonus, qui intantum homines cæteros excellit, quantum a Dijs immortalibus excellitur. Non poſſum ſatis coniecturari quomodo hic Philoſophus ingenio naturali attigit talem ſimilitudinem. Excedentia enim hæc perfectorum eſt, nec fieri poteſt, niſi in humili & inſtinctui diuino ſummè obedienti. Qui nec in terris jam viuit, ſed conuerſatur cum Deo in cœlis, imò Deus in eo permanet & ille in Deo. Dicit talis. Tu Deus meus ego tuus ſeruus. Ego tibi ſeruiam, tu mihi ſis Deus & Dominus. Ariſtot: de Morte. Delectationes animæ ſunt, cognoſcere creatorem, conſiderare opera cœlorum, & ſapientiam. Magnæ hæ delectationes, ſed excellentiores habet, cùm ſit Chriſti ſanguine redempta, jam enim illam pretioſis monilibus ornabit, ingenti deliciarum affluentia replebit, hoſpitium, ſedem, quietem tabernaculum Trinitatis conſtituet. Vnde D: Aug: Anima poſt Deum, nihil melius. Dicit Euangeliū quod aſcenſa naui Chriſtus rogabat Petrum vt reduceret puſillum à terra. Quid eſt quod rogauerit Dominus Petrum? potuit imperare. Notarunt SS. Doctores hîc manſuetudinem Chriſti. At ſi deuotas animas in quibus reſidet Deus intuerimus, hunc illis reddit Deus honorem, vt delectando cum illis, rogitet eas, dicens. *Præbe mihi cor tuum.* Poſſidendo cor, expoſtulare cor, quid aliud eſt, niſi ſummè delectari in corde & honorare animam ſuam Sponſam & amicam Angelorum. Vnicum ex delicijs animarum deuotarum adfero. Refert Diagus. B: Petrus Caralt Dominicanus poſt multas cum dæmone pugnas, hanc quoq; habuit. Infirmo in habitu Doctoris Theologi dæmon apparuit, & propoſita de S. Trinitate quæſtione, ſubtiliſſimis argumentis propè hominem ad infidelitatem deduxit, cumque quod reſponderet non haberet, ingemuit ad Chriſtum, & conuerſus ad imaginem B. V. M. auxilium implorauit. Imago vultu ad eum verſo, mentem cœlitus illuſtrauit, tenebras excuſſit, & reſponſionem ſuggeſſit. Quàm cum Satan ferre non potuit, diſparuit. Dicite velim, quàm hic delectationem in corde, quod jubilum in anima habuit, dum hoſtem proſtrauit? Sanctiſſimam Trinitatem de corde ipſi⁹ moliebatur recedere, at illa ſuum defenſorem ad cæleſtia tranſtulit, diabolum verò perpetuis ignibus addixit.

Deliciæ Chriſti cum anima caſta.

Petrus Caralt dæmonum ſuperauit diſputādo de Trinit.

Quæ

Quæ ſit doctrina quàm docuit.

SEdens in hac quadruplici naui, docuit tria. Bonitatem, diſciplinam & ſcientiam. Bonitas pertinet ad proximum, diſciplina ad ſemetipſum, ſcientia ad Deum trinum & vnum. Bonitas in hoc conſiſtit vt nemo proximum ſuum corde, ore, opere, lædat aut offendat. Matth: 12. *Bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bonum.* Diſciplina in hoc conſiſtit, ne libidini carnis conſentiatur, ne caro laſciuiat vt cùm diſcreto moderamine corripiatur. Pſal: 2. *Apprehendite diſciplinam ne quando iraſcatur Dominus & pereatis de via juſta.* Scientia in hoc conſiſtit vt Deum trinum & vnum ex toto corde diligamus & tota mente colamus, & tota virtute ei ſeruiamus.

ANNOTATIONES.

SErmonem amænum Sapiens plurimis extulit encomijs. Pro: 16. Ait enim. *Fauus mellis, eſt amænus ſermo, dulcedo animæ, & oſſium medela.* Non locutum hîc fuiſſe ſapientem Salomonem de Oratoria communi aut eloquentia mundi, hæc enim nec oſſa nec animam juuat, ſed auram aures, & mundum implet; at loquebatur de quodam ſermone ſingulari & ſimplici, qui tamen in effectu ſuo, omnem facundiam mundi & faces aëre repletas multò ſuperat. Eſt enim fauus, dulcedo, medela animæ & oſſium. Sed quis poteſt fieri tanti ſermonis orator, qui dicendo excitet oſſa, impinguet animam, ſuperet intellectum hominis, & amænitate ſua hæc omnia exhilarata, læta & jucunda relinquat. Nullus alius, niſi IESVS CHRISTVS, Magiſter & Dominus, qui Eccleſiam docet, & Dominatum in terra & in cœlis exercet. *Chriſtus docet Eccleſiam.* Inquit B: Alb; Mag: Docuit in naui hæc tria, quæ docere Pſalmiſtam ſuum mandauerat. Bonitatē, diſciplinam virtutum, & ſcientiam Dei. Bonitatem quod docuerit Chriſtus, innuit Beda; Non omne tempus (inquit) eſt habile doctrinæ, ſed nunc exercenda eſt lingua doctoris, & nunc ſuimet cura gerenda. Quaſi diceret, cùm reficis retia curam tui geris, ſed quia te reficientem retia; jubet Chriſtus reducere à terra nauim, age ergo, quia cura animæ tuæ nunc habetur, & mox videbis, quid accidet tibi & animæ cum ſermonē compleuerit, dices enim Petre captura piſcium compertus. Exi à me Domine, quia ego peccator ſum. Docuit igitur bonitatem Chriſtus in hac nauicula, vt eam Petrus apprehendat, cognoſcat, teneat. Diſciplinam quod docuerit, declarat Chryſoſt: dicens. Exiſtens in mari, piſcatur exiſtentes in terra. *Piſcatur ſermone ex naui Petri.* Qui audiuit, quod ſermone quis piſcaretur? quis vidit, quod in mari exiſtens & à littore diuulſus, piſcaretur in terra? Incantationis hoc opus eſſet. At ſine incantatione Chriſtus Dominus fecit, cùm docendo ex naui hamum in ſermonis virtute inſtructum, ad cor audientium immi-

ſit. Virtutes ille inſtruendo, fecit auditores virtuoſos. Neminem (inquit) Chryſoſt: voluit remanere poſt tergum ſuum, at omnes voluit eſſe ante faciem ſuam, vt cernentes bona opera ipſius, operibus bonis cum auditu, manus, pedes & cor deſtinarent. Scientiam Dei quod docuerit, Aug: de Con: Euang: lib: 2. cap: 1. dicit. Docebat turbas de authoritate Eccleſiæ. Et firmum habeo dicti fundamentum, quia non in aliam conſcendit nauim, ſed Petri, quem Eccleſiæ Paſtorem & vicarium ſuum mox conſtituebat. Docendo verò authoritatem Eccleſiæ, non aliud docuit niſi ſcientiam Dei. Chryſoſt: explicando doctrinam hanc dicit. Cunctis condeſcendens, vt à profundis extrahat piſcem hominem natantem in nobilibus & amaris hujus ſæculi, puta, docuit. Quid eſt extrahere ex ſæculi hujus nobilibus & amaris? Eſt dare notitiam nobiliorum in cœlis & dulcium in æternitate, noticiam ſcilicet Dei, & ſcientiã ſuper excedentium ſæculorum. Hæc igitur tria cum docuit Chriſtus ex naui, vt proficere poſſis in Chriſti doctrina audi. Eccl: 5. *Eſto manſuetus ad audiendum verbum Dei vt intelligas, & cum ſapientia proferes reſponſum.*

Chriſt9 ex nauicula Petri q̄d doceat Religioſos.

Quod attinet verba Pſal: 118. Bonitatem & diſciplinam & ſcientiam doce me. Quametſi hoc quemlibet Chriſtianum ſpectat, attamen ſpecialiter religioſos, qui & à ſæculi vanitate auulſi, & ad brauium electionis vocati ſunt. Illis ceu priuilegium quoddam, Bonitas diſciplina & ſcientia, de profeſſione conuenit. Vnde fuerat cordi plurimorum religioſorum, vt Zelum animarum prædicatione, exemplo & doctrina promouerent, ex quibus non poſtremus fuerat S. Dominic9 qui hæc tria fratribus ſuis commendabat, nec aliud omnes boni Filij eius attentant. Quocirca cùm viſitationẽ ſuam adinpleret Florentiæ Reuerendiſſimus Magiſter Ordinis Seraphinus Siccus Papienſis Ordinis noſtri, quæſiuit quoq; ab ipſo Sereniſſ: Duce Etruriæ de conuerſatione ſuorum fratrum. (Longas enim habent aures Principes & oculos linceos) reſpondit. Fratres tui quomodo conuerſantur ignoro, at de illis hoc ſcio, quia bonitatem diſciplinam & ſcientiam tenent & docent. Inſerenda pectoribus commendatio, & condigna, vt correſpondere illi vbiq; deſideremus.

DOMI-

DOMINICA III. POST TRINITATIS ET IV. POST PENTEC:

Aduerte quod ſuper hæc verba habeat ſermonem B: Alb: Mag: in Dominica 6. poſt Trinitatis.

Si offers munus tuum ad altare, *Matth: 5.*

QVID PER ALTARE SVPER QVOD MVNVS OFFERRI DEBET EXPRIMITVR.

RESp. Filius Dei. Apoc. 6. Vidit animas ſub altari. Gloſſ: Chriſtus eſt altare, quem ſcilicet Chriſtum fideles offerunt, & ſuper quem offerunt, & quem habent ſuæ protectionis munimentum. Animæ igitur electorũ ſtola claritatis æternæ veſtitæ ſub hoc altari dulciter requieſcunt Itẽ de hoc altari Apoc. 8. Venit Angelus & ſtetit ante altare habens thuribulum, data ſunt incenſa, vt daret de orationibus Sãctorum Gloſſ: Chriſtus eſt altare qui ſe obtulit, & ſuper quem Eccleſia offert præces Deo. Angelus iſte, & gratia Dei, quæ charitatem habet in manu, & omnia aromata orationum ac bonorum operum, quæ fideles impoſuerunt charitatis thuribulo, offert ea gratia Dei ſuper altare, aureum, id eſt, Chriſtum, vt per hoc eorum peccatis propitietur.

Altare Christi.

ANNOTATIONES.

VNiuerſa altaria, vel erant figuræ altaris qui eſt Chriſtus, vel ab ipſo ſunt conſecrata in altaria. Vnde Principaliſſimum altare & verum eſt Chriſtus ad quod cætera reducuntur. Greg: lib. 1. Reg: Altare Domini eſt cor iuſti. Quo modo! per conſecrationem eius. Aug: lib. 2. Queſt. ſuper Exod. Altare Dei eſt ipſe populus. Quomodo? electione & ſanctificatione. At qui verum legittimum & principale quæremus altare dicet D. Aug: contra Fauſt. Manich. Altare verum eſt Chriſtus. Ædificauit Noë Altare Domino & obtulit holocauſta, & odoratus eſt Dominus odorem ſuauitatis. Primum hoc Altare ædificatum fuit, cum nulla facta altaria alias legamus: factum fuit de terra. Rupertus: Hoc vt faceret Noë dignum & iuſtum erat, qui enim arcam facere iuſſerat homini in qua ſaluaretur homo, dignum erat, vt illi altare faceret homo, in quo Saluator hominis adoraretur ab homine. Et quia vniuerſalis & vltimus Saluator hominis eſt Chriſtus, i-

Altare Domini eſt cor iuſti.

Altare verum Chriſtus.

ſtud altare Noë erat figura Saluatoris Chriſti qui & altare & holocauſtum factus eſt pro nobis in odorem ſuauitatis Deo Patri; nam licet de mundis animalibus obtulit holocauſta Deo Noë, & odoratus eſt Dominus odorem ſuauitatis, ille tamē odor non erat gratus Deo ex holocauſto at ex animo offerentis, at holocauſtū hoc Chriſtus, in altari Chriſto oblatum ex vtroq; ſuauitatem refudit. Perpulchre de hoc Tertul. lib. 1. aduer. Marcionem. Legimus Deum ad oblationem Abel aduertiſſe, & holocauſta Noë odoratum eſſe libenter, verum quæ iucunditas, ſiue viſcerum veruecinorum, ſiue nidoris ardentium victimarum eſſe poteſt! Animus igitur ſimplex & Deum metuens offerentium ea quæ à Deo habebant & pabuli & ſuauis olentiæ gratia apud Deum deputabatur. At cum ſeipſum in holocauſtum obtulit Deo Patri Chriſtus, & ipſum holocauſtum acceptiſſimum erat, qui filius eius fuit, & intentio ratificata qui pro nobis miſſus, pro nobis feruido amore obtulit. Innuebat Pſal. 115. tale holocauſtum dicens. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi Calicem ſalutaris accipiam & nomen Domini inuocabo.* Inferebat nouum ſacerdotem & nouum ſacrificium ſub ſpeciebus panis & vini iuxta ordinem Melchiſedech, quod ſuperaret omnia holocauſta, ſacrificia & victimas, imò quod omnibus delectis ſacrificijs quæ amaritudinem & eiulatum ſibi iugulo continebant, permaneret ipſum mundum, incruentum, Sanctum & ſpirituale, omnem dulcedinem præbens & afferens in æternum. Quale quidem eſt Chriſtus agnus immaculatus quem S. Andreas quotidie offerebat vt dicit Hiſtoria. Diuus Auguſt. in Soliloquijs de hac dulcedine Chriſti & ſacrificij dicit. Omnia mihi peto vt amareſcant & tu ſolus dulcis appareas animæ meæ, quia es dulcedo inæſtimabilis per quem omnia amara dulcorantur. Tua enim dulcedo craticulam Laurentio dulcem fecit, Tua dulcedo Stephano lapides torrentis dulcorauit. Tua dulcedine ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij quia digni habiti ſunt pro nomine IESV contumeliam pati. Ibat Andreas ſecurus & gaudēs quoniam ad tuam dulcedinem properabat, hæc vtiq; dulcedo ipſos Apoſtolorum Principes ſic repleuit, vt pro ipſa crucis patibulum vnus eligere, alter verò caput ferientis ferro ſupponere non timeret, &c. Quanta igitur erit dulcedo illa quā abſcondit Deus timentibus ſe & ſeruauit, ſi vnica deguſtata dulcedinis gutta in ſacrificio tanta operabatur in Sanctis mirabilia? S. Ioannes digitto demonſtrando tunc ſacerdotem eſſe & ſacrificium atque altare dixit. *Ecce agnus Dei.* Per, Ecce, altare demonſtratum, per agnum, ſacrificium; per *qui tollit peccata.* Sacerdos ſummus. Vnde Aug. lib. 3. cap. 4. Cōtra 2 Epiſt. Pelag. *Ecce agnus Dei.* Tanquam diceret: Quem multi iuſti videre cupierunt,

Chriſtꝰ eſt ſacrificium in altare crucis.

in quem

in quem venturum ab ipſius generis humani initio crediderunt, de quo Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, de quo ſcripſit Moyſes, de quo lex & prophetæ ſunt teſtes. Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi.

Quale munus offerre quilibet moneatur?

Debemus offerre Domino munus à corde, ab ore, & opere. Cor enim, os, & manus, ſunt tres cameræ theſaurorum. Perſuadet autem nobis Spiritus S. vt munera offeramus, ita dicens Pronerb. 21. Munus abſconditum extinguit iras, & donum in ſinu ſcilicet Chriſti indignationem maximam. Item Prouerb. 22. Victoriam & honorē acquiret, qui dat munera.

Et Nota, quod qui offert munera ſua in ſinum Chriſti, tria propter hoc conſequitur; videlicet diuinā propitiationem, dæmonum ſubiugationem, & cæleſtem exaltationē, ſicut per prædictas authoritates probari poteſt.

Debemus igitur à corde triplex munus offerre: videl. bonæ voluntatis intentionem: Sanctæ meditationis deuotionem: & piæ compaſſionis affectionem. 1. Bonæ voluntatis intentio commendata fuit in Chriſti natiuitate, quando cecinerunt Angeli: *Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus, &c.* De bona etiam voluntate ſic ait Gregor. Ante Dei oculos nunquam vacua eſt manus à munere, ſi arca cordis repleta fuerit bonâ voluntate. Nihil quippè offertur Deo ditius bona voluntate. 2. De deuotione meditationis dicitur in Pſal. 18. *Meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper Domine adiutor meus & redemptor meus.* Debemur itaq; Fratres chariſſimi ſemper faciem meditationum noſtrarum verſus illam regionem conuertere, vndè nobis Dei beneficia prouenerunt, & hoc faciendum eſt die ac nocte, vnde dicitur Pſal. 62. *Memor fui tui ſuper ſtratum meum, in matutinis meditabor in te, &c.* Et certè in huiuſcemodi meditatione mirabiliter exardeſcet ignis charitatis. 3. De compaſſionis affectione dicitur in Iob. 30. *Flebam quondam ſuper eo, qui afflictus fuit, compatiebatur anima mea pauperi.* Item 1. ad Corinth. 12. *Pro ſe inuicem ſolicita ſunt membra, ſi quid patitur vnum membrum compatiuntur omnia membra.* Sed heu quidam ſunt ita belluini & lupini, quod non compatiuntur ſuper miſerijs pauperum pupillorum ac viduarum.

II. Debemus etiam ab ore triplex munus Domino offerre. Primū eſt ſinceritas orationis, dicitur in Pſal. 16. *Auribus percipe Domine orationem meam non in labijs doloſis.* Nota quod hæc oratio præcipitur à Domino, quæ profertur labijs nō doloſis, quæ verò profertur labijs doloſis minime auditur. Labia verò doloſa ſunt, quæ ſibi petunt bonum, & proximo optant malum. Item in Pſal. 87. *Intret in conſpenctu tuo oratio mea.*

mea: Sed qui vult, vt oratio ſua intret in conſpectu Dei, oportet vt de corde ſuo eijciat ſordes ſuperbiæ, inuidiæ, auaritiæ, atq; luxuriæ. Vnde dicitur in Pſal. 66. *Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Secundum Aſſiduitas gratiarum actionis: De aſſiduitate gratiarum actionis. Eccles. 51. *Laudabo nomen tuum aſſidue, & collaudabo illud in confeſſione*: Aſſidue accipimus beneficia Christi, vnde & dignum eſt, vt aſſidue gratias agamus. Hinc eſt quod quotidie præsbyter, dicit in Miſſa: *Gratias agamus Domino Deo noſtro.* Tertiū Dulcedinem conſolationis Prouerb. 31. *Date ſiceram mærentibus, & vinum his, qui amaro animo ſunt.* Vel Apoſtolus 1. ad Theſſal. 5. *Conſolamini puſillanimes.*

III. Debemus etiam à manu ſiue opere triplex munus offerre. Primum eſt corporis maceratio. Secundum decimarum oblatio. Tertium eleemoſynarum erogatio. 1. De maceratione carnis dicitur in Apocal. 14. quod agnus ſuper montem ſyon, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, quorum vox erat ſicut cytharædorum cytharizantium in cytharis ſuis. Per cytharædos iſtos intellungutur boni Chriſtiani, qui carnem ſuam per ieiunia & alios Sanctos labores attenuant, quorum vox in conſpectu agni dulciter reſonabit. 2. De oblatione decimarum Malach. 3. *Inferte omnem decimam in horreum meum, vt ſit cibus in domo mea, & probate me ſuper hoc, dicit Dominus exercituum, ſi non aperuero vobis cataractas cæli, & effudero vobis benedictionem vſq; ad abundantiam, etiam increpabo pro vobis deuorantem, & non corrumpet fructum terræ veſtræ, nec erit ſterilis vinea, & beatos vos dicent omnes gentes.* Ex præmiſſis verbis colligitur, quod Dominus eis, qui decimas ſuas fideliter dederint, tria promittit. Primum eſt, quod dabit frugum & vini abundantiam. Secundum eſt, quod remouebit ab eis peſtilētiam. Tertium eſt, quod dabit eis in futuro cæleſtis beatitudinis ſubſtantiā. 3. De erogatione eleemoſynarum dicit Raphael Tob. 12. *Eleemoſyna à morte liberat, & ipſa eſt, quæ purgat peccata, & facit inuenire vitam æternam.* Quę tria bona quæ proueniunt ex eleemoſyna, videlicet, quod per eam mors æterna effugitur, omne peccatum diluitur, & vita æterna inuenitur.

ANNOTATIONES.

PRo munere quod extinguat iras, pulchra aſſimilatio adnotanda. Eſt enim ſenſus huius Prouerbiorū loci. Quemadmodum reus munere clam oblato, iudicis ſeueritatem flectit, ita etiam Deus eleemoſynā in paupere accipiens, indignationem ac furorem aduerſus grauiſſima ſcelera ſuſceptum omnino exuit ac miſericordiam ac lenitatem induit. Ea de cauſa Lucæ 11. dixit. *Venite benedicti patris mei Eſuriui enim &c.* Et ex iſto loco largitionem occultam & publicam menſurare. Publica veluti lucerna ventis expoſita *Fructus eleemoſynæ.*

inanis

inanis ſuperbiæ aura reſtringere ſolet ne luceat coram Deo; oculta verò ipſamet diuinæ iræ per acrem flammam opprimit atq; extinguit. Auguſt: viduæ Sareptanæ exemplum inducit. Cur clauſo oſtio illa oleum in vaſis infudit? Significauit vt vnusquiſq; clauſo oſtio eleemoſynam faciat, id eſt pro ſolo Dei amore, id eſt non vt laudetur ab hominibus, ſed vt apud Deum inuenire gratiam mereatur, qui enim pro laude hominum facit eleemoſynam aperto oſtio facit.

Eſt quoq; differentia inter munus & donum hîc poſita à ſapiente. Hebræi munus vocant Matham, donum Sochad, Matham eſt exiguum & ignobile donum, Sochad magnã largitionem ſignificat. Vnde Salomon addidit, donum in ſinu. Munus ergo quantumlibet exiguum pauperi clam oblatum iram Dei temperat quàm ob leuiores culpas concepit, at magna & nobilis largitio maximam Dei indignationem ob grauiſſima ſcelera conceptam lenit ac placat. *Aug:* Conſiderate fratres, defecit oleum, & viduæ debitũ creuit; creuit oleũ, & perijt debitum. Per oleũ miſericordiam & eleemoſynam intellige, quæ dum creſcit ingentia debita & peccata delet. Sed quid tale munus & donum non obtinebit ſi in ſinum Chriſti ponetur? Magi tres qui ad Chriſti cunabula accelerarunt id donis ſuis docuerunt, quod per munera Deo data, maxima conſequitur bona. *Victoriam & honorem acquiret qui dat munera*, Prou: 22. D. Maximus hom: 3. de Epiphan: Offerri Chriſto tam ſacrata donaria non Magorum arbitrium ſed inſpiratio omnipotentis erat. Quantum enim ad gloriam pertinet Chriſti, munera hæc inſpecta carnaliter majeſtati ejus omnimode videntur indigna. Nam quo Domino immortali Aurũ, quod vtiq; ſolis eſt mortalibus vſui & amori? Quò omnipotenti Deo thus, cujus nidore etiam ſimulachra à gentibus honorantur? Aut quò ei Myrrha fœtidorum corporum condimentum, cujus carni nulla mortis erat dominatura corruptio? Omnia dilectiſſimi apud Dei Flium videbuntur ſuperflua & vacua niſi adumbrata in illis vitæ noſtræ Sacramenta credantur. Quàpropter offeramus & nos actuum noſtrorum deuotionisq; munuſcula, quæ jam nôn in terris & in cunis jacens ſuſcipiat Chriſtus, ſed quæ ſedens ad dexteram patris amplectatur in cœlo.

Pro muneribus à corde. Nota. Bona voluntate obtulit Abraham Filium Deo, bona voluntate Abel obtulit ſacrificium. Hilarius conſiderando quod poſito munere ad altare reconciliari jubetur proximus, dicit voluntatem bonam requirere ante munus vel cum munere. Reconciliata humana pace reuerti in diuina jubet, in Dei charitatem de charitate hominum tranſituros. Requiritur igitur in munere cordis bona intentio & recta voluntas quæ ſit ſecundum Deum & puritatem mentis. Inquo verò ſit & conſiſtat bona volun- *Bona voluntas.*

voluntas tam grata Deo & diues in munere apud Deum, docuit Pſ. 53. dicens. *Voluntarie ſacrificabo tibi & confitebor nomini tuo Domine*. In ſacrificio & confeſſione ſtabiliuit voluntatem. Cùm enim in Deo ſolo & ipſo fundatur voluntas hominis & non in deſiderio terrenorum, jam ex corde ille ſacrificium referet Deo, & confitebitur coram omnibus nomen ejus. Ita D: Paulus Rom: 8. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? an anguſtia an gladius an fames. Nihil horum.* Stabunt immobiles in via Dei proficientes ad terminum propoſitum per fidem & charitatem. Deum vnum & trinum, quia voluntatem timentium ſe faciet & deprecationem eorum exaudiet. Iſidorus lib: 3: c: 63. de ſummo bono dicit. His qui in voluntate deſideriorum ſæcularium perſiſtunt, benè per teſtimonium Prophetæ dicitur. Oſeæ 7. *Factus eſt Ephraim panis ſubcinericius qui non reuerſatur*: Id eſt, ita obruuntur cæcitate ſæcularis amoris, vt nunquam reſipiſcant ad Deum amorem retorquere mentis. Quaſi innueret, qui oculum habent ad Deum, voluntatem & intentionem rectam habent, & ſunt ſicut panis candidus ad menſam Principis, quèm & jucunde aſpicit & dulciter ſumit. Vndè ſuperat in bonis voluntas & deſiderium cæleſtium. Bern: in Epiſt: voluntatem ſummè liberam dicit. Voluntati (inquit) nec leges imperant, nec Principes dominantur, libera eſt, & maximè, ſi ſpiritu ducitur, quia vbi ſpiritus, ibi libertas. Quocirca tam liberam voluntatem ſi homo ad Deum ipſum firmiter conuerterit, maximè retributionis ſpem habebit, ita quod in bonis Dei abundabit & abundando diteſcet. Paucis explicauit Greg: Nazian: velle, fabricatio eſt Dei. Quaſi diceret, ſit tantum directum velle ad Deum hominis, & Deus fabricabit ingentia & grandia ædificia voluit ſequi Iſraël Dominum dirigente Moyſe, & ille dedit illis columnam in nubibus protegentem ab æſtu & lucentem de noctè, nec ſufficiebat, diuiſit mare rubrum vt ſicco veſtigio tranſirent. Aug: lib: 1. de libero arbitrio. Bonæ voluntati virtutes adhærent, ergo & merita & præmia ſuccreſcent. Voluntatis humanæ Symbolum eſt maſſa figuli. Cùm ſubſcribendum. *VAS HONORIS.* Licet enim voluntas hominis ſit infecta & mala per peccatum primorũ parentum vndè ſatius demeretur, ſed per donum Dei cum benè volumus, ex maſſa hâc, fit vas honoris nam quia cogi non poteſt, mereri poteſt. S: Leo Papa ſerm: 3. de quadr: Nunquam merito caret, etiam in tenui facultate bonæ voluntatis opulentia. Majora quidem ſunt impendia diuitum & minora mediocrium, ſed non diſcrepat fructus operum, vbi idem eſt affectus operantium. Artoxarxes offerrenti ſibi pro munere caua manu vtraq; aquã, juſſit illi auream, phialam & mille daticos dare.

Pro altero munere cordis, nempè meditatione. Nota. Meditatio diui-

Meditationis vis & efficacia.

diuinorum, ignem facit magnis ignire & exardeſcere. Abſtrahit enim meditatio hominem à ſenſibus, ita quod in meditatione graue do corporis tranſibit in plumorum naturã. Eleuantur enim in meditatione à terra. Vt de S. Dominico legitur qui tribus cubitus à terra viſus fuit eleuatus in oratione. In Apoc: Ioannes vidit præcinctũ ad mammillas Zona aurea. Quem enim non delectantur Angeli habere in ſuo conſortio, quorũ eſt meditari interrupte & contẽplari cum dulcedine Deũ ſuum? quẽcunq; vident contemplantem diuina humili ſubmiſſione & alta charitate, illi ad mammillas Zonam apponunt auream, deſiderantes ad conſortium ſuum ejusmodi ſegregatum à terra eleuare. Vnde Petrus ad Clementem in itinerario, inquit B: Alb: Mag: ſuper 12. Lucæ. Inceſſanter debet quiſq; cogitare & loqui quæ Dei ſunt, quia ſi in his bonis mens occupata fuerit, diabolus non inuenit locum ad mentem. Sed quid ſequetur? Angeli cuſtodientis promouebunt, attrahent ejuſmodi hominem ad conſortium cæleſtium & æternorũ. Fertur de Cyri Fratre Artoxerxe, quòd dirupto ſuo commeatu dum in fuga eſſet, ibiq; aridis, ſiccis, & parco pane hordeaceo veſceretur, dixiſſet. Dij boni, cujuſmodi voluptatis hactenus in expertus fui? Equidem meditatio diuinorum nemini dulcedinem affert, niſi qui voluptatibus ſæculi renunciauerit, niſi qui macerato corpore & affectib⁹, in ipſis fœlicitatis æternæ atrijs, pauper, tremens, eſuriens, ſitiens permanſerit. In expertus horum, non ſentiet dulcedinem cœli, non adſpirabit ad dignitatem Angelorũ, non contemplabitur gloriam Sanctorum, non ad ſtare cogitabit vbertati diuinorum. Deuotum Granatenſem in libello de deuotione parte 6. cap: 14. incitantem ad meditandum lege. Dicit ille optimè facturus eſt homo, ſi quotidie cubitum ierit cum ſancta cogitatione, quemadmodũ is, qui veſperi carbones cineribus tegit, vt tantò facilius queat manè cùm ſurgit, focum ſtruere, & rogum accendere. Ad meliùs autem conſeruandum ignem hunc, vtile eſt, vt quotieſcunq; noctu expergiſceris, confeſtim cor ad Deum eleues dicendo: Gloria Patri &c aut alium verſiculum ſimilem juuabit enim hoc plurimum, non tantùm ad hoc quod dicimus, ſed etiam ad fuganda phantaſmata & impudicas cogitationes, quæ à Diabolo immittuntur: ſolet enim is hominem hoc tempore magis, quam aliàs infeſtare. Quare & B: Hieronym: dicit, in Sanctum Dauidis lectulum, quem lachrymis per ſingulas noctes rigare ſolet. Diabolum cum omni voluptatum ſuarum pompa acceſſum habuiſſe. Manè autem cùm expergiſcimur, vix oculos aperiamus, quin cor in memoria Dei effundatur, priuſquam alia externa cogitatio illud præoccupet: anima enim illo tempore tam tenera eſt, & tam benè diſpo-

Examina conſcientiã de veſpere.

diſpoſita, vt primam quæ ſeſe offert cogitationem arripiat: adeoq; firmiter eam apprehendit, vt vix inde queat dimoueri, aut alia admitti. Satius igitur eſt mox recurrere ad ſemen bonum, ne terram cordis noſtri occupet malum. Tanti momenti eſt conſilium hoc, vt totius diei iſtiꝰ adminiſtratio, ab hoc momento dependeat. Etenim eo hoc modo excepto, omnis oratio matutina erit feruentior, & deuotior: nec dubium qualis eſt oratio matutina talem fore totius diei ſeriem: juxta id quod ſcriptum eſt, in lib: Iob: 8. *Si diluculo conſurrexeris ad Deum, & omnipotentem fueris deprecatus: ſi mundus & rectus inceſſeris, ſtatim euigilabit ad te, & pacatum reddet habitaculum juſtitiæ tuæ.*

Compaſſionis retributio.

Pro compaſſione, Nota. Iſa: 58. Retributio compaſſionis deſcribitur. *Cùm effuderis eſurienti animam tuam & animam afflictam repleueris, orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt ſicut meridies, & requiem dabit tibi Dominus Deus tuus ſemper, & ſplendoribus implebit animam tuam, & oſſa tua liberabit, & eris quaſi hortus irriguus & ſicut fons aquarum cujus non deficient aquæ.* Quem tanta retributio non ſtimulabit ad compaſſionem, ille profectò merebitur ne illius compatiatur Deus in tremendo judicio. Plato. Nullus ſtultorum & inſanorum Deo amicus eſt. Epicteti inſtructio erat cap: 19. Ea quæ optima tibi videbuntur ſic teneto, quaſi à Deo ſis in ea ſtatione collocatus. Et Deus ipſe & ratio hominis aliter hominem eſſe nolunt, niſi vt

Optima Deus facit.

manus manum & pes pedẽ juuet, ita homo hominem, proximus proximum ſuum. Viſitabat aliquando afflictam vlceribus & vermibus fœminam S. Dominicus, quàm vbi patiẽtiſſimam vidit & pijſſimam rogauit vt ſibi donaret vnum ex vermibus, voluit enim vir ſanctus tantæ patiẽtiæ munimentum reſeruare, ſed vbi ægre ab illa obtinuit, & in manu vt videret detinuit, vermis conuerſus in gemmam prætioſam. Quid hoc effecit? manus vel oratio, ego quidem compaſſionem exiſtimo, nam Eccl: 29. dicitur de illa. *Super ſcutum potentis & ſuper lanceam aduerſus inimicum tuum pugnabit.* Igitur à Domino æqua lancea tantam retributionem compaſſio recipit, quantam confuſionem hoſtis animæ per compaſſionem exhibitam proximo cognoſcit & experitur. D: Leo Papa ſerm: 3. de Collectis. Iuſtus eſt judex & verax, qui neminem fraudat mercede meritorum. Et ideo nos curam pauperum vult habere, vt in futuræ retributionis examine, miſericordibus, quàm promiſit, miſericordiam largiatur. Sciunt Principes mundi ex recta juſtitia exterminare ſcelera. Aliquando enim vt quis proderet ſceleratotem tam ſunt largi & benigni, vt in præmium mille aureos annumerent, & ſi ille qui proderit anteſignanum ſceleris fuerit complex vel obnoxius pœnæ, ei generalem omnium amniſtiam & condonationẽ criminum promittunt. Quod ſi pro vitio puniendo, tanto munere. Zelũ ſuum

Ex vermi gemma.

V. ſtatio infirmi.

Lancea æqua.

Miſericordia pro miſericordia.

Dona principum ad euacuanda ſcelera.

ſuum declarant, quantam Deus juſtus gratiam & miſericordiam non offerret pro virtute pietatis & compaſſionis? Tob: 4. *Noli auertere faciem tuam ab vllo paupere ita enim fiat vt non auertatur à te facies Domini.*

Ratio ſinceritatis. Pro dono primò ab ore, nempè, ſinceritate orationis. Nota. Daniël orabat ſinceriter his verbis vt cap. 9. legimus. *Propter teneti pſum inclina Deus meus aurem tuam & audi, neq; enim in juſtificationibus noſtris proſternimus preces antè faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis.* *Sinceritas orationis duplex:* Verius & ſincerius orare homo non poteſt ad Dominum, at nedum requiritur ſinceritas ex parte proximi & noſtri. Idcirco B. Alb: Mag: ſinceritatem ex parte noſtri duplicem tetigit. 1. Non ſit labijs doloſis, vt tibi optes bonum & proximo malum. Inuertunt enim hi præceptum Dei dicentis. *Dilige proximum ſicut te.* Qui igitur orat pro ſe & contra proximum, ille labijs doloſis orat. Retorquet ſenſum Domini in orando, idcirco retorquetur etiam ipſius oratio vt non exaudiatur pro ſe, ſed pro proximo, amouet enim Deus à proximo malum. Hinc Lucæ 21. *Vigilate omni tempore orantes, vt digni habeamini ſtare ante filium hominis.* Sicut enim hîc orantes ſtamus ante eum, ita ſtabimus ibi ante iudicem ipſum. *Stare ante Filium Dei orando.* Stamus hîc ante filium Dei orantes pro inimicis & proximis, ſtabimus ibi vt mercedem ſuper abundantem ab illo recipiamus. Siſtamus hîc vindictam & malum imprecando proximo, pro non dilectione, non dilectionem recipiemus. *Labia doloſ: Symb:* Labia doloſa quæ proximo malum optant, habent pro ſymbolo, ſerpentem cum facie hominis, qualē Oleaſter ponit apparuiſſe Euæ in paradiſo ſuper lignum vetitū. Dicebat ille; Cur præcepit vobis Deus de ligno vitæ nō edere, quia eſſetis ſicut Dij. Et qui ſibi benè & proximo cupit malè, deſiderat fieri in terra ſicut Deus, & nil pati vult neq; in ſe cupit plantare meritum virtutum, idcircò non patientem ſe erga proximum oſtendit & cupit illi mala & ſibi bona, vt ſit ceu Deus quem mala non tangunt. *Tyrannus in rep:* Plato de Repub. Dial. 1. dicit Eſt tyrranis qui ſimul omnia ſibi vſurpat & clam & vi, & ſacra & ſancta, & priuata & publica. Quomodo enim vnum ſubiectum hæc omnia ad miniſtrabit! Non Reſpublica illa eſſet quæ non habet diſtinctos Reip. moderatores, ſed annihilatio & ſubuerſio omnis Reip. Ita ſoli nos non debemus eſſe peregrinantes in terra ad poſſidendum cælum, ſed plurimi nobiſcum ſunt ordinati à Deo ad cælum, idcircò orandum eſt pro illis, *Cur pro inimico orandum.* vt promiſſionis atq; electionis diuinæ mereantur fieri participes. Neſcimus verò, an ille cui malum volumus, non ſit electus, & ita nos qui ſacra & ſancta clā & quadam vi habere voluimus, ea amittere debebimus. *S. Thomas ſæcularē honorat vt Martyrem.* Diuus Thomas quoties vidit quendam ſæcularem, nedum pro illo Deum orabat, ſed ad genua procumbebat, commotus ille aliquando de tali cæremonia ad

 iram,

iram, audiuit referentem, hoc facio quia ſcio te futurum Martyrem pro Chriſti nomine. Nullus igitur cũ neſciat an amore vel odio dign⁹ quis ſit apud Deum, proximo ſuo maledicat, & multo minus illi, orando ad Deum, mala præcetur. Sed nedum iſte doloſis labijs orat qui ſibi bonum & proximo ſuo malum præcatur, verum etiam ille, qui orando ad Deum, ſordes ſuperbiæ, inuidiæ, auaritiæ, luxuriæ, &c. retinet. Labijs falſis talis ſibi præcatur. *Intret in conſpectu tuo oratio mea.* Nam idem Pſalmiſta orans in Pſal. 87. dicit in Pſal. 66. *Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo non exaudiet Dominus.* Coti Principi, dum quidam dono miſerat Pardalim, ille viciſſim miſit illi dono Leonem. Beſtiam pro beſtia, ferocem pro feroci, quaſi innueret, Tu ſi mihi beſtiam tanquam beſtiæ mittis & feroci ferocem, ego tibi maiorem beſtiam & ferociorẽ mitto, collige igitur, Quis ex nobis ferocior & beſtialior fuerit? Ludebãt interſe, vel Principes, vel hoſtes, ſumo rem ad propoſitum noſtrum. Si nos nuntios miſerimus à nobis ad Deum, orationes ſcilicet ex corde ſordido, turpi, rapaci, ſanguinolento, beſtiali, profectò Deus quoquè nobis pro feroci & diſcolori Pardo, mittet leonem in iuſtitiam. Oportet oranti Deum eſſe non varium, ſed vniformem in oratione oris, vt quod eſt in ore, ſit in corde, & quam purum eſt in ore, tam purum ſit in corde. Greg: 46. ſuper Ezech: Quid prodeſt ſi homines laudant & conſciẽtia accuſat, aut quid poterit obeſſe, ſi homines de rogent & conſcientia ſola defendat. Qui humilitatis pallio velat orationem, & intus reſeruat ſerpentinam, ſimilis eſt Iudæ proditori, qui oſculabatur ore, & corde tunc prodebat monſtrabatq; hoſtibus Dominum Ieſum. Deridet ille, & crucifigere concupiſcit IESVM. Oratio igitur tua ſit ſincera, mundum cor conſtrue, mitte verba ori tuo ſimplicia, & illud Iſaiæ 65. in te perficietur. *Antequam clament ego exaudiam, adhuc illis loquentibus ego audiam.*

Sordes in oratione non ſint

Beſtia pro beſtia in donum.

Conſcientia non accuſet.

Iuda quaſi ſimilis in orando.

Pro dono Secundo ab ore, nempè, gratiarum actione Nota Aug: lib. Solil: cap. 18. Gratiarum actio beneficijs reſpondeat acceptis. Sed quomodo Deo poterit homo æquiualenter pro beneficijs reſpondere acceptis? Sicut benignus Pater cum filio delectando, ſi illi offert filius rem leuem, ille tamen pro magno munere ſuſcipit, & maiori fauore retribuit. Ita & Deus noſter miſericordiarum Pater licet non reſpondeamus pro beneficijs datis nobis, ille tamen delectatur, ſi grati referamus illi gratiarum actiones. Iſa. 61. *Gaudens gaudebo in Domino & exultabit anima mea in Deo meo. Qui induit me veſtimento ſalutis, & indumento iuſtitiæ circumdedit me, quaſi ſponſum decoratum corona & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis.* Perpende velim quid retribuerit Iſaias pro tantis beneficijs Domino? Non inuoluit ſe aliqua obligatione per-

Perpetua,non prorupit in ſatisfactiones retributorias,ſed gaudium fundatin Domino dicens. *Gaudens gaudebo in Domino.* Re ſatis parua in gratiarum actione contentatur Deus à nobis, ceu re magnifica. Bern: ſuper cant. ſer. 16. Gratiarum actio pudica ſit, & mera ſimplicitate procedat. Tali conditione Deo ſi reddiderimus gratias, grate à nobis ſuſcipiet. Plutarhus in Rom: Apoph: refert: Carthaginenſes vi adacti,legatos de fædere & pace ad Scipionem miſerunt, qui iuſſit eos protinus abire, tanquam non audituros eos priuſquam L. Terentium ad ſe perduxiſſent. Erat autem Terentius Romanus vir probus & humanus qui in bello captus à Pœnis detinebatur. Quem vt adduxerant, Scipio pro Tribunali ſedens hominem apud ſe collocauit, moxque auditis legatis, bellum diſſoluit. Porrò Terentius tanti beneficij memor, triumphantem Scipionem ſequebatur pileatus, velut illius libertus, quin Scipione mortuo ad exequias mulſum exhibuit, aliaque ad funeris celebritatem pertinentia ſtudioſe procurauit. Speciem memoris animi in Terentio. Vnde colligere licebit, quantum Deo debemus, ſi tantum actionis gratiarum pro terreno beneficio ſuis benefactoribus referrimus. Cic. Phil. 3. Cui gratia referri non poteſt quanta debetur, habenda tamen eſt, quantam maximam animi noſtri capere poſſunt. Hinc, admonebat beneficiorum acceptatores B. Iſidorus lib. 2. cap. 5. Multis Dei donis gaudemus quæ nos ab eo percepiſſe cognoſcimus, nam quod ſapientes ſumus, diuites, potentes, non alterius ſed potius diuino munere ſumus. Vtamur ergo optime diuinis beneficijs, quatenus & Deum non pæniteat dediſſe, & nobis accepiſſe ſit vtile. Vnde illius qui beneficium accipit ſit tale ſymbolum. A manu de nubibus recipit dona in manum ſed ſit onuſta in digittis roſario, diſciplina & ſacculo perforato, ſub quo pauperes colligant, id quod deciderit. Nam Deo ſimul referendæ ſunt grates in inſtāti, cum Dei timore ceu in loco pœnitentiæ his vtendum, & de datis dandum eſt indigentibus. Et pro lemmate ſubſcribe. MEMORIAM EMOR. Sic enim erit, vt ſi tu Dei beneficiorum non obliuiſceris, nec Deus tui obliuiſcetur. Plin. Iunior lib. 8. Tanto turpius gratiam non referri, quanto honeſtior cauſa referendæ. B. Fælix in ordine Capucinorum conuerſus, dum quodam die mediaretur immenſum amorem quo Deus homo factus habitarat in nobis, tanto arſit amoris incendio, vt illud amplius ferre non valens ad princeps altare occurrerit & à Deiparæ filium ſuum ſibi dari poſtulauerit ad mitigandum mentis ardorem ac deſiderium quo vehementi flagrabat. Nec fruſtra, tradidit enim ei puerum IESVM Virgo. Quo obtento quantam vim ſolationum cæleſtium ſenſerit, difficile eſt

Symb: gratiarum actionum.

Fælix ord: capuc.

enarr-

Memoria beneficii.

enarrare. Illud conſtat præ amoris dulcedine vberrime fleuiſſe. Quem poſt modum B. V. Maria ad cæleſtē gloriam inuitauit. En quanta retributio pro memoria beneficiarum Dei, quanta igitur erit pro gratiarū actione pro beneficijs Dei retributio? Ambr. Non dare cuiquam vix licet, non reddere verò non licet. Si hoc inter homines non morigerum eſt, in Deo noſtro hoc ponēdum non erit? *Vade & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum, quia placent Deo opera tua.* Ecl. 9. in voce Domini loquitur.

Conſolatio proximi.

Pro 3. Dono ab ore, nempè conſolatione proximi, Nota. Ipſius Magiſtri & Dei eſt doctrina & exemplum conſolatio dulcis, Ita enim 2. Cor. 1. *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, Deus totius conſolationis qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra.* Conſolationem dulcem ab ore hominis requirit Deus in donum inquit B. Alb. Mag: nam conſolationes non dulces oneroſæ ſunt tribulato, ſicut dicebat Iob. cap. 16. ſuis conſolatoribus, at dulcis conſolatio in tribulatione eſt confortatio tribulati. Ierem. 31. *Conuertam luctum eorum in gaudium, & conſolabor eos & lætificabo à dolore ſuo.* Cogita dulcē conſolationem Danielis ſedentis inter leones dum ei miſit Domin⁹ per Angelum & Prophetam prandium, Quam dulcis erat illa conſolatio, quis explicare poterit! Pſalm. 93. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Tali opere conſolationis pauperum proximorum delectata ſemper fuerat B. Galla vidua filia cuiusdam Conſulis. Nam viſitando & conſolando tempore peſtis afflictos, quotidie eos duodecim ad menſam excipiebat, quod cum gratum Deo fuiſſet, ſic quoq; conſolatricem pauperum, conſolari cælitus dignatus fuit Deus. Angelicis manibus, efformata imago Deiparæ Filium Ieſum in vlnis fouentis aureis lineis in lapide ſaphirino, in domum ipſius ab Angelis delata fuit, quam in aëre tenebant Angeli multa luce circumfuſam, de qua re vt notum fecit Epiſc: Ioan. Mart. iuit proceſſionaliter in domum & viſa in aëre imagine fuſis precibus ad Deum, ex manibus Angelorum ad manus Pontificis depoſita fuit, atq; peſtis quæ in vrbe graſſabatur eo die virginis beneficio depulſa fuit. Iſidorus Non cuiq; talem dari gratiam dicit lib. 2. cap. 5. Spiritualis gratia inquit non omnibus diſtribuitur, ſed tantum modo electis donatur. Non enim omnium eſt fides, quam quidem & ſi plurimum ſuſcipiunt, opus tamen fidei non cōſequuntnr.

Danielis conſolatio.

Galla vidua.

Imago B: V: ab Angelis deportata & formata.

Gratia ſpiritualis electis diſtribuitur.

Corporis maceratio

De Primo dono à manu nempè, corporis maceratione, Nota. Ad intelligentiam huius materiæ ſciendum eſt, quod quemadmodum is qui violat & trāſgreditur legem politicam, tenetur ad pœnam præuaricatoribus legis conſtitutam: Sic etiam ille qui non obſeruat legem diui-

diuinam, obligatur ad certas pænas conſtitutas à diuina iuſtitia his qui legem Dei traſgrediuntur. Pænæ iſtæ nobis luendæ ſunt, in hac vitâ, aut in altera hoc eſt, in inferno, aut in Purgatorio aut in hoc mundo. In inferno luendæ ſunt pænæ. In purgatorio licet æternæ pænæ non ſunt, tantæ nihilominùs & tam intenſæ ſunt, quod teſte Auguſtino excellant omnem pænam, quam quis vnquam paſſus eſt in hac vita. Nunquam in terra (inquit) inuenta eſt tanta pæna, licet mirabilia Martyres paſſi ſunt tormenta. Ab hac igitur tam horrenda pæna liberat nos ieiunium, & aliæ corporis aſperitates, & ſi abſq; vlla comparatione minores ſint: cum Deus non tam reſpiciat ad magnitudinem operis & laboris, quam ad voluntatem laborantis. Quod enim quis hîc patitur, voluntarium eſt, ſed in futuro patietur, erit neceſſarium. Hinc eſt, vt pæna voluntaria vitæ præſentis multò præſentior ſit, & coram Deo maioris meriti quam in futura vita multa ſupplicia neceſſaria. Quoniam verò plurimis & varijs modis maieſtatem diuinam homo offendit, maceratio ipſi ſumme neceſſaria eſt, vt & pro malis commiſſis faciat, & pro firmandis virtutibus radicandoq; progreſſu meritorio, incipere bona valeat. B. Iſidorus de contemptu mundi. Agé dum licet, pete, quærere dum licet non ceſſes, erumpe in vocem fortiter, clama, plangè iniquitates tuas, malitiam tuam deplora, quæ prauæ egiſti fletibus dilue, & quæ illicite commiſiſti terge lachrimis. Terribilis ſententia Domini Abdiæ 1. *Sicut feciſti fiet tibi, retributionem tuam conuertam in caput tuum.* Satiùs igitur eſt, vt iudicare noſmetipſos & punire affligendo corpus, quam iudicari à Deo & puniri. Quidam Politycus cùm moneretur ab amico, quia vnus de te apud omnes male loquitur. Reſpondit: Malo vt vnus apud omnes de me male loquatur, quàm omnes apud vnum. Niſi quis pænitentia & iuſtitia de ſe facta in hoc ſæculo per macerationem corporis, munus obtulerit Deo, poſt mutationem ſtatus ſui præſentis, & Angeli & Sancti & dæmones & mundus omnes, male ſed vere de illo loquentur apud Deum. Quid ſum miſer tunc dicturus, quem patronum rogaturus, dum vix iuſtus ſit ſecurus. Ergò ad auſteritatem & macerationem hic te habeto, ſic enim habebis adiutorem Deum ſicut illi tres pueri apud regem ſocij Danielis, qui ieiunio macerabant & viligijs caſtigabant corpus. Lego in vita S. Ioan. Gualberti Abbatis, hîc adſtabat morienti fratri alias optimi religioſi obſeruantiæ & auſteritatis ſtudioſiſſimi, at cum infirmo crux porrecta eſſet in manus, hoſtis animæ inſtitit contra illum. Defendere cœpit eum Dominus & religionis ac pœnitẽtiæ memor, monſtrauit Abbati diabolum infeſtantem infirmũ, arrepta igitur Cruce de manu infirmi Ab.

Pæna pro tranſgreſſ: legu.

Aug: de vera & falſa pænit: cap: 17

Pati hîc, & in futuro.

Hic agenda pænitentia & maceratio.

Vnus coram omnib: & multi corã vno loquuntur.

Sanct. Gualbertus.

mi Ab.

Cruce fugatus dæmon. mi Abbas egregiè verberauit diabolum & fugauit, quo fugato adfuit illi B. V. Maria, cum S. Petro & S. Benedicto. B. Nilus. Carnem tuam Sanctis afflige laboribus, & carnis voluptates odio proſequere, nam corporis ſordes, animam quoq; inficere ſolent.

Decimæ triplices. Pro Secundo dono à manu, nempè oblatione decimarum, Nota. Summa hæc promiſſio Dei per Malach. facta eſt his qui decimas dederint, vndè non mirandum quod D. Aug: concluſerit. Redde decimas, alioquin deduceris ad partem decimam Angelorum qui de cælo ceciderunt in infernum. Attendendum enim, quod inter creaturas intellectuales, eſt homo decima creatura. Nouem ordines Angelorum, decimus ordo nimirum, homo. Et ideò hominis eſt ſoluere decimam vt ruinam Angelicam ſuppleat. Quocirca affligitur Deus de non redditis decimis. Ita enim Malach. 3. *Vos configitis me, & dixiſtis in quo configimus te? in decimis & primitijs.* Quas puta non redditis. Obligantur verò in conſcientia & ſub pænis ad ſolutionem decimarum ex iure diuino & ordinatione Innocentij Papæ. Et qui contrarium docuerit vel perſuaſerit, ipſo facto eſt excommunicatus vt clementia decreuit. Sunt verò decimæ triplicis ſpeciei, nempè, Prædiales, perſonales, & mixtæ. Prædiales, ſunt de his quæ proueniunt ex prædijs. Perſonales ſunt quæ proueniunt ex negotiatione, artificio, ſcientia, militia, venatione & huiuſmodi induſtrijs perſonarum. Mixtæ ſunt, quæ proueniunt de animalibus & eorum fœtibus, ſunt enim partim prædiales partim perſonales Prædiales reddendæ ſunt Parochis in cuius parochia prædia ſunt, Perſonales ſoluendæ ibivbi ſolet audire diuina vel vbi recipit Sacramenta. Mixtæ ei in cuius Parochiæ terris paſcuntur animalia. Neque conſiderandú an terræ ſunt locatæ vel ad alterius Dominum translatæ, ſed ſi ſeruntur, ſolum enim ſi non ſeruntur, ex his *Decimæ ex terris ſeminatis.* decima non prouenit Et ſi obligamur ad decimas perſoluendas ex agris præcipuè, multo magis obligamur Deo ad per ſoluendam decimã ex bonis animæ. Hæ enim decimæ de agris commonefaciunt nos ad decimas ſoluendas Deo de bonis animæ. Vnde dicenti Phariſæo. *Ieiuno bis in ſabbato, decimas do de omnibus quæ poſſideo.* Non computatú eſt in iuſtitiam. Ex decima perſoluta ſacerdoti, habet præconium iuſtitiæ à ſacerdote, ex decima perſoluta de bonis animæ, habebit præconium iuſtitiæ à Deo. Vnde Mat: 23. *Decimatis mentam, anetum & olus & relinquitis quæ grauiora ſunt legis.* Nempè iudiciú & miſericordiam. Si igitur das decimas de bonis iuſte & licite acquiſitis, neq; maiora legis diuinæ reddere Deo negligas& proximo tuo.

Pro tertio dono à manu nempè, erogatione eleemoſynarum. Nota. *Mitte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas, quia poſt tempora multa inuenies illum.* Eccl.

Eccl. 11. Hoc SS. Patres de eleemoſyna explicârunt. Hæc enim danda nullâ ſpe humanæ retributionis, ſed diuina tandem eſt expectanda. Perdenda in pauperibus, inuenienda in Deo. Thaumat. Quamuis videtur id perdidiſſe quod largiris, quaſi panem aquæ immiſiſſes, tamen progreſſu temporis, nequaquam infrugifera tibi apparebit beneficentia. Gen. 49. *Aſſer, pinguis panis eius & præbebit delicias regibus.* Tam dignus menſa Domini panis eleemoſynæ & tam pinguis, vt pro eo, dantes, facit Rex cæleſtis conreges, & paſcet illos maximis delicijs. Sicut enim mercator lucri gratiâ pro frumento merces alias pretioſiſſimas accipit & reportat, ita ſane qui eleemoſynam erogat, facit quoddam pactum cum Deo & aſſecurationem accipit, quod poſt tempora cum ingenti miſericordiæ fenore recipiet datum Chald. ex tranſſ. Regia indicat talem expoſitionem. Porrige alimentum tuum pauperibus, qui ambulant in nauibus ſuperfacies aquarum, quoniam poſt tempus dierum multorum inuenies mercedem eius in ſæculo hoc & in ſæculo venturo: Ecl. 29. *Conclude eleemoſynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.* Quid eſt in corde pauperis concludere? Manu ſuſcipitur eleemoſyna. Monuit, vt pro dignitate diuitiarum prouideas pauperib⁹ quatenus ſit memor & corde teneat datum. Non enim obuli duo oblati à vidua ſupererogogantur diuitijs multis. Monet vt dando eleemoſynam, ipſum cor tuum ſciat, & magis cordis affectu dones, vt & ipſa in corde ſuo ceu à corde datum recipiat. Debitores tibi Deos delega & precare, inquit Seneca. Et inde eſt, quod B. Alb. Mag: & ſententia Tob. 12. tria bona ex eleemoſyna prouenientia poſuit. Sed tertium ille ſolus explicare poteſt, qui pro miſericordia miſericordiam in cælis experietur, & pro munere temporali æternum ſibi computabit in lætitia munus.

Quæ reconciliatio fratri præcipitur?

Cvilibet præcipitur vt fratri ſuo vel proximo reconcilietur, quē ſe reminiſcitur offendiſſe, & hæc reconciliatio tam grata eſt Domino, vt ei nullius muneris oblatio præferatur. Vnde iubet, vt ad recōciliationem faciendam homo reuertatur, antequam etiam munus illud, quod iam ad altare tulit, altari ſuperponat.

Et Nota, quod Dominus in hodierno Euangelio ponit triplex genus peccati, quo contra proximum peccatur, quod tamen frequenter ab hominibus committitur, & pro nihilo reputatur. Primum eſt ira & indignatio; vnde aït: *Ego autem dico, quod omnis, qui raſcitur fratri ſuo reus erit iudicio.* Secundum eſt iracundia proclamata. Sequitur: *Qui autem dixerit fratri ſuo racha, reus erit concilio.* Tertium

tium eſt deriſiua vituperatio. Sequitur: Si igitur ille, qui proximo ſuo ſine cauſa iraſcitur, & qui racha proclamat & qui eum fatuum appellat, judicium Diuinæ diſtrictionis, & concilium diabolicæ congregationis & gehennam perpetuæ damnationis incurrit: quid de illis, qui detractionibus, furtis, calumnijs, rapinis, vſuris, homicidijs, alijſque per plurimis malis proximos ſuos offendunt & lædunt?

ANNOTATIONES.

APoſt. ad Coloſ. 3. *Donantes vobiſmetipſis ſiquis aduerſus aliqnem habet quærelam, ſicut & Dominus donauit vobis ita & vos.* Concluſio dicti ſumma admonitio, tam ei qui offendit, quam illi qui offenſus eſt, at maior illi qui offendit. Nam qui nullum offendit Chriſtus, & ab omnibus offēſus fuit, illis tamen licet innocens promptè & ſine conditione, nedum illis dimiſit, at pro ipſis quoq; Patrem exoratus eſt. Ille qui offendit, eſt ſimilis illi piſtori qui in carcere ſedit, ille qui offenſus eſt, debet eſſe ſicut Ioſeph innocens qui cū illo in carcere ſedebat, offenſor, putat ſe panes portare in caniſtro ſuper caput, gerit ſe innocentē, at breui ſupplicio dabitur niſi reconciliationē fecerit. Offens⁹ habet ſe vt Ioſeph ſi erat innocens talis offenſionis & liberabitur, & erit ceu alter Rex. Ideo licet munus obtuleris ad altare & bonū opus feceris, præcipitur tibi, ceu ſatagenti bonum opus vt vadas & reconciliaris fratri tuo qui aduerſum te aliquid habet & à te offenſum ſe dicit vel exiſtimat ſi vis vt tua oblatio ſit accepta. Amicum te facit Dominus ad aras, ſit igitur tua extracta ara Domino, reconciliationis. Nobilior enim hæc erit ara quā illa Iouis capitolini vel ſtatoris quia tuo Capiti & ſtationi aram exſtrues. Chryſoſt. Qualis præceſſit offenſio, talis debet ſequi reconciliatio; ſi verbis offendiſti verbis reconciliare ſi operibus offendiſti, operibus reconciliare: ſi cogitatu offendiſti, cogitatu reconciliare. Omne enim peccatum quomodo committitur, eo modo de ipſo pœnitentia agatur. *Mihi vindictam & ego retribuā.* Quaſi diceret: Sit iuſta cauſa ergò proximum, tibi relicta eſt miſericordia & reconciliatio, Chriſti enim es diſciplina qui diligere te proximum iuſſit, vindictam verò ſibi Dominus tuus defenſor & Pater reſeruauit. Aliter munus tuum ante Deum ingratum erit. Sed ne aliqua dubitatio interueniat de tali recōciliatione vel ob diſtantiam læſi, vel ob tempus paruum, quia redire debes ad altare poſt reconciliationem, audi ſalutarem doctrinam D. Auguſt: lib. 1. de ſerm. Dom. in monte. cap. 20. Si ad literam accipiatur de reconciliatione fratris, fortaſſe aliquis credit ita fieri oportere, ſi frater ſit præſens: non enim diutiùs differri poteſt, cum munus tuum relinquere ante altare iubearis. Si verò abſente, & quod fieri

poteſt.

poteſt, etiam tranſmare conſtituto aliquid tale veniat in mentem, abſurdum eſt credere ante altare munus relinquêdum quod poſt terras & maria pererrata offeras Deo, & ideò prorſus intro ad ſpiritualia refugere cogimur, vt quod dictum eſt, ſine abſurditate poſſit intelligi. Altare itaque ſpiritualiter fidem accipere poſſumus. Munus enim quod offerimus Deo, ſiue doctrina, ſiue oratio, vel quicquid aliud, Deo acceptum eſſe non poteſt, niſi fide fulciatur. Si ergo fratrem in aliquo læſimus, pergendum eſt ad reconciliationem, non pedibus corporis, ſed motibus animi, vbi te humili affectu proſternas fratri in conſpectu eius cui munus es oblaturus. Ita enim ac ſi præſens ſit, poteris eum non ſimulato animo lenire veniam poſtulando, atq; inde veniens, id eſt, intentionẽ reuocans ad id quod agere cæperas, offeras munus tuum.

Ag- ſens quo re- conci- liat.

Ira gradus

De triplici ira. Nota. Quid tu vides, Ieremiæ 1. *Ollam ſuccenſam, virgam vigilantem*, Non potuit diſtinguere meliùs iram hominis, quàm hic diſtinxit B: Alb: Mag. Non enim in vno gradu inuenitur illa, aliquando vt virga, aliquando vt baculus, aliquãdo vt olla. Omnes feces olla accenſa furſum prodit, ita iracundus vera cum falſis promit, quicquid ſcit infamiæ in proximum prodit, & minimum non tacet injuriæ blaſphemiæ quæ tempore pacis latebant in corde, non ſolum ore, ſed membris omnibus ira dominans pandit. Sed furor, alios diaboli vaſtat, filij vero innocui & Chriſti, non læduntur tali ira. Exod: 9. In Ægypto cecidit grando major, quàm vſq; ad tempus illud viſa fuiſſet, & occidit animalia Ægypti & quicquid in campis ſpicarum inuenit, tamen in terra Geſſen in quà habitabant Filij Iſraël, nihil mali fecit. Greg: 1. Mor: In hoc mens juſta ab injuſta ſecernitur, quod omnipotentis Dei laudem inter aduerſa confitetur, quod non cum rebus frangitur, quod non cum caſu exterioris gloriæ cadit. Seipſos igitur lædunt irati & in mente & in ſanitate corporis, non verò juſtos pios & bonos quos lædunt, Retrocedit ſicut abi in cude ſagitta & globus, in eiaculantes. Perpulchrum adduco exemplum malitiæ & iræ hominum, quàm illorum iram inſtillauerat dæmon, hos tamen lædere in perſona quos volebant nunquam poterant. Refert Ioan: Buzel: Anno 1566. Hæretici Marquetenſe monaſteriũ quod Reclinatorium Dominæ noſtræ vocatum ingreſſi, ſtatuas eiuſdem ac diuorum ex editis locis dejectas malleis contriuerunt & bipennibus ſciderunt. Senſerunt & aliæ Eccleſiæ idem nefandum, in templo Turquonienſi diffractis imaginibus & eraſis, duos tantum dæmones ad menſam pauperum in ligno ſculptos intactos reliquerunt, (fortè erant illi, qui, ne darentur pauperibus eleemoſynæ, diſuadere homines, exprimebant.) At omnibus inde apparuit, quo ſpiritu afflati, hæc ederes

Grando non lædit Iſraël.

Ira in ſanctos diabolo afflatur.

derent impij furoris facinora in Sanctorum imagines, quos in perſona lædere non poterant, verùm non impune ceſſit poſtmodum illorum nequitia. Suadet igitur læſis Iſidorus lib: 2. cap: 37. Aduerſus iram tollerantia dimicat, ira autem ſemetipſam necat, ſuſtinendo autem patientia victoriam portat.

Ira ſei pſam necat.

DOMINICA IV. POST OCTAVAS TRINITATIS.

Aduerte, de hoc Euang: fecit ſerm: B: Alb: Mag: Dominica 7. poſt Trinitatis.

Accepit IESVS ſeptem panes gratias agens fregit dedit vt apponerent turbis, *Marc: 8.*

QVID PER SEPTEM PANES INTELLIGITVR.

Panes ſunt dona Spirit: Sanct.

RESp: Septem dona Spiritus S: ſicut enim panis cor hominis confirmat, ita & Spirit:S: donis ſuis hominem interiorem corroborat. Vndè ad Eph: 3. *Flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri IESV CHRISTI, vt det vobis virtutem corroborari per ſpiritum eius in interiori homine.*

Primus Panis eſt donum Sapientiæ.

DOno ſapientiæ cognoſcimus creatorem noſtrum, ſine cujus noticia omnis homo pecus eſt. Iſte panis frangitur in tria fruſta, quia per donum ſapientiæ roboramur, vt tria cognoſcamus in creatore noſtro, videlicet perfectam ſapientiã, patientiam benignam, & abſolutam potentiam. Per ſapientiam omnia videt, quæ ſub ſole fiunt. Per patientiam plurima diſſimulat ex his, quæ fiunt. Per potentiam puniet omnia, quæ in mundo male fiunt. 1. De Sapientia Dei omnia vidente dicit. Eccl: 23. *Oculi Domini multò plus lucidiores ſuper ſolem circumſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi, & hominum corda intuentes in abſconditas partes.* Domino enim Deo, antequam crearentur, omnia ſunt cognita, ſic & poſt factum reſpicit omnia. 2. De benigna patientia Dei, ait Apoſtolus ad Romanos 2. *An diuitias bonitatis ejus & patientiæ & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad patientiam te adducit?* Bonum eſt ergo chariſſimi, vt ad patientiæ Dei pe-

des benigne procidamus, ibiq; veniam de noſtris peccatis contrito corde petamus. 3. De potentia Dei enormia omnia puniente dicitur Sapient: 16. *Tu es Domine, qui vitæ & mortis habes poteſtatem, & tuam manum effugere impoſſibile eſt.* Hinc etiam legitur 2. Mach 6. Quod quidam Eleazarus de prioribus ſcribarum, qui legem Dei à pueritia optimè cuſtodierat. Cùm eſſet octoginta annorum, & juſſu Antiochi regis compelleretur carnes porcinas comedere; Reſpondit: non eſt dignum, vt maculam atq; execrationem meæ ſenectutis acquiram; nam etſi in præſenti tempore ſupplicis hominum eripiar, ſed manus Dei omnipotentis, neq; viuens neq; defunctus effugiam, Bonum eſt igitur chariſſimi, vt corrigamus nos, antequam per Dei potentiam puniamur.

Secundus Panis eſt donum intellectus.

Iſte panis roborat nos ad cognoſcendam familiam Domini noſtri, videlicet Angelos & beatas animas, quæ ſunt in patria, in quibus tria intellectus oculo videre debemus, videlicet munditiæ claritatem, concordiæ vniformitatem, & pacatiſſimam charitatem. De primo dicit Apoſt: 1. ad Corinth 15. *Alia claritas ſolis, & alia claritas lunæ, & alia claritas ſtellarum. Stella enim differt à ſtella in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum.* De qualibet etiam fælici anima, quæ cum Domino requieſcit, dicitur Sapien: 10. *Dedit illi Dominus claritatem æternam.* Item ad Philip: 3. *Saluatorem expectamus Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.* De ſecundo, ſcilicet de concordia Angelorum & animarum Sanctarum dicitur in Iob: 25. *Qui facit concordiam in ſublimis ſuis.* Item Eccl: 25. *In tribus placitum eſt ſpiritui meo, quæ ſunt probata coram Deo & hominibus. Concordia fratrum,* id eſt, Sanctorum Angelorum, *& amor proximorum*, id eſt omniū electorum, *Et vir & mulier ſibi conſentientes*, id eſt ſpiritus & caro, qui optime ſibi conſentient in patria. De tertio ſcilicet charitate Angelorum & animarū Sanctarū dicit 1. Ioā: 4. *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.* Angeli & Sanctæ animæ manent in Deo, ergò habent perfectiſſimam charitatem. Bonum eſt ergo chariſſimi, vt & nos in hac vita per mentis & corporis munditiam, per pacis concordiam, & per charitatem mutuam ad Angelorum & Sanctarum animarum conſortium peruenire laboremus.

Tertius Panis eſt donum conſilij.

COgnito enim creatore noſtro & familia creatoris, vt ad eundem creatorem noſtrum & ſuam familiā perueniamus, tria nobis conſulit iſte panis. Primum eſt vt mala fugiamus: ſecundum, vt bona faciamus: ter-

tertium eſt, vt oculum ſpei ſemper in Domino figamus. De his trib⁹ dicitur in Pſal. 33. *Diuerte à malo, & fac bonum.* Sequitur: *Oculi Domini ſuper iuſtos.* &c Debemus igitur primo diuertere ab omni malo, quod cõmitti poteſt vel corde, vel opere, vel ore. Secundo facere debemus omne bonum, quod ſcimus Deo gratum exiſtere, & quo poſſimus animarum noſtrarum ſaluti proficere. Per quod etiam poſſumus proximorũ noſtrorum vtilitaẽ efficere. Tertio debemus oculum ſpei ſemper in Deum figere, *Quia oculi Domini ſuper iuſtos,* Vt videlicet reddat ei, mercedem laborum ſuorum. vnde Eccl: 12. *Benedictio Dei in mercedem iuſti feſtinat*

Quartus panis eſt donum fortitudinis?

PEr hunc panem accipimus robur contra tria impedimenta conſilij, videlicet diabolum, mundum, & carnem. Roborati igitur pane fortitudinis diabolo reſiſtimus, mũdum deſpicimus, Carnem ſpiritui ſubigimus. De iſto dicit Iacob 4. *Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis.* Item 1. Petr: 5. *Aduerſarius veſter Diabolus tanquã leo rugiens circuit quærens quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide.* De ſecundo ſcilicet de mundi deſpectu dicit Iac: 4. *Adulteri neſcitis, quia amicitia hujus mundi inimica eſt Deo? Quicunq; ergo voluerit eſſe amicus ſæculi huius, inimicus Dei conſtituitur.* Satis ſunt terribilia iſta verba mundi amatoribus. Item 1. Johan: 1. *Nolite diligere mundum neq; ea, quæ in mundo ſunt, ſi quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo.* De tertio videlicet de carne ſubigenda legitur in Gen: 16. quod Abraham dixit ad vxorem ſuã Sarã: *Ecce ancilla tua in manu tua eſt, vtere ea vt libet.* Sequitur affligente igitur eam Sara fugam inijt; Cui apparens Angelus ait: Reuertere ad Dominam tuam, & humiliare ſub manibus eius. Per Abraham intelligitur Deus: per Saram verò anima, quæ eſt ſponſa Dei: per ancillam intelligitur caro. Anima igitur ad Dei iuſſum carnem ſuperbam affligente, caro fugam arma, id eſt, fingit ſe eſſe infirmam: Cui Angelus in gratia Dei perſuadet, vt ad Dominam reuertatur, eiq; in Dei ſeruitio fideliter ac humiliter famuletur.

Quintus panis eſt donum ſcientiæ.

IſTe panis, poſtquam accepimus, fortitudinem contra diabolum, mundum, & carnem, docet nos cogitare tria, videlicet, vnde venim⁹ vbi nunc ſumus, & quo ituri ſimus. Primo itaq; ſcire debemus, quod certè ſatis de vili materia, & per plurimos dolores matris ac ſolicitudines venimus; vnde Sap 7. *In ventre Matris figuratus ſum caro & natus: primam vocem emiſi ſimilem omnibus plorans, inuolumentis nutritus ſum & curis magnis. Nemo enim ex Regibus aliud habuit natiuitatus initium.* Secundo ſcire debemus, quod

quod in medio laqueorum habitamus; vnde Eccleſ. 9. *Scito quoniam in medio laqueorum ingredieris & ſuper dolentium arma ambulabit.* Legitur enim quod beatus Antonius in oratione ſua vidit mundum laqueis plenum. Laquei huiuſmodi ſunt arma, qui⁹ nos impugnāt dolentiū, id eſt, dæmonū, qui de noſtra ſalute dolent.

Et Nota, quod inter hos laqueos quaſi tres ſunt præcipui, videlicet, ſuperbus, auarus & mulier fornicaria. De primo dicitur Eccleſ. 11. *Sicut inducitur capra in laqueum ſic & cor ſuperborum.* Capræ quæ alte ſcandunt ſunt ſuperbi, quos diabolus laqueo ſuperbiæ detrahit in profundum. De ſecundo dicitur Prouerb. 11. *Qui cauet laqueos, ſecurus erit,* Certè qui cauet laqueos auaritiæ, tunc, ſecurus erit, quando vnuſquiſq; reddet rationē villicationis ſuæ & quando contra auaros lapis de pariete clamabit, & lignū, quod inter iuncturas ædificiorum eſt, reſpondit: ſicut dicitur Abacuc 2. De Tertio dicitur Eccl. 7 *Inueni amariorē morte mulierē, quæ laqueus venatorum eſt.* Venatorū, id eſt, dæmonum qui animas venantur ad mortem. Item Eccl. 9. *Ne reſpicias mulierem multiuolam, ne forte incidias in laqueos illius.* Tertio ſcire debemus, quodituri ſumus ad arctiſſimam examinationem totius vitæ noſtræ. De hac examinatione dicit Paulus 1. ad Corinth. 3. *Vniuscuiusq́ opus manifeſtum erit: Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur & vnius cuiuſq́ opus, quale ſit ignis probabit.* Super hunc locum dicit Gloſſa: Hæc eſt dies hominis pro natu ſuo agentis, ſed in iudicio vel morte cuiſque eſt dies Domini pro meritis iudicantis. O quàm fælix eſt ille, qui ignem iudicialem ſine incendio pertranſibit, vt vadat in refrigerium ſempiternum.

Sextus panis eſt donum pietatis?

QVi bene ſequitur quintum. Neceſſarium eſt enim homini, vt per opera pietatis ſibi amicos faciat, qui eum & in periculis huius mundi, & in iudicij diſcrimine tueantur. Igitur per panem pietatis perſuadetur nobis, vt pietatem exequamur in tribus videlicet, in dādo in commodando & condonando. De primo dicit Eccl. 14. *Ante mortem benefac amico tuo, & ſecundum vires tuas exporrigens da pauperi.* Item Tobias ad filium ſuum quarto: *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue ſi exiguum fuerit etiam exiguum libenter impertiri ſtude quoniam eleemoſyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ne ad tenebras.* De ſecundo Pſal. 36. *Iuſtus tota die miſeretur, & commodat, & ſemen illius, id eſt opus, in benedictione erit.* Item in Pſal. 111. *Iucundus homo qui miſeretur & commodat, diſponet ſermones ſuos in iudicio, quia in æternum non commouebitur:* De tertio, ſcilicet quod condonemus ſiue ignoſcamus, monemur Matth. 18. *Pater meus cæleſtis tradet vos torroribus, ſi non remiſeritis vnuſquiſque ſi atri ſuo de cordibus veſtris.*

Septimus panis eſt donum timoris Domini?

TImor enim eſt quaſi clauſura & cuſtodia omnium bonorum operum. Tria verò ſpecialiter timere debemus. 1. Ne videl: chariſſimus & optimus Deus offendatur. 2. Item ne beatitudo ſupercæleſtis amittatur. Tertium præterea ne infernalis infelicitas incurratur. Timere igitur debemus, ne creatorem noſtrum offendamus, qui eſt optimus, & propterea debet eſſe chariſſimus. Et certè qui creatorem ſuum offenderit, ab omni creatura Domini in die iudicij offendetur. Timere etiam debemus, nè cæleſtem beatitudinem amittamus, & nè infernalem infelicitatem incurramus.

ANNOTATIONES.

SApientiam, altiſſimarum cauſarum notitiam dixit Ariſt. Sed quæ fuerit altiſſima ſapientia omniũ cauſarum non cognouit vere. Nullus enim creatarum rerum altiſſimam omnium cauſam Deum in hac diſpoſitione perfectè cognoſcere potuit. Noctua & talpa ſunt, qui hæc dicere volunt, nam non videntes videre dicunt. Vnde D. Paul. ad Cor. 1. *Perdam ſapientiam ſapientum, & ſapientium prudentium reprobabo, non ne ſtultitiam fecit Deus ſapientiam huius mundi?* Panem ſapientiam D. Albert. poſuit, panis ille non terrenus iam erit, ſed quem figurabat iſte panis primo loco in Euangelio poſitus, ſignificat verò cognitionem creatoris noſtri DEI, nam homo ſine cognitione ipſius, pecus & animal irrationale erit, nec alius illi paſtus conuenit niſi animalium. Cum verò omnia creata non aliud nos docent, primo quam vt cognoſcamus creatorem noſtrum Deum atq; per hoc differentes inueniamur à pecudibus, ſapientia hæc cognitionis Dei ceu bonum noſtrum imo pabulum noſtrum & panis, nobis degustanda primo erit, qua de ratione B. Alb. M. primum ex ſeptem panibus patrem, donum ſapientiæ Spir. S. nobis commonſtrauit. Vnde Iob. 12. clare admonet dicens. *Interroga iumenta & docebunt te, & volatilia cæli & indicabunt tibi, loquere terræ & reſpondebunt tibi, & narabunt piſces maris. Quis ignorat quod omnia hæc manus Domini fecerit?* Vide à quanta ſtultitia retrahit hominem Iob & ad quam neceſſariam illi ſapientiam reducit ipſum. ſumma equidem ſtultitia hominis, vt cum cætera animalia cognoſcant Deum, ipſe homo nolit cognoſcere Deum. Pſal. 52. *Dixit inſipiens non eſt Deus corrupti ſunt & abominabiles facti in iniquitatibus.* Sapientia igitur quæ donum eſt Spir. S. primario potiſſima eſt, vt ſciat Deum, illum quotidie aſpiciat & coram ipſo contremiſcat. Val. Max. refert de Antipatro Poëta lib. 1. cap. vlt. Omnibus annis vno die quo genitus erat febri implicabatur. Cumq; ad vltimam ætatem perueniſſet, natali ſuo certo illo circuitu morbi, conſumptus eſt. Profecto

Panis ſapientiæ ſignificat cognitionem DEI.

fectò Spir: Sanctus quo die cor noſtrum illuminauerit dono ſapientiæ ſuæ cognitione nimirum creatoris & recreatoris noſtri Dei, omni die, innouabit timorem & honorem in nobis erga Deum, & in vltimo vitæ cognitionem ipſius claram incælis, conciliabit. Vnde ſap. 15: *Noſſe te conſumata iuſtitia eſt, & ſcire iuſtitiam & virtutem tuam radix eſt immortalitatis.* Ad hanc ſapientiam hortabatur S. Lucia iniquum Paſchaſium præfectum. Quid cruciaris templum Dei me eſſe ſi probaſti, crede quod Spiritus S. eſt in me, ſi non probaſti, diſce magis, ſed fruſtra admonitus fuit. D. Bern. Sicut cibus indigeſtus corpus corrumpit, inflatum & hydropicum reddit, ſi autem digeſtus fuerit, nutrit: ſic omnis virtus in ſtomacho animæ indigeſta, & igne charitatis non decocta, generat malos humores & mores. Mali enim humores, ſunt mali mores.

Quod panis iſtius ſapiẽtiæ in tres diſtinguatur de Deo cognitiones. Nota. Sapientis eſt omnia videre & conſiderare nempè præterita præſentia & futura. Deus ergò ſapientiſſimus, omnia videt, vocat ea quæ non ſunt, ceu eſſent. Prouerb. 20. *Sicut aqua profunda, ſic conſilium in corde viri, ſed homo ſapiens exhauriet illud.* Principalius id de Deo ſapientia intelligendum venit, cuius eſt cor hominis intueri Geneſ. 22. Abraham ad erectum altare & oblationem agni; poſuit titulum. *Dominus videt.* Videt ante tempora, in tempore, & poſt tempora, omnia quæ ſunt in corde hominis in corde maris, in corde terræ: & quæ ſunt erunt & erant tã in his, quamq; in nubibus & in cælis. Ad Hebr. 4. *Omnia nuda & aperta ſunt oculis eius.* At ne aliquis eo quod Deus non ſit corpus ſed ſpiritus Deũ videre omnia dubitet, id licet cõfũderit ſapiẽs dicendo. *Qui finxit oculum & aurem quomodo non videbit, aut non audiet;* tamen Iſidorum pulchre id explicantem libro 1. de ſũmo bono cap. 6. audiamus, ſupponendo quod amplius videat quam Linx & Argus vel aliquis oculus videns. Multis modis Deus ad ſignificandum ſe hominibus, de inferioribus rebus ſpecies ad ſe trahit: vt quia omnia videt, dicatur oculus: & propter quod audit omnia, dicatur auris: pro eo autem quod auertitur, ambulat: pro eo quod expectat, ſtat. Sic & in cæteris horum ſimilibus, ab humanis motibus trahitur ſimilitudo ad Deum, ſicut eſt: obliuiſcens & memorans. Hinc eſt qnod Propheta dicit: Hierem. 52. *Iurauit Dominus exercituum per animam ſuam:* Non quod Deꝰ animam habeat, ſed hoc noſtro narrat affectu. Et alibi ſimili figura, & vermis & ſcarabeus intelligitur. Nec mirum ſi vilibus ſignificationibus figuretur, qui vſque ad noſtram paſſionum ſeu carnis contumelias deſcẽdiſſe cognoſcitur. Nam & Chriſtus agnꝰ, nõ pro natura, ſed pro innocẽtia: & Leo pro fortitudine, non pro natura: & ſerpens pro morte: & ſapientia non pro natura ſcribitur.

Quomodo Deo attribuimus viſci audien̄

Nam & in Propheta plauſtri portantis fænum ſpecies dicitur ad Deum. Et hæc omnia ideò per figurā, Chriſtus, quia nihil eſt eorum ad proprietatem ſubſtantiæ eius: quem reuera iuxta propriam ſubſtantiam inuiſibilem eſſe & incorporeum conſtat. Quia igitur per ſapientiam Spiritus S. donum cognoſcimus Deum videre omnia, talia debent eſſe opera noſtra, quæ conſpectum Dei non offendant, ſed detractari faciant.

Alph: Rodriquez Societ. IESV.

At inter opera præcipuum eſt Amor Dei. Fælix in hoc Alphonſus Rodriquez Soc. Iesv, qui inter animæ ſolatia & opera ſpiritualia delectabatur in nominibus Ieſus & Maria. Hi

IESVs & Maria amores hominũ.

dicebat ſunt dulciſſimi amores mei, ô vtinam patiar, ô vtinam veſtri amore moriar, vtinam deſinam meus eſſe vt totus veſter fiam.

Patientia Dei erga peccatores.

Cognoſcere quoq; debemus Dei patientiam benignam Iudith. 8. *Quia patiens eſt Dominus, in hoc ipſo pænitemus & indulgentiam eius fuſis lachrymis poſtulemus.* Quaſi diceret, per hoc quod patiēs eſt, non differenda pænitenti de die in diem, non adijcienda peccatis peccata, non poſt tergum ponamus ipſius iuſtitiam, ſed eo patiente, nos indulgentiam poſtulemus. Admonuit B. Iſidorus lib. 2. cap. 13, Per id deteriorantur plerumq; iniqui, quod per patientiam Dei ſpatium non accipiunt emendandi, quod mora viuendi non vtuntur ad pænitentiam ſed ad peccandi vſurpant audaciam. A malo autem in deterius vadit, qui tempus ſibi ad pænitentiam indultum, ad libertatem praui operis vertit. Habeo quoddam veriſimile patientiæ Dei & ſtultriæ hominum qui abutuntur tali patientia in Val. Max. lib. 6. cap. 11. de Cimone Athenienſium Principe. Dicit ille: Cimonis incunabula opinione ſtultitiæ fuerunt referta, at illius ſtultitiæ imperia ſalutaria Athenienſes ſenſerunt. Itaq; coegit eos ſemetipſos ſtuporis damnare, qui eum ſtoli, dum crediderant.

Cimonis patientia compēſatur.

Erat in hoc patiētia multa Cimonis quod in ore & corde obuerſaretur Athenienſium inutilis & damnandus, ſed conſternati recto ipſius, ſe ipſos damnarunt. Ita qui Dei patientiam conuertimur in malum noſtrum, nos ſtultos fuiſſe damnabimus, at nil proficiemus, quia ſi promiſſa indulgentia pænitentibus, dies tamen craſtinus ad pænitentiam, non eſt promiſſus. Quam benè Epictetus capite 63. Hebetis ingenij ſignum eſt, in rebus corporis immorari, exerceri, edere diu, potare diu, ludere diu, dormire diu, &c.

In mundo obiter morandũ.

Nam hæc quidem obiter facienda ſunt obiter, cura autem omnis ad animum eſt transferenda. Neq; enim ſimpliciter ad pœnitentiam venimus rectam, ſed præcedere debent aliqua, ideò illud tempus patientiæ Dei ad pœnitentiam conuertamus. Leuit: 14. dicitur, lepro ſo ſanato, radebantur capilli ſupercilia & barba, deinde lotis veſtibus ejus, introducebatur in caſtra, vt offerret ſacrificium. Vide quæ requireban-

rebantur à ſanato ad reddendum ſacrificium, qualia ergò ad adipiſcendam ſanitatem animæ per dignam pœnitentiam requirentur? Apoc:2. *Age pœnitentiam, & prima opera fac.* Puta, contritionem, confeſſionem, ſatisfactionem. Hæc enim ſunt prius concipienda & facienda.

Pœnitẽtia digna anteced.

Cognoſcere quoq; ex hoc dono ſapientiæ potentiam Dei in punitione peccatorum inſtruimur. Eccl:12. *Impiis & peccatoribus reddet vindictam.* Non dixit, puniet eos, juſtitiam faciet de illis, ſed dicit, *reddet vindictam.* Non enim ſimpliciter eos aut aliqualiter puniet, ſed ſeueram adducem contra illos juſtitiam, vt non ſolùm cognoſcant quod puniantur, ſed quod ceu vindictam de illis ſumat. Puniet eos niſi reſipiſcant, & in hoc & in futuro ſeculo, nec ſolum eos qui peccauerunt, ſed & filios eorum atq; filiorum filios. Hoc enim docet ille cæcus à natiuitate. Quærebant de illo, Rabbi quis peccauit an hîc an parentes? cognoſcebant quod juſtè filij puniuntur pro peccatis parentum, precipue ſi propter illos peccauerunt. Iſidorus de ſummo bono lib: 3. cap: 46. Ita contra delinquentes ſermo eſt proferendꝰ, ſicut ejus qui corripitur expoſtulat ſalus. Quod ſi opus eſt aliquam medicamenti aſperitatem verborum, lenitatem tamen corde opus eſt retinere. Ita equidem procedit nobiſcum Deus punit nos in hoc ſæculo cùm lenitate, vt ſolùm ſtimulos adhibeat acquirendæ ſalutis, at poſt hoc ſæculum cum jam locus meriti non datur, omni aſperitate puniet deſpectos ingratos damnandos, peccatores. Quocirca S Iob: 9. *Verebar delicta mea ſciens quia non parcis delinquenti.* Dat igitur modum B. Alb: Mag: ne quando ſub tam ſtrictum judicium & duram pœnitentiam deueniamus dicens. Bonum eſt chariſſimi, vt corrigamus nos antequam per Dei potentiam puniamur. Corrigimus autem, ſi nobis infligimus pro peccatis pœnas. Pſal:2. *Apprehendite diſciplinam ne quando iraſcatur Dominus & pereatis de via juſta.* Pro 20. Liuor vulneris abſtergit ſi mala judicium nobiſcum ſubire non detractemus metipſi. D. Paulus 1. Cor:11. *Quod ſi nos dijudicaremus non vtiq; judicaremur.* Alias, videbit gladium ex vtraq; parte acutum ab eo exeuntem. Si judicia Dei ante oculos ſuos præpoſuerimus. Iſidorus lib:3. cap:54. Qui judicia Dei oculis ſuis præponit, ſemper timens tremenſq; in omni negotio reformidat, ne de juſtitiæ tramite deuians cadat, & vndè non juſtificatur, indè potius condemnetur. De potentia Domini punientis Ioël. 2, *Ante faciem ejus ignis vorans, & poſt eum exurens flamma*: Quaſi hortus voluptatis coram eo, & poſt eum ſolitudo deſerti, neq; eſt qui effugiat eum. Quocirca viuentes nos in mundo hoc oportet ſic viuere vt in tugurio. Nam ſi mundus ſit quidam hortus pulcherrimus plurima ædificia delicata retinens vt viridariola diuerſa amænitate præſtantia; at conſi-

Punitio peccatorũ.

Corripiendũ ad ſalut.

Pœna hic & poſt, differunt.

Correctio noſtri triplex.

Punito qualis ſi adpuniendũ præcedunt talia.

Viuendum vt in tugurio.

conſiderandum eſt, quod in locis viridarij vmbroſis vbi ponunt delicias homines æſtiuo calido, ſæpius inueniuntur ſerpentes, ſcorpiones, & inſidiare & lædere valent, mixtas habet delicias malis mundus iſte, nec ædificia alta, nec ſumptuoſæ cameræ ſunt ſecuræ. Tuguria autem licet non ſalubria & humida ex parte ſunt, admonent tamen ſerio, quatenùs homo ſeſe peregrinum ſciat nec habere hîc ſociatum locum manendi, at illius manſio eſt in cœlis. *Viuo ego jam non ego* Nam ſi homo ſum, terrenus tamen eſſe nolo, obiter hîc viuo, totus verò animo, contemplatione, deſiderio; in cœlo. Sic igitur palatia arces manſiones noſtras vt tuguria potiùs & loca carceris & pœnitentiæ exiſtima. Malach: 4. *Conculcabitu impios, cùm fuerit cinis ſub plantapedum veſtrorum.* Hoc eſt. Conculcata à vobis erit omnis impietas, cùm peregrinatio veſtra, cum cinere hoc eſt meditatione humilitatis & mortis, conjuncta fuerit. Ita enim juſtitia Dei euitabitur. Prou: 28. *Viri mali non cogitant judicium, qui autem inquirunt Dominum aduertunt omnia.*

Tuguria admonent peregrinum.

Cinis ſub plãta.

Pro ſecundò pane. Nempè, dono intellectus. Nota. Humanum genus arte & rationibus viuit, dicit Ariſt. Erit igitur quidam panis hominis donum intellectus ſi illo viuit homo. Nam licet intellectus noſter ſe habet vt oculus nicticoracis, hoc tamen intelligendum eſt, non ſecundum impoſſibilitatem quàm habet ad lumen nicticorax, ſed ſecundum difficultatem, difficile enim videt ea quæ ſunt manifeſtiſſima in natura. Quod verò erat intellectui noſtro difficillimum, hoc jam factum fit dono intelligentiæ Spiritus S. nobis facillimum. Pſal: 118. *Reuela oculos meos & conſiderabo mirabilia de lege tua.* Talem verò manifeſtationem dat Spiritus S. duabus vijs. Munditia cordis noſtri. Matth: 5. *Beati mundo corde quoniam ipſi Deum videbunt* Et diligentia doctoris veritatem ex ponentis. Ita Chriſtus docuit Nicodemum Io: 3. Philippus Eunuchum Actor: 8. Petrus Cornelium Act: 8. Et omnes vniuerſaliter inſtruit dono intelligentiæ Spiritus S. & tali pane ſatiatus D: Aug. dicebat. Neſciebam quod palato non ſano pœna eſt panis. Habebat ille palatum ſanum ad ſumendum panem quotidianum, ſed non habebat palatum animæ ſanum ad intelligendum & comedendũ quod erat ſcriptum in literis ſacris. At vbi dedit illi Spiritus S. donum intelligentiæ, cognouit, quod ſit ille panis & ſuauiſſimus, Rem mirabilem adfero B: Thaclauaretus Indus Martyr Dominicanus in extaſ: ad S: Caluariæ montem tranſlatus accepit ibi à B. V. M: vas argenteum plenum liquore ſuauiſſimo, tranſlatus ad Domini ſepulchrum, in oſculo ſacri loci, B: Virgo tradidit ei vas aureum, quoddam manna continens. Cùm bibit de priore vaſe, infuſa eſt ei cognitio vtriuſq; teſtamenti & quæ ad ſalutem aliorum tradenda erant, cum labra admouit ad ſecundum vas,

vas, eorum ſcientiam percepit, quæ ad vitam futuram ſpectabant, viditque ſanctos in gloria, eorumq; locum & ordinem, pro ratione cujuſcunq; meritorum. Neq; mirandum de tanta ſpeciali gratia hominibus conceſſa, nam dicitur Pſa: 52.

Proſpicit Deus ſi eſt intelligens.

Deus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum, vt videat ſi eſt intelligens aut requirens Deum. Quid eſt quod proſpicit? Ante ſæcula omnes videt qui & quales in terra erunt, nec illius interumpitur vel immutatur ſcientia. Videt, vt diuerſis ſuis donis repleat illos & honoretur in terris, vt quoq; viſione illius, illorum viſio ratificetur, illuminetur, confirmetur. 2. Tim: 2. *Firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc, cognouit Dominus qui ſunt ejus.*

Tali dono Spiritus S. corroboramur ad cognitionem Angelorum & animarum beatarum in patria, in quibus tria intellectu videmus, primo. Claritatem. Et qui hîc ſolis claritatem conſpicere corporis oculis non valemus, illic videbimus intellectu majorem & mundiorem, claritatem. Excedit enim claritas Angelorum & Beatorum Sanctorum quamcunq; claritatem ſolis, non enim illorum gloria æterna cum corruptibili & mundana claritate comparari æqualiter valent. Id enim ibi claritatis cauſa eſt, quod creauit lumina, & illuminat æternitatis claritatem.

Claritas beatorũ & Angelorũ.

Ex tali dono Spiritus S. pullulat panis cognitionis Beatorum & Angelorum. Quem panem tunc guſtauit & cujus ſaporis Patriarcha S. cùm audiuit filium ſuum Ioſeph nedum viuere, ſed eſſe Dominum totius Ægypti? Miræ ſuauitatis, & excedentis manna filiorum Iſraël, habebit anima beata, dum conſpiciet Angelos in ſuo ordine, & beatas animas ſuis ingradibus cœli, dum videbit fidem formatam, accepiſſe id quod credidit, in multo lumine, & charitatem rutilantem, ſupra ſolem in cordibus beatorum. Erit ex tali dono mellifluo anima ceu diſmembrata, occupabitur enim ſpiritus ille tam dulci amæno, deſiderabili & inflectibili bono in dies ita, quod dies & tempora, imò æternitatis ſuæ fœlicitatem computare non poterit, imo nec comprehendere. Iſidorus de ſummo bono lib: 1. cap: 12. Suſcipitur homo à Deo, & reuerenter ſalutatur ab Angelo. Nam & Mariam Gabriel Angelus legitur ſalutâſſe, & Ioanni Angelum ſalutanti ab eodem Angelo dicitur. *Vide ne feceris conſeruus enim tuus ſum & fratrum tuorum.* Per quod agnoſcitur, per incarnationem Dominicam pacem hominibus fuiſſe & Angelis redditam. Etſi dum in vita homo fuit, tali dignatur honore, quantò dignabitur honore in cœlis, dum Angelorum thronis, beatorum agminibus aſſociabitur. Exod: 8. Magi dixerunt Pharaoni deficientes in tertio ſigno. *Digitus Dei hîc eſt.* Ita illi cum in corpus Eccleſiæ triumphantis redigentur erunt Chriſti Corporis, vel oculus, vel manus, vel cor, vel labium. Pro diuer-

Claritas beatorũ in cœlis.

diuerſitate ſuorum meritorum,loca occupabunt Angelorum, & in coronis ipſorum, præmia, præſentabunt dignitatis honorem, omnem prætioſum excedentem Saphirum & quarumcunq; gemmarum, dicent. *Digitus Dei hic eſt etenim.* Configurabit Iesvs Christvs, claritatem corporum claritati corporis ſui, reformata humilitate. Quod ſi tantæ claritatis erit corpus hominis beati; apprehendite, quæ erit claritas animarum Beatarum, & Angelorum Sanctorum.

Concordia Beatorum in cælo ſumma

2. Per donum intellectus concordiam Angelorum & Beatarum animarum, & conſenſum Spiritus & carnis cognoſcent, inquit B: Alb: Mag: Quantum hoc donum erit, vbi nullus ſuperbus luciper, nullus ſceleſtus Iudas, nullus iniquus latro amplius reperietur, ſed continua pax inter Angelos, omnimoda concordia inter beatos, ſingularis vnio inter corpus & animam, concipietur Talem perſuadebat ſapiens Eccl: 4. *Pro juſtitia, agonizare pro anima tua, & vſq; ad mortem certa pro juſtitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos.* Quocirca Auguſt: tantam Dei charitatem erga hominem explicabat his verbis. Non eſt Domine abbreuiata manus tua vt ſaluare nequeat, nec grauata auris tua vt non audiat, ſed ſemper te exhibes præſentem, ſemper te paratum offers ſi me paratum inueneris, quocunq; iero tu nunquam deſeris me, niſi prius ego deſeram te. Ad tantam corcordiam ſolicitat nos ipſe Dominus, & diſcordes à ſe, reuocare conuerti cupit. Ad nummos Imperatorum collectis varijs floribus fructibus palmis ad cornucopia adſcribebant. CONCORDIA AVGVSTI. Leuis hæc ſignificatio. Cito hi marceſcent fructus, citò decident folia, rara enim concordia inter fratres, & inter Patrem & Filium excitatur bellum. Nulla concordia nobilior quã inter Deum & hominem, inter Angelos & Sanctos, inter animam & carnem, hæc enim cum ex puro corde procedit, nunquam deficit ſed continuò accreſcit. Ita Iſidorus lib: 1. cap: 12. faciendo, & reſoluendo quæſtionem, demonſtrat. Si Deum Angeli contuentur & vident, cur Petrus Apoſt: dixit. *In quem deſiderant Angeli Dei conſpicere.* Si verò non contuentur nec vident, quomodo dixit Chriſtus. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris qui eſt in cœlis.* Sed benè vtrumq; eſt. Nam veraciter credimus quod Deum Angeli vident & videre deſiderant, & habent & habere feſtinant, & amant & amare nituntur. Si enim ſic videre deſiderant, vt affectu deſiderij non perfruantur, deſiderium hoc neceſſitatem habet, neceſſitas iſta pœnalis eſt. Sed à Beatis Angelis omnis pœna longè eſt, quia nunquam ſimul pœna & beatitudo conueniunt. Rurſum ſi eos dicimus Dei viſione ſatiari, ſatietas faſtidium habere ſolet, & ſcimus illos Dei viſionẽ quàm & deſiderant faſtidire non poſſe, quid ergo eſt, niſi vt miro modo ſimul

mul vtrumq; credamus, quia & deſiderant & ſatiantur. Sed deſiderant ſine labore,& ſatiantur ſine faſtidio. Ne enim ſit in deſiderio neceſſitas, deſiderantes ſatiantur, ne ſit in ſatietate faſtidium, ſatiari deſiderant. Vident ergò Angeli faciem Patris per ſatietatem, ſed quia ſatietas iſta faſtidium neſcit, Angeli deſiderant in eum proſpicere ſemper. *Hæc ille.* Hoc quoq; eſt deſiderium & animarum beatarum, cùm nunquam ſeparari à ſuo ſponſo & Deo ſatagunt. Sed viatoribus in tanta ſpeculatione Deum oratione noſtra inuitemus, vt quod nobis parauit & promiſit, nobis diſpoſitione & gratia ſua conferat. Aug: lib: 15. de Trit: cap: vlt. ita effecit. Coram te Domine eſt firmitas & infirmitas mea: illam ſerua, iſtam ſana. Coram te eſt ſcientia & ignorantia mea, vbi mihi aperuiſti, ſuſcipe intrantem, vbi clauſiſti, aperi pulſanti. Meminerim tui, intelligam te, diligam te. Auge iſta in me, donec ad integrum reformes me.

Charitas Beatorum perfectiſſima.

Etiam commonſtrat perfectiſſimam charitatem Angelorum & Beatorum, donum intellectus Spiritus S. cùm Zacharias dimiſſa turba exterius, ingreſſus fuiſſet ad altare incenſi, deſcendit Angelus & ibi nuntiauit Ioannem. Luc: 1 Quid fecit in Angelo talem motum? charitas ipſa. Dilexit Deum Zacharias, dilexerunt quoq; Angeli Zachariam. In charitate perpetua dilexit quoque Deus Zachariam. Greg: in Moral: Mens noſtra ad contemplanda interna non perducitur, niſi ab his quæ exterius implicant, ſtudioſè ſubtrahatur. Igitur quos Spiritus S. ſic diſpoſitos inuenit, accendit, & formam ſuæ virtutis & conſtantiæ in eos imprimit, vt omnia valeant fortia ſuperare. Suadet igitur his poſitis B. Alb: Mag: Donum ergo chariſſimi eſt, vt per charitatem mutuam ad Angelorum & Sanctarum animarum conſortium peruenire laboremus: Miles optimus qui ſolius nominis & gloriæ auidus eſt, vires, ſubſtantiam, laborem effudit in hoſtem, vt duntaxat quod deſiderat conſequatur. Exhibet junctam cum viribus artem. Ita militi ſpirituali certandum eſt charitate, vt inter nitentes charitate Angelos, computari poſſit. Clementis 7. Nepos Hippol: Medices, cùm admonitus fuiſſet, ne tot miniſtros teneret, quibus nec illi opus eſſet, dixit. Verùm eſt, me tot miniſtris opus non habere, at illi me opus habent. Eſt equidem laudabilis Deus in ſeipſo nec laude & conſortio hominum opus habet,& creare potuit alios Angelos in locum dejectorum, at quia non miſeri & pauperes & ejecti de paradiſo opus habemus Deo, idcircò charitas Dei eſt & Angelorum, quod deſiderent nos ad conſortium ſuum, & Dei æternũ honorem. B: Nilus. Sanctorum neceſſaria nobis communicatio, per illos enim nobis cum Deo fit conciliatio. Charitas igitur illorum facit qui nos tantò proſequuntur amore, vt ſedibus cœli nos congaudere & con-

Deus & Angeli beati deſiderant nos ad conſortium ſuum.

concupiſcant & curam adhibeant. Ad Hebr: 1. *Nonne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi, propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis.* Aug: lib: 10. Confeſſ: cap: 3. Tibi Domine quotidie confitetur conſcientia mea, ſpe miſericordiæ tuæ ſecurior, quàm innocentia ſua.

Pro 3. Pane, nempè conſilio. Nota. Status hominis periculoſus, malis enim mixtus eſt mundus, & iniquitas habere pacem cum juſtitia non poteſt, temperantiam odit, ebrietas, non amat ſuperbia manſuetudinem, falſitati nulla eſt cum veritate concordia, conſilium igitur neceſſarium à Spirit: S: quia ſicut ſine pane vel paſtu homo viuere, ita ad cælorum conſortium introire ſine recto conſilio non poteſt. Conſilium igitur triplex Spiritus S. dat, vt inſtruit B: Alb: Mag: Primum. Mala fugiamus. Dum contra Neronem tumultum fecerunt Galli. Scribebant Romani in columnis. Galli te cantando excitârunt. Preſſus enim vitijs Nero erat, vnde excitatus ſeditione ad virtutem, expergefactus eſt vt effugeret malum caſus pro conſilio. At ſaniſſimum conſilium eſt aſpiranti ad cœlum. Fugere mala. *Caſus pro conſilio.* Sunt qui fugiunt peccata amore Dei, ſunt qui fugiunt timore ſupplicij, ſed quanta inter hæc ſit differentia audiamus. Iſidor: lib: 2. c: 21. Qui amore charitatis Dei, non peccat, horreſcit omne malum amplectendo juſtitiæ bonum, nec eum delectat peccatum, etiam ſi ſceleris impunitas promittatur. Qui verò ſola pœna ſupplicij in ſe vitia reprimit, quamuis non expleat opus peccati, viuit tamen in eo voluntas peccandi, doletq; ſibi eſſe illicitũ, quod lex prohibere dignoſcitur, ille ergò mercedem boni operis percipit, qui amando juſtitiam facit, non is, qui eam ſolo metu pœnarum inuitus cuſtodit. Clarius docuit D: Aug: Tract: 7. in Canon: Ioan: fugere Mala. Cùm enim apprehendunt aliquem peccata & in præceps trahunt, tunc conſilium eſt difficilius fugiendi malum. Dat igitur conſilium D: Aug: à Spiritu S. Fluuius rerum temporalium te trahit, ſed tanquam circa fluuium arbor nata eſt, Chriſtus videlicet homo factus, raperis in præceps, tene lignum, voluit te amor mundi, tene Chriſtum. Dicitur enim Ezech: 36. *Non propter vos ego faciam, ſed propter nomen Sanctum meum.* Fugere igitur malum principalius debemus ob amorem Dei. Nam ſi Alexandrum Magnum in tanta conjecit pericula & labores in bellis cum barbaris amor Dominij. Si Iacob ſeruiuit tot annos pro Rachel ex concepto amore, ſi mercator, nauta, miles tot naufragia, vulnera, ſumptus patitur ob amorem alicujus boni, cur homo non amplius proponere ſibi debet amorem Dei ſui creatoris, redemptoris, beatificatoris? Et ſi ille amor vilium rerum tantum in homine poteſt, quantum poterit in homine verus amor Dei, regnum Chriſti conſolatio Spiritus S:

verâ

vera pax, libertas, ſummum bonum. Prou:8. *Beatus homo qui audit me, qui vigilat ad fores meas quotidie & obſeruat ad poſtes oſtij mei. Qui* enim *me inuenerit inueniet vitam & hauriet ſalutem à Domino.*

Secundum conſilium, Bona facere. Nota: Præſupponit quoddam opus tale conſilium, nempè correctionem à malo. Inquit enim B: Iſidorus Tripartitus deſcribitur eſſe vniuſcuiuſq; conuerſi profectus, primus corrigendi à malo: Secundus faciendi bonum, tertius conſequendi boni operis præmium. Cùm igitur Spiritus S: dat conſilium facere bonum, jam illud donum præſuppoſuit, & fecit, nempè correctionem à malo. Seneca Epiſt: lib: 5. Epiſt: 41. Quem laudare hominum debeas ita expoſuit. Lauda hominem in eo, quod dari nec eripi poteſt, & quod eſt proprium hominis, hoc autem nec domus eſt pulchra, nec veſtis nec familia, ſed animus & ratio perfecta. Quid ergò perfectius eſſe poteſt homini ratione prædito, quàm vt ſecundum rationem viuat, corrigendo ſcilicet mala & faciendo bona? Hinc B: Iſidor. Iudicium quod in hominis poteſtate conſiſtit, conuerſionis eſt gratia, per quàm nos metipſos judicamus, quando flentes mala noſtra punimus, & bono quod ex Deo nobis eſt ſolidius inhæremus. Formauerat quodam Symbolum. Gallum, ad cujus partem, erat ſtella micans. Et dedit ad legendum. NEC MINOR INDE FAMA EST Quid voluit ſignificare? Exiſtimo, diſpoſitionem ad actionem bonam. Victus enim gallus tacet, victor verò cantat. At dum tacet, cogitat de victoria, & dum colligit vires, ceu nouo feruore *inſilit* & victorem fugat. Et non minor inde fama illi ſuccreſcit, dum loco victorem mouendo, in fugam conuertit. Non diſſimili modo, cùm homo ſeſe correxit à malo, & hoſti terga jam vertit, profectò, non modicam inde collegit ſpem ad virtutis bona. Faciet ille bonum, qui in ſe correxit malum. D: Bern: ſerm: 16. in Cant: Modus ſciendi eſt, vt ſcias, quo ordine, quo ſtudio, quo fine quæq; noſſe oporteat. Videlicet, vt id prius, quod maturius ad ſalutem, ſecundò vt id ardentiùs quod vehementiùs ad amorem, tertium vt tantum ad ædificationem tui & proximi. Et quid in his gradibus penſandum, quàm vt primò corrigas mala, ſecundò, vt facias bona, tertiò vt ex ardenti opere in amore Dei & virtutum, tibi & proximo fias exemplum. Maturandum enim eſt incorrectione mali, quia hoc eſt ad ſalutem fidelis hominis primùm tum opera exercenda, per illa enim teſtificamus ardentem & vehementem amorem in Deum, ac per hoc ſurgere ad ædificandum proximum incitamur. Carolo V. Imper: poſt felicem Victoriam de Saxonibus & repentinam quaſi, gratificabatur quidam. Veni, vidi, vici, correxit, ille, vt diceret. Veni, vidi, ſed Deus vicit. Igitur & tu veni in cogitatum tuum, vide malum,

Spes peccatoris à peccato conuenit.

lum, corrige illud bono, & cooperatorem tibi fuiſſe cognoſce Deum.

Donum conſilii Spiritus S: in Deo ſperare. Pro tertio conſilio, nempè, oculo in Domino figendo. Nota. Pſal. 24. *Oculi mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe eripiet de laqueo pedes meos.* D. Bern. ſerm: 15. in Pſal. 90. *Quoniam in me ſperauit liberabo eum.* Dulciſſima (inquit) liberalitas Domini, ſperantibus in ſe non deeſſe. Hoc enim hominis totum eſt meritum, ſi totam ſpem ſuam figat in Deo ſuo: Planè non derelinquet ſperantes in ſe adiuuabit eos & liberabit eos. Quare! quibus meritis? Quia ſperauerunt in eo. Dulcis cauſa efficax & irrefragabilis Sub oculo Domini manere iucundum & delectabile eſt, ſed bonis, non peruerſis. Pſal. 137. *Excelſus Dominus & humilia reſpicit & alta à longe cognoſcit.* Ibi D. Auguſt. ſub oculis Domini eſt & humilis & elatus, ſed humilem quia placet pro ximius videt, videlicet ad miſericordiam, ſuperbum quia diſplicet, longinquius agnoſcit, videlicet ad vindictam. Altum igitur conſilium Spiritus S. vt oculos ſpei noſtræ ad Deum habeamus, ſed humiles non ſuperbos. Alcibiadem Principem Athenienſium inquit Val. Max. lib. 6. cap. vlt. duæ fortunæ partitæ ſunt, altera quæ illi nobilitatem maximâ, abundantes diuitias, formam præſtantiſſimam, fauorem ciuium propenſum, ſumma imperia, præcipuas potentiæ vires, flagrantiſſimum ingenium aſſignaret; altera, quæ damnationem, exilium, venditionem bonorum, inopiam, odium patriæ, violentam mortem infligeret. Oculi hominis ſunt ceu fortuua quædam, humiles, quæ ſperant in Domino, & ſunt ad eũ ſicut oculi ſeruorum, ſunt oculi bonæ fortunæ, ſuperbi verò oculi, ſnnt fortunæ malæ & aduerſæ. Vndè inter ſeptem quæ odit & abominatur Dominus eſt primum, Pro 6. *Oculi ſublimes.* Humili igitur oculo, deuoto & pio aſpiciendus Dominus, vt fiduciæ noſtræ præmia reportemus. At quia Dominum cæli, ad filium Dei, noſtrum redemptorem ſpectat, dirigendi ſunt oculi ſpei noſtræ ad ipſũ, tum quia ille eſt aduocatus noſter ad Patrem, tum quia per ipſum eſt noſtræ fiducia ſpei. D. Aug: ſer. 107. clare de hoc. Niſi de illo ſanguis manaret, chyrographum peccatorum noſtrorum adhuc maneret. Ægrote, quomodo ſanaberis, ſi de medicamento tuo erubeſcis? Forte vltima verba ad Iudæos direxit, ſed ad ſuperbos, ingratos, blaſphæmos, negligentes & pigros, ſunt quoque dirigenda. Ægrote quomodo ſanaberis? ſi de medicamento tuo ſuperbis in ſuperbia tua; non curas, in tua ingratitudine, irrides, in tua blaſphemia, torpeſcis, in negligentia, fætes in tua pigritia. O heu, quã durum eſt Angelis, cum hominem vident translatum in Deum, plus moribus diabolo quam Deo coæquari. Ante enim dum filius Dei homo non erat deſpiciebatur homo, modo verò honoratur ab Angelis; dum

Oculi homi- nu ad Deu

dum conſpiciunt duritiam cordis & nequitiam, tollere de medio hominum ſicut malos Angelos de cælo non repugnaſſent, ſi Dei voluntas adfuiſſet. Vnde dolent plurimum malum ingrati & ſuperbi hominis. Iſid. lib. 1. cap. 12. Ob hoc homo in veteri teſtamento deſpicitur nec re ſalutatur ab Angelo, eo, quod homo adhuc nondum tranſiſſet in Deum, ſit igitur in monitorium ſpei noſtræ & oculorum tendentium in Deum D. Aug: contemplatio. Ille ſe mente collocabat inter Chriſti vulnera & Sanctiſſimæ Deiparæ vbera, aiebatque. Hinc paſcor à vulnere, hinc lactor ab vbere, poſitus in medio quo me vertam, neſcio.

Pro 4. Pane. Nota. Fortitudo donum Spiritus S. ſuperat omnem fortitudinem hominum & Angelorum. Omnis dux, triumphator, bellator ſummus, puer, comparatus fortitudini eius. Exod. 15. *Fortitudo mea, & laus mea, Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem.* Nedum victoriam, ſed laude ſpecioſam & ſalutis indamnabilem, tribuit victoriam, munito fortitudine Spiritus S. At quia fortitudo eſt virtus & donum. De virtute, dicit. Iſid. lib. 2. cap. 29. Aduerſus conuitium linguæ fortitudo adhibenda eſt patientiæ, vt tentationis verba quæ foris impugnant, tolerantiæ virtute deuicta diſcedant. Firmat enim animum virtus fortitudinis, ſecundum modum cõnaturalem homini, inquit S. Thomas. Donum verò, firmat animum ſupernaturaliter: Dat enim fiduciam euadendi quælibet pericula & perueniendi ad finem cuiuslibet operis hîc in via, in patria autem, dat perfrui plena ſecuritate, à laboribus & malis. Totius fortitudinis noſtræ ponit ſcriptura, clauem & radicem, clauem ſcilicet Dauid & radicem Ieſſe. clauem enim vocat, ſceptrum domus Iſraël, quo educitur vinctus de domo carceris. Radicem verò ponit in ſignum populorum, quem gentes deprecabuntur. Conſiderabat id deuotus Granatenſis, de Deuotione, & ait: clauis nobis eſt neceſſarius omnis vtilitatis noſtræ diligentia ſcilicet & fortitudo, radix vero malorum, nempè pigritia & negligentia eſt vitanda: Nam vult & non vult piger vult cum intuetur virtutum pulchritudinem, non vult, cum ſentit difficultates quæ in ijs ſunt. Tanquam animalia imperfecta ſunt, habent vnam potentiam naturalium ſcilicet deſiderium, alteram verò quæ eſt fortitudo non habent. Diligens verò fortis eſt ad ea quæ animæ ſunt. Prou: 11. *Cogitatus robuſti ſemper in abundantia, omnis autem piger ſemper in egeſtate eſt.* Igitur Roborati pane fortitudinis diabolo reſiſtamus; Nam tunc cognoſcimus ſpiritum malum eſſe in aliquo, ſi in eo ſit odium, impudicitia, ſuperbia, impatientia, diſcordia, &c. Tunc vero ſpiritum bonũ, ſi ſit in eo dilectio, humilitas, manſuetudo, caſtitas, vnitas, pax, patientia, &c. Quia illa ſpiritus malus in impijs operatur, iſta verò Spiritus S.

Clauis & radix.

Quomodo Spiritus S. cognoſcitur in eſſe.

S. Monicam videndo Deũ laudabunt.

tus S. in iuſtis. Aug: lib. 9. Confeſſ: cap. 9. de Monica Matre ſua dicit: Quiſquis ſeruorum tuorum eam nouerat, multum in ea laudabat, & honorabat, & diligebat te Domine; Cur ita? quia ſentiebat præſentiam tuam in corde eius: ſed quibus indicijs? Sanctæ conuerſationis fructibus, teſtibus, 1. Cor: 12. *Vnicuique datur manifeſtatio ſpiritus.* Id eſt donum ſpiritus vnde manifeſtatur & intelligitur ineſſe. Præmonuit nos Iſidorus. Argumenta machinationum malorumque cogitationum ſemina quæ in cordibus hominum diabolus fundit, ita ſæpè vndiq; captam implicant mentem, vt ex qua parte euadere quis tentauerit, ſine periculo exire non poſſit: veluti, ſi iures hoc facere, quod ſi feceris pecces: ſi non feceris, reus periurij ſis. In tanto ergo mali diſcrimine vt euadendi aditus pateat, minora potius eligenda ſunt, vt maiora vitentur. Diaboli igitur talia argumenta cornuta, docet Spiritus S. diſſoluere & diſplodere. Reſiſtite fortes in fide, & charitate, Refert S. Bonauentura. S. Franciſcum habuiſſe ouiculam quæ dum in templo canerent, & ipſa in templum ingreſſa flectebat genua, emittebat balatus ante altare B. V. M. ac ſi eam ſalutare geſtiret, cum eleuaretur SS. Sacramentum, flexis curuabatur poplitibus, tanquam ſi indeuotos de inreuerentia argueret, Chriſtoq; deuotos ad reuerentiam excitaret. *Hæc ille.* Diſcite igitur reſiſtere diabolo, ſicut hæc ouicula quodam modo reſiſtebat irrationalitati ſuæ.

Diaboli argumenta cornuta.

Etiam roborati panc fortitudinis reſiſtere debemus mundo deſpiciendo ipſum, fugiendo ab eo, & pugnando, ſummũ Athletam requirebat aduerſarius mundo, nam rarus qui non ſequatur eum, licet tanta decreta contra mundanos propalauerit Chriſtus vt collegit B. Alb: Mag: Magiſter ergò & ſchola requirebatur tanto Athletæ ſuperior dignitate quam fuerat Herculis & Achelli, at quia ſub luna non inueniebatur, ipſe Spiritus Sanctus factus eſt Magiſter & inſtructor contemptoris & rebellatori mundo. 2. Petri. 1. *Qui vocauit nos propriá gloriá & virtute, per maxima & prætioſa nobis promiſſa donauit, vt per hoc efficiamini diuinæ conſortes naturæ, fugientes eius quæ in mundo eſt concupiſcentiæ corruptionem.* Diuus Greg: in homil. Sancti florentem mundum calcauerunt mentis deſpectu. Erat vita longa, ſalus continua, opulentia in rebus, fæcunditas in propagine, tranquillitas in diuturna pace, & tamen cum in ipſo florerent in eorum cordibus mundus aruerat. Ecce iam mundus in ſeipſo aruit & adhuc in noſtris cordibus floret, vbiq; mors, vbiq; luctus, vbiq; deſolatio, vndiq; percutimur, vndiq; amaritudine replemur, & tamẽ cæca mente eius amaritudines amamus, fugientẽ ſequimur, labenti inhæremus, & quia labentem tenere non poſſumus cum ipſo labimur. Hæc retrahere poſſunt à mundo hominem. Nam ſi Moyſes filios Gad retraxit ne ma-

Spiritus S. docuit poſt Chriſtum de ſpreto mundo.

Sancti poſt mundum.

Retrahimur à mũdo per Chriſtum & SS.

ne manerent in Galaad dicens. Nũ. 32. *Quare vultis frangere vires fratrum veſtrorum ne vadant ad terram quam Dominus eis promiſit, Nunquid fecerunt ita patres veſtri?* Multò magis nos à dilectione, ad contemptum mundi retrahere poſſunt verba Chriſti & SS. Doctorum. Chriſti: *Quicunq; voluerit eſſe amicus huius ſæculi inimicus Dei conſtituitur.* Sanctorum Doctorum. Docent enim quia ita non fecerunt Patres noſtri, Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, Confeſſores. Auguſtus Ceſar ad collum ceruæ iuſſerat adpendi legenda: NOLI ME TANGERE. Forte ſecuritatis gratia; Sed melius mundo, ceruæ ſemper carnalia appetenti, id adſcribendum: NOLI ME TANGERE. Quicunq; enim mundum tetigerit, fœdabitur, inquinabitur, polluerit. Eſt enim mundus, lutum ſordidum, ſtercus putridum, fex inteſtinarum, ſterquilinium diaboli macella ſanguinum. Accipe ob oculos ipſum hominem Dominum mundi conſtitutum, & cognoſces, quod ille non aliud ſit quàm concha fætorum, vas immunditierum, turpitudinum cõgeries, illuſio dæmonum, & ſaccus vermium. Hinc Iſaiæ 51. clamitabat: *Leuate in cælum oculos veſtros & videte ſub terra deorſum.* Vt quid terra videnda? ſufficit cælum, vtrumq; iubet videre, quia cæli licet tam lucidi & pulchri oculis hominum, tamen ſicut fumus liqueſcent, & terra, ſicut veſtimentum attereturs, & habitatores eius ſicut hæc interibunt, ſalus autem mea inſempiter-

Ceruæ ſignum.

Noli me tangere.

Mundus immundus.

num erit, innuit. Non ergo mundũ quærite, poſſidete, ſed nè Deum veſtrum. Pono ad conſiderationem hoſtilitatis mundi, Andronicus Maior Imperator Magnus deuotione & religione vir, cum in ſe, mundus, Domini anhelantèm nepotem Andronicum inſtimulauerat, venit ille in palatium vt hoſtis, at cum in oratione ad B. V. & Chriſtum inuenit, mundus repreſſus fuit. Iterum Pincernam vt Imperator poſſit acclamari perſuaſit mundus militi iniquo, orauit ille Deum, ſtetit ſuffuſus mundus. Inſilijt igitur ipſe, immiſit morbum nocte intempeſta ſubito, cum neminem haberet qui illi diuina myſteria impartiretur, ſurrexit & Deiparæ imaginem quam in ſinu geſtabat, loco SS. Euchariſtiæ in os inſeruit, & ita oppreſſus eſt. Vide hoſtem mundum; & Dominũ & vitam & animam auferre contendit ſed qui deſpicit mundum, inuenit ſubito ſalutare remedium.

Andronicus Imperator.

Imago B.V.M. pro Euchariſtia.

Tertium hic panis fortitudinis doni Spiritus S nobis ad fert, quod carnem ſpiritui ſubijciamus. Plerũque carnem ſubiunt aliqui timore legum, timore pænarum, at hoc ipſa ratio præmonſtrat, ſed qui ſubijcit carnem ſpiritui timore & amore Dei, hunc inſtruxit Spiritus S. qui talem donauit fortitudinem. Vnde D. Paul. Rom. 8. *Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis.* Perquem ſcilicet iam non peccati pæna ſeruos comprimit, ſed amor iuſtitiæ, liberos facit. Quã verò

Carnẽ ſubijcere ſpiritui duplici more.

vero iuſte debeamus ſubijcere carnem ſpiritui, docet B. Iſid. lib. 1. cap. 14. Vita corporis, anima Ergo ſubicienda caro illi, vt excellentiori. Vita animæ, Deus igitur & hæc Deo ſubijcienda, corpus mortuum ſine anima, morietur quoq; anima ſi ſubjecta erit corpori. Anima mortua ſine Deo Ergo ſi moritur ſine gratia Dei, magis morietur ſine gloria ejus, hîc enim Deus eſt animæ vita per gratiam, illic verò erit per gloriam. Alteram ſubijciendi corporis ſpiritui idem B: Iſid: ad finem capitis ponit. Multum ex ſua natura ſplendorem poſſidet anima, ſed fuſcatur commixtione carnis qua detinetur incluſa. Ex ejus enim parte vertitur ad peccandi infirmitatem. Ita enim Salomon. Sap: 9. *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena habitatio ſenſum multa cogitantem.* Ne igitur anima facta per regenerationem baptiſmatis ſplendida, amittat ſplendorem, nec ex commixtione fuſca reddatur; ſubijcienda eſt ſpiritui, vt principali parti minùs principale, nec ad alium finem, niſi vt vtrumq; Deo & Chriſto in læticia ſeruiant, ſicut ad Coloſ: 3. dicitur. D: Aug: Cito præterit quod delectat, & permanet ſine fine quod cruciat. Sub monento enim libidinis impetus tranſit, & permanent, ſine fine infœlicis animæ opprobrium. Attende quod confert caro animæ ſi ſibi ſubjecerit ipſam. Si verò anima ſibi ſubjecerit carnem: audi S: Bern: ſerm: 2. de Omnibus Sanctorũ Tripelex dat gaudium. Ante mortem de bono conſcientiæ teſtimonio; In morte quia eripiuntur de præſenti ſæculo nequam; poſt mortem quia intrant in gaudium Domini ſui, quod nemo tollet ab eis. At nedum finis boni animæ, ſed meretur quoq; benedictionem & ſuis domeſticis. Pſal: 101. *Filij ſeruorum tuorum habitabunt, & ſemen eorum in ſæculum dirigetur.* Ad vlteriorem conſolationem eis qui macerant corpus ad ſubijciendum ſpiritui adfero ex Hiſtoria Carthuſianorum. Anno 1313. F. Petrus Fauerius in extrema ægritudine ſuſceptis ſacramentis ſolus cum eſſet, Satan objecto volumine peccatorum ad deſperationem inducebat, ad fuit B: V: M: cùm filio in vlnis dicens. Per hunc puerum quem vides, omnia peccata tua ſoluta ſunt. Diſparuit Satan, & morienti acceſſerunt ſancti. Cùm diceretur in Litanijs. Omnes ſancti orate pro eo, ille manu eleuata, vita functus eſt. Cui tale adjutorium, cui talis præſentia? cui talis conſolatio? Ei qui ſubjecit Spiritum Deo & carnem Spiritui. Ad Rom: 8. *Nihil damnationis eſt ijs qui ſunt in Chriſto IESV.* Qui non ſecundum carnem ambulant. Aug: lib: 12. cap. 12. Quando ratio refrenat commotam cupiditatem, non labitur in peccatum, ſed cum aliquanta luctatione, coronatur.

Pro quinto Pane, nempè dono ſcientiæ, Nota. Tria cogitanda nobis proponit, vndè venerimus, quid ſimus, quomodo erimus. Non melior,

Vita corporis & anima qua

Quid dat anima ſi ſubiciatur corpori & contra.

B: F... uerius

Morit... ti app... B. V. Ieſus Chriſt... in San... cti.

Homo... tria ... gitare debet.

lior, vtilior, fortunatior homini eſt cogitatio. Ex ſordido hominis principio, non deducemus niſi ſordidum ipſius finem, media verò quia proportionata fini fieri debent, non erunt niſi quoq; ſordida. Primus parens formatus ex in limo terræ, conſequenter ſordido, prima mater formata ex Adæ lateris oſſe, quæ erat cooperculum infectorum naturaliter inteſtinorum, nos verò, qui ex infectis peccato, quo tota natura corrupta eſt, nati ſumus parentibus, quali ex materia ſumus, abomibile eſt fœditatem cogitare. Hinc eſt quod plorat Papa Innocentius de vilitate conditionis humanæ, dicens: Quis det oculis mei fontem lachrymarum, vt fleam miſerabilem conditionis humanæ ingreſſum, culpabilem conuerſationis progreſſum, damnabilem diſſolutionis egreſſum. Conſideremus enim cum lachrymis, de quo factus ſit homo, quid facit homo, & quid facturus ſit homo. Sanè formatus eſt de terra, conceptus eſt in culpa, natus eſt ad pœnã. Agit praua, quæ non licent: turpia quæ non decent: Vana, quæ non expediunt. Agit ſimiliter praua quibus offendit Deum, offendit proximum, offendit ſeipſum. Agit turpia quibus polluit famam, polluit conſcientiam. Agit vana quibus negligit ſua, negligit vtilia, negligit neceſſaria. Fit cibus ignis qui ſemper ardet & vrit inextinguibilis: eſca vermis qui ſemper rodit, ſemper comedit, immortalis maſſa putredinis, quæ ſemper fœtet & ſordet horribilis. Iſa:41. *Ecce vos eſtis ex nihilo & opus veſtrum ex eo quod non eſt, abominatio eſt.*

Altera conſideratio, quia in medio laqueorum ſumus & habitamus. Eccl:40. *Iugum graue ſuper filios Adæ à die exitus de ventre matris eorum vſq; ad diem ſepulturæ in matrem omnium.* Quaſi primum & ſummum vinculum nominauit cum jugum dixit, & addidit, *Graue.* Namſi caput in jugo, jam & manus & pedes in compedibus ſunt. Aug: lib: Confeſſ: Mundus quid? niſi fragilis, plenus periculis, & per tot pericula peruenimus ad majus periculum. Vide ergò vbi nunc ſumus in vinculis, in jugo, in periculis, inter laqueos. Optime S Petrus Chryſol: ſerm: 10. ad finem. Homines ſumus ſub incertò viuentes, & neſcimus quid pariat ſuperuentura dies. Accipe primam hominis originem, parentes noſtri, facti nudi & pulſi è paradiſo: Abel à fratre occiſus, Iacob fugatur. Ioſeph venditur, Dauid perſequitur. Elias à Rege. Daniel ab iniquis, & quis non videt vſq; in hæc tempora, vbiq; laqueos homini paratos? Quicquid eſt morborum, gladiorum, veneni, carcerum, flagrorum, ſclopetorum, inediarum, tormentorum, & ſi quid cogitari poteſt ſimilium, id totum contra hominẽ. Milites cum ducibus, Iudices cum carnificibus, leges cum decretis, ſuperiores cum ſubditis, omnia hæc contra hominem. Feræ, ſerpentes, reptilia, muſcæ, mures, flagella ſunt hominum. Quid dicam de propria car-

Mundus laqueum hominis.

carne, mundo dæmonibus, nullus amicus, ſed inimicus. Contra bonum tot mala; contra virtutem, tot hoſtes; contra ſanctitatis intentum, tot mendacia, blaſphemiæ, & artes dæmoniorum. Caſſiod: Epiſt: 6. Graue munus eſt vt fructu laboris ſui fraudetur induſtrioſus, & cui debet pro ſedulitate conferri prœmium, diſpendium patiatur & malorum omnium probatur extremum, vt inde quis cogatur detrimenta ſuſcipere, vnde credebat auxilium prouenire. Hæc verò homo à mundo continuè patitur. *Hæc ille.* Statuæ ex marmore atro formatæ quæ aliquam partem in pectore albi marmoris habebat, addiderat legendum Areſius. *ADÆQVABIT NIGRAS*, puta partes illa pars alba. Succeſſu enim temporis, injuria aëris & pruinæ candidum colorem amittet. Ita ſi quid habet homo in hoc mundo læti & amæni, inter tot mala vix apparet, & temporum ſucceſſu in dolorem vertetur.

Laqueus hominum ſuperbia. Sed laqueos præcipuè tres ponit hominum B: Alb: Mag: id eſt ſuperbiam. *Iſidorus.* Superbia ſicut origo omnium criminum, ita ruina cunctarum virtutum. Illa enim per virtutes & vitia humanam mentem exterminat. Exod: 9. Moyſes projecit cineres verſus cœlum, & facta eſt plaga veſicæ & cinerum ita vt nullo modo fœtor tollerabilis eſſet. Quid ſuperbis terra & cinis, Elatus iſte cinis ad cœlum, tam odibilis fit Deo, vt ſubitò plaga fœtens & intollerabilis accedat. Greg: in Moral: Septem vitia capitalia de ſuberbia virulenta radice proferuntur. At ſicut mala multa ex ſuperbia, ita plurima ſupplicia & inſperata manent ſuperbū. Granatæ Rex Mahometus habuit in carcere fratrem Abulem. Cùm morti proximus veritus eſſet ne filium regno exueret, ſumendum de Abule ſupplicium miſit, Rogat duas horas differre ſupplicium, non obtinet, rogauit tantam temporis donec latrunculorum luſum finiret, obtinuit. Interim nuntius venit Mahometum mortuum, & Abulem electū Regem. Ita ſuperbas, ſuperbe ſupplicia ſuperborum repoitauit. 2. Auaritiam. *Auaritia laqueus.* Hac enim irretitus diues ſepultus eſt in inferno Alphonſus Aragonis Rex dicere ſolebat, olim totius vniuerſi imperium inter Iouem, Neptunum & Plutonem fuiſſe diuiſum, & horum vnumquemq; ſua portionè contentum ab alterius imperio abſtinere. At apud homines longè aliter euenire, quorum nemo ſua ſorte acquieſcit imò quicquid alteri acceſſerit, vnicuiq; ſibi decidere videri. Rabonus ſup: Matt: 6. Opes malignæ auaritiæ, bonis animis deteſtandæ, quem illæſum, quem inconcuſſum dimittitis? Tu genus hominum confudiſti, tu diſcipulum comitem Chriſti Iudam Apoſtolum præcipitaſti, tu milites cuſtodientes ſepulchrum captiuaſti. Nunquid non benedictum eſt, *pecuniæ obediunt omnia?* Ad columnas Herculis medio mari erectas ad notatum fuit. *PLVS VLTRA.* Ita quidem ſemper

aua-

auarus intendit. Plus vltra colligere addere bonorum, ſed cum audiet. *Stulte hac hora morieris & hæc cujus erunt?* Sentiet plus vltra pœnarum & damnationis, quàm intentione ſua, bonorum colligere & affectu comprehendere, poteras. 3. Laqueum ponit mulierem fornicariam. Hieron. Ad Pamma. Nihil eſt periculoſius viro quàm fœmina & contra, vterq; ignis, vterq; ſtipula. Et in Epiſt: ad Nepotianum. Non Samſone fortior, non Dauide ſanctior, non Salomone potes eſſe ſapientior. Memento ſemper quod paradiſi colonum de poſſeſſione ſua ejecerit. Rectè quidam Poëta Fœmina fax Sathanæ, fætens roſa, dulce venenum. vrit enim vultu, viſu, riſu, cute, cultu. Huius ab illecebris (ſapiens vis eſſe) caueto. Nunquam ſciunt ſeruare medium mulieres in amando ſiue rectè ſiue inſanè ament. De recto amore duas adducit Val: Max: lib: 9. cap: 12. Nunciata clade quæ ad lacũ. Transmenum inciderat, mater ſoſpiti filio ad ipſam portam facta obuia, complexu ejus expirauit. Altera cum falſo mortis filij nuncio mæſta domi ſederet, ad primum conſpectum redeuntis, exanimata eſt. Amor verò illicitus incomparabiliter excedit in eis. Sed fruſtra hæc forte inducuntur. Quis enim ad judicem ductus eſt (inquit Aug: ſerm: 4. de Apoſt: verbis.) Quia meretricis lupanar intrauit? Quis aliquando habens vxorem quia ancillam vitiauit, crimen inuenit? Sed in foro, non in cœlo: in lege mundi, non in lege creatoris mundi. Vide igitur in quibus verſaris periculis & laqueis, & conſidera verba S. Prædicatoris D. Leonis ſerm: 12. in Quadr: Aduerſa nocent, corrumpunt proſpera, nec minoris eſt periculi carere deſideratis, quàm abundare conceſſis Inſidiæ ſunt in diuitiarum amplitudine, inſidiæ in paupertatis anguſtijs, illa eleuant ad ſuperbiam, hæ incitant ad quærelam. Tentat ſanitas, tentat infirmitas, dum & illa materia eſt negligentiæ & hæc cauſa triſtitiæ. Laqueus eſt in ſecuritate, laqueus eſt in timore, nec intereſt vtrum animus qui terreno tenetur affectu gaudijs occupetur an curis, cùm par morbus ſit, vel ſub vana delectatione languere, vel ſub anxia ſolicitudine laborare. *Hæc ille.*

Mulier fornicaria.

Tertia conſideratio ex hoc pane, dono ſcientiæ. Quod ituri ſumus ad arctiſſimam examinationem totius vitæ noſtræ. Sophoniæ, 1. *Scrutabor Ieruſalem in lucernis, & viſitabo ſuper viros defixos in fecibus ſuis.* Cùm lucernis quærimus minuta, ita inueſtigabit ille minutiſſima ideo dicitur, in lucernis. Scrutaturum. Quod Matth: 12. Explicatius dicitur. *Amen, Amen dico vobis, de omni Verbo otioſo quod locuti fuerint homines reddent rationem in die judicij.* Quod ſi de his, quæ nullum hominem offenderunt ratio requiretur, quid fiet de verbis inhoneſtis, cogitationibus impudicis, manibus ſanguine plenis, oculis adulterorum, de tempore in iniquitatibus conſumpto?

Paratè debemus eſſe ad dandam rationem vitæ.

pto? Neq; aliud licet cogitare, quia ipſe Chriſtus affirmauit talem de his rationem reddendam. Pſal. 138. *Imperfectum meum viderunt oculi tui.* Accuſabit peccatorem propria conſcientia quàm polluit; creator quem offendit; culpa quàm commiſit; diabolus cui ſeruiuit: ſcriptura quàm tranſgreſſus eſt; creatura qua abuſus eſt; tempus quo expectatus eſt. Tot igitur teſtibus qualiter valebit quis reſiſtere? Quod ſi ad excuſandam excuſationem de peccatis laboret, conuincet illum Dominus dicens. *Nonne hæc condita ſunt apud me, & ſignata in teſtamento meo?* Et obmuteſcet peccator. Quocirca admonet B: Iſidorus in lib: de Contemptu mundi. Quod male feciſti, dum adhuc potes emenda. Dum tempus eſt clama dum datur tibi ſpacium luge. Dum datur tibi licentia pœnite. dum potes feſtiua. Dum adhuc viuis remedium tibi futurum acquire. Priuſquam mors præueniat, priuſquam infernus te rapiat, vbi nullus recurſus ad confeſſionem, nullus regreſſus ad veniam, te corripe. Henricus III. Gallorum Rex. B: V: Mariæ, obtulerat in donum tabulam ex auro ſolido. Imaginem B: V: ex electro. Crucem lapillis grauem. Et vas quoddam in cujus faſtigio erat miræ artis horologium. Hæc dona offerenda illi qui tale judicium pertranſire dulciter cupit. Offerenda tabula quotidie Deo actionum vitæ noſtræ, in qua profectus virtutum appareat. Offerenda imago B. V. M. & Chriſti, in corde noſtro ſculpta; his enim terror hoſti, & præſagium noſtri boni comparabimus. Crux Chriſti paſſionis exemplar, meditationibus compaſſione præcibus ceu lapidibus præcioſis ornanda eſt, his enim ornatus animarum fit. Vas corporis noſtri ſit inſignitum horologio, quia neſcimus horam neq; diem, ſimus ſemper parati. Bern. Cogita peregrinationis tuæ miſeriam, recogita annos tuos cum amaritudine animæ tuæ, recogita vitæ humanæ pericula, cogita fragilitatem propriam, & huiuſmodi in cogitatione ſi perſeueraueris, dico tibi parum ſenties quicquid foris videtur eſſe moleſtum. Val: Max: lib 3. cap: 2. refert impauidi cordis exemplum. Scipio, infeliciter defenſis partibus ſui generis in Africa, cùm aduertiſſet nauem in qua vehebatur ab hoſtibus captam gladio præcordia ſua tranſuerberauit, & proſtratus in puppi, quærentibus Cæſarianis, militibus vbi nam eſſet Imperator, reſpondit. Imperator benè ſe habet. Tantum eloqui valuit quantum ad teſtandam animi magnitudinem æternæ laudi ſatis erat. Sumo dictum. Morti proximus dixit. Imperator benè ſe habet. Felix erit qui in morte & poſt mortem, in judicio particulari & vniuerſali, hæc verba dicere poterit. Benè me habeo. Hoc ſuadebat B: Nilus in Sent. Trop: Si vitam expetis ſempiternam, humanam mortem ſemper expecta.

Imperator benè ſe habet.

Pro ſexto pane, nempè, dono pietatis.

etatis. Nota. Tob. 4. *Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere, ita enim fiet vt nec à te auertatur facies Domini.* Depoſitum bonum & Theſaurus, eleemoſyna eſt, ſi hoc ſequitur dantem quod dixit Tobias Declaratum hoc 3. Reg. 18. Cùm interficeret Iezabel Prophætas Domini, tulit Abdias diſpenſator Achab centum Prophætas & abſcondit eos in ſpeluncis & pauit pane & aqua. Accepit pro opere mercedem Prophætæ, vt Matt. 10. dicitur. *Qui recipit Prophætam in nomine Prophætæ, mercedem Prophætæ accipiet.* Factus enim eſt Prophæta vt Diuus Hieron. Rupert: Lyranus & alij ſentiunt. B. Iſid. lib. 3. cap. 64. Non ſolum qui eſurienti, ſitienti, nudo, beneficium largitatis impendit, vel ſi quid aliud indigenti largitur, ſed & qui inimicum diligit, & qui lugenti affectum compaſſionis & conſolationis impartitur aut errantem fratrē charitatiue corrigendo, ad viam veritatis reuocat, aut in quibuslibet neceſſitatibus conſilium dat, eleemoſynam procul dubio facit. Nam & doctrinæ vel diſciplinæ bonum eleemoſyna eſt, & miſericordia carnali eminentior eſt. Iob 31. *Ab infantia creuit mecum miſeratio.* Hebræi legunt, creuit mecum tanquam pater. Expoſuerunt ſptuaginta. *A iuuentute mea nutriebam vt pater.* Puta in me miſerationem proximi, Plurimis enim modis & caſibus cum facienda ſit eleemoſyna, oportet vt prius nutriatur & creſcat nobiſcum compaſſio proximi & miſeratio indigentis. Pet. Rauen. Quicquid pauper receperit, mox reponit in theſauros cæli. Manus pauperum, eſt Chyrographus Chriſti: quia quicquid pauper recipit, Chriſtus acceptat. Da ergò homo pauperi terram, vt recipias cælum, da nummum vt recipias regnum, da tunicam vt recipias totum, da pauperi vt detur tibi, quia quicquid pauperi dederis, tu habebis, quod pauperi non dederis habebit alter. Spera in miſericordia Domini & dic, inquit Cæſarius. Da mihi Domine, quia dedi, dimitte mihi, quia dimiſi. Igitur tibi. Do vt des, ſubſternito pro puluinari miſerationem & pietatem Alexander Mag: Iliada Homeri quam rei militaris viaticum appellare ſolebat, eamq; ſemper cum pugione ſub puluino iacentem tenere ſolitus erat. Tu miles Chriſtianus cum B. virg. roſario teneto die ac nocte ſub puluinari miſerationem, atq; experge factus viuis dormientibus, & demortuis in pace, illam impartito. Etenim fiducia magna erit coram ſummo Deo eleemoſyna omnibus facientibus eam.

Manus pauperum vt quid.

De commodatione. Nota. Aug. ſup Pſal. 111. Vt detur tibi, commodas. Ita dando proximo commodamus, vt à Deo centuplum recipiamus. Pſal. 40. *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* Magna merces licet parua accommodatio. Neſcit enim Deus retribuere paruis. Pet: Ra-

Accommodamus dando eleemoſynam.

Rauen. Qui ſe nouit per malam vitam incedere ſæculi, ad præſidium ſibi pauperum turmas vocet, in die mala liberator illi Deus aſſiſtit qui à malis pauperes liberauit, in anguſtijs Deus illum clamantem exaudiet qui pauperem dum clamaret audiuit, ſine cauſa accuſat peccata, pauperem excuſat, accuſari non poteſt, quem ſatietas pauperis excuſauerit. Zenonem Imper. ob ſcelus carnis incuſabat quædam pia mater inquit Sophronius, Vindica me de Zenone Imp. dicebat ſæpius, ad B. V. M. Cui apparuit dicens, ſæpè vltionem tuam facere volui, ſed manus eius prohibet me. Erat enim ille miſericors & eleemoſynarius. Summa hæc commodatio, quæ retributorē. & defenſorē, ſi deiuſſorem facit Deum. Alteram commodationem lego in Euang: ex præcepto Chriſti Matth. 6. *Mutuum date nihil inde ſperantes, & erit merces veſtra multa.* Generalis regula, ſed pro pauperibus, pro neceſſitate Chriſtianitatis totius, pro communis pacis, & vniuerſalis afflictionis. Non igitur indeſperet vel extorquet aliquis prodigus, maleficus tyrannus, oppreſſor communitatum. Lex ponitur, charitas, non flagitium. Vnde explicando B. Alb: Mag: dicit. Si non habetis quod liberaliter impendatis, ſaltem mutuum date in quo veſtrum ſaluum eſt vobis. Ex hoc enim mutuo ſi aliquid beneficij impenditur proximo, oportet quod vtilitas ex mutuo proueniens proximo dimittatur, & ſors reſtituatur. Nam ſi certa ſorte remanente propter vſum quem habuit proximus inde, aliquid certum ſperas recipere, iam non charitatis eſt beneficium, ſed vſura. Pſal. 14. *Qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram, & munera ſuper innocentem non accepit.* Dicitur enim innocens qui mutuum accepit, quando ſortem reſtituit. Vnde nil debet dare ampliùs, vltra ſortem, nec obligatus eſt ad aliqua munera danda vltra ſortem. Aut etiam accommodationem vocemus montē pie, ſeu pietatis equales erigūt Principes & Domini vt indè poſſint quomodo pauperes ſubleuari. Talem montem approb. Paul. 2. Sixtus 4. Innocent. 8. & concil. Trid. ſeſſ. 22. cap. 8. inter opera pietatis numerauit: Et in conc. Later. 3 ſeſſ. 10. approbatur, & excommunicantur oppoſitum aſſerentes. Etiam Leo X. Montem pietatis in Lateranen: Concil. probauit. Vocatur autem Mons pietatis, ſumma pecuniæ in pauperum commodum repoſita; Datur mutuo pecunia ad aliquot tempus, dantur pignora, ne pauperes ſoluere negligant & mons deficiat. Qui mutuo pecuniam accipiunt, ſingulis menſibus exiguum quid ſoluunt ad alendos officiales montis pietatis, cum ſtatuto tempore non redditur pecunia, res illæ pignoratæ ſi non habet vnde reſtituat venduntur, & mutuata ſumma repetitur ad montem, cætera redditur ſuo Domino. Sed obiciet quis con-

Eleemoſyna excuſat.

Zeno eleemoſynarius.

Mutuū nihil ſperantes inde.

Mons pietatis.

contra Lateranenſem ſeſſionem. Non omnia acta illius Concil. maximè Cenſuræ eſſe recepta: Reſpōd. Loquendo de legibus ibi ſtatutis, ita eſt, ſecus eſt de declarationibus iuris diuini aut naturalis, quæ inter diffinitiones fidei numerantur. Cuiuſmodi eſt declaratio de monte pietatis. Atq; hæc quoque commodatio qua pauperes ſubleuantur, & ſi quæ alia eſt commodatio charitatem ipſam erga proximum non vero commodum particulare exprimens, eam commodationem, B. Alb. Magnus panem pietatis nominauit. Et quia aliquando librantur pauperes, ceu ficti, iuuenes, robuſti, diffinit B. Iſidorus lib. 3. de ſumo bono cap. 64. Quicunq; egens poſcit, etiam ſi indigentem ſe ſimulet, ex toto illi corde commiſereri oportet. Et licet ille fortaſſe falſam indigentis ſpeciem præſeferat, is tamen qui ſimpliciter impartitur, fructum miſericordiæ non amittit.

De condonatione. Nota. Terribilem ex Euangelio induxit authoritatem B. Alb. Mag. Quod condonatio ſpectet ad pietatem & ſit quædam eleemoſyna: D. Iſid. docet. Duæ ſunt (inquit) eleemoſynæ, vna corporalis, ſcilicet egenti dare quicquid potueris, altera ſpiritualis, dimittere à quo læſus fueris, Harum prima adhibenda eſt miſeris, ſecunda malis. Erit ergo quod ſemper impartias, & ſi non pecuniam, ſaltim gratiam. Sigiſmundū Bohemiæ Regē mirantibus quibuſdam atq; indignantibus quod hominibus nulla nobilitate ſed doctrina tantum claris tantum haberet honorem quantum vix vlli magnatum, reſpondiſſe ferunt. At cur nō ego eos quoq; proueham, quos natura prouexit, & mirabilibus donis exornatos, ſupra alios collocauit? Hîc viros literatos provehebat, Deus autem eos qui condonant ſuis offenſoribus promouet. Orauit pro inimicis, & Iudæ paratus erat condonare peccatū, ſi ille voluiſſet. Ariſt. lib. de bona fortuna cap. 3. Omnis anima habet tres operationes; animalem, intellectualem & diuinam, Et quia animalium Rex Leo, dum venatur aliquid, nedum ſe paſcit ſed alia quoq; animalia ex illius venatu viuunt, ita homo Dominus mundi, ſi inter bona animalium diues eſt, alijs cibum relinquere debet: Et quia maiores & ſuperiores Angeli communicant inferioribus intellectualem notitiam, ita homo ingenio ſuperior alios inſtruere in virtutis & ſalutis bono tenetur. Et quia operatione & gratiâ diuina homo viuit, cæteris quoque qui per læſionem, vel inopiam ad diuina aſſurgere impediuntur, ſit quoq; commodo & condonatione, ipſis, vitâ ad Deum. B. Nilus Mart: & Epiſc: in ſent. Tropoloicis. Ne dicas ex inimicis vltionem ſumam, iudicem in cælis habebimus. Sed neque de debito charitatis Chriſtianæ offenſam tenemur proximo dimittere, ſed etiam ad hanc perfectio- *Realis debita dimittenda.*

ctio-

ctionem obligamur, vt re alia debita peccuniarum aut rerum proximo ſuo, (cum id bona noſtra & neceſſaria minus lædant;) in toto dimittamus. Non enim ſine cauſa in Euangelio legitur parabola de duobus debitoribus, cui roganti dimiſit creditor tot millia, & ille noluit ſuo confratri dimittere centũ groſſos. Timere enim debemus, ne dũ ſine neceſſitate noſtra extorquemꝰ debita, quando cum filijs & filiabus ſedebitis in cõuiuio, corruat domus veſtra & vos obruat, vt Iob. 1. legitur. Dignior enim hac pœna talis creditor immiſericors, quam liberi Iob iuſti.

Deus timendus.

Pro ſeptimo pane, Nota. Nempe dono timoris Deum timere debemus offendere optimum & chariſſimum noſtri. Lucæ 12. *Timete eum, qui poſtquam occiderit corpus habet poteſtatem mittere in gehennam.* Timendus Deus propter tria. 1. Quia habet poteſtatem quæ ſemper eſt per iuſtitiam ordinata. Qui autem poteſtati reſiſtit non timendo eam, eo ipſa damnationem acquirit faciendo contra iuſtitiam. 2. timendus, quia cum poteſtatem habeat, indiſſimulatum ſtatim exequitur iudicium, Iza. 16. *Velociter reddens quod iuſtum eſt.* Tertio, quia implacabilis eſt, & inflexibilis prece vel pretio. Prou. 6. *Zelus & furor viri non parcet nec recipiet pro redemptione dona plurima.* Apocal. 20. Vidit Ioan. thronum magnum & candidum, & ſedentem ſuper eum, à cuius conſpectu fugit cælum & terra. Quis timor ille eſt ex conſpectu ſedentis, vt non ſolum homines qui ſunt in terra ſed & Angeli qui in cælo ſunt timeant illum? Non ſolum hi qui in cælis ſed ipſum cælum atq; terra ipſa, in qua ſunt habitatores expaueſcunt ad conſpectũ eius. Nullus profectò talis conſpectus eſt, niſi Dei quia ille conſtituit ſibi ſedem cælum & Angelos miniſtros, terram autem poſuit ſcabellum pedum ſuorum. Si eſt Deus vbi eſt honor meus, ſi Dominus vbi timor meus. Philippus Macedonũ Rex cum ſubactis Græcis præſidia ciuitatibus ne deficerẽt non aſſignaret, perſuadenti tribuno vt poneret, dixit. Malo diu bonus ac commodus, quam breuì tempore Dominus appellari. Sentiebat ille, regnum quod beneficijs ac beneuolentia teneretur, eſſe perpetuum; quod autem vi & metu, non eſſe diuturnum. Plutarh. in Apoph. Sed alius eſt timor ſeruilis qui procedit ex ſeueritate legum & horrore pænarum, alius eſt timor filialis quali reuerentur parentes ſuos filij. Vult igitur Chriſtus timorem à nobis nõ ſeruilem, quoniam non ſumus ſerui ſed liberi per gratiam eius conſtituti, ſed expoſcit filialem timorem ex honore & amore procedentem ceu pater noſter. Hinc Eccleſ. 1. *Timor Domini gloria & gloriatio & lætitia & corona exultationis.*

Timor amittendi cæleſtia.

Timere etiam debemus ne cæleſtem beatitudinem amittamus. Nullum damnum, nullum maius, ma-

malum quam amittere cæleſtem beatitudinem, ſummum verò amittere ex mera malitia vel negligentia, omnia enim amiſit qui Deum amiſit, amiſit verò Deum qui illam beatitudinem amiſit. Hinc B. Nilus. Beatum eſt timere Deum & ſollicite cogitare diē illum cum occulta cūcta manifeſtabuntur. Ingerit ergò B. Alb. Magnus modum ne illam amittamus, timorem, ſed per qualem obſecro timorem non amittemus? Deſiderabat Iſraël eductus de manu Pharaonis de Ægypto terram promiſſionis & timebat amittere illam, non tamen poſſederunt eam niſi duo homines ex illi quibus à Moyſe erat promiſſum. Non timor humanus ad hoc requiritur, ſed timor in homine Dei, Ita enim Prou. 16. *In timore Domini declinatur à malo.* Non enim curæ & ſollicitudinis eſt noſtræ æterna beatitudo, at gratiæ Dei, vndè non per noſtrum timorē, at per timorem Dei, retinetur ſpe & conſequitur dilectione. D. Aug: in ſoliloq: Verè Domine Magnus es tu ſuper omnes Deos & merces tua magna eſt nimis, ibi erit æterna refectio, perpetua dilectio, iucunda poſſeſſio, ibi dies ſine nocte, vita ſine morte, iuuentus ſine ſenectute, pulchritudo ſine deformitate, fortitudo ſine debilitate, lætitia ſine dolore, & ſine omni falacia veritatis vera cognitio. Et tu ipſe coronatio & corona, tu promiſſor & promiſſio, tu remunerator & munus, tu præmiator & præmium. Timendum igitur nobis ne talem beatitudinem amittamus, non amittitur autem ſi Dei timorem in nobis radicemus. Ita enim Eccl: 1. *Qui timent Dominum non erunt incredibiles verbo illius. Qui timent Dominum inquirent quæ beneplacita ſunt illi. Qui timent Dominum præparabunt corda ſua & in conſpectu illius ſanctificabunt animas ſuas. Qui timent Dominum cuſtodiunt mandata illius & patientiam habebunt vſq; ad circumſpectationem illius.* Lego in Hiſtor. Societ: Iesv T. 1. lib. 11. Ioannem Carera Coadiutorē Societ: Iesv habuiſſe quendam excitatorem ne amitteret beatitudinem. Angelus cuſtos ipſius tam familiaris illi erat, vt cum eo omnia ſua conferret & reſponſa acciperet. Ab eo Angelo quotidie horis antelucanis ad orationem excitabatur à ſomno. Optimus ſollicitator, ſed nec ipſum denegaturus eſt Deus homini timēti pro ſalute ſua & Dei honore Eccl: 20 *Semen hominum honorabitur hoc, quod timet Dominum.*

Timor incurrendi infælicitatem inferni.

Timere etiam debemus ne in infernalem infælicitatem incurramꝰ. Iſidorus de ſum. bono lib. 1. cap. 30. Inter huius vitæ & futuræ infælicitatis miſeriam, multa diſcretio eſt. Illic enim & miſeria eſt propter cruciationem dolorum, & tenebræ propter lucis auerſionem: quorum vnūm in hac vita, ſcilicet miſeria eſt, aliud non eſt: in inferno autem vtrumq; eſt. Apta enim eſt comparatio de camino trium puerorum ad exemplum ignis gehennæ. Nam ſicut ille ignis non arſit ad trium pu-

erorum ſupplicium ſedarſit ad comburenda ligamina vinculorum, ita ignis gehennæ & lucebit miſeris ad augmentum pænarum vt videant vnde doleant, & non lucebit ad conſolationem ne videant vnde gaudeant. Quod timet impius veniet ſuper eum Prou. 10. Eſt igitur magna ratio cur timeamus inferni infælicitatem. Sylueſter Papa Erexerat tẽplum, quod cognominauit ſub titulo B. V. M. Libera nos à pænis inferni, modo vocatur S. Sylueſtri in Lacu. Erat in eo loco ante draco ſuo afflatu vrbi peſtiferus, qui ibi precibus S. Sylueſtri erat mirabiliter extinctus, In eodem loco etiam olim cum vaſto ac repentino hiatu terra ſubſediſſet Curtius eques Romanus equum conſcendit & ſe precipitem in illud profundum egit. Poſt tot pænas mali ex loco dicto ſublatas, non reſtabat aliter nominare locum prædictum, niſi Libera nos à pænis inferni. Nam ſi Hiatus draconis, mortem ſpirabat, hiatus terræ infernum præſentabat, reſtabat igitur orandum Libera nos à pænis inferni. Aug: in ſerm: In præſenti quidem vita delectationes tẽporales dulces ſunt, & tribulationes amaræ: ſed quis non bibat tribulationis poculum metuens ignem infernalem, aut delectationes ſæculi non contemnat? Habet enim illuminare mentis oculos, ſcilicet intellectum & affectum, quos ſæculi huius caligo excæcat. Expellit etiam diabolum, eo quod præparetur ad remedium pœnitentiæ. Hoc animaduertens Ezechias Eſa: 38 dicit: *In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.* ſcilicet per conſiderationem: *Quæſiui reſiduum dierum meorum:* In his de commiſſis pænitentiam agam, & in eodem. *Corripies me, & viuificabis me, ecce in pace amaritudo mea amariſſima.*

Libera nos à pænis inferni.

Quid per piſculos intelligitur?

INtelliguntur Fides & ſpes. Fides, (inquam) de bonis à Deo paratis, & ſpes de bonis à DEO promiſſis. Et benè fides & ſpes piſciculis comparantur. Quia ſicut piſces tundũtur à fluctibus, & tamen ſemper rurſum contra gurgitem nitũtur ita etiam fides & ſpes, licet diuerſis tribulationibus præmuntur in hoc mũdo, faciunt tamen homines ſemper niti ad ſuperiora, vbi eſt illius fontis æterni dulcedo.

ANNOTATIONES.

AD Rom. 1. *Gratias ago Deo quia fides veſtra anunciatur in vniuerſo mũdo* In quem locum S. Fulg. de Trinit: cap. 1. Fides vna quæ in totum mũdum anunciatur, ipſa laudanda ac prædicanda eſt: Piſculum B. Albert: Magnus fidem vocauit, imò, ſi vna fides in vniuerſo mundo eſt, magn9 piſcis eſt. Ita quidem, & aſſimilatur fides Catholica piſciculo paruo, qui in manibus Chriſti ita multiplicatus fuit vt tot millibus hominũ ſufficeret. Fides etenim in Sanctiſſimam

Fides piſciculus quo modo.

ſimam Trinitatem, vnum Deum in eſſentia, trinum verò in perſonis, eo modo diffuſa fuit in cordibus fidelium & credentium, vt humilis illa fides ignota mundo, ſtulta gentibus, ſcandaloſa Iudæis, vix appareret etiam piſciculus paruus in pueri pera incluſus; at Chriſti gratia & Dei, factus eſt piſcipulus in piſcē excedentem omnem vaſtitatem piſcium, Pſal. 21. *Conuertentur ad Dominum vniuerſi fines terræ & adorabunt in conſpectu eius vniuerſæ familiæ gentium, quoniam Domini eſt regnum & ipſe dominabitur gentium.* B. Iſidorus lib: 2. cap. 2. In corde reſpicit Deus fidē, vbi ſe non poſſunt homines excuſare qui ore ſimulant veritatis profeſſionem & corde retentant erroris impietatem. Neq; immeritò fides piſciculus nominata, ex tali aſſimilatione piſcis ad fluctus aquarum à B. Alb. Magno quia etiam D. Hier: piſciculos ideò Sanctos vocauit, quod ſcriptura noui teſtamenti eorum fidem vitam & paſſiones continet, qui turbulentis huius ſæculi fluctibus erepti, refectionem nobis internam, exemplo ſuo præbuerant. Vel etiam fidem piſciculum vocemus, quia fides vera temperat flumina & retrahit piſces à ferocitate, De hoc vltimo, teſtatus eſt fidelis Ionas in ventre ceti cùm recordatus fuiſſet Dei ſui, de primo verò S. Catharinam filiam B. Brigittæ adduco. Hæc ſancta dum Romæ exiſteret, tanta Tyberis inundatio accidit, vt Romani vrbis interitum timerent. Itaq; ad S. Catharinam aduolant, orant inſtantiſſime ne grauetur cum ipſis ad ferocientem fluuium deſcendere, ſuas præces illi oppoſitura. Illa fuſis lachrymis indignitatem ſuam palam faciens pio illi officio ſatisfacere detractauit. Tum verò Romani vel inuitam (vide eorum fidem) domo exportatā ſeuientibus vndis obiecêre. Mox vt illa pedibus aquas attigit, confeſtim retrorſum abiêre, nec amplius alueum ſuum ſuperare ſunt viſæ, ſtupentes laudârunt potentiam creatoris, & miniſteria Sanctorum celebrati ſunt. Hæc igitur Sancta pedibus tangebat fluuium, Romani verò fide Deum. In vita S. Fulg: dicitur. Per miniſterium perſecutoris, fides Catholica incrementum potiùs quàm defectum accipit.

Piſciculi ſunt Sancti.

Fides piſcic.

S. Catharinæ tactu Tyberis ſedat.

Fides Deum.

Alterum piſciculum expoſuit B. Alb. Magnus ſpem. Plurimæ res, vt delicatius exprimamus & amænius ſignificemus, diminutiuis exprimimus, Filios enim filiolos vocamus. Ita ſpem piſciculum vocauit Beatus Alb. Mag: Licet ſpes paruula quæ ſit virtus Theologica non inueniatur; *Spe enim ſalui facti ſumus.* Dicit Apoſt. ad Rom: 8. At quia ſpe nitimur in cælum, ſpe viam peregrinationis tranſimus, ſpe adiutorium Dei habemus, idcircò, ſpes piſciculus vocatur & per piſciculum ſignificatur. Præcipuè verò, quia piſciculus ille, erat in ſaporem & firmitatem manducantium. Spes verò Chriſtianis, eſt robur & ſapor cæleſtium. Iſidorus

Spes eſt piſciculus.

Spes per piſciculū ſignificatur.

Iuſtus duobus viuit. rus lib. 2. cap. 4. Omnis juſtus ſpe & formidine nitet, quia nunc illum ad gaudium ſpes erigit, nunc ad formidinem terror gehennæ adducit. Quo non fluctuat ſpes Chriſtiana, ſed viam monſtrat ad præmia æterna. S. Petrus Chryſolog: ſerm. 110. Spes eſt, quæ virum perficit, & ad menſuram Chriſti plenitudinis indefeſſa perducit. Perfectæ virtutis eſt, quod in re non teneas, ſpe robore poſſidere. Ad diadema regū *Regnās ſeruio.* aliquis poſuerat dictum: *REGNANS SERVIO*. Forte habuit reſpectum ad illum Regem de quo Val. Max: lib. 7. cap. 2: qui cum ſibi impoſitum eſſet, dicebat, O nobilē magis quā fælicem pannum, quem ſi quis penitus cognoſcat, quam multis ſollicitudinibus & periculis & miſerijs ſit honoriſte refertus, ne humi quidem iacentem tollere vellet. *Honor ſacul: tribulat.* Sit dictum regibus, memoriæ regibus qui faſtum magis & cupidinem quā bonum regni prehendunt. Ad propoſitum noſtum Echo ſpei eſt. *REGNANS SERVIO*. Inter virtutes enim ampliſſimas fidei Catholicæ, ſpes, eſt regina in Eccleſia militante re- *Regnat & ſeruit ſpes.* gnans & ſeruiens. Regnat, quia ſine ea non eſt cælum nec beatitudo, ſeruit, quia credentibus ſeruit ſolùm hìc, nec cum credente cælum ingreditur ſed credentem deducit ad portam cæli cum conditione, quod pulueri redactum credentis corpus, reunietur iterum corpori, vel ad retributionem in præmium, vel ad caſtigationem in pænam. Bonis dabitur gloria animæ, corporibus, inferi verò ſceleſtibus damnatis. Eſt Inſula Rhodon ex Græco ſignificatur Roſa. In hac inſula cum *Rhodis inſula.* fundamenta primæ ciuitatis iacerentur, plurima roſeta, inuenta fuerunt. Ante verò ibi erat nobilis coloſſus ſolis, qui comminutus in fru- *Colloſſus Solis.* ſtra 900. camelos onerauit: profectò ſpes roſarum inſula, reddit enim ſpes odorē cæleſtis roſeti. Pſal. 61. *Sperate in Deo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda veſtra, Deus adiutor veſter in æternum.* Fundamentum ſpei, ſi ſpectes, roſetum eſt. Parentibus in paradiſo ſpes boni & vitæ arbor fuerat, ſed quia ſuperbia elati in profundum terræ, ſpem illam ciēre, Chriſti gratia aperta fundamenta, ſpei roſetum inuentum eſt, cuius odore iterum cæli apparuerunt. Sol Chriſtus, ſpei coloſſus eſt, *Chriſtus Solis Sol.* quæ comminui non amplius poteſt, ſed ſtante Eccleſia militante, firmiter ſtabit. Tren. 3. *Pars mea Dominus dixit anima mea, propterea expectabo eum. Bonus eſt Dominus ſperantibus in illum, animæ quærenti illum.*

Quid per ſeptem ſportarū reliquias panum & piſcium continentes: intelligitur?

Reſp. Intelliguntur ſeptem dotes animæ & corporis quæ dabuntur illis qui per nutrimentum ſeptem donorum Spiritus Sancti & per refectionem ac conſolationem fidei & ſpei peruenerunt ad patriam claritatis…

ritatis æternæ, Sunt autem hæ dotes, claritas, agilitas, ſubtilitas, impaſſibilitas, cognitio, dilectio, fruitio. Primæ quatuor glorificato corpori dabuntur, tres vltimæ fælici animæ conferuntur.

ANNOTATIO.

Diuus Hier: per ſeptem ſportas ſeptem Eccleſias expoſuit. Reſpexit vt exiſtimo ad ſeptem Eccleſias quibus Deus ſcribere iuſſerat vt in Apocal: legitur. At B. Albertus Mag: continuando propoſitum ſuum, de panibus quinq; & ſeptem donis Spir. Sancti, & duobus piſciculis, fide & ſpe, per ſportas dotes animæ & corporis intellexit, quia dabuntur illis, qui per nutrimentum ſeptem donorũ Spiritus S. & per refectionem fidei & ſpei peruenient ad patriam æternam. Diuus Cyrill. Carthag: 18. Excitabimur æterna habentes corpora, omnes autem ſimilia, ſed qui eſt iuſtus corpus accipiet cæleſte, vt poſſit cum Angelis digne conuerſari, ſi verò peccator eſt, accipiet corpus æternum vt æterno in igne ardeat & nunquã diſſoluatur. Et iuſte vtriſq; his ordinibus Deus hoc præbebit, nihil enim ſine corpore à nobis geſtum eſt. Blaſphemamus per os, oramus per os, luxuriamur corpore, caſti ſumus per corpus, rapimus per manus, eleemoſynas damus per manus. Tertul. Non poſſunt ſeparari in mercede, quos opera coniungunt.

Vt verò clarius de dotibus dicamus. Prima Dos animæ eſt clara viſio, quia videbimus Deum clare ſine aliquo velamine, & in iſta viſione conſiſtit tota beatitudo noſtra. 2. Eſt comprehenſio, ſeu firma tentio, quia ita firmiter tenebim⁹ eam quod ipſam amittere non poterimus. 3. Eſt perfecta fruitio, quia anima beata perfectè fruetur Deo & adhærebit ſatiabiliter & delectabitur in eo. Et ſic viſio clara correſpondet fidei comprehenſio ſpei, fruitio charitati, Dos verò corporis prima eſt claritas per quàm corpora beatorum clara erunt ſicut Chriſti corpus fuit poſt reſurrectionem. 2. Impaſſibilitas, ad quàm ſequitur immortalitas. Corpus enim ex tunc non lædetur, non diſſoluetur, non eſuriet, nec modo aliquo mali, vel doloris aliquid patietur. 3. Subtilitas per quàm poterit quæcunq; voluerit penetrare, ſicut Chriſtus poſt reſurrectionem intrauit ad diſcipulos ianuis clauſis. 4. Agilitas, per quàm celeriter adeſſe poterit corpus vbi volet anima. Et hæ dotes correſpondent. 4. Virtutibus cardinalibus. Pulchre de differentia morientium hominum reliquit B: Iſidorus lib: 1. cap: 30. Doctus pariter & indoctus moriuntur, ſed morte carnis non pœna damnationis. Omnia autem pergunt ad vnum locum dum morte corporali in terram & iuſtus & impius reuertuntur. Retributio verò diſſimilis, ſicuti per eundem Salomonem dicitur. Eccleſ: 6. *Quid plus habet ſapiens à ſtulto, niſi quod illuc pergit vbi vita eſt.* Ergò omnes

Dotes animæ quot. *Dotes corporis* *Differentia morientium.*

mnes in terram pariter redeunt, ſed vbi vita eſt non pariter pergunt. Dos igitur eſt, perpetuus ornatus animæ & corporis, vitæ ſufficiens, & in æterna beatitudine jugiter perſeuerans. Datur autem Dos à Patre Filiæ ſuæ deſponſatæ. Vnde cùm Chriſtus ſit Sponſus animæ, Trinitas autem Pater. A Patre Trinit: datur animæ vt ſit digna Sponſo, non ad vtilitatem Sponſi, ſed ad vtilitatem dotalem Sponſæ, & honorem Sponſi. Varijs efformabant figuris antiqui temporum fœlicitatem. Aliquando ſporta depicta variæ inde prominebant ſpicæ. Aliquando cornucipijs formatis capitibus Antonij & Titi adornabant, aliquando inter duas ſportas fructibus varis onuſtas effingebant Auguſtum Cæſarem qui vna manu ſpontam monſtrabat altera ſpicas deferebat. Sunt hæc non immodicæ figuræ exprimentes benignitatem & felicitatem temporum. At ſicut non poteſt imaginari ad felicia tempora Chriſti cùm ex quinq; panibus quinq; millia hominum pauit, & tamen ſeptem ſportæ fragmentorum ſunt collectæ, aliqua aptior figura, niſi ipſius ſaluatoris manus cruce ornata; ita futurorum temporum & fœlicitatum in æternitate, nullum repreſentans, niſi ipſa Sanctiſſima Trinitas. Bern in Paruis ſerm: Inquirere de Trinitate peruerſa curioſitas eſt, credere & tenere ſicut S. Eccleſia tenet, fides & ſecuritas eſt. Videre autem eam ſicuti eſt, perfecta & ſumma fœlicitas eſt.

Dos qd. eſt. — *Dos à S. Trinit.* — *Temporum fœlicitas.* — *Felic tempora Chriſti.* — *Trinitatem videre fœlicitas.*

DOMINICA V. POST TRINITATIS ET VI. POST PENTECOSTEN.

De hoc Euangelio fecit ſermonem B: Alb: Mag: in Dominica 8. poſt Trinit: juxta morem Euangeliorum antiquum in quo tria pertractat quorum primum eſt.

Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur, *Matth: 7.*

QVID PER BONAM VEL MALAM ARBOREM INTELLIGITVR.

RESp: Homo. Quilibet enim homo arbor appellatur & eſt. Vnde Matth: 8. Cæcus illuminatus à Deo interrogatus ſi aliquid videret, reſpondit. Video homines velut arbores ambulantes. Bonus igitur homo eſt bona arbor; & malus homo mala arbor eſt. Bonus autem homo eſt arbor, ſub quà Sancta Trinitas cum

tum gratia requieſcit. Vndè Legitur Geneſ: 18. Quod apparuerunt Abrahæ tres viri, quos cum vidiſſet, currens in occurſum eorum, & adorans eos, ait: *Domine, ſi inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas ſeruum tuum, ſed requieſcite ſub arbore, præparauitq́ eis panes de ſimila ſubcineritios, & coxit vitulum tenerrimum & optimum, & attulit butyrum & lac, & vitulum quem coxerat, & poſuit coram eis.* Per Abraham quilibet fidelis intelligitur, per tres autem viros Sancta Trinitas figuratur, videl. Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Debet autem quilibet fidelis, Sanctam Trinitatem & indiuiduam vnitatem jugiter implorare, vt ſub cordis ſui arbore dignetur requieſcere.

Vt autem Sancta Trinitas in nobis libentius requieſcat, debemus & quatuor præponere. Primùm eſt panis de ſimila præparatus, perquem caſtitatis munditia figuratur. Hic autem debet eſſe ſubcineritius, quia ad hoc, vt homo caſtitatem ſeruet, neceſſarium eſt ei, quod ſuæ mortis jugiter recordetur. Secundùm eſt vitulus tenerrimus & optimus, per quem ipſa carnis mortificatio deſignatur, quia caro eſt quaſi quidam laſciuiens vitulus, qui per abſtinentiam eſt occidendus, & in aqua lachrymarum decoquendus; juuenes propter Deum corpora ſua macerantes præponunt Domino vitulum tenerrimum atq; optimum. Senes verò ſua corpora Deo offerentes præponunt Domino durum bouem, qui aratrum ſæculi diu traxit. Tertiò præponendum eſt Domino butyrū, per quod viſcerosa miſericordia ſignatur, vt videlicet butyri vice dulus eleemoſynis noſtris interiores & exteriores pauperum anguſtias perungamus. Quartò debemus Domino lac præponere, per quod ſubditorum inſtructio demonſtratur. Pueri quippe lacte aluntur. Ita quilibet debet pueros ſuos ac reliquam familiam ſuam fideliter erudire, vt videlicet Deo ſeruiant in omni morum honeſtate & vitæ ſanctitate, alias redditurus eſt rationem de omnibus ipſorum coram Deo.

Malus etiam homo eſt arbor, ſub qua dæmones commorantur; vnde dicitur Iſa: 34. *Ibi cubabit lamia, & inuenit ſibi requiem. Ibi habitabit ericius, & enutriuit catulos, & circumfodit, fouit in vmbra ejus. Illic congregati ſunt milui alter ad alterum.* Lamia, quæ eſt crudeliſſima beſtia, deſæuiens etiam in corpora mortuorum ſepulta, ſignat Diabolum, qui deſæuiet in animas peccatorum in inferno ſepultas. *Lamia.* Per ericium, qui multis duris ſetis & acutis eſt circumdatus, diabolus etiam figuratur, qui mille tormentis inquietabit injuſtos. *Ericeo.* Per miluos, qui rapiunt pullos, & lacerant eos, etiam dæmones intelliguntur, qui impios alas Domini fugientes perpetuo lacerabunt. *Milui.* Et certè omnes prædicti dæmones habitant modo in cordibus peccatorum.

ANNOTATIONES.

Pro arbore bona & mala. Nota. D. Aug: lib: 2. de ſerm: Dom: cap.

Natura duæ non ſũt duæ arbores ſed ſũt homines.

cap: 36. In hoc loco illorum error cauendus eſt, qui de duab⁹ arborib⁹ duas naturas opinantur eſſe quarum vna ſit Dei, altera non. Nam planum eſt quia de hominibus loquitur tam ex præcedentibus quàm ſequentibus in Euangelio. Manichei enim docebant, quod res bonas ſeu naturas creauerit Deus, malas autem diabolus, & hoc loco errorem fulciebant. Et contra Iulianum lib. 1. cap: 3. Ex voluntate mala tanquam ex arbore mala, fructus fieri, opera mala. Sed clarius D. Hier: de his hæreticis refert quos induximus ex D: Aug: Quæramus ab eis qui duas in ſe contrarias dicunt eſſe naturas, ſi juxta intelligentiam eorum arbor bona malos fructus facere non poteſt, quomodo Moyſes arbor bona peccauit ad aquas contradictionis? Petrus Chriſtum negauit? Aut quomodo ſocer Moyſi arbor mala qui in Deum Iſraël non credebat, dedit conſilium bonum? Quandiu ergò aliquis bonus eſt, non poteſt facere opus malum, & quamdiu malus eſt, non poteſt facere opus bonum. Etſi aliquando vtilis eſt, addit D: Aug: de ſerm: Dom: lib: 2. cap: 15. Non hoc ipſe facit, ſed fit de illo diuina prouidentia, procurante. Erat quoq; craſſa ex his verbis. *Non poteſt arbor bona malos fructus facere* hæreſis Iouiniani, qui deducebat gratiam ſemel in baptiſmo receptam amitti poſtmodum non poſſe. Quem errorem poſt centum & vltra annos excitauit Lutherus qui dicebat prorſus non dubitamus nos eſſe ſaluos boſtquam paptizati ſumus. Et iterum. Baptiſatus etiam volens non poteſt perdere ſalutem. Adducebant cum hoc loco Matthæi, & eum Ioan: 1. cap: 3. *Omnis qui natus eſt ex Deo* peccatum non facit. Sed ruit eorũ error ex ſequentibus addidit enim Ioannes. *Quoniam ſemen ipſius manet in eo.* Semẽ vocat teſte Occumenio poſt Didymũ Spiritũ S. vel gratiam in baptiſmo acceptam, gratia enim & charitas ſemen eſt aliarum virtutum & donorum quia veluti ex ea pullulant. Etiam eſt ſemen meritorum, quæ eliciuntur à charitate & imperantur, ſemen deniq; gloriæ tanquam fructus vltimi, cujus quantitas quantitati charitatis reſpondet. Indicat ergò Ioannes, vt quis in gratia exiſtat & peccet quatenus talis, id eſt exiſtens; qui autem ad diuerſa tempora referunt, vt qui ſemel in gratia fuit in poſterum peccare non poſſit, faciunt hominem ſecum pugnantem. Nam in eadem Epiſt: cap: 1. dixit. *Filioli mei hæc ſcribo vobis vt non peccetis.* Si enim omnis qui natus eſt ex Deo non poſſit in poſterum peccare, fruſtra moneret, ne peccent. Quod verò ſpectat authoritatem de arbore, reſpondet D. Hier: Cont: Iouinianum clare. Tam diu fructus facit, nec arbor bona malos fructus facit, nec mala bonos, quàm diu in bonitate ſua vel in malitia perſeuerat. Sed quærendi ſunt miniſtri hæreticorum quare illorum conſortes & bonis corpulentis, ſanis, pulchris viris de

Ex voluntate mala, opera mala.

Duæ naturæ nõ ſunt in homine

Malus vade bonum conſilium dat

Baptiſatus poteſt mittere gratiam.

Semen virtutum & donorũ meritorum, gloriæ.

Bona & mala arbor, quo eſt homo.

ris deformes, cæcos, ignorantes, ſtultos pariunt filios? Ex malis igitur mali naſcuntur, fruſtra verò nominantur boni. Optimè de hæreticis Iſid: lib: 3. cap: 12. Tanta eſt hæreticorum calliditas vt falſa veris malaq; bonis permiſceant, ſalutaribusque rebus plerumq; erroris ſui virus interſerunt quo facilius poſſint prauitatem peruerſi dogmatis ſub ſpecie perſuadere veritatis.

Hæret. ...iper ...miſcet ...vera ...falſa.

Pro primò, vt libentius SS Trinitas maneat Nota. Præſupponit B: Alb: hîc fidelem & Catholicum virum, nam qui extra Eccleſiam eſt, in illo habitare Sanctiſſima Trinitas non poteſt. Qui enim non eſt inſignitus nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, ille non poteſt in ſe tenere Trinitatem, ſicut vbi Angelus in Ægypto non ſignauit poſtes domorum, ibi erat ira Dei. Aug: Trinitatis veſtigia inanima ſunt. Et quia S. Eccleſia Catholica Romana, in qua ſedit D: Petrus, & in qua ſunt ſucceſſores ſui, atq; nunc Sanctiſſimus nomine & re Innocentius decimus ſedet, defendit, inſtruit, prædicat, confitetur, SS. Trinitatem, & mori parati pro nomine SS. Trinitatis vt vicarius Chriſti, qui non eſt cum eo, non eſt cum SS. Trinitate, & qui non manet in Eccleſia S. Romana cum ipſo, non manet cum SS. Trinitate. Libertatem Pop: Rom: vt ſignificarent, aliqui inquit Capaccio lib: 2. effingebant ſerpentem ſuper altare, cum inſcriptione. *LIBERTATIS POPVLI VINDEX.* Non ampliùs declarandum

Trinit. ...tem ipſi Catholici profitentur.

Liber. ...Pop. Romani.

Symbolum ſi hoſtis calidus ſerpens inducias petijt & ſuper altare juramentum detulit. Ita Hæreticis non habentes ſuper altare nomen, nec Chriſti nomen eſt dandum, imò nec Dei nec SS. Trinitatis illis concedendum cum ſemetipſos Eccleſiæ oppoſuerunt, ſed hoſtes ſerpentini reputandi.

Serpens ſuper altare.

Quod verò attinet caſtitatem, penſanda ſunt verba Ioſeph! Gen: 38. dixit. *Quomodo poſſum hoc malum facere & peccare in Dominum meum.* Nedum offendere. Regem ſed & Deum principaliter noluit, imò caſtitatem ſuã conſeruare plus adamauit. B: Iſidorus. Amauda eſt pulchritudo caſtitatis, cujus deguſtata delectatio, dulcior inuenitur quàm carnis. Caſtitas enim fructus ſuauitatis eſt & pulchritudo inuiolata Sanctorum. Caſtitas ſecuritas mentis eſt & ſanitas corporis; vnde & aliquos gentilium gymnicos legimus perpetuam veneris abſtinentiam exercuiſſe, ne virtutem libidine frangerent. Luxurioſa namq; vita carnem citò debilitat, fractamq; celeriter ducit ad ſenectam. Ad roſam, aliquis poſuerat dictum. *ANTE FVGAM FVGIT.* Vix enim roſa ad perfectum deducitur, & jam munitur aculeis, & contacta defloreſcit. Ita ſuæ virginitatis cuſtodes, ante fugam fugere debent. Hoc eſt cauere ſemper & trepidare ad ingreſſum viri, ad loquellam garrulam, ad geſtus laſciuos, ad cogitatus non honeſtos, ad ſpeculationes liberas. Non enim eſt dubium, quod qui

Bonum caſtitatis.

qui caſti perſeuerant & virgines, Angelis Dei efficiuntur æquales. Vnde Iſa: 56. *Hæc dicit Dominus eunuchis. Dabo eis in domo mea & in muris meis locum, & nomen melius à filijs & filiabus, nomen ſempiternum dabo eis quod non peribit.* B: Albertus Ordinis Carmelitarum ex ſterilibus parentibus natus beneficio B: V: M: cùm ad fœliciorem vitam tranſijt clarus magnis miraculis. In funere dum clerus & fratres concertabant quod ſacrum canere

Angeli canunt os iuſti deberent, ecce in aëre duo Angeli ſpecie puerorum venuſtorum amicti ſtolis albis auro intertextis, Os juſti meditabitur ſapientiam cantandum eſſe denunciarunt. Cui Angeli magis ſunt familiares quàm caſtis & virginibus? Cui tale ſacrum magis conuenit, niſi confeſſoribus caſtis & virginitate florentibus? Meritò igitur ſimilam ſeu panem album ad menſam æternam præparatum, vocauit caſtitatem B. Alb: Magnus, quæ ſicut ſine maceratione corporis non conſeruatur, ita ſine pœnitentia ſacramentali non cuſtoditur. Hinc rectè cinericius panis denominatus fuit.

Vitulus refectio quedã Dei & Sanctorum. Pro ſecundò præponendo, nempè vitulo tenerrimo. Nota. Vitulus nempè caro hominis ità vt prætulit B: Alb: Mag: occiſus coctus & Domino oblatus, reficit cum Deo ſanctos & ipſum peccatorem macerantem corpus. Nec iſta refectio leuiter imaginanda, ſed vt dicitur Pſal. 68. *Placebit Deo ſuper vitulum nouellum.* Nam iſte vitulus, non ideò erat Domino gratus quia erat vitulus, ſed quia ſignificabat hominis corpus mortificatum Domino. Ita enim

Vitulus labiorum Oſeæ 14. *Omnem aufer iniquitatem & accipe bonum & reddemus vitulos labiorum noſtrorum.* Non jam hîc ſignificat vitulum cornua producentem & vngulas, ſed nouum vitulum ſignificatum per illam antiquum, laudis ſcilicet diuinæ & gratiarum actionis. Socrates reliquit polyticum dogma dicens. Nec à mortuo ſermonem, nec ab auaro gratiam expectes. *Ab auaro non expect: gratia* Deducit impoſſibile ab impoſſibili certo. Cùm ergo gratia non eſt ab auaro expectanda, quia ille de habere non de dare ſemper cogitat, iſte ergò qui virtuoſus eſt & pius, tantum gratias referre nouit. Non igitur mirum eſt, ſi laudes & gratias quas Deo juſtus refert vocauit vitulos Pſalmiſta quia eas Deus prætioſas habet. Hinc Pſal: 50. *Tunc acceptabis ſacrificium juſtitiæ oblationes & holocauſta, tunc imponent ſuper altare tuum vitulos.* Omnia collegit bona veteris teſtamenti, & aſſeruit quod vnum hoc ſacrificiũ Spiritus contribulatus laus & gratiarum actio, in lege noua excedit omnia ſacrificia antiqua. Neque maledicti judæi id noſtrum fœlicitatis bonum inficiant. Non enim *Vituli in Deorum cur abiicientur* vt illorum ceremonias inuadimus & cantarides adultum frumentum & roſas, ſed doctrinam Ieſu Chriſti veri Meſſiæ, tenemus & amplectimur, quàm etiam exprimebat Dauid: Pſ: 49. *Nunquid manducabo carnes taurorum aut ſanguinem hircorum potabo? Immola Deo*

Deo ſacrificium laudis & redde altiſſimo vota tua. Ad majorem confuſionem modernorum non credentium Iudæorum, adfero Arnoldum ad Molanum. B: Raynerus Dominicanus vir muttæ poſtmodum pietatis & fidei. Hîc minorennis cum in fide eſſet dubius, & an Iudæus an gentilis fieri deberet, ambigeret, nec fratrum ſuorum monitis cæderet, & noctu fugam meditaretur, jamque eſſet in limine portæ, obuiauit ei B: V: M: Fluctuaſti, (inquit) & veritatem in fide filij mei te dubitas inueniſſe. Noueris certiſſimè Gentiles varijs teneri erroribus, Iudæos Moyſis gaudentes vmbris non verò Chriſti haud illuſtrari lumine. His dictis diſparuit, & Raynerum reliquit in fide conſtantem. Sed redeundo ad vitulum virtute ſaginatum, hoc eſt ad corpus noſtrum, jejunijs & maceratione ſaginatum, ita enim aptus ad refectionẽ cœlitum, propono duo ſeruanda primum Senecæ. Hic ita ad Lucilum. Hanc famam & ſalubrem formam vitæ teneto, vt corpori tantum indulgeas quantum bonæ valetudini ſatis eſt. Secundum D. Gregorij hom. 5. Caro aliquando nobis eſt ſeductrix in malo opere, aliquando adjutrix in bono. Si igitur ei plus quàm debemus tribuimus hoſtem nutrimus, & ſi neceſſitati ejus quæ debemus non reddimus ciuem necamus, ſatianda eſt itaq; caro, ſed ad hoc, vt in bono opere nobis ſufficiat. Ægyptij pingebant bouem ante ſe aram & poſt ſe aratrum habentem. Significabant hominem natum ad laborem & ad holocauſtum Domino dandum,

B. Raynerus.

Dolaſi. dicta catholica ſaluat.

Corpus quomodo maceran dum ſit.

Pro tertiò præponendo. nempè butyro. Nota. Iſaias dicebat de naſcituro Chriſto. *Butyrum & mel comedet vt ſciat reprobare malum & eligere bonum.* Butyrum & mel rationem boni & mali poſuit, in reprobationis & electionis rem. Equidem qui guſtauit mel repudiabit amarum, qui butyrum ſapidum nouit, inſipidum non eligit. Ita Chriſtus id ſuaue & dulce, ſapidum & ſanum eligere debuit, amarum & inſipidum repudiauit. Ad quem ſenſum admonebat D: Aug: ſup: Pſal: 136. Chriſtianos. Aliud eſt ſolatium captiuorum, aliud gaudium liberorum. Et Thom: de Kempis de Imitatione Chriſti lib. 2. cap. 1. Quid hîc circumſpicis cum iſte non ſit locus requietionis tuæ? In cœleſtibus debet eſſe habitatio tua, & ſicut in tranſitu cuncta terrena ſunt aſpicienda. Tranſeunt omnia & tu cum eis pariter, vide vt non inhæreas ne capiaris & pereas. Apud altiſſimum ſit cogitatio tua & deprecatio ad Chriſtum ſine intermiſſione dirigatur. Sed quia per butyrum B: Alb: Mag: intellexit, vt pauperum anguſtias eleemoſynis perungamus ſicut butyro, id eſt, ſi Dominus dederit nobis multum, multa tribuamus nec macra ſed ſaginata demus, & cum lætitia demus. Cùm enim pauca damus vel cum injuria, palatium quod in cœlis ædificatur per eleemoſynas paruulam portam ad ingreſ-

Butyrum & mel reprobationis & electionis inſtrumenta.

Habitatio noſtra nõ hîc, ſed in cœlis.

Butyrum eleemoſyna.

ingreſſum habebit diuitis. Ad quendam Ducem belli Rex Caſtillæ diuertiet, qui arcem habebat magnifice ſtructam & exornatam, ſed aſcendendum erat per anguſtam ſcalam. Cui Rex, Cur ſcalas ampliores fieri non juſiſſet, dixit. Nunquam putaui fore vt tam magnus hoſpes ad me diuertat. Viduæ duo æra offerenti ſcala parata ad cœlum licet anguſta. Sed diuiti parci & auaro nec talis ſcala erit. Diſpenſator enim bonorum à Deo ſibi conceſſorum æquus non erat. Fiat diuitis eleemoſyna vt butyrum larga, amæna & charitate plenâ vt mel eſt dulcedine. Iſidorus de ſum: bono lib: 3. cap: 64. Qui hîc miſericordiam non impartitur, illic pietatis fructum non inuenit. Exemplum ardentis diuitis, qui in inferno ad tenuiſſima petenda compulſus eſt, qui hîc tenuiſſima negare ſtuduit. Quid tribui ſubtiliùs, quid diſtrictius petere poterat? Guttam aquæ ardens petijt, qui micas panis negauit. Sero diues oculos aperuit, quando Lazarum pauperem requieſcentem vidit quem jacentem ante januam videre deſpexit. Qui igitur offerre ad menſam Dei & Sanctorum deſiderat butyrum bonum commiſerationis à Deo nobis comendatum deferat. Deut: 11. *Docete filios veſtros verba mea vt illa meditentur cùm ſederis in domo tua, ambulaueris in via accubueris ſurrexerit.*

Arx cum ſcala ſtricta.

Diuitis eleem: qualis.

Diues & Lazarus.

Pro quarto præponendo, nempè, lacte. Nota. Ex proprietate lactis quod ſit proprium nutrimentum paruulorum, deſcendit B: Alb: Mag: ad ſignificandam per lac eruditionem bonam filiorum & ſubditorum, vt erudiantur quomodo ſeruiant Deo, in honeſtate & ſanctitate. Dulciſſimum lac tale eſt Deo & Sanctis. Aug: in Pſal: 129. Magis cogita quomodo nutrias qui nati ſunt, quàm vt naſcantur. Non enim fœlicitas eſt habere filios, quàm bonos habere. Abraham Deum ſibi tam maximum habuit amicum, vt ei ſecreta ſua reuelaret. Vis habere fundamentum vndè tanta ſuccreſcit amicitia? Gen: 18. dicitur, quia ſcio quod præcepturus ſis filijs tuis & omni ſuæ poſt ſe, vt cuſtodiant viam Domini. Atque in hoc commendantur Tobias Senior, quod filium docebat vitæ viam, & ei præibat pede charitatis, nuſquam errans. Conſtat gentiles in recta liberorum educatione admodum fuiſſe diligentes. Cornelia Gracchorum Mater, ait Valer: Max: cum Compana Matrona apud illum hoſpita, ornamenta ſua pulcherrima ſæculi illius ei oſtenderet, traxit eam ſermone, quouſq; è Schola redirent liberi; Et hæc (inquit) ornamenta mea ſunt. Ionica quædam mulier, vt refert Plutarchus, ſua quadam textura gloriabatur, quod eſſet ſumptuoſa. Lacæna verò, cùm ei quatuor filios, omni virtute præditos indicaſſet, Talia (inquit) oportet eſſe bonæ probæque mulieris opera, & in his gloriari. Pudet (ait quidam Doctor) imò verò horror eſt dicere, noſtri ſæculi morum corruptionem. Ipſimet parentes Filio-

Lac eruditionis filiorum & ſubditorum.

Filiolis etiam dum infantibus, vitia imprimunt, & teneram ætatem malis moribus inficiunt, vſque ad vltimum Spiritum duraturis. Vix dum ſciunt quid ſit aqua, & vinum potitant, idque cum riſu & plauſu parentum. Vix fari norunt, & iam diſcunt conuicia dicere, vix dum prima rudimenta attingunt Scholæ Chriſti, & iam in ſchola diaboli ſunt Magiſtri. Et ſi quidem ſic educati, tales & ipſi poſtea filios educant, quia non poteſt facere filius, niſi quæ viderit Patrem facientem. atq; eo modo infælici quodam orbe & ſucceſſione vitia per manus traduntur, & ex pollutis fontibus polluta flumina egrediuntur, Eccl. 7. *Filij tibi ſunt? erudi illos, & curua illos à pueritia eorum. Filiæ tibi ſunt? ſerua corpus illarum, & non oſtendas hilarem faciem tuam ad illas.* Benè Chryſoſt. Homil. 9. in 1. ad Timo. Magnum habemus, pretioſumque depoſitum filios; ingenti illos ſeruemus cura; atque omnia faciamus, ne fur id nobis aſtutus auferat.

Educatio mala filiorum.

Bona cura prolis.

Quod arbor mala. ſit homo peccator, ſub quali arbore dæmones commorantur, vt B. Alb. Magnus deduxit. Nota D. Aug: libr. 2. capite 15. de ſerm: Dom: Arbor quippè eſt ipſa anima id eſt homo non poteſt malus homo bona operari. Facilè colligitur, Igitur mala operabitur, Igitur mali & malorum radix & fons erit. Igitur mali author diabolus proximus eſt homini malo, ergò ibi ſuæ malitiæ catulos ſub tali arbore fouebit, nutriet, Igitur cubabunt ibi lamia, Ericius, milui &c. vt deducebat B. Alb: Mag: Iſid: lib: 2. de ſum: bon. cap. 23. Iſtis fontibus quaſi quibuſdam gradibus coaleſcit omne peccatum, cogitatio praua delectationem parit, delectatio conſenſum, conſenſus actionem, actio conſuetudinem, conſuetudo neceſſitatem, ſicq; his vinculis homo implicatus quadam catena vitiorum tenetur aſtrictus, ita vt ea euelli nequaquam valeat, niſi diuina gratia manum iacentis apprehendat. Vndè D. Aug: Si vult malus bona operari, prius bonus fiat. Tantam grauitatem & multitudinem peccatorum quot mora peccandi pariat & immanitatem ſceleris nutriat. Iſa: 5. deduxit. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis & quaſi vinculum plauſtri peccatum.* Trahit enim iniquitatem in funiculum qui tardat conuerti ad Deum. Trahere enim iniquitatem, eſt moram facere in iniquitatibus. Pſal. 120. *Prolongauerunt iniquitates ſuas, Dominus iuſtus concidet ceruices peccatorum.* Sed ipſa pænitentia quæ aſſignatur peccantibus, grauitatem peccatorum demonſtrat atq; turpitudinem. Nam Dan. 4. dicitur quod Nabuchodonozor pro peccato ſuperbiæ luit grauiſſimam ſeptem Annorum pænam Et in Concil: Ancyrano quod ante Annum 1270. celebratum fuit pæna ſeptennis iniungitur ijs qui bis vel ter idolis ſacrificauerant Et in Concil: Niceno primo cui 318. Patres

Arbor mala, homo malus, bona operari non poteſt.

Fontes peccatorum.

Funiculus iniquitatis, ſera conuerſio.

interfuerunt indicitur pæna vndecim Annorum Et in Concil: Elibertino indicitur pæna mulieri quæ ancillam verberando occidit Annorũ ſeptem. Nec Lutherus amplius hallucinetur quærendo, vt ex antiquis Patribus à nobis oſtendantur quadragenæ ſeptennæ, &c. Differentia pęnitẽtiæ pro qualitate delicti recta iuſtitia aſſignatur ab Eccleſia, Generatim enim Chriſtus pænitentiam imperauit, ſed locum, tempus & modum, poteſtati & definitioni Eccleſiæ reliquit. Hinc Iſidorus Quãuis per pænitentiam propitiatio peccatorum ſit, ſine metu tamen homo eſſe non debet, qua pænitentis ſatisfactio diuino tantum penſatur iudicio non humano. Proindè quia miſeratio Dei occulta eſt, ſine intermiſſione flere neceſſe eſt. Neque enim vnquam oportet pænitentem habere de peccatis ſecuritatem. Nã ſecuritas negligentiam parit, negligentia autem ſæpè incautum ad vitia tranſacta reducit.

Per quid bona vel mala arbor cognoſcatur?

RESp. Ex fructu. *Non poteſt*: enim, vt dicit veritas: *Arbor bona fructus facere malos neq; arbor mala fructus bonos*. Matth. 7. Quis autem ſit fructus bonæ arboris, ad Gal. 5. *Fructus autem ſpiritus*, id eſt, arborum illarum ſub quibus requieſcit ſpiritus, *eſt charitas*, quæ de terra cor ad cælum euocat: *Gaudium*, id eſt, puritas ſcientiæ: *Pax*, quando ſe homines inuicem non inquietant: *Patientia*, aduerſorum: *Longanimitas*, expectationis de promiſſis Dei: *Bonitas*, id eſt, dulcedo animi: *Benignitas*, largitas rerum: *Manſuetudo*; quando homo non eſt intractabilis, ſed potiùs tractabilis. *Fides*, de inuiſibilibus certitudo. *Modeſtia*, quando homo modum in dictis aut in factis ſeruat. *Continentia*, quando homo ab illicitis ſe abſtinet. *Caſtitas*, quando homo rectè vtitur licito. Eccleſ. 12. Fructus bonæ arboris, qui ſunt exponti ſecundum Gloſſ.

Item alij tres boni fructus ponuntur ad Eph: 5. Vbi dicit Paulus: *Fructus lucis eſt in omni bonitate, & iuſtitia, & veritate.* Vt videlicet homo ſit bonus corde, iuſtus opere, & verax ore. Non igitur debet gaudere arbor, ſi tantum habet folia, id eſt, bona verba, niſi etiã habeat bonos fructus, id eſt, bona opera; vnde Dominꝰ dicit hodie in Euangelio Non omnis, qui dicit mihi; Domine, Domine, intrabit in regnũ cælorũ; ſed qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis eſt, ipſe intrabit regnũ cælorum.

Quis etiam ſit fructus, per quem homo mala arbor eſſe cognoſcatur, manifeſtat Apoſtolus ad Galat. 5. ita loquens: *Manifeſta ſunt opera carnis*, id eſt, illorum, qui ſecundum carnẽ viuũt, & præterea æternâ morte morientur. Quæ ſunt: *fornicatio*, opus ſcilicet luxuriæ. *Immunditia*, quæ eſt contra naturam. *Impudititia*, non pudicè viuere. *Luxuria*, quælibet ſuperfluitas idolorum: *Seruitus*, ad literam

vel:

vel: *Auarus. Veneficia,* ad literam, vel praua conſilia: *Inimicitiæ,* perſeuerantes. *Contentiones,* in verbis: *Æmulationes,* quando duo ad malum tendunt. *Iræ,* ſcilicet ſubita tempeſtas animi. *Rixæ,* quando ininuicem ſe homines ex ira percutiunt: *diſſenſiones,* quando partes & tumultus faciunt in Eccleſia. *Sectæ,* id eſt, hæreſes: *Inuidiæ,* de alienis bonis: *Homicidia,* ad literam, vel mendoſæ detractiones. *Ebrietates,* aſſiduæ commeſſationes ſuperfluæ, & his ſimilia quæ prædico vobis, ante iudicem, dum licet pœnitere: ſicut prædixi, quia qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt: ergò damnabuntur in inferno. Ecce habes 12. fructus malæ arboris ſecundum Gloſſ. expoſitos.

ANNOTATIO.

NON ſine ratione minatur Deus malè arbori exciſionem & cõbuſtionem, fructus enim illorum nullus, vel malus, Mach. 1. *Vos receſſiſtis de via & ſcandaliſaſtis plurimos in longe, irritum feciſtis pactum Leui. Propter quod & ego dedi vos contemptibiles & humiles omnibus populis ſicut non ſeruaſtis vias meas, &c.* Sicut non redditur præmium niſi bonis, ita pœna niſi malis. Athenienſes formam ſuam victorialem, in forma virginis vna manu galeam militarem, altera malum granati deferentis, depingebant, lemma fuit: SERVAT ET DEFENDIT. Gallea ſcilicet à vulnere caput ſeruat, & multitudo defendit à leſione corpus. Ita qui bonis operibus cum fide formata Catholicus eſt, defendit ſe virtutibus, & ſeruat fide, ſpe, & charitate, vbi hæc defuerint, & caput læſum & membra debilia exiſtunt. Hinc B. Nilus Bonum eſt intra fines neceſſitatis manere, & omnibus viribus contendere ne tranſcendamus illos. Nam ſi quis vel modicum percupiditatem ad vitæ delicias deflexerit, nullus deinceps quo minus peragat coercere poteſt. Fructum ex rebus internis & ex rebus externis capere non eſt viro bono difficilè. Nam ex omnibus externis rebus etiam malis, deducit Epictetus libro 3. cap. 20. poſſe fructum capere. Quis fructus è morte viri militaris & amantis patriæ? Et inquit; Eia homo nonné pietatem erga patriam conſeruauit? Nonné magnitudiné animi? nonné fidem? nonné indolem generoſitatis? qui ſi diutiùs vixiſſet, nonné iſtis omnibus amiſſis in contraria incidiſſet, nonné ignauiæ crimen incurriſſet, non patriæ deſertoris! Item dicis, malus vicinus eſt, ſibi ipſe, mihi verò bonus, exercet moderationem, exercet æquitatem meam. Ita Malus Pater eſt, ſibi ipſi, mihi bonus. Hæc eſt Mercurij virgula, hâc quicquid attigeris aureum erit. Affer morbũ, egeſtatem, conuitium, omnia hæc, virgula Mercurij vtilia reddentur. Et hanc quoq; docebat regulam Apoſtolus, Rom. 12. vt ex malo bonum aptemus nobis: *Vince malum in bono.* Et Chriſtus, Pro inimicis ora, illis

Bonus ſe virtutibus ornat.

Fructum vir bonus ex malis colligit

illis

illis bene fac, ſumi igitur poteſt ex omnibus rebus malis, bonum noſtrum. At ſi fuerit bonum delicti ita quod deprauauerit hominem, malus non poteſt facere bonum ampliùs, ſed iracundus occiſionem, mutilationem, maledictionem, ſemper generabit. *Non poteſt arbor mala bonos fructus facere.*

Malus colligit, niſi mala.

Mali adminiſtrāt regna.

Obiciet aliquis quomodo mali dum ſunt mali non faciunt bona? Ecce aliquando mali adminiſtrant regna & Dominia? *Deus regnare facit hypocritam*: Iob. 34. *Auferam validum & fortem, Prophætam & ſenem, conſiliarium & honorabilem vultu, & dabo principes eorum pueros & effeminati dominabuntur eis.* Iſa. 3. At dicendum quod hi non faciunt bona ſed mala Ita enim Oſæe 13. *Dabo eis regem in furore meo.* Id eſt non ad vtilitatem ſed ad correctionem Refert Cedrenus in Phoca.

Cur malus Phocas datus Imper:

Quod religioſus quidam alloquebatur Deum in oratione, cur tam impium poſuiſſet Chriſtianis Imperatorem? Audiuit vocem. Deteriorem illo alium inueniri non potuiſſe vt meruerant Conſtantinopolitanorum flagitia: Vndè D. Greg: Ex ſe, non arbitrio rectoris regnant qui nullis ſuffuli virtutibus nequaquam diuinitus vocati ſed ſua cupidine accenſi culmen regiminis rapiunt potius quam aſſequuntur, quos tamen Deus & prouehit & non cognoſcit, quia quos permittendo tollerat, profectò per iudicium reprobationis, ignorat. Ex malo, non procedit, niſi malum. Iulio Cæſari quidam amici ſuadebant vt ſibi caueret ab Antonio & Dolabella, ſuſpectos enim habebant & ideò præmonebat Cæſarē. At Cæſar vt vidit rubicundos ſanos & corpulentos, dixit. Non iſtos timeo, ſed illos pallidos, oſtenſo Bruto & Caſſio. Nec fefellit illum ſuſpicio, quia ab illis occiſus erat Ex mala diſpoſitione corporis, ſuſpicatus eſt malum. Malitioſ. & tyranni, cum ſemper ſibi timeant & mala meditentur continuò, pallidi ſunt, & ceu mortem minantes alteri, & ſibi mortem ferentes. Duo enim ſequuntur mala malos. Primum, vt peiora agant donec vltimum mali ſui attingant. vndè Iſidovus lib. 3. Pæna peccati peccatum admittitur, quando promerito cuiuſq; peccati Deo deſerente in aliud peccatum deterius itur, de quo ampliùs qui admiſerit ſordidetur. Ergò præcedens peccatum cauſa eſt ſequentis peccati, ſequens verò peccatum pæna eſt præcedentis delicti. Præcedentia itaq; peccata ſequentium ſunt criminū cauſa vt illa quæ ſequuntur ſint præcedentium pœna. Quorum infelicitatem vt declararet Dominus Num: 14. dicit. *Viſitā peccata patrū in tertiam & quartā generationē.* Secundū ſequitur malū malos, quia quo periculoſius immerſi ſūt peccatis eo deteri9 de Deo blaterāt. Iudas cùm vendidit Iudæis Chriſtum; nec Ieſu nominare voluit, ſed ſolùm dicebat: *Quid mihi dare vultis, & ego vobis tradam eum.* Non dixit Ieſum, ſed dixit: eum. Oſculatur Chriſtum, & dixit: *Aue*

Mali regunt ex ſe non ex alio.

Cauere plus à pallidis quàm rubicundis.

Mala duo ſequuntur malos.

Peccatur primitur picat.

Peccaior maior magis Dū blaſphemat.

Iudas nec nomen ſuper nominare voluit, vbi peccauit.

Aue Rabbi, non dixit: Aue Domine Ieſu. Origenes. Odio habuit nomen ipſius, & ita nec nominare illud voluit. Iſa. 1. *Væ genti peccatrici, facti ſunt populus grauis in iniquitate, filij ſcelerati.* Quomodo tales facti? *Dereliquerunt Dominum, blaſphemauerunt Sanctum Iſraël, abalienati ſunt retrorſum.* Iſid. Peccatum perpetrare crimen eſt, peccatum prædicare clamor eſt. Auferatur clamor à vobis cum omni malitia. Inter miracula Ceſtochouiana eſt, vbi catena mali exprimitur Frater quadrimus occidit cultro bimulum, Euitando plagas infurmum abſcondit ſe, mater ligna ſuccendit, ſuffocauit ignoranter filium, vt poſt cognouit malum, exclamauit, maritus accedens occidit vxorem. At quia innocentia non condemnatur, Deus qui puniuit peccatum peccato, per interceſſionem B. V. Mariæ Claremontanæ reſuſcitauit mortuos. Quæ bono animo fiunt, & ex mera ignorantia, non ſunt peccata.

Occiſ ad vitam prouocat.

Quod præmium vel quod ſuppliciū bonis & malis promittitur?

PRæmium bonarum arborum erit, quod videlicet transplātabuntur in Paradiſum Domini. Vnde Ierem: 17. *Benedictus vir, qui confidit in Domino, propter ſecuritatem conſcientiæ: & erit Dominus fiducia eius, in ſeparatione corporis & animæ: & enim tanquam lignum, quod tranſplantatur ſuper aquas, refectionis æternæ: quoad honorem conſolationis Diuinæ mittit radices ſuas*, id eſt palatum animæ: *& non timebit cum venerit æſtus*, diſcretionis iudiciariæ: *& erit folium eius viride*, id eſt, nunquā ſilebit à Dei laude: *nec aliquando deſinet facere fructū*, id eſt, ſemper iucundabitur in fructibus illis, quos attulit ex meſſe militantis Eccleſiæ.

Supplicium quoq; malarum arborum erit, quod ſuccindetur ſecuri mortis æternæ, quam exacuerunt per peccata ſua: ſuccisæ verò mittentur in ignem æternum. De hàc ſucciſione & ignis aduſtione dicit Ioannes Baptiſta Matth: 3. *Facite dignum fructum pœnitentiæ. Iam enim ſecuris ad radicem arboris poſita eſt. Omnis enim arbor, quæ non facit fructum Domini excidetur, & in ignem mittetur.* O quā infælix erit ille, qui mittetur in ignē æternum, nimia ferocitate in miſeros peccatores ſæuientem. Rogate ergo Dominum, vt tanquam bonæ arbores, ſic modo faciamus fructus honoris & honeſtatis, vt transferri mereamur in paradiſum perpetuæ amænitatis. Quod nobis præſtare dignetur idem Ieſus per ſæcula benedictus.

ANNOTATIO.

Pro præmio bonorum.

DIuus Paulus 2. Cor. 1. *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quod in ſimplicitate cordis, & in ſinceritate Dei, & non in ſapientia carnali, ſed in gratia Dei conuerſati ſumus in hoc mundo, abundantius autem ad vos.* Vide optimos fru-

Teſtimonium conſcientiæ gloria eſt.

fructus, quam igitur fœlices ſperabis euentus? Profectò iſti non egebunt lumine lucernæ, neq; lumine ſolis quoniam Dominus Deus illuminabit eos, & regnabunt in ſæcula ſæculorum, vt Apoc 22. dicitur. Iſidorus de ſum. bon. lib. 3. cap. 63. Sunt quidam iuſti qui ſine læſione cuiuſquam ſuis rebus vtuntur: Item ſunt quidam diuites humiles, quos non inflat ſuperbia rerum, veluti fuerunt pleriq; ſancti veteris teſtamenti, qui & affluebant diuitijs, & tamen humilitate pollebant. At cõtra quoſdam ſuperbos diuites rerũ copia facit elatos, quorum non ſunt opes in vitio, ſed voluntas. Nam crimen in rebus non eſt, ſed in vſu agentis. Non igitur iſtorum erit æqualis merces licet vtrorumq; æterna, nam bonorum erit retributiò in bonis æternis, malorum verò in pœnis. Refert Philoſtratus in Archione, quod viuo detraxerat coronam & victoriam turba inuida, qui cum breui poſt victoriam efflaſſet animam, iudicum ſententia cadaueri ipſius coronam & victoriam conceſſit. Dixit Quidam. Tandem bona cauſa triumphat. Sit qualiſcũque inuidam malitia mundi, bono tamen erit retributio infallibilis, iucunda & æterna cum Angelis. Prou. 3. *Gloriam ſapientes poſſidebunt, ſtultorum exultatio ignominia:* Hanc etiam ponimus differentiam quomodo ſuos præmiat mundus & quomodo Deus, ille minuit bona homini & vitam, Deus autem auget bona & tri-

Bona non faciunt malos ſed vſus ipſarũ.

Victori coronam poſt mortem corona.

Mundi præmia

buit æternam vitam. Hinc quidam poſuit in Symbolum ætatis in mundo humanæ lunam plenam, quæ ideò plena dicitur quia quo creſcat, non amplius habet, quo autem in ſingula decreſcat minuta habet. Rapiunt enim homini momenta horas, diem horæ, dies vna alteram extrudit, ſic menſes prætereunt, anni & ætas volant. Tempus præteritum iam deſijt, futurum nondũ eſt, præſens cum eſſe dicitur, iam non eſt; aut ſi eſt, ita diuiſum eſt vt ipſius initium finis ſit præteriti, & finis initium futuri Deo autem omnipotenti tanti ſunt theſauri vt exhauriri nequeant, & licet tot ſunt millium millia Angelorum Beatorum creturarum ipſius tamen omnipotentiam & gloriam non valent plenè apprehendere, ne dicam exhaurire. D. Aug: in Epiſt. Cyrill. proteſtatur ſe audiuiſſe ab anima Hieronymi ſibi apparente in quadam ſplendida luce, infra ſcripta verba cum vellet Aug: componere de Animæ beatitudine. O Auguſtine credis tu totum mare in vaſe reponere paruo aut credis vniuerſum orbem pugillo includere! vel credis tu cæl & ſidera à ſuo curſu retrahere? Nam ſicut ſupra dicta facere non poſſes, ſic nec minimam partem beatitudinis ſeparatæ animæ quam habet in gloria non potes determinare. B. Catharina Bononienſis ſoror Clariſſarum. Vidit in egritudine Chriſtum cũ Deipara & SS. Laurentio & Vincentio

Symbol. ætatis humanæ luna

Tẽpus fallax

Dei theſauri inexhauſti

Anima S. Hier. docet

Animæ beatitudo non deſcribitur

tio & cum innumeris Agelis, & quędam in conſpectu Principis fidibus canentem. *Et gloria eius in te videbitur.* Et tetigit dextera Princeps infirmā dicēs: Audi filia & percipe quid eſt, & gloria eius in te videbitur. Et manet eius integrum corpus Bononiæ tractabile, vt ſanctimoniales illud veſtiant, in cathedra collocent, ita quod non mortua ſed dormiens videatur. Si in miraculis; ſuaui odore, hac incorruptibilitate & flexibilitate molli, gloria Chriſti & Dei in ipſa conſpicitur, quanta illa gloria eius eſt, qua in cælis coronatur? Ioan. 15. *Gaudium meum in vobis ſit.*

ANNOTATIO.

Pro pæna malorum.

VT malum culpæ à nobis eſt, quia nemini Deus mandauit impie agere, ita pæna pro malo à Deo eſt. Pſal. 49. *Exiſtimaſti iniquè quod ero tibi ſimilis, arguam te & ſtatuam contra faciem tuam.* Vita omnis à fine deſcribitur, vndè videndum eſt cuicunque non vbi incipiat, ſed vbi deſinat. Homo primus in loco deliciarum creatus, in ſumma dignitate & gloria conſtitus fuit: vt cum rebellis Deo factus, in exilium eiectus & infernalibus pænis addici dignus fuit 4. Reg. 1. Heliſeus dicebat ſeruo ſuo Giezi Accepiſti argentum & veſtes à Naamā, ſed & lepra Naaman adhærebit tibi & ſemini tuo vſq; inſempiternum, ſimile fuit iudicium Dei aduerſus hominem, qui cum affectaſſet opes & diuitias Luciferi, eius ſcilicet ſuperbiam & ambitionem) æquum erat vt lepra eiusdem Luciferi quæ pæna eiuſdem ſuperbiæ fuit, inficeretur. Et poterat iuſtitia Dei hominem vt diabolum in miſerabili ſtatu reliquiſſe, ſed miſericors iram ſuam, mutauit in miſericordiam, & quo maiorem iniuriam acceperat, hoc maiorem gratiam erga genus humanum oſtendere voluit, & non tantū culpam ignouit, non tantum in gratiam eum recepit, ſed ad ſuam naturam vniuit. Quid diſtantiùs, quā Deus & peccator? quid arctiùs nūc coniunctum quam Deus & homo? Non eſt quicquam Deo ſublimius (ait Bern:) & non eſt vilius quicquā luto, ex quo eſt homo, nihilominus tanta cum humilitate Deus in terram deſcendit, & cū tanta ſublimitate terra aſcendit ad Deum, vt quicquid Deus fecit id terra feciſſe, & quicquid terra pertulit, id Deus pertulliſſe dicatur. Quis dixiſſet homini cum nudus erat, atq; ſe iram Domini incurriſſe nouerat, cum latebras in paradiſo quærebat, in quibus ſeſe abſconderet, quis, inquam, tūc illi dixiſſet, tempus aliquando adfore, quo ſubſtantia hæc tam vilis Deo eſſet vnienda in vna eademq; perſona? vnio hæc tam arcta, tàmq; fidelis eſt, vt cum iam eſſet diſſoluēda (quod fuit tempore paſſionis) potiùs rupta ſit, quam defecit, Potuit quidem mors animam ſeparare à corpore, quæ erat vnio naturæ: Deum autem nec ab anima potuit, nec à corpore diuellere: erat enim illa

Homo meruit eandē pœnam quam Lucif.

Miſericordia magna Dei in homine.

Homo ſublimis per Deum.

Nullus vnionē cogitauit naturæ diuinæ cū humana.

vnio perſonæ diuinæ, quæ quod ſemel ex amore tam forti apprehendit, nunquam deſeret. Tantam igitur miſerationem Dei miſericordiarum Patris, ſi quis contemplatus fuerit, ſubito conſideret quod qui eum in tanta miſericordia redemit, etiam in ſumma ſeueritate iuſtitiæ ingratum condemnabit. Rem crudelitatis plenam refert Val. Max: lib. 9. cap. 2. Ocho poſt appellatus Daricus, Perſis Sanctiſſimo iure iurando obſtrictus ne quem ex coniuratione, quæ ſeptem magos cum eo oppreſſerat, aut veneno aut ferro, aut vlla vi, aut inopia alimentorum necaret, crudeliorem ille mortis rationem excogitauit, quæ hos iunctos ſibi, non perrupto vinculo religionis tolleret, ſeptum altis parietibus locum cinere compleuit, ſuppoſitoq; tigno prominente, benigno cibo & potione exceptos in eo collocabat, è quo, ſomno ſopiti, in illam inſidioſam congeriem decidebant. Summæ perfidiæ, ſignum licet tacitũ, at quoniam iniquus peccator, fecit conſpirationem in malo cum voluntate propria carne mũdo & dæmone contra Deum ſuum liberatorem, prouiſorem & protectorem, iure meritò, tanta beneuolentia ipſius conuertetur peccatori in iugulum, bona & enim quibus abuſus fuit in cibo & potu ab eo accepto, finientur in igne & cinere. *Excidentur & in ignem mittentur, vbi erit fletus & ſtridor dentium.* Ierem. 9. *Ecce ego cibabo populum iſtum abſyntio, & potum dabo eis, aquam fellis.* Amaritudinem in ſæculo, maledictionis ſuccum & mali expreſſionem in inferno.

Poſt miſericordiam, iudicium.

Crudelitas Darij.

Homicidij conſpiratio in Deum.

Aqua fellis.

DOMINICA VI. POST TRINITATIS.

Homo quidam erat diues qui habebat villicum, & hîc diffamatus eſt apud illum, *Luc: 16.*

QVID PER DIVITEM HOMINEM INTELLIGATVR.

Diues Deus eſt.

INtelligitur ipſe Dei Filius, Pſal: 49. *Meus eſt orbis terrarum & plenitudo ejus.* Et Prou: 8. *Mecum ſunt diuitiæ & gloria & opes ſuperbæ.* Ipſe verò Dei Filius licet diues ſumme eſſet in ſinu patris, venire tamen propter nos voluit in vterum virginis ſe exinaniuit formam ſerui accipiens, ſed quàm nunquam repudiauit, ſed ſtans in cruce inter dilectæ paupertatis amplexus expirauit. 2. ad Cor: 2. *Scitis gratiam Domini noſtri IESV quoniam propter nos egenus factus eſt cum eſſet diues, vt*

ues, *vt illius inopia vos diuites eſſetis.* Vbi Gloſſ. Per illius paupertatem abjecimus pannos iniquitatis vt indueremur ſtolla immortalitatis. Nemo autem ſe contemnat pauper in cella, diues in conſcientia, ſecurior dormit in terra, quàm cum auro diues in purpura.

ANNOTATIO.

VErè nullus diues niſi Deus. Nam de diuitijs hominis Ezech:7. dicitur. *Argentum eorum foris projcietur, & aurum eorum in ſterquilinium erit.* Habuit quidem diuitias homo in paradiſo & Dominium acceperat, at vbi peccauit, Dominium per ejectionem amiſit. & diuitiæ quæ cum ſudore & labore acquirebantur non aliæ eius erant, niſi vt Oſeas dixit cap: 9. Vrticam hæreditauit. Reſtituit quidem Chriſtus diuitias per gratiam ſuam homini, at non has in terra vanas tranſeuntes, ſed illas in cœlo, de quibus 1. Tim:6. *Diuitibus huius ſeculi præcipe, diuites fieri in bonis operibus.* Vndè B: Fulgent. ad Gallam Epiſt: 2. cap: 9. Beatus fuit Iob, cùm in diuitijs juſtè viueret, ſed beatior, cùm in paupertate juſtior extitiſſet. Beatus fuit cum decem circumdaretur filijs, ſed beatior, cùm vna cunctorum ſimul orbitate percuſſus in Dei dilectione permanſit immobilis. Beatus etiam fuit in corporis ſoſpitate, ſed beatior eſt factus in vulnere: beatior etiam in aceruo ſqualoribus pleno, quàm in palatio marmoribus adornato. Attende etiam duos, vnum in diuitijs, & ſanitate miſerum alterum in ægeſtate, & vulnere multum beatum. Diues ille qui induebatur purpura, & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè, quàm inanis fuit in illis epulis, quàm pauper in multitudine diuitiarum, quàm nudus in pulchritudine veſtium, quàm infirmus in ſanitate corporis, quàm famelicus in ſaturitate ventris, quàm miſer in gaudijs, quàm deſolatus inter amicorum colloquia, quàm dejectus in obſequia ſeruulorum. Attende quoq; Lazarum in paupertate diuitem, in miſeria beatum, in infelicitate felicem, in vulneribus ſanum, & quidem ſine domo, ſed non ſine Domino: ſine veſte, ſed non ſine fide: ſine bona valetudine corporis, ſed non ſine robore charitatis: ſine cibo, ſed non ſine Chriſto: Canibus expoſitum, ſed ſocium Angelorum, qui non accipiebat de micis quæ cadebant de menſa diuitis, ſed cæleſtem panem viſceribus ructabat internis. Hæc Sanctus Fulgentius. Hinc apparet quàm durum ſanè ſuperbumq; nomen ſit Dominus quo nuncupatur homo, qui enim nudus pauper & miſerabilis eſt vt Apoc:3. Dicitur, quomodo Dominus & diues proprie erit. Soli Deo qui nulli ſubjacet mutationi, & qui hæc omnia quæ in cœlis & in terris ſunt fecit, Dominium conuenit. Vndè Chryſoſt: Abjecto ab animo Dominij faſtu, ſumas humilitatem & modeſtiam. Ad hanc in Lapide Lydio, ſeu vanitate per veri-

Ditior Lazarus diuite.

Eſſe Dominum Soli Deo conuenit.

veritaem conuicta Archidiac: Brugenſis incitabat in Tit: Dominus.

Paſtum Domi- nij tollunt ab homine infirmitates.

Corpus prurit impetigine, maculatur varis, alopecia depilatur, aſperatur elephante, phthiriaſi verminat, elumbatur nephritide, podagrâ claudicat, torquetur voluulo, euiſceratur diarchea, aget quartana, ardet peſtifera, phthiſi contabeſcit, tumet hydrope, ſpaſmo contrahitur. Soluitur paralyſi. Quid dicemus de vitijs? Turbat hominem ira, libido faſcinat, excæcat ſuperbia, ſtrangulat auaritia, gula ſuffocat, rumpit inuidia, exanimat ſocordia. Et ſupra hoc nunquam tuus eſſe poteris, nam non tibi ſoli natus es. Amici, vicini, hoſpites, filij ſorores, fratres, te ſuum eſſe volunt, ſæpè & ſemper alieni nutus cogeris eſſe mancipium & nunquam tuus,

Spes in Deo.

Admonuit D. Paul: ex præcepto Dei 1. ad Tim: 6. *Diuitibus hujus ſæculi præcipe, non ſublime ſapere neq; ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo viuo.* Hoc docuit filius Dei, qui cum ſit Dominus factus eſt pauper & ſeruus miniſtrando homini.

Quid per villicum exprimitur.

INtelligitur, homo. Gloſſa. Villicus in loco iſto idem eſt quod diſpenſator qui vniuerſam ſubſtantiã domus diſpenſat. Nemo itaq; eſt, qui non aliquam gratiam receperit à Domino ad diſpenſandum. Vnde monemur. 1. Pet:4. *Vnusquiſq; ſicut accepit gratiam in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei.*

ANNOTATIO.

Villici officiũ.

VIllicus proprie cuſtos villæ, quia cuſtodit redditus villarum vt domus permanteat Domini ſui in abundantia. Beda. Villicus, villæ gubernator eſt vndè à villa nomen accepit, Oeconomus autem tam pecuniæ quàm frugum & omnium quæ habet Dominus diſpenſator eſt. B: Alb. Magnus deſcendit ab his quibus verùm temporalium diſpenſatio credita eſt, ad eos quibus etiam ſpiritualis adminiſtratio, vel ſpiritualia bona donata ſunt. Vndè ait,. Nemo eſt, qui aliquam gratiam ad diſpenſandum à Domino non acceperit. Quocirca omnes homines villicos eſſe Domini Dei demonſtrauit.

Nos nõ Domini ſed villicii.

Ambr: Ex hoc ergò nos non ipſos eſſe Dominos, ſed potiùs villicos alienarum facultatum. *Clarius Chryſoſt*: Non vt Domini in vita præſenti collocati ſumus in propria Domo, ſed tanquam hoſpites & aduenæ quô nolumus ducimur, & quo tempore non putamus, qui nunc locuples eſt, in breui fit mendicus. Ergò quicunque ſis, noueris te eſſe diſpenſatorem alienorũ, & tranſitorij vſ9, & breuis hora tibi conceſſa ſunt.

Villicꝰ abundãtiam in Domini domo curare.

Villicus prouidere debet. Eſa: 61. Miniſtri Dei abundãtiã in domo Domini ſui nostri dicetur vobis. Sicut laus ſũma eſſe miniſtrũ Dei. Ita indignitas maxima eſſe miniſtrum Diaboli. Qui autem prouidet abundantiam in do-

in domo Domini, puta, in corde ſuo, in corde proximi, in Eccleſia Dei, in communitate populi Dei, ille eſt miniſter de 1. ad Cor: 4. *Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti & diſpenſatores miniſteriorum Dei.* Qui verò prouidet de abundantia diabolo, ille eſt miniſter diaboli. Abundantia vitiorum & malitiæ, eſt diabolica; abundantia virtutum & juſtitiarum eſt, abundantia Dei. Prouiſor igitur Dei, honeſtatem & bonitatem prouidet; prouiſor verò diaboli, turpitudinem & iniquitatem præparat. At quid iniquitatum prouiſori fuerit in retributionem Apoc: 21. dicitur. *Incredulis, execratis, homicidis, fornicatoribus, veneficis, idolatris, & omnibus mendacibus par erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure.* De prouiſoribus verò Dei Iſa: 8. dictum eſt. *Dominum exercituum ipſũ ſanctificate & ipſe pauor veſter & ipſe timor veſter, & erit vobis in ſanctificationem.* Diogenem cynicum cum vidiſſet quidam Lacon maximò frigore ſtatuam æream complectentem, percunctatus eſt, an frigeret? Id negante illo. Et quid ergo magnum (inquit) facis. Profectò magnum faciebat, ſi in patientia exercebatur, ſi virum ſe in hoc non fœminam declarabat, ſi animi vigorem & corporis firmitatem præſentabat. Sumo ad propoſitum. Omnia in mundo quidquid tangimus; videmus, amplectimur, ſunt ſanctis frigida, amara, inutilia, attamen ad macerationem ſui, jejunij, ſuſpiria, & fletus confugiunt libentiùs, quia anhelant ad ſuperna, vbi gaudium, lætitia & dulcedo beata eſt. Malis verò, omnia hic ſunt, dulcor, bonum vtile, idcircò ſtatuã amplectendo, amittunt verum jubilum, & deducuntur ad triſtia æterna. Malach: 4. *Ecce dies veniet ſuccenſa, quaſi caminus, & erunt omnes ſuperbi & omnes facientes impietatem, ſtipula. Et inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non derelinquet eis radicem & germen.* Audi igitur ſuadentem D: Hier: Epiſt: ad Celant. Certa viriliter, conſuetudo conſuetudine vincitur. Aſperam nobis & inſuauem viã virtutum nimia facit conſuetudo vitiorum, quæ ſi in alteram partem transferatur, inuenietur ſemita juſtĩ leuis. Experto demus aurem D: Aug: qui lib: Confeſſ: 10. cap. 36 dicit. Domine, jugum tuum, leue eſt mihi, quoniam ſic promiſiſti & feciſti. Et verè ſic erat, & neſciebam, quando id ſubire metuebam. Intra igitur in tẽnet ipſũ & ſi dignus es diſpenſator bonorum Dei vide, requiretur enim à te diſpenſatio. Malus diſpenſator non inueniet fugam, quia Deus vbiq; eſt, non habebit excuſationem, quia Deus omnia cordis intrinſeca nouit, ſed malus pro malo mala ſuſtinebit, & bonus bona. Granatenſis deuotus ait. Si grande flagitium eſt, ſi Filius Patri ſit immorigerus, quale ſcelus erit rebellare Deo qui tot nominibus noſter Pater eſt, imò in cujus comparatione nulli hominum Patris nomen competit. Parentibus non redditur æquiualens, quomodo Deo reddetur qui

Certãdum viriliter.

plus

Deo & parentibus non redditur æqui valens.

plus contulit vni, quàm omnes patres qui in mundo ſunt. Cauendum igitur ne audiamus. *Generatio praua & peruerſa, hæccinè reddis Domino popule ſtulte & inſipiens. Nunquid non ipſe eſt pater tuus qui poſſedit te & creauit te*, Pſal: 77.

Quæ eſt vocatio qua villicus vocatur.

GLoſſa. Illa eſt, quando metum æternæ incutit damnationis. Metus hîc eſt ſeruus Domini qui ex parte judicis ſæculorum, quod de villicatione ſumus rationem reddituri, nuntiat nobis. Sed multi obturant aures more aſpidis, vnam terra, alteram aurem cauda. Illi aurem cordis obturant terra, in delectationibus terrenis, Cantilenis venereis cytharis, &c. delectantur obliuiſcẽdo tubæ quæ mortuos vocabit ad judicium. Illi verò cauda, qui in fine vitæ ſuæ promittunt deſerere peccata & emendare. Eccl:9. *Repromiſſio nequiſſima multos perdidit.* Quid ſibi annos promittis, qui diem hanc vel horam neſcis te victurum. Et multi in tali ſpe mala, ex hâc luce ſine pœnitentia ſubitò ſunt ſubtracti.

Obturatio aurum duplicitr.

ANNOTATIO.

Villic9 omni momẽto vocat9

OMnis minuta horæ vocat villicum ad rationem reddendam, cùm nulli ſit dies vitæ nec horæ aliqua determinata minuta. Sed ſolùm dicitur. *Eſtote parati quia neſcitis diem neq; horam.* Siue ſtas ſiue ſedes, ſiue triſtis es ſiue lætus, à prandio, à lecto vocabunt te ad rationem reddendã. Turcæ, quandam tabulam ab Imperatore miſſam ſignum iræ exprimentis, cùm & vbicunq; oblatam ſibi viderint, ſubmittunt colla & vadunt, ſiue in carcerem; ſiue ſub gladium.

Turcẽ ira.

Deus prius admonet, vt ſint parati, tum vocat ad dandam rationem, in quo nõ locus excuſandi, ſed jam accuſandi erit. Vndè Chryſoſt: Quotidie nobis per effectum exclamat Dominus, vt priuſquam adueſperaſcat faciamus examen. Alium enim inter prandia expirantem, alium in ſopore morientem, hunc per gladium excedentem, alium per caſum, alium per fraudem occiſum conſpicimus. Sed fidelis diſpenſator qui de propria diſpenſatione confidit, deſiderat cum Paulo diſſolui & eſſe cum Chriſto. Iſid: autem cujus ſunt vota terrena, anxiatur in exitu. Quid faciam? Quid faciam? Acceſſit manus ſcribentis vt Daniel: 5. Scribit. *Mane tethel phares.* Numeratum, ponderatum, diuiſum. Numeratum in ratione diſpenſationis, ponderatum ſecundum pondus bonæ & malæ intentionis, diuiſum ab ipſo ſecundum exigentiam diuinæ operationis. Ideò dicitur Matth: 5. *Eſto conſentiens aduerſario tuo dum es in via, ne forte aduerſarius tradat te judici, & judex tortori & in carcerem mittaris. Amen dico tibi quod non exies inde donec reddas adnouiſſimum quadrantem.*

Monet Deus antequam judicat.

Diſpenſator fidelis non timet.

In hac tamen vocatione, B: Alb: Mag: adnotabat metum æternæ damnationis. Nam ſi metus legum nedum

nedum retrahit homines ab opere iniquo, ſed etiam accendit & ſtimulat ad opus bonum; ita metus gehennæ infernalis nedum retrahit ab iniqua villicatione, verùm etiam admonet ad diligentem & ſinceram diſpenſationem. Vndè metus talis, bonum villicum vocat ad rationem reddendam ſuauiter, vt pro adminiſtratione recta, recipiat honorem & prœmium. Quia ſcilicet in pauca fuiſti fidelis (dicetur illi) ſupra multa te conſtituam. Intra in gaudium Domini tui. Conſiderabat id B: Iſidorus 1. lib: de ſum: bono cap: 3. Duæ ſunt differentiæ & ordines hominum in judicio, hoc eſt electorum & reproborum, qui tamen diuiduntur in quatuor. Perfectorum ordo vnus eſt, qui cùm Domino judicat, & alius qui judicatur. Vtriq; tamen cum Chriſto regnabunt. Similiter ordo reproborum, partitur in duobus, dum hi qui intra Eccleſiam ſunt mali, judicandi ſunt & damnandi; qui verò extra Ecclesiam inueniendi ſunt, non ſunt judicandi, ſed tantùm damnandi. Omnes igitur bonos, damnationis metus, in perfectionem adminiſtrationis bonæ deducit, quocirca bona ſua, dies & horas vitæ, in alta diſponunt, atq; ad alta præparant, quateuùs non jam eos timor gehennæ ſtabiles in bono faciat, ſed amor cœleſtium in perfectionem attrahat. De Thoma Sanches è Soc. Iesv Ribadeneyra refert. Repertum (inquit) eſt in quodam libro à morte eius inuento ſcriptum. Omnis mea cura erit, Venerabilis euchariſtia. Iesvs crucifixus. Virgo Maria. Hanc auream triplicitatem quis ei demonſtrauit? Reſpectus ad gehennam. Nam de Euchariſtia dictum, 1. Cor: 1. *Probet igitur ſeipſum homo & ſic de illo pane edat & de calice bibat. Qui enim manducat indigne & bibit, judicium ſibi manducat.* De crucifixo verò, illam quæſtionem maſticabat latronis quàm ſoluebat bonus latro alteri latroni. Decidebat enim Chriſtus in cruce propoſitū dicens pendenti à dextris. *Hodie mecum eris in paradiſo.* Tacite verò, lata eſt ſententia in ſiniſtrum. Eris cum Lucipero. De Virgine Maria, dum conſiderauit quod libera ſit à peccato originali, & libera quoq; ab omni peccato, fœlicem fuiſſe nec quando metum pœnæ habituram dixit. Vndè petijt vt per illam via ſua dirigeretur. Erga eam ſingulari cura afficiar, ad illam in omnibus neceſſitatibus meis recurram, per eam pro quouis opere facto in Dei obſequio gratias agam, pro defectu admiſſo veniam præcabor per illam, & illos qui mihi aliquam moleſtiam exhibuerint, per eam Deo commendabo. Hanc ſapientiam humanam & profectum ad perfectionē, declarauit ſapiens. *Memorare nouiſſima, & in æternum non peccabis.* Memoria inducit metum; metus vocat ad virtutem; virtus parit tranquillitatem mentis, & hæc donat æternitatem cœli.

Reſpectu ad gehennam plura bona radicat.

Memoria nouiſſimorum

Pro obturatione aurium. Nota. Optimum quidem eſt obturare aures,

Obturare & malo aures.

res at à malo, nam qui obturat aures à bono ſalutis; ille peruerſus & damnabilis eſt. Hinc de obturatione aurium à malo dicitur Eccl: 28. *Sepi aures tuas ſpinis, & linguam nequam noli audire, & ori tuo facito oſtia, & ſeras auribus tuis.* De auditu verò bonorum dicitur Deut: 32. *Ponite corda veſtra in omnia verba mea.* Dicit ponite corda, nedum audire aure corporis ſed etiam aure cordis præcipit Deus ea quæ ſeruanda nos juſſit pro noſtra ſalute: Et quicumq; audierit Dominum beatus erit, & qui non audierit derelinquetur ab eo & repudiabitur. Zach: 11. *Non paſcam vos quod moritur moriatur, & quod ſucciditur ſuccidatur.* Vt nauis ſine nauclero, & grex ſine paſtore perit, ita pereunt qui repudiantur à Deo, repudiantur verò, quia audire Dominum noluerunt. Deſertum mundi plenum latronibus & horribilibus beſtijs, homo ipſe tot incommodis, infortunijs, expoſitus, ſi autem Dei protectio defuerit, quid faciet debilis inter fortes inimicos, inter gigantes puſillus, inter armatos inermis? Pereat neceſſe eſt. Igitur reijce aurem à terra, reijce ſpem longæ tuæ vitæ, & conuertere ad Dominum & audi. Pſal: 84. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Audi tacens, & pro reuerentia, accedet tibi bona gratia. Eccl: 31. *Talis attentio ad verba Domini te continuum in meditando faciet & in reuerentiam Dei deducet, & accedet tibi bona gratia*, hoc eſt benedictio & felicitas ad proſpera, & ad animum beatitudinis, rectitudo. Præmium bonorum eſt, Deos fieri Boet: dixit lib: 4. de conſol. Fertur de Alphonſo rege quod erga omnes liberalis exiſteret ſolos Aſtrologos præteriret, ita quod nec in palatio eius viſi ſint. Cùm rationem aliquis expoſtularet dixit. Sydera ſtultos regunt, ſapientes aſtris imperant. Non ſufficit homini conſpicere cœlum, nam etiam Lutherus videndo ſerenum cœlum dixerat. O cœlum, quàm pulchrum es, at non propter me. Sed neceſſe eſt videndo cœlum deſiderare ex animo illud. Sultus aſtrologus eris ſi ſydera conſiderabis & in barathrum incides. Inſipiens eris ſi te aſtra ad cœlum regunt, & tu regi denegas. Sapiens verò, dominabitur aſtris; non conſtet in ſpeculando, donec peruenerit ad authorem aſtrorum, creatorem cœli. Ita occupatus fuerat D. Aug: vt Confeſſ: lib: 6. cap. 3. Nolo in aliud defluant horæ quas inuenio ab alijs neceſſitatibus liberas, quàm meditari in lege Domini, ſunt caſtæ deliciæ meæ ſcripturæ tuæ, nec fallar in eis nec fallam ex eis. Vox tua gaudium meum. Vox tua, ſuper affluentiam voluptatum.

Aures ſupra verba. *Diſeri à Deo malum* *Audire Deũ gratia ſequitur.* *Aſtrologi contemptui.* *Aſtrologi ſtulti.* *Vox Dei gaudium.*

De quibus villicationis ratio requiratur.

Rationem reddere debemus de omni villicatione noſtra, videlicet de his, quæ intra nos ſunt, & infra nos ſunt, & ſupra nos ſunt, & de his, quæ circa nos ſunt.

Primò

Reddenda ratio de his quæ ſunt intra nos.

Primò itaq; rationem reddemus, de his quæ intra nos ſunt. Videlicet de ipſa anima noſtra, & de tribus viribus eius. Requiret enim à nobis Dominus animas mundas, vtpote in lauacro ſanguinis ſui emundatas. Vndè quilibet debet eſſe ſolicitus de anima ſua, vt dicat cum Pſal: 118. *Anima mea in manibus meis ſemper.* Quilibet enim animam mundam Domino repræſentare tenetur. 2. De tribus enim viribus animæ noſtræ Dominus à nobis exiget rationem, videlicet de vi rationabili, iraſcibili, & concupiſcibili. Per vim rationabilem debemus inter bonùm & malum diſcernere. Per vim iraſcibilem debemus malum à nobis abijcere. Per vim verò concupiſcibilem debemus ſummum bonum concupiſcere, ipſiq; dulciter inhærere. 3. Reddemus etiam rationem de ſcientia nobis à Deo per naturale ingenium infuſa, vel per ſtudium acquiſita, ſi videlicet per eam & ſana & bona conſilia dederimus. 4. Similiter & de linguæ facundia rationem reddemus, ſi videlicet propter Deum, & non propter nummum, vel aliud temporale emolumentum juſtam cauſam pauperum fouerimus ac viduarum. 5. Rationem quoq; reddemus de fortitudine membrorum. Vndè dicitur in Pſal. 58. *Fortitudinem meam ad te cuſtodi.* Hinc etiam dicit Paulus ad Rom: 6. *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ, iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibite membra veſtra ſeruire juſtitiæ in ſanctificationem.* Heu multi luxurioſi ſunt & iniqui, qui incomparabiliter plus laſſantur in ſeruitio diaboli, quàm IESV CHRISTI, & tales miſerabiliter in die judicij clamirabunt, ſicut dicitur. Sap. 5. *Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, perambulauimus vias difficiles, & in malignitate noſtra conſumpti ſumus.*

Redda ratio de his qui ſunt infra nos.

Secundò rationem reddemus de his quæ infra nos ſunt. Videlicet de terra & aqua, & de omni commodo & vtilitate, quàm habemus ab eis. 1. A terra ſiquidem habemus aurum & argentum, æs & ferrum, ſtannum & plumbum, & cætera hujuscemodi metalla. 2. A terra etiam habemus lapides pretioſos, herbas medicinales, flores & ſegetes, gramina & paſcua, & multa alia. 3. Ab aqua habemus lauacrum corporum & veſtimentorum noſtrorum, & piſces ac natalia multi generis ad alimentum, & plura alia commoda.

Redda ratio de his qui ſunt ſupra nos.

Tertiò rationem reddemus ab his, quæ ſupra nos ſunt. Videlicet de ſole & luna, aëre & ſtellis, & de ipſa patientia Dei. 1. Ab aëre ſiquidem habemus rorem & pluuias, quæ ad irrigationem fructuum terræ diffunduntur ex nubibus, quæ per aëra deferuntur. 2. Ab aëre etiam volatilia diuerſi generis, quorum & eſu confortamur, & concentu ſuaui delectamur. 3. Aërem ipſum miniſterio pulmonis, qui eſt ventilabrum cordis, intra nos attrahimus, ne nimio calore cor conſumatur & diſſoluatur. 4. Sol etiam diem diſtinguit & illuminat, & fructus terræ fouet & matu-

maturat. 5. Luna quoq; & ſtellæ noctem clarificant, & dirigunt viatores. 6. Rationem etiam reddemus de ipſa Dei patientia per quàm vſq; ad canos & ſenectam graues exceſſus ſuſtinet peccatorum. Vndè dicitur in Iſa: 46. *Vſq; ad ſenectam ego ipſe, & vſq; ad canos ego portabo, ego feci & ego feram.*

Reddi: rat: de his qui ſunt circa nos.

Quartò rationem reddemus de his quæ circumcirca nos ſunt. Videlicet. 1. De omnibus bonis temporalibus qualiacunque ſint illa, ſcilicet de domibus, de veſtibus, de cibis & pecunijs, obijciet enim nobis Dominus, quare eum in domos noſtras non recepimus, quando hoſpes fuit & peregrinus. 2. Item quare eum veſtibus noſtris non cooperuimus, quando nudus fuit & frigus ſuſtinuit. 3. Item quare eum cibis noſtris non refecimus, quando famem patiebatur. 4. Item quare eum pecunijs noſtris non redemimus, quando in vinculis & carcere tenebatur. 5. De tempore etiam rationem reddemus. Vnde dicitur in Thren: 1. *Vocauit aduerſum me tempus.* Hinc etiam dicit Hieron: O lignum aridum æternis incendijs aptum, quid reſpondebis in die illa, quando omne tempus tibi impenſum requiretur à te, qualiter ſit expenſum, vſq; ad momentum, & oculi ictũ? Modo forſitan aliquis inter ſeipſum dicere poteſt: Ego coram Deo rationem vitæ meæ non reddam, quia vel procul effugiam, vel alicubi, vbi non videbor, me abſcondam. Cui ſic reſpondebo; frater effugere non poteris. Deus enim qui te judicabit, vt dicitur in Iob: 11. *Cœlo eſt celſior, & inferno profundior, & terra longior, ac mari latior.* Nunquam etiam poteris latitare: ſicut enim dicitur in Iob: 20. *Reuelabunt cœli iniquitatem tuam, & terra aduerſum te conſurget.*

ANNOTATIONES.

PRo reddenda ratione de his quæ intra nos ſunt. Nota. Dicit admonẽdo D. Apoſt. Iacob 4. *Emundate manus peccatores purificate corda duplices animo. Riſus veſter in luctum conuertatur & gaudium in merorem.* Duo hic inſinuat, vnum vt peccata deſeramus, alterum vt de comiſſis plangamus, vndè dixit. *Emundate & purificate corda.* Antequam ad rationem reddendam vocemini. Aug. cont. Iulian. lib. 6. cap. 8. Reatus peccati manet etiã eius qui iam benè viuit nihil tale cõmittens, etiamſi oblitus eſt ſe deliquiſſe nec eius conſcientia ſtimuletur. Et vbi manet niſi in occultis legibus Dei quæ conſcriptæ quodammodo ſunt in mentibus Angelorũ, vt nulla ſit iniquitas impunita, niſi quam ſanguis mediatoris expiauerit. At quia, reddendam rationem de his quæ intra nos ſunt B. Albertus docuit. De anima & ipſius potentijs, Anima ſit, ceu in manibus noſtris aliqua res prætioſa diligenter cuſtodita & tractata. Vt quæ purgata ſacro fonte & Chriſti ſanguine eſt, ſit ſemper caſta munda & ſancta. Exemplnm præbuit Beata Paula

Peccata deſerenda & plang: de commiſſis.

Reatus peccanti.

D. Pau la me- du vi- ta ſpi- ritua- lis.

Paula Romana dicens. Turpanda eſt facies, quam contra Dei præceptum purpuriſſo & ceruſſa & ſtibio ſæpe depinxi. Affligendum eſt corpus, quod multis vacauit delicijs. Longus riſus perpeti compenſandus eſt fletu, mollia linteamina & ſerica pretioſiſſima, aſperitate cilicij commutanda. Quæ autem viro & ſæculo placui, iam Chriſto Domino placere deſidero. Ita & D. Paulus 1. Cor. 9. *Caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo.* Cur? Ita ne Dominum offendiſti? Reſpondet: *Ne reprobus efficiar.* Præuenio tali pr. cuſtoditione mea ne quomodo ſim reus Deo & conſcientiæ. Caſtigo, vt mundus ſit ſpiritus meus, in ſeruitutem redigo, vt ſit obediens Domino D. Aug: lib. 6. Confeſſ. cap. 11. Vita miſera mors incerta. Quid igitur cunctamur, relicta ſpe ſæculi conferre nos totos ad quærendum Deum & vitam beatam? 1. Reg: 19. Obſeſſus Dauid nocte à familia Saul qui inuidia victoriæ de Philiſtæis occidere illum quærebant. Intrauerunt domum eius vt caperent illum, inuenerunt ſimulachrū in lecto eius, & abierunt. Ita quidē diabolus victores vitiorum & affectuum, obſidere & capere cupit, vt quia illi non hîc habitant ſed in cælis, anima eorum non manet in corpore quod animat ſed in Deo à quo creata & redempta eſt, diabolus vt conſpexit corpus hominis eſſe ſolū ſimulachrum quoddam exanime recedit confuſus, Domine hîc vre & ſeca vt in æternum parcas, dicebat Apoſtolus, quia ſe eleuarat ſupra ſe, & in Domino delectabatur. Quocirca D. Hier: Epiſt: ad Saluinam conſideranda hæc & ſeruanda proponebat. De eodem cuncti facti ſumus luto, ijſdem compacti exordijs. In ſerico & pannis eadem libido dominatur. Nec regum purpuras timet, nec mendicantiū ſpernit ſqualorem. Sic omnis caro concupiſcit ea quæ carnis ſunt & quibuſdā illecebris ad mortiferas animam voluptates trahit, ſed noſtrum eſt voluptatis ardorē maiore Chriſti amore reſtringere, & laſciuiæ iumentum frenis inediæ ſubiugare, vt non libidinem, ſed cibos quærat & deſideret, & feſſorem Spiritum S: moderato atq; compoſito portet inceſſu. Quocircà 2. Pet. 1. ita ad Chriſti fideles loquitur. *Miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute ſcientiam, in ſcientia temperantiam. in temperantia patientiam: rurſum in patientia pietatem, in pietate fraternam charitatem, in fraterna charitate dilectionem.* Iſti profectò ſunt ornatus & monilia caſtam animam & mundam conſeruantia. Hæc eam in candidum biſſum, in niueam albedinem veſtirent, his candidior lacte, rubicundior roſis extitit: his redimita cunctis cæli ordinibus gratioſa, & Chriſto vera ſponſa, & Deo Patri fidelis filia, & Spiritui S. domicilium, apparebit: & pro villicatione bona partem in cælis poſſidebit Refert Metaphraſtes & Surius. S. Iulianus Martyr & ſponſa ſua Baſiliſ-

Caſti- gat cor- pus D: Paul.

Simu- le brū in le- cto.

Caro ſa- ciat ſummos nos Chri- ſtianū.

Orna- tus a- nima.

filiſ-

S. Iulianus S. Baſiliſſa caſti vident Chriſtū. ſiliſſa, ipſa nocte nuptiarum voto ſe obſeruandæ in matrimonio continentiæ obſtrinxerunt. Et mox apparuit illis Chriſtus innumerabili albatorum ſtipatus multitudine ex vna parte, ex altera innumerabilis virginum cætus quarum primas tenebat glorioſa Dei mater. Illi qui erant cum Chriſto, occinebant, *Viciſti Iuliane.* viciſti Iuliane viciſti. Quæ autem erant cum Deipara, occinebant. Beata es Baſiliſſa quæ terrenas delicias ſpernens, ad æternam gloriam te præparaſti. Theophilactus in cap. 9. *Sanctificata anima Sanctū corpus facit.* Marci Sanctificata anima per fidem, & corpus Sanctificari debet, Sanctificabitur vero, quando cum poteſt vti carne, non vtitur propter honorē caſtitatis, vel confitetur ore Dominum, licet periculum vitæ ſubſequatur.

Pro reddenda ratione ex potentijs animæ, Nota. Ex rationali, ſi ea ad honorem Dei vel carnis & mundi ac proximi malum vſi ſumus Pſal. 110. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* *Intellectus facientibus eum.* Quid eſt facientibus eum? An quis intellectus ſui author eſt? Non quidem author, ſed promotor eſt, ſi ad bonum deduxerit illud faciet coronam capiti ſuo. ſi verò deduxerit in malum, accelerauit pœnæ malū in animam ſuam. Promotio intellectus ad bonum laudationem in ſæculum ſæculi generabit. Refert Aclinus ad finem lib. vndecimi. Dum *Platonis apes.* Ariſton ſacra libaret Muſis Platonē adhuc in vlnis deferendo mulier poſuit in dēſis & opacis myrtetis, & repente examen apum mellis opifices iſ os inſiderunt, Quid ſignificarunt? Factorem ſui intellectus ſeu cooperatorem & promotorem, tam eloquentia quam linguæ facundia. Ita quicunq; potentiam rationalem ad honeſta & uirtuoſa (ex quibus conſcientiæ bonum, eccleſiæ ac religionis decus, ſummiq; rerum opificis honos prouenit) fide & pietate deduxerit, inueniet in ore ſuo cæleſtem ambroſiam, qua beati ſpiritus in æternitates viuunt & delectantur. De quo Tob. 2. *Vade, & adduc aliquos de tribu noſtra timentes Deum vt epulentur nobiſcum.* *Sanctorum conuiuium.* Quam iucundum eſt Sanctos cum Sanctis in terris cōuerſari? quæ igitur iucunditas erit conuerſari in cælis cum Angelis & Deo ſuo, quod ſine dubio captiuantes intellectum ſuum in obſequium Dei obtinebunt. Carolus VI. *Panthera.* Galliarum Rex in bellicis ſignis ad pantheram efformatam, tradebat ſimul legendum: MENS SIBI CONSCIA FACTI. *Mens conſcia facti.* Puta victoriam hæc conferet vel caſum. Nam bona cauſa tandem triumphat, & mala ruit. Equidem, intellectus rectè moderatus, non alium finem factumq; trahit facit ne, niſi bonum; in directus vero & mutabilis, malum nidificat. Quocircà in ratione reddenda Deo de potentia rationali, ille pro recto, referret præmium deſideratum, iſte verò ceu mali fabricator, pænas luet intollerabiles. Hinc Eccl. 11. *Lætare ergo iuuenis in adoleſcentia tua & in bono ſit cor tuū in diebus iuuentutis tuæ, & ambula in vijs* *Lætitia iuuenum iudicium.*

Vijs cordis tui & in intuitu oculorum tuorum, & ſcito quòd pro omnibus his adducet te Deus in iudicium. D: Aug: in Iulian: lib. 4. cap 3. Ipſæ virtutes veræ eſſe non poſſunt, quæ carnalibus delectationibus vel quibuſque commodis & emolumentis temporalibus ſeruiunt, quales virtutes Epicurus induxit voluptatis ancillas. Vera virtus ad eum finem tendit vbi eſt bonum hominis, quo meliùs non eſt.

Vera Virtutes.

Pro reddenda ratione de potentia iraſcibili Nota: Ad Rom 2. *Ira & indignatio, tribulatio & anguſtia in omnē animam hominis operantis malum.* Vndè apparet de iraſcibili non modicam reddendam eſſe rationem Eccl. 27. *Graue eſt ſaxum & onerosa arena, ſed ira ſtulti vtroq; grauior.* Val. Max: lib. 9. refert cum Cn. Fluuius humillimæ quondam ſortis præturam adeptus eſſet, Patricij offenſi, annulos aureos ſibimetipſis & phaleras equis ſuis detractas abiecerunt teſtādo motus iræ. Neſcit iracundus parcere nec ſibi nec famæ ſuæ & honori. Hinc Pſal. 4. *Iraſcimini & nolite peccare.* Rectè ſententia hæc intelligitur tribus modis. Primò. Vt ſi ſurgat motus animi qui iam ob pœnam peccati non eſt in poteſtate noſtra, ſaltim ei non conſentiat ratio & mens. Iraſci enim hominis eſt, iram non perficere Chriſtiani eſt, inquit Diuus Hier: in Epiſt: ad ſaluinam. 2 Iraſcimini vobiſmetipſis de preteritis peccatis & vlterius peccare deſinite, qui enim ſibi non iraſcuntur ait S. Aug: lib. 9. Confeſſ: cap 4. theſaurisant ſibi iram in die iræ 3. Iraſcimini non hominibus ſed vitijs eorum. Non naturæ quam bonam Deus condidit, ſed peccato, quo homo bonam naturam fædauit. Sic enim diligendi ſunt homines, vt eorum non diligantur errores, quia aliud eſt amare quod facti ſunt, aliud amare quod faciunt. Verùm hic ira penſanda quæ excludit à regno, quæ ſcilicet mortale peccatum eſt, & pugnat contra charitatem: Horat. in Epiſt.

Ira è grauis.

Annulos detrahunt nobiles Patricii ob iram.

Iraſcimini & nolite peccare.

Ira non perficienda.

Ambr hominis diuerſus

Ira furor breuis eſt, animum rege
qui niſi paret, Imperat, hunc frenis,
hunc tu compeſce cathenis.

Ad ſepulchra antiqnorum virorum ſculpebantur Leones, tauri, ſerpētes, agnelli, & ſimilia, vt ex his appareat cuius naturæ & morum erat ſepultus. Quid hac ſculptura ſignificabant, an vitia & intemperantiam virorum; Non: Sed illorum virtutes exprimebant. Per leonem ſignificabant quod ſeueritate depoſita fuerit manſuetus, per Taurum ſignificabant temperantiam, per ſerpentem prudentiam, per agnum innocentiam. Vndè etiam Lucianus in dialogo Deorum dicit: quod timendi Veneri ne ob ſcelera à leonibus dilaniaretur, reſpondet filius Cupido. Confide mater: Leonibus enim ipſis iam familiaris factus ſum, & ſepenumerò conſcendi eorum terga & apprehendi iubas *Iull Cap. ecc. impreſſarum lib: 2.* His ex fabuloſis vt puto dictis elicere licebit, vt iraſcibili in via peregrinationis

Ad ſepulchra antiquorum Leo ſerpens ponebatur.

frena

frena ponamus, ne rationem reddituri ſeu eram nos ipſos damnemus. Ita enim monebat Apoſt. ad Epheſ. 4. *Omnis amaritudo & ira & indignatio & clamor & blaſphemia, tollatur à vobis cum omni malitia.* Auro exarandam reliquit Seneca ſententiam in lib. de moribus. Sic habita, vt potiùs laudetur Dominus, quàm domus.

Laus ſit Domini & domus.

Pro reddenda ratione de concupiſcibili, Nota. Eccl. 18. *Poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere.* Si præſtas animæ tuæ concupiſcentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis. S. Bern: vt concupiſcibilem refrenet, nec illi permittat vt cupit, dicit ſerm: *66* in Cant: Abſtineo à vino quia in vino luxuria eſt, aut ſi infirmus ſum, modico vtor vino. Abſtineo à carnibus, ne dum nimis nutriunt, ſimul & carnis nutriant vitia. Panem ipſum cum menſura ſumere ſtudebo, ne onerato ventre ſtare ad oratiouem tædeat, & ne audiam illud Prophætæ, quòd panem comederim in ſaturitate. Sed in ſimplici quidem aquâ me ingurgitare conſueſcam. ne diſtenſio ventris vſq; ad titillationem pertingat libidinis. Profectò curauit ille, vt rectam faciat rationem de concupiſcibili. At qui dilatare permittit ſuas concupiſcentias ſentiet illud. Apoſt. ad Gal. 6. *Qui ſeminat in carne ſua, de carne metet corruptionem, qui autem ſeminat in ſpiritu: de ſpiritu metet vitam æternam.* Nam qui ſic ſeminat à Deo habet donum & meſſis & ſeminis. Ita enim D: Paul. 2 Cor. 9 *Qui dat ſemen ſeminanti, & panem ad manducandum præſtabit & multiplicabit ſemen veſtrum, & augebit incrementa frugum juſtitiæ veſtræ. Qui verò ſeminat in carne & de carne metet corruptionem, ideò non lætabitur in meſſe, quia non Deum ſed ſe ipſum habuit authorem in ſemine.* Nam licet peccata cuncta hominum præſciuit Deus futura, at quia illa non prædeſtinauit facienda, iuſtè prædeſtinauit præjudicio punienda. Vt in quo præſcientia DEI videbat futurum opus iniuſtum, huic per prædeſtinationis ſententiam, pararet ſupplicium juſtum. *Ibunt qui bona ægerunt in vitam æternam, qui verò mala in ignem æternum.* Apoc. 10. Angelus pedem tenebat vnum in terra, alterum in mari, & iurauit per viuentem, ampliùs non erit tempus. Qui abijt poſt ſuas concupiſcentias, vno pede ſtat in littore terræ, altero in mari. In tanto periculo eſt, quòd ampliùs tempus non habet, niſi antequam laſſus pes fuerit in terra, alius iam cæcidit in profundum. Chryſoſt. ſuper Matth. Accuſant enim peccatorem propriâ conſcientiâ quam polluit, Creator quem offendit, culpa quam commiſit: diabolus cui ſeruiuit, creatura qua àbuſus eſt, tempus quo exſpectatus eſt. Admonuit idcircò D. Petrus 2. *Efficiamini diuinæ naturæ conſortes fugientes eius quæ in mundo eſt concupiſcentiæ corruptionem.* Ponam ad meditationem deuotioni veſtræ ex Hiſtor. Soc. Ieſu Antonium Medricium qui ita Chriſtum ſub mortem precatus eſt. Agnus Dei qui tollis peccata mundi, & huius ſcelerati pecca-

Poſt concupiſcentias non eundum.

Abſtinentia à cibo & potu.

Seminare in carne & ſpiritu.

Peccata Dei præſciuit, ſed punienda prædeſtin.

Pes in terra alius in mari.

Accuſant peccatorem quatuor.

Antonius Ieſuita erat.

peccata tolle. Qui in peccato mortali concupiſcentiarũ eſt, iam morti proximus cùm ſit, orare debet. Mei ſcelerati peccatoris peccata Chriſte tolle, alias cùm venerit ſecunda mors, tempus fortè non erit pænitentiæ. Sic orabat Eccl. 23. *Aufer à me vanas concupiſcentias, & concubitus concupiſcentiæ ne apprehendant me.*

De ratione redendda de ſcientia.

Sapientiam abiicere & abuti illa.

Nota. Sapientiam & ſcientiam, qui abijcit infælix eſt, dicitur Sap. 3. At multò infælicior ſi illa abutitur, vel in detrimentum proximi ac ſui illa vtitur. Optimè quidam Neotericorum in Lydio lapide reliquit. Vos ea quæ Deus, aut natura, aut ars aliqua ad obſequium dedit, in veſtrum dedecus damnumq; conuertitis: potum cibumq; ad ebrietatem & crapulam, valetudinem ad voluptates, formam corporis ad libidinem, robur ad iniurias, ingenium ad fraudes, ſcientiam ad ſuperbiam, eloquentiam ad diſcrimen, veſtitum ad pompam, otium & equitem ad vitium ne dicam ad exitium. Serpens cùm relinquit ſuum vetus ſpolium, exponit ſe ſoli à quo vigoris actum & teneritatem aſſumit. Talem ſerpentem quidam Dux in Symbolum acceperat fortè preſſus tribulatione aliqua, & ſuppoſuit legendum *NITIDIVS.* Quaſi diceret:

Serpẽs nouus

Reiecto ſpolio veteri ſerpens, nitidius ſpolium acquirit. Ita qui ſum,

Nitidius.

(dicebat Dux iſte) tribulatus ob victorias iniuſtè, nitidius procedam vt non quando puluis recidat in me proiectorum. Ita equidem, cui ſcientia donata eſt, nitidum ſe reddere debet Deo, non mundo; vtilem homo proximi, non damni cupidũ illius. Honeſtum ſcientia reddere debet conſcientiæ proximæ, non laudi humanæ fallaci. Ariſtippus Philoſ. inquit Ælianus lib. 9. cap, 20. Cùm timeret tempeſtatem maris & nautæ illi exprobraſſent dicebat. Vobis de vita ſceleroſa infæliciq; labor eſt & periculum præſens, mihi verò de fœlicitate & beatitudine.

Ariſtippus beatitudinem amittere timet.

profectò quibus ſcientia Dei & cælorum ineſt, non habenda cura alia niſi de fœlicitate atq; beatitudine æterna. Namſi cum ſtultis & inſipientibus reputaberis, ad quid erat tua religio & pietas, ſi ob ſcientiam qua beatus fieri debuiſti, in æternitates damnatorũ detruderis? Quam execrabiles ſũt Hereſiarchæ in ſuis ſcientijs; qui ad blaſphemias doctrinam ſuam conuerterunt, Perditus Caluinus eſt, de quo Iacob Gaut. in Chronol. an à vermibus corroſus, dæmones inuocando; diris ſe deuouendo, diei & horæ qua primum literis & ſcriptioni operam dediſſet maledicendo miſerrimam efflauit animam. Quam rectè Iſidorus. Cautè meditanda cautoq; ſenſu probanda ſunt quæ leguntur, vt iuxta Apoſtolica monita, & teneamus quæ recta ſunt, & refutemus quæ contraria veritati exiſtuant, ſicq; in bonis inſtruamur, vitia malis illæſi permaneamus.

Scienti ſtulte fit beatus.

Mors caluini.

Scientia maſticãda

Pro reddenda ratione de fortitudine.

dine. Nota. 1. Regum 2. *Non in fortitudine ſua roborabitur vir.* In cuius igitur? Equidem non amici, proximi, fortitudo robuſtior, ſicut nec fidelior; quam ſua fortitudo eſt: ſed quia fortitudo noſtra eſt aranea tela imò vt fauilla ſtupæ ſicut dixit Iſaias. cap. 1. Fruſtra roborabitur in ipſa homo, at robur ipſius eſt ipſemet Deus 1. Paralipom: 29. *Confortamini & agite diligenter & Dominus erit vobiſcum.* Fortitudo noſtra ſeditionem generat, pauperes opprimit, exilium parit, Dominia eripit, poſteritatē tollit, vt non fruſtra quidam in epulo Philoſophico, compendio deſcripſerit, dicens: ſeditioſorum Duces, infelices habere exitus, tam manifeſtum eſt, vt exemplis opus non ſit. At Principibus quoq; periculoſum eſſe ſubditos offendere, Roboam teſtatur exemplum. Heluecijs adhuc imperarent Auſtriaci, ſi Præfectorū inſolentiæ fibulam poſuiſſent. Ferdinandum Aragonium in exilum egit nimia erga ſubditos inhumanitas. Raro in Tyrannos, quamdiù feliciter agunt, quidquam mouet populus. At fortuna tergum eis vel paululum obuerterit, omnis in eos impetus tanquam torrentis diu obſtructi erumpit. De Belgio quid dicemus? Quid aliud potentiſſimas illas regiones à tanto Hiſpanorum imperio auulſit, quàm Præfectorum quorundam nimia ſeueritas, & non vulgi modo, ſed nobilitatis etiam contemptus? Meminerit ergo quiſquè neminem tam celſo loco eſſe poſitum, quin etiam infimæ conditionis homo nocere aliquando ei poſſit. Aduertat igitur fortis potenſque vir an de tali fortitudine ſtrictam non reddet Domino rationē. Eſt igitur fortitudo ſeruanda ad Deum, ne quando pereat homo ex fortitudine ſua, ſed fortitudo eius & laus ſit Dominus. Ita etenim & periculum rationis euadet, & benedictionem ſibi, poſteris & Domui conciliabit. Quocirca Iſaias 43. *Noli timere, quia redemi te, & vocaui te nomine tuo. Meus es tu cum tranſieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te. Cum ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te, quia ego ſum Dominus Deus tuus, Sanctus Iſraël, Saluator tuus.* Duos fortes & amicos memorat Ælianus lib. 13. cap. 7. Alexandrum & Hephæſtionem, Alexander Achillis monumentum coronauit, & Hephæſtion Patrocli: ſignificans, ſe ita charum Alexandro eſſe, vt Patroclus fuiſſet Achilli. Quis non obiurgaſſet audaciam ne præſumptionem dicam Hæpheſtionis? congruum quidem videtur, vt Dux & victor honoretur, at vbi hoc Rex facit, quod idem ſimul exequatur tribunus militum, non videtur polyticum. Sed fortem habet excuſationis rem, noluit adæquatam ſieri potentiam ſuam potentiæ Alexandri, nec deſiderauit factum ſuū conformare facto victoris & Domini ſui, at fundauit obſequium in amicabili affectu & charitate. Sicutenim Patroclus militiæ dux erat charus

Fortitudo noſtra Deus.

Seditio Tyrannica Auaritiam tollunt regna.

Fortitudo Dei & laus Domini.

Monumenta coronata.

rus & fidelis Achili ita teſtabatur Hæpheſtion ſe fuiſſe Alexandro amicum charum & fidelem. Vndè ſicut Rex Alexander Achilli coronam impoſuit, ita fundatus in ſimili affectu Hæpheſtion Dux militiæ, ſimili ſibi duci, atq; eodem amoris & fidei obſtrictus vinculo Regi Alexandro Dux Hæpheſtion, reddidit honorem duci Achillis. Velim ſcias intentum dicti, ſi fortitudinem noſtram ad Dominum humiles diſpoſuerimus, nec noſtram ſed Dei fieri in nobis deſiderauerimus, Deus coronabit fortitudinem noſtram, & cæleſtis curia, deferret, reddetque nobis, triumphos. 2. Par. 15. *Non diſſoluantur manus veſtræ, erit enim merces operi veſtro.*

Pro reddenda ratione de his quæ infra nos ſunt. Nota. Si de omni verbo otioſo ſumus rationem reddituri vt Matth. 12. dictum eſt, iam de terra, aqua, & omni commodo quod ab eis quæ ſunt intra terram & in mari & aquis reddituri ſumus rationem, ſi his rectè iuſtè & religioſè vſi fuimus reddituri Ariſt. in libr. de morte dicit: Purus & perfectus Philoſophus mortificat deſideria huius ſæculi, quæ adducant eum ad mortificationem corporis & animæ. Non eſt equidem modica hæc regula ad reddendam rationem amænam Deo, ſi deſideria ſæculi & noſtra in his quæ nobis profert terra & aqua mortificauerimus. Ita enim 2. Cor. 4. Semper mortificationem in corpore noſtro circumferentes, vt & vita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris. At ſi quando mortificationem in his quæ ſunt de terra vt aurum & argentum, & quæ ſunt de mari, vt margaretæ & pretioſa alia conſiderabimus. Mirum & dignum notatu refert. Ælianus lib. 5. cap. 5. Epaminondas Philoſ. vnam ſolum habebat veſtem eamq; ſordidam, ſi quando eam miſiſſet ad fullonem ipſe ſe domi continere ob indigentiam alterius cogebatur. In tanta igitur bonorum copia cum ei Perſarum Rex magnã vim auri dono miſiſſet, non accepit: & vt mea quidem fert ſententia celſiore animo fuit is qui aurum non accepit, quam qui donauit. Equidem habuit laudem ſpecioſam Epaminondas. At non minorem refert laudem à Deo, qui de conceſſis ſibi bonis & terra & fructibus eius, diſertam & liquidam reddiderit rationem, quod illis ad bonum ſuæ animæ ad honorem Dei, ad proximi compaſſionem vſus fuerit: Sicut ille non ſatis deploratam referet contumeliam, qui illis ad luxum, ad luxuriam, ad corporis incentiua, ad deprauationem proximi, ad ſcãdalum populi, abuti maluit: Hinc Lucæ 21. *Attendite vobis ne corda veſtra grauentur crapula & ebrietate & curis huius vitæ, & ſuperueniat in vos repentina dies illa, tanquam laqueus enim ſuperueniet in omnes qui ſedent ſuper faciem terræ.* Vigilate igitur tempori, ſequimini cõſilium eius qui priuſquam iudex noſter fieret voluit eſſe noſter aduoca-

Non vult aurum pauper Philoſ.

Bonus rerum vſus laudat.

Iudex qui aduocatus.

tus. Nullus eſt qui exactius nouit quid in illa die oberit, quid proderit illo, qui iudex ipſe erit omnium cauſarum, ipſe breuiter nos docet quid factu opus ſit vt in illo die ſecuri ſimus. Ita diſponamus bonis conceſſis nobis, vt venientes ad rationem audire mereamur. *Euge ſerue bone quia in his fuiſti fidelis ſupra multa te conſtituam.* Tobiæ iuniori iuſſit Angelus de piſce ſe inuadente ſumere iecur & fel. Reſerant exiguæ, & magnæ virtutis, contra dæmonium & infirmitatem oculorum. Ita ea quæ terra germinat & aquæ contegunt, res paruæ ſunt. quia relinquemus ea dum moriemur; at magnæ ſunt, ſi ipſis vti rectè voluerimus, dant enim lumen oculis animæ ad videndum Deum, dant amicitiam Angelorum, dant fugam Dæmonibus. Hinc B. Iſidorus de ſum. bon. lib. 2. cap. 37. Aduerſus impetus vitiorũ contrarijs virtutibus eſt pugnãdum, contra luxuriam, adhibenda eſt cordis munditia, contra odium dilectio præparanda: contra iracundiam patientia proponenda: Porrò, contrâ timorem fiduciæ eſt adhibenda virtus: contra torporem Zæli prælium. Triſtitiæ gaudium, acidiæ fortitudo, auaritiæ largitas, ſuperbiæ humilitas opponenda eſt, ſicq; ſingulæ virtutes, naſcentia cõtra ſe vitia reprimunt, ac tentationum motus virtute diuinæ charitatis extinguunt.

Res paruæ magnæ vſui.

Contra vitia virtutibus pug.

Pro reddenda ratione de his quæ ſunt ſupra nos. Nota. Qui facit ſolem ſuum oriri ſuper iuſtos & iniuſtos, non aliud deſiderat ab eis, niſi vt iuſtus de bono accepto iuſtificetur adhuc, iniuſtus verò, recedat à ſua in iuſtitia, alias accipiẽdo bona à Deo & perſiſtendo in malo contra Dei voluntatẽ, congeret in caput ſuum carbones ignitos, ex bo is acceptis & iniquè vſis. Epictetus in Enchirid. cap. 24, vt oſtenderet quod vir prudens ex omni euentu fructum capere poſſit dicit: ſi coruus in auſpicatum crocitarit, nec te viſum illud moueat, ſed ipſe tecum diuide ſtatim & dic. Nihil iſtorum mihi portenditur, ſed aut corpuſculo meo, aut reculæ meæ, aut exiſtimationi, aut liberis, aut vxori. Mihi autem fauſta omnia portenduntur ſi ego voluero. Quicquid enim iſtorum acciderit, ex eo penes me eſt fructum vt capiam. Ita equidem vir Chriſtianus ſolem, lunam, ſtellas, aërem quo reſpirate conſiderando, bonitatem in ſe Dei radicare & reuoluere debet, qua commotus non in offenſam Dei, ſed in gratiarum actionem maieſtati ipſius, ruere atq; ſe humiliter diſponere debet. Ex bono bona colligat, & luce lucem animæ ſuæ perquirat. Ex lamina, in lege veteri, in qua ſcriptum fuerat, Sanctum Domino, populus timens Deum magnificabat ſanctitatem Dei, & ſeſe diſponebat probus ad ſanctificationem. Ita cum has in orbibus vides laminas, ſolem, lunam, ſtellas, diſcere debebis, quod Sanctus,

Sol oritur in iuſtos vt iuſtificentur.

Malũ in bonũ conuertendũ.

Lamina ad ſanctitatem diſponit.

ctus, Sanctus, Sanctus ſit Dominus. Sanctus eſt tibi in creatione, Sanctus in redemptione, Sanctus erit in iudicio. Igitur qui his modo laminis cæli de die & nocte vteris, ad ſanctitatem te in dies diſponas, ne in ratione de his reddenda in tenebras criminoſis paratas, detrudaris. Sed dolendum, quod tepidus, in conuerſione, otioſa verba & vanas cogitationes noxias eſſe non conſpicit, quod ſi à torpore mentis euigilauerit, ea quæ leuia exiſtimabat, confeſtim quaſi horrenda atq; atrocia, pertimeſceret. Eccliplim vel terra vel opacus orbis faciunt. Qui igitur ſuccubuerit in ratione reddenda de ſole & luna, cauſa erit, interpoſitio terræ, vel opacitas orbis. Igitur erige oculos mentis à terra ad cælum, ne interponantur terrena, erige intellectum & voluntatem ad Dei viſionem, & opacitas orbis non obſtabit. Quorum enim conuerſatio in cælis eſt, illi terrena non ſapiunt. *D. Auguſt:* Mare, terras & omnia percurre, ſcrutare vniuerſa, vbique miſer eris, niſi ad Deum refugeris.

De reddenda ratione de his omnibus quæ circà nos ſunt. Nota. Prou. 13. *Redemptio animæ ſuæ viri diuitiæ ſuæ.* Non quod diuitiæ ſint cauſa redemptionis animarum, nam Chriſtus redēptor eſt ſed ſenſus eſt quod hominis ſummæ diuitiæ ſint, animæ redemptio per Chriſtum. At tamen quia cooperatores Dei ſumus & ſine noſtra voluntate nil in nobis operatur Deus, etiam diuitiæ concurrunt ad redemptionem noſtram, imò omnia hæc quæ circà nos ſunt. Vndè peccata eleemoſynis redimenda docemur Dan. 8 Quocircà ex diuitijs reddenda ratio nobis, an ijs ad redimendam animam à peccatis, an ad ſaluandam ſeruandamq; animam, vſi fuimus. Nec erit qui effugiat hanc rationem. Cùm quidam comes Rodericus à rege quodam in bello fuiſſet captus & frater eius etiam in eodem bello eſſet occiſus, petijt à rege vt poſſit ſepelire fratrem. Sed victor rex conditionem poſuit, vt præſtito iuramento quod exequijs peractis rediret, recederet, Iurauit ille: At quia captiuitas cuique diſplicet, comes, corpus fratris aromatibus conditum capſæ incluſit, & vbi proficiſceretur ſecum tulit. neq; ante ſepeliuit, quam regem deceſſiſſe intellexit. Inuenit modum vt ſacramenti religionem ſeruaret. At in reddendâ ratione, DEO de his omnibus quæ circa nos ſunt bonis non inueniemus mediū ne eam reddere non cogamur. Nam nec mens nec ratio nec intellectus eſt contra Deum. Dicetur omnibus. *Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ, iam enim ampliùs non poteris villicare.* Iſid. lib. 2 cap. 10. Fraus & deſidia in omni bono opere formidanda eſt. Fraudem verò facimus Deo, quoties de ipſius donis & muneribus gloriam propriam & humanam laudem appetimus, & bono opere noſtro noſmetipſos non Deum laudamus. Deſidiam vero agimus,

Actus comitis

Non inuenitur modus vt rationem non reddamus.

quoties per torporem languidè, ea quæ Dei ſunt operamur. Val. Max. lib. 1. cap. 1. refert. Tranquinius Rex M: Tull. Duum virum quod librum ſecreta ciuilium ſacrorum cõtinentem cuſtodiæ ſuæ commiſſum corruptus, Sabino deſcribendũ dedit, culeo inſutum, in mare abijci iuſſit.

Punitur ſecreta reuelãs

Equidem nec ille ſine maiori pæna erit, qui curæ ſuæ cõmiſſa bona & dona vt ſcilicet illis ad animæ ſuæ æternitatem vtatur, & ille illis ad illecebras & damnabilia abuſus fuit. Dicetur illi: cur fodiſti pecuniam meam in terram? cur nil lucratus es illa? Theophilactus. Cum nõ exercemus diſpẽſationem opum ad libitum Domini ſed ad proprias illecebras commiſſis abutimur, criminoſi villici ſumus. Hinc enim ſequitur, diffamatus eſt apud eum. Si verò recte diſponens & ad voluntatem ipſius, perire opus non poteſt, ſed habebit præmium.

Villico criminoſus.

Amsbergæ in Weſtphalia Anno. 1600. poſt Pentecoſten ciuitas curia in cineres, cœmentum & ſcoriam igne verſa fuit, in aditu curiæ B. V. Mariæ ſtatua in veſte ex ſerico cum candelis & ramuſculis, nec fumum ſenſit. Dices miraculo factum. Ita eſt: Verum etiam ſericum oblatum ceræ & ramuſculi, teſtantur offerentes homines fuiſſe Domino dilectos & merentes bonum.

Imago B. V M non cõburit.

Per quid Dominus propitiabilis efficitur?

Diſtrictus Iudex per duo propitiabilis fit peccatori, videlicet per ſinceram miſericordiam & per veram pænitentiam. Vndè in hodierno Euangelio mentio fit olei & tritici. Per oleũ, quod lenificatium eſt dolorum, intelligitur miſericordia, quæ ex ſinceritate cordis eſt paũperibus exhibenda. Hinc etiam Dominus dicit. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Per triticum verò, quod inter molares teritur, vt à paleis emundetur, accipitur vera pænitentia, per quam homo inter duos molares ſpei videlicet & timoris teri debet, vt à peccatorum ſordibus exuatur. Igitur chariſſimi, quia in futuro fodere non valemus, etiam tunc mendicare erubeſcemus.

Per miſericordiã & pænitentiam placatur Deus

Rogate ergo Dominum, vt ipſius gratiam nunc ſic quæramus, vt tũc de electorum ſuorum ſocietate gaudeamus. Quod nobis præſtare dignetur idem Ieſus, &c.

ANNOTATIONES.

De miſericordia ſincera Dei. I. Nota. Eſa: 54. *Ad punctum in modico dereliqui te, & in miſerationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abſcondi faciem meam parumper à te, & in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui, dixit redemptor tuus Dominus.* Antiqui, ſpem publicam, varijs efformabant figuris. Aliquando currum triumphalem cum cornucopijs, aliquando militem ſtrenuum cum fortunato duce. Et his ſimilia. At talis ſpes publica, vt flos campi, vel ardens ſtupa, citò

Miſeratio domini magna

citò perit, & citiùs defluit quàm acquiritur. Quocirca ſpes vana & non verà dici poteſt. Publica ſpes & ſecura, nulla dici fieri & eſſe poteſt, niſi miſericordia Dei & Spes in Deo. *Qui ſperat in Domino ſaluabitur* Prou. 28. *Præparabitur in miſericordia ſolium* Eſa: 16. Sicut non ſimplex ſaluatio ſed perpetua promittitur ex ſpe in Deum, ita non ſimplex ſolium aſſignatur quod in miſericordia fundatur, ſed ſolum æternum. Miſericordia enim Dei, eſt plena terra. Pſal: 51. *Ego ſicut oliua fructiſera in domo Domini.* Nullus enim hominum cœlum intraſſet, niſi miſericordia Domini ipſum illuc introduxiſſet. Vndè ſicut oliua hyemi, & æſtui ſuum præbet virorem, ſic diuina miſericordia peccatoribus & juſtis ſuum præbet virorem. *Miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus.* D. Cyprianus ad Donatum Epiſt: 2. lib: 2. Miſericordia Dei eſt fons inexhauſtus omnium bonorum, vas quo illa bona excipiuntur eſt fiducia, hauritur verò ſecundum quantitatem vaſis. Nam ex parte fontis, aqua miſericordiæ nunquam deficiet. Omnē locum ait Dominus Ioſ: 1. quem calcauerit veſtigium pedis veſtri, tradam vobis. Ita omnis miſericordia ſuper quàm homo poſuerit pedem ſuum, eius erit. 1. Reg: 6. Salomon fecit portas templi de lignis oliuarum vbi ipſe Deus accipiebat holocauſta accepta & dicebatur domus Dei. Et nemini erit clauſa illa porta. Bern: ſuper Cant. Non ſpernis pauperem, peccatorem non abhorres, non horruiſti confitentem latronē, non lachrymantem peccatricem, non chananæam ſupplicantem, non deprehenſum in adulterio, non ſedentem in theloneo, non deprecantem publicanum, non negantem diſcipulum, non perſecutorem diſcipulorum, non ipſos crucifixores ſuos. Ad miſericordiam igitur Domini curramus. Et in Euangelio hodierno dicitur quod villicum quem eijcere debuit à diſpenſatione laudauit. Non quod fraudem ſuam ille diues non animaduertiſſet, non quod damnum non cognouiſſet, ſed quia, licet non ex ſuo ſed ex Domini bonis miſericors eſſet, ideò laudem & miſericordiam conſecutus eſt. *Qui facit miſericordiam offert ſacrificium*, Eccl: 35.

Cur laudatur villicus.

Pro pœnitentia vera. Nota. Sap: 11. *Diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam.* Docet quod non ex debito, ſed ex compaſſione miſeriæ hominum diſſimulat, docet quod non ex aliqua promiſſione, nam licet pœnitentibus gratiam promiſit, at diem & horam vt expectet non promiſit. Docet quod vera hominis pœnitentia maximè accepta Deo, cùm injurias ſuas diſſimulat, miſericorditer expectando pœnitentiam peccatoris. Iſa: 1. *Lauamini & mundi eſtote auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis, quieſcite agere peruerſe, diſcite benefacere, quærite judicium, ſubuenite oppreſſo, judicate pupillo, defendite viduam, & venite & arguite me, dicit Dominus. Si fuerint peccata veſtra vt coccinū, quaſi nix dealbabuntur*

Diſſimulat peccata propter pænitent.

Pænitētia vera Deo accept.

babuntur: & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, quaſi lana alba erunt. Deuotus Granatenſis in ſpeculo humanæ vitæ. Vera pœnitentia tribus partibus conſtat, cordis contritione, oris confeſſione, operum ſatisfactione. Tribus enim modis in Deum peccauimus, cogitationum delectatione, imprudentia linguæ, & operum ſuperbia, & hæc tria tribus contrarijs remedijs curanda ſunt. Delectatio cogitationum dolore & contritione cordis; imprudentia loquendi oris confeſſione; & ſuperbia operationis integra ſatisfactione. Cæterum inanis eſt pœnitentia inquit B: Aug: in Soliloq: quàm ſequens culpa coinquinat: nihil proſunt lamenta, ſi replicentur peccata: nihil valet à malis veniam poſcere, & mala denuò iterare. Neq; differenda pœnitentia, nam de talibus Greg: in Moral: dicit: ſatis alienus eſt à fide, qui ad agendam pœnitentiam tempora ſenectutis expectat. Metuendum eſt enim nedum ſperat miſericordiam, incidat in judicium. Nulla enim dies eſt in ejus poteſtate, proinde vnuſquiſq; ſequi debet conſilium Iſidori & conuertere ſe cum omni qua poteſt diligentia & feſtinatione ad Dominum, nam ſi tardauerit, volet aliquando & non poterit. Quæ cum ita ſint, age pœnitentiam cum omni celeritate & noli tardare, ne in fine vitæ cum virginibus fatuis reproberis.

Vera pœnitẽtia tribus partibus cõſtat.

Differre pœnitentiam malum eſt.

DOMINICA VII. POST TRINITATIS.

Videns Ieſus ciuitatem Ieruſalem fleuit ſuper illam dicens ſi cognouiſſes & tu. Gloſſa, ruinam quæ imminet, & tu, fleres, *Luc: 19.*

QVID PER CIVITATEM SVPER QVAM FLEVIT INTELLIGITVR?

REſp: Mundus. Tum propter nominis interpretationem, tum propter malam ciuitatis ipſius actionem. Ieruſalem quippè pacis viſio interpretatur, & certè mundus iſte videt falſam pacem, ſed tamen non erit ei pax: dicunt enim amatores hujus mundi: Quicquid fecerimus, non damnabit nos Dominus: ſi non enim paſſus eſſet pro nobis, nos perdere voluiſſet: Ecce pacem promittunt iniquitatibus ſuis, cùm tamen dicat Iſa: 48. *Non eſt pax impijs, dicit Dominus.* Cum etiam dicat, Pſal. 50. *Non miſerearis omnibus qui operantur* fina-

Mundus & Hieruſalem.

finaliter *iniquitatem.* Hinc & Dominus loquitur per Ierem: 23. *Nolite audire verba, decipiunt vos, dicunt his, qui blaſphemant me: Locutus eſt Dominus pax erit vobis: & omnibus qui ambulant in prauitate cordis ſui, dixerunt: Non veniet ſuper nos malum.*

Vocatur etiam mundus iſte Ieruſalem, propter iſtius ciuitatis malam actionem. Occidit enim Prophetas Domini, & lapidabat eos, qui ad ſe miſſi erant. Sic & iſte mundus occidit gladijs odiorum, & lapidat lapidibus Prophætas detractionum, id eſt, prædicatores Domini, qui miſſi ſunt ad correctionem illius, imò & ipſum Dominum Prophætarum, id eſt, IESVM CHRISTVM quotidie blaſphemijs & malis operibus crucifigit. Sicut teſtatur Paulus ad Hebr: 6. *Rurſus crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei & oſtentui habentes.*

ANNOTATIONES.

Pro viſione Dei.

Oculi in capite & in calcaneo.

OCulos in capite & in calcaneo eſſe dixit ſapiens, Eccl: 2. At hâc differentia, quod ſapientis ſint oculi in capite, ſtulti in calcaneo. Quocirca hîc cœcus eſt & non videt licet oculos habeat, ſapiens autem omnia videt. Sapientiſſimus Chriſtus vidit aperte ruinam Ieroſolimæ, ideò ſuper malum futurum fleuit, in cœlo verò ciuitatis id noluerunt videre, vndè in calcaneo illorum oculi erant. Ælianus lib: 11. cap. 13. narrat fuiſſe hominem Siculum adeò perſpicaci exactoq; viſu fuiſſe, vt è Lilijbeo vſq; ad Carthaginem intentis oculis nihil falleretur, & numerum nauium quæ Carthagine ſoluebant indicaret. Oculi autem Domini ab oriente in occidentem, à ſummo cœlo ad vltima terræ perſpiciunt. Nec Argus nec Linx comparantur oculis eius. Vidit Ieruſalem & fleuit caſum ipſius, at magis caſum hominum & habitantium in ea. Et profectò ſummum imminebat eis malum cum lachrymas mouere Chriſti Domini potuerat. Refert Heraclides in politijs, quod Rhodon inſula antiquitus in mari delituiſſet, ſed poſtea emerſiſſe. Dicta ab initio Ophirſa, quaſi ſerpentina ob multitudinem ſerpentum qui in ea exorti erant. Sub lachrymis Chriſti merſa Ieruſalem intantum præcipitata eſt profundum, vt nulla temporum ſiccitate emergeretur, at nutriet beſtias ſerpentes & ſcorpiones Filijs Iſraël, qui diem qua viſitauit eos verus Meſſias IESVS CHRISTVS cognoſcere retractabant. Cyrillus, Non erāt digni percipere inſpiratas diuinitus ſcripturas quæ narrant Chriſti myſterium. Quoties enim legitur Moyſes, velamen obnubilat cor eorum. Et quia non ſunt intuiti veritatem, indignos ſe fecerunt ſalute quæ manat à Chriſto. Greg: hom: 39. Fleuit pius redemptor ruinam perfidæ ciuitatis.

Lachrymæ Chriſti mali ſignum

Rodon inſulæ ſerpentina.

Velamen in corde Iudæo.

Pro mundo quem ſignificat Hieruſalem, Nota. Per mundum mundanos homines intelligere debemꝰ. Origenes. Non nego illam Hieru-

Mundus eſt Hieruſalem.

ſalem propter habitatorum ſcelera deſtructam fuiſſe, ſed quæro ne forte ad hanc Hieruſalem fletus iſte pertineat. Si enim poſt myſteria veritatis aliquis peccauerit, plangetur. Nemo enim gentilis fletur, ſed ille qui fuerit de Hieruſalem & eſſe ceſſauit. Semper quidem mundus fletu dignus. Nam & prudentes & ſanctos ſemper graui vulnere ſautiat. Luxit in Caino Adam, Noëmus in Chamo, Iſaac in Eſau. Samuël in Ioële, Dauid in Abſalone, Salomon in Roboam, Ioſias in Ioachim, Ezechias in Manaſſe. Sed tum magis deplorandus mundus quando Chriſtus ſuper mũdanos fleuit. Quærunt aliqui cur Dominus extra ciuitatem Ieruſalem voluit pati, & inter alias rationes dicunt, vt ſignificaret ſe non habere partem in mundo, & quicunq; vult particeps eſſe fructuum ſuæ paſſionis, hunc debere nuncium remittere mundo & ab omni humana conuerſatione ſeparari, ſi non actu, ſaltem deſiderio. Hoc eſt quod jubet Deus per Prophætam Hierem: 51. *Fugite de medio Babylonis vt ſaluet vnusquisq; animam ſuam.* Babylon vt Hieron: in cap: 7. Mihi domus confuſionis dicitur, quæ eſt mundus iſte, in quo vbiq; regnat confuſio, tam in clericis quàm in laicis, tam in religioſis quàm in ſæcularibus, tam in ſenibus quàm juuenibus, tam in viris quàm in fœminis. Optime itaq; D: Ioã: 15. *Mundus totus in maligno poſitus eſt.* Propterea conſulit B: Bern: de Conuerſ: ad Cleric: cap: 30. dicens, Fugite de medio Babylonis, fugite & ſaluate animas veſtras. Conuolate ad vrbes refugij, & vbi poſſitis de præteritis agere pœnitentiam & in præſenti obtinere gratiam, & futuram gloriam fiducialiter præſtolari. Non vos retardet conſcientia peccatorum, non pœnitentiæ auſteritas deterreat. Non enim condignæ ſunt paſſiones hujus temporis ad præteritam culpam quæ remittitur, non ad præſentem conſolationis gratiã, quę immittitur, non ad futuram gloriam quæ promittitur.

Hieruſalem duplex

Refert Cæſ: Capaccio lib: 2. Impreſſ: Illuſtrem Nobilem viduam, in ſignum doloris ſumpſiſſe columbam gementem. At quia coloris albi erat (fortè quod ſinceritatem explanabat in virum) dicebant aliqui, quod ſicut viduæ nigri coloris debuiſſet pingi, ſed illa poſt addidit ſcriptum. DOLOR NON COLOR. Hoc eſt non ſignificabam colorem candidum columbæ, ceu non gementis aut oſcula pacis figentis, ſed dolorem ipſum cordis mei ex amiſſione chari mariti exprimebam. At ſi mundum depingere vel ſymbolo ſignificare qui luctu & fletu magis exprimitur quàm coloribus, columba gemens nigredini & cineri ſimilis, patulo efferenda eſſet. Ita enim Sancta Eccleſia canit. *Ad te ſuſpiramus gementes & flentes filij Euæ in hâc lachrymarum valle.* Non ergò mundus iſte eſt ratio ridendi, ſed flendi & plangendi, cùm ſit carcer animæ, tenebra cœli, retentio conſortij Angelorum, retardatio gloriæ cæleſtis.

Columba gemens viduæ

Dolor non color.

Columba nigri ſymbol: mundi

Mundus ratio flendi.

Et

Et quod multum malum adhuc generat, ſub ſpecie fallacis boni, eripit æternitatem, & ſpe meritorum Chriſti, facit hominem ſocordem ad facienda meritoria bona. Inquis? Quomodo in periculo ſum, ſi Chriſtus pro me paſſus eſt? Audi D: Aug: Potuit te Deus creare ſine te ſed te non poteſt ſaluare ſine te. Requiritur tua voluntas, requiruntur opera tua, cui liberum eſt addere manus tuas ad Dei adjutoria. Hæretici qui aſſerunt Deum eſſe cauſam declinationis à via virtutis, adducunt verſum Pſal: 43. *Declinaſti ſemitas noſtras à via tua.* Sed Catholici duplicem afferunt exponentem. 1. Vt ſub intelligatur negatio quæ habetur ad initium verſus hoc modo. *Non receſſit retro cor noſtrum, & non declinaſti ſemitas noſtras à via tua*, id eſt, te adjutore non declinauimus à via tua, tantũ abeſt, vt retroceſſerit à te cor noſtrum. Ita legunt Bruno, Thomas & Remigius. Et vertit Hieron: Non receſſit retro cor noſtrum, nec declinauerunt ſemitæ noſtræ à vijs tuis. Alter ſenſus eſt. Non intelligitur hîc declinatio ad peccata, ſed à felici rerum euentu & ſucceſſu. Præcedunt enim hæc, omnia venerunt ſuper nos, & ſequitur. *Quoniam humiliaſti nos in loco afflictionis.* Cenſetur itaq; Deus cum abſq; negatione hæc legimus, declinare ſemitas noſtras, quando immittit graues afflictiones vnde mali trahunt occaſiones declinandi & errandi, & quamuis erroris cauſa non ſit, eſſe tamen videtur, dum ſua patientia noſtram expectat ſalutem & non corripit delinquentes. Aliqui efformabant Crocodilum cum penna Ibidis in capite. Non enim Crocodili ferocitas placatur niſi tali penna in caput ejus poſita. Et ſubduxit lemma. OBRVTA VIRTVS. Hoc eſt fortitudo Crocodili. Me hercule, mundus eſt Crocodilus ferociſſimus & nil habet niſi ipſam ferocitatem qua etiam ipſius duratio periclitabitur, Inſurgit enim nedum in ſibi coæqualia, ſed in beatos, cœlum, & Deum. Vndè nedũ fortitudo ipſius corruet, ſed omnis quoq; virtus meritoria à mundo exulabit. Nec erit aliqua tam fœlix penna ſeu remedium vt ira Dei placaretur, donec mundus in ſua malignitate perierit. Innoc: Papa de Vilit: condit: humanæ. Semper humanæ leticiæ triſtitia repentina ſuccedit, & quod incipit à gaudio, deſinit in merorem, mundana quidem fœlicitas multis eſt amaritudinibus repleta. Nouit ille qui dixit. Riſus dolori miſcetur, & extrema gaudij luctus occupat.

Chriſto paſſus vol. hom: requirit.

Declinaſti ſemitas noſtras.

Quare Dominus ſuper illam fleuiſſe dicatur.

Reſp: Fleuit ſuper Hieruſalem, hoc eſt, ſuper mundum iſtum, vt nos doceret flere ſuper ipſum. Omnis enim Chriſti actio noſtra debet eſſe imitatio. Nota igitur ſeptem cauſas, quare quilibet in aliqua ciuitate exiſtens merito flere debet. Primà eſt malitià Principum: Secun-

Septem cauſæ cur flere debeamus ciuitatem noſtram ſpiritualem.

Secundà eſt diſcordia Ciuium: Tertià eſt penuria victualium: Quartà debilitas murorum ac turriũ: Quintà multitudo fortiter impugnantiũ: Sexta paucitas defendentium: Septima deſtructio ciuitatis, & incendium. Et certè propter eaſdem cauſas flere debemus, ô homo qui es in hoc mundo. Primò itaq; cauſa fletus eſt malitia Principum hujus mundi; de quibus Dominus dicit Iſa: 1. *Principes tui infideles ſocij furum, omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones, pupillo non judicant & cauſa viduæ non ingreditur ad eos.* Hæc pœnè de omnibus Principus & judicibus dici poſſunt hodiè hujus mundi. Sunt etiam quaſi Leones rugienties, & vrſi eſurientes. Vndè Prou: 28. *Leo rugiens & vrſus eſuriens, Princeps impius ſuper populum pauperem.* Et Nota. Quod non ſolum in ſe mali ſunt principes hujus mundi, ſed habent etiam impios miniſtros. Vndè dicitur Prou: 29. *Princeps qui libenter audit verba mundacij omnes miniſtros habet impios.*

Secunda cauſa fletus eſt diſcordia ciuium, id eſt, proximorum. Vnde dicit. Mich: 7. *Perijt Sanctus de terra, & rectus in hominibus non eſt omnes in ſanguine inſidiantur, vir fratrem ſuum venatur ad mortem, malum manuum ſuarum dicunt bonum.* Sequitur ibidem: *Nolite credere amico & nolite confidere in Duce,* id eſt, in eo, qui dicit ſe eſſe fidelisſimum, ſicut duces & ductores de juræ deberent eſſe. Sequitur: *Ab ea quæ dormit in ſinu tuo,* id eſt, ab vxore tua *cuſtodi clauſtra oris tui; quia Filius contumeliam facit Patri, filia conſurgit aduerſus matrem ſuum. Nurus contra ſocrum ſuam, inimici hominis domeſtici ejus,* id eſt, illi, qui quotidie comederunt panem ſuũ: Ecce quàm apertè deſcribit Prophæta infidelitatem hominum.

Tertia cauſa fletûs eſt penuria victualium. Vnde dicitur in Thren: 1. *Omnis populus ejus gemens & quærens panem de quoq; pretio.* Pro cibo ad reficiendam animam hæc verba ſic intellige, quod homines hujus ſæculi, quia non habent panem internæ jucunditatis, quærunt panem extrinſecæ voluptatis. Et certè pro hâc miſera voluptate vendunt præcioſas animas, & tamen voluptate ſatiari non poſſunt. Vndè iterum dicit in Thren: 3. *Qui veſcebantur voluptuoſè interierunt in vijs, qui nutriebantur in croceis,* id eſt, cibis croco paratis *amplexati ſunt ſtercora.* Quandoque Chriſtiani generaliter ter & ſœpius, communicauerunt in anno; ſed quia modo amplexantur ſtercora voluptatum, indigni ſunt etiam ſemel in anno accedere ad menſam IESV CHRISTI.

Quarta cauſa fletus eſt Debilitas Turrium & murorum. Per Turres & muros hujus ſæculi intelliguntur ſapientia & fortitudo & diuitiæ, in quibus homines gloriantur & confidunt, vndè dicit Ierem: 1. *Hæc dicit Dominus non glorietur ſapiens in ſapientia ſua & non glorietur fortis in fortitudine ſua, & non glorietur diues in diuitijs ſuis.* Hæc enim citò deſtructa ſunt, quando Dominus voluerit, ſicut patet in pluribus Regibus & Imperatoribus qui

qui olim gloriabantur in prædictis; vndè dicitur 1. Machab: 2. *Gloria viri peccatoris ſtercus eſt & vermis, hodie extollitur & cras non inuenietur quia conuerſus eſt in terram ſuam & cogitatio ejus perijt.*

Quintà cauſa fletus eſt multitudo impugnantium. Vndè dicitur 4. Reg: 25. *Venit Nabuchodonoſor rex Babylonis & omnis exercitus ejus in Ieruſalem, & circumdederunt eam, & extruxerunt in circuitu ejus munitiones, & clauſa eſt ciuitas atque vallata.* Nabuchodonoſor, quod interpretatur ſedens in anguſtia ſignificat diabolum, qui ſedet in inſidijs, vt decipiat homines improuiſos. 2. Iſte cum omni exercitu vitiorum circumdedit & vallauit mundum iſtum. 3. Habet autem ſeptem exercitus vitiorum, quorum duces principales ſunt: Superbia, ira, inuidia, acedia, auaritia, gula, & luxuria. 4. Et certè vix eſt homo qui vel effugere poſſit, vel reſiſtere exercitibus iſtis, niſi Deum habeat adjutorem. 5. Iacet itaq; multitudo Dæmonum obſidens ciuitatem mundi & expectans mortem vniuscujuſq;. De hoc dicitur Thren: 2. *Aperuerunt ſuper te os ſuum omnes inimici tui, ſibillauerunt & frenduerunt dentibus ſuis, & dixerunt, deuorabimus.* En iſta dies quàm expectabamus. Ita dicent Dæmones quando rapient animam peccatoris.

Sexta cauſa fletus eſt paucitas Ciuitatem defendentium. Vndè legitur 4. Regum. 25. Quod cum obſeſſa eſſet ciuitas Ieruſalē, omnes viri bellatores nocte fugerunt per viam portæ, quæ eſt inter duplicem murum ad hortum Regis, Viri bellatores debent eſſe clerici, Monachi, & alij viri religioſi, qui penè omnes fugiunt, quia pauci ex eis ſunt qui fideliter peruigilent in excubijs Eccleſiæ, & mundum ſuis orationibus tueantur. Somnus enim auaritiæ; & corporales delitiæ quam plures eorum debilitauit, ne diabolo queant reſiſtere.

Septima cauſa fletus Deſtructio eſt omnimoda Ciuitatis ac incendium. Vndè legitur Ieremiæ. 39. *Venit Nabuzardan Princeps militiæ, & incendit Domum Domini & domum regis, & omnes domū Ieruſalem & omnes domum magnā igne combuſſit.* Nabuzardan Interpretatur Prophetia aliena iudicij, & ſignat iram Dei, quæ prænunciat nobis quotidie futurum iudicium, hūc mundum & omnes amatores comburet igne inextinguibili, & deſtruet omnia, quæ deſiderantur in hoc mundo. Tranſibit quippè mundus & omnis concupiſcentia eius.

ANNOTATIONES.

PRo prima cauſa fletus. Nota. Ariſtot: lib. 6. Polit. Prauos facere Dominos non eſt ſecurum, quia ipſi magis indigent cuſtodia aliorum quàm poſſint alios cuſtodire. *Praui Domini non cuſtodes ſubditorum.* Innuit hic rationem, cur Domini conſtituātur, vt ſcilicet cuſtodes ſint ſubditorum, Alias, nedum mali erūt, ſed lupis exponent ſubditos; aut ipſi loco Dominorum, lupi erunt. B. Iſidorus lib. 3 cap. 47. aliam rationem ponit. *Cur Domini conſtituantur à Deo.*

ponit. Deus ideò diſcreuit hominibus vitam alios ſeruos conſtituens alios Dominos, vt licentia male agendi ſeruorum, poteſtate dominãtiũ reſtringatur. Nam ſi omnes ſine metu fuiſſent, quis eſſet qui à malis quempiam prohiberet? Inde & in gentibus Principes regeſq; electi ſunt, vt terrore ſuo populos à malo coercerent atq; ad rectè viuendum legibus ſubderent. Et hæc quidem Dominij ratio recta eſt. Nam & Apoſt. 1. Cor. 20. *vnuſquiſq; in qua vocatione eſt in ea permaneat.* Seruus vocatus es, non ſit tibi curæ: ſed & ſi potes fieri liber, magis vtere, qui enim in Domino vocatus eſt ſeruus, eſt libertus eſt Domini; ſimiliter qui liber vocatus eſt, ſeruus eſt Chriſti. Hinc ſubdit Iſidorus. Melior eſt ſubiecta ſeruitus, quam elata libertas, multi enim inueniuntur Deo libere ſeruientes ſub Dominis conſtituti flagitioſis, qui etſi ſubiecti ſunt illis corpore, prælati tamen ſunt mente. Vbi docetur, quod ſeruitus & dominium parua ſunt. Poteſt enim ſeruus & ſubiectus corpore fieri Dominus mente, & hoc ipſũ eſt quod verè liberum & Dominum conſtituit. Poteſt etiam eſſe Dominus authoritate ſed conſcientiæ eſt vitiorum ſeruus, & iſta eſt vera ſeruitus & abominabilis. Vndè ad Epheſ. 6. *Serui obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore, in ſimplicitate cordis veſtri ſicut Chriſto, non ad oculum ſeruientes quaſi hominibus placentes, ſed vt ſerui Chriſti facientes voluntatem DEI ex animo, bona voluntate ſeruientes ſicut Domino & non hominibus, ſcientes quoniam vnuſquiſq; quodcunq; fecerit bonum, hoc recipiet à Domino ſiue ſeruus ſit, ſiue liber.* Sed plurimi abutuntur libertate multi commutant dominia in vitia, libertatem in ſeruitutem, authoritatem in tyrannidem, cuſtodiam in oppreſſionem, defenſionẽ in direptionem, exemplum in ſcandalum, quapropter id defendum dixit B. Albertus Mag. Falſa enim illorum gloria, & error verus. Quocircà miſeri miſere perierunt. Quidam Neotericus in Lydio mundi, ait. Teſtantur hoc Italica Theatra, Iberici cultri, ſclopi Gallici, ſecures Anglicæ. Docet Alexander in Attalo, in Theleſphoro Lyſimachus. In ſeiano Tyberius, in Narciſſo Claudius, in Beliſario Iuſtinianus. Hi & alij fuerunt ingentes ingentium clientum Patroni, ſed quam exiguum ſit quod tantis è clientibus reliquum fecit fortuna, facilè intelliges, cum alios naribus, alios pedibus, alios manibus, alios oculis, alios capite, alios membris omnibus patroni iniuria truncos, immò nullibi ſepultos inuenies. Et mox de ſingulis, quod populus olim de redacto in cineres Hercule protulit, exclamabis. Huc ille decreuit gigas? Proficua igitur & ſumme contemplanda admonitio B. Iſid: lib. 3. de ſum. bon. cap. 49. Dominorum legitur. Qui rectè vtitur regni poteſtate, formã iuſtitiæ factis magis quam verbis inſtituit. Iſte nulla proſperitate erigitur, nulla aduerſitate turbatur, non inni-

Dominia in vitia commutantes pereunt. Dominii proprietatus.

innititur proprijs viribus nec à Domino recedit cor eius, regni faſtigio humili præſidet animo, non eum delectat iniquitas; non inflammat cupiditas, ſine defraudatione alicuius ex paupere diuitem facit, & quod iuſta poteſtate à populis extorquere poterat, ſæpè miſericordiæ clementia donat. Hinc non abs re quidam Dominum corporalem delineando. Pygmæum ſtantem in vertice montis ad præcipitũ poſuit, & addidit: *SECVRE VIVIT QVI PROVIDE METVIT.* Meruit hanc laudem ſuperior Africanus. Cuius effigies ſeu imago in cella Iouis Optim. Max. poſita fuit: Erat enim (inquit Val. Max. lib 8. cap. 16) omnibus numeris diues virtutibus, magiſq; ſuo merito quam fortunæ beneficio magnus, cuius conſilio priuſquam Scipionis imperio delecta fuit Carthago. Hæc non immodica laus Senatoris & Ducis. At maiorem ego penſo laudem Dominorum & Principũ bonorum; illorum enim non imagines, ſed animæ & corpora, collocabuntur pro adminiſtratione recta & Catholica, non in cella Iouis, ſed in ſolio cæli beatis præparato, medijs inter ordinibus Angelorum, & hoc in ſempiternum. Seneca lib de Beneficijs dicit: Qui beneficium largitur primo det neceſſaria, deinde vtilia, deinde iucunda, deinde manſura. Equidẽ iuſtis regnorũ adminiſtratoribꝰ, primo in hoc ſæculo neceſſaria dat affluenter, tum vtilia adiungit ſine modo, replet etiã illos iucundis, vt ex hac ad altiorem iucunditatem transferantur. Philipp. II. Hiſpaniarum Regem hac in parte fælicem. Hic in noui orbis occidentem viros ſpirituales ad propagandam fidem miſit, hic plurimas munitiones in regno erigere fecit, hic Melitenſes res à Turcarum armis ſubſidio recreauit, hic de hoſtibus infidelibus ad interitum vindicauit, hic per ſuum Fratrem Ioan. Auſtriacum in ſinu Corinthiaco Turcas cum numeroſo exercitu oppreſſit, hic plurimas Eccleſias fundauit, dotauit, hic morti proximus pio teſtamento vltra 50 millia ducatorum legauit & moriendo, vna manu candelam Deiparæ ſacratam fide proteſtando Catholicam tenebat altera verò imaginem crucifixi religionem verificando oſculabatur & fronti imponebat & profuſis in deuotione læte lachrimis obdormiuit in Domino. Cognoſcant itaq; Principes ſæculi Deo debere ſe rationem reddere, (inquit B. Iſid. lib. 3. de ſum: bono. cap. 53.) propter Eccleſiam quam à Chriſto tuendam ſuſcipiunt. Nam ſiue augeatur pax & diſciplina Eccleſiæ per fideles principes ſiue ſoluatur, ille ab eis rationem exiget; qui eorum poteſtati ſuam Eccleſiam credidit.

Philipp. II. Hiſpan. Rex fælix Domi-nus.

Deo rationem reddet Domi-ni de Eccle-ſia non defenſ.

Pro 2. cauſa fletus, nempè diſcordia Ciuium & proximorum. Nota. Rara Phœnix in mundo rarior concordia fratrum. Caracalla apud Romanos Getam fratrẽ in gremio matris occidit & dixit, ſit diuus, dum

Concor-dia ra-ra fra-trum.

non

non ſit viuus. Amurates quinq; :Iorã ſex, Machometes octodecim, Phraates triginta, Abimelech ſeptuaginta fratres impiè ſuſtulit. Quid igitur dicemus de ciuibus & proximis? ſi talis eſt diſcordia inter fratres, qualis erit inter ciues & proximos: At tam terribilem actum de quo Micheas dicebat, qua iuſtitia animaduertere cupierit Deus Sapiens in Prouerb. cap. 17. expreſſit dicens. *Semper iurgia quærit malus, Angelus autem crudelis mittetur contra eum.* Quaſi diceret. Nullum malum erit impunitũ, at diſcordiarum ſeminatores inter ſuos ſeuerius punientur. Et ſicut mali ſemper iurgia quærunt, ita ſemper ſeuerior iuſtitia Dei accreſcet ſuper illos. Immittet crudelem Angelum ſine viſceribus, puta miſericordiæ Principem contra illum Dominus, qui erit ſeuiſſimus ceu carnifex aut ceu Angelus malus, vt meritas ab illo pœnas accipiat. Hinc B. Iſidor. lib. 3. de ſum. bono cap. 32. Corda reproborum lubrica ſunt ad malum conſentiendum & fluxa, ad bonum verò conſentiendum duriſſima, væ autem illi qui & ſuam renuit vitam corrigere, & bonorum non deſinit detrahere famæ. Cum Cornelio Scipioni (inqnit Val. Max. lib. 6.) Hiſpania Prouincia ſorte obueniſſet, Senatus, ne illuc iret decreuit, cauſa adiecta, quod recte facere neſciret. Itaq; propter vitæ inhoneſtum ſine Prouinciali miniſterio fuit, & lege repetundarum damnatus eſt. Vide quod recta ratione, malitioſis nedum honore priuandos ſed & vita damnandos cenſuerunt antiqui Romani. Ex quo loco, quam duriter puniet Deus diſcordes & diſcordiarum ſeminatores colligendum erit. Et ſicut ad Symbola virtutum addunt aliqui, vires accendit inclita virtus. Ita ad diſcordiæ ſymbolum, quod ſignificat, lupus cum cane, adſcribere licet. *Omnia conſtat damnabilis diſcordia.* D. Aug. In diſcordia nemo benedicit Dominum. Quid igitur facit, Blaſphemat, maledicti, damnat. Quod ſi hæc in Deum proijcit, quæ non euomet ſeruus contra Dominum iratus? quæ filius cõtra Patrem non proferet! quæ coniunx contra maritum non laterabit, quæ amicus ira accenſus contra proximum & amicum non excogitabit? Aditum diſpendij diſcordia habet. At quia nullum nefas grauius quam cum inſurgit filius in patrem, filia contra matrem, plebs contra dominum, contra ſacerdotes & Epiſcopos paſtores animarum oues rationales, ſcientes ſacramenta Eccleſiæ nedum illa adorare contemnunt, ſed conculcant, & pro tanto ſcelere, pro iuſtitia irriſio ſequitur pro pœna præmio, profectò magis deflendum eſt, quam Hieroſolima vaſtata deflebatur, & Eccleſiæ priſtinæ demolitio, eiulabatur. Lamentum Ieremiæ cap. 17. *Væ mihi mater mea quare genuiſti me virum rixæ, virum diſcordiæ in vniuerſa terra, non feneraui nec fenerauit mihi quiſquam, omnes maledicunt mihi.* Ecce quomodo lamentatur, quod ſit vir

ſit vir rixæ, non ex malo ſuo, ſed ex malitia aliorum qui ipſum maledicebant iniuſte, quam igitur abominabilis eſt apud Deum & homines, qui ſuo malo eſt vir rixæ & diſcordidiarum inuentor & artifex?

Pro tercia cauſa fletus. Nota Cui in memoriam venit, quod parentes noſtri eiecti de paradiſo voluptatis, cibum ex maledicta à Deo terra ſumere & quærere eum in labore & ſudore deſtinati ſunt, atq; ex tanto labore plus tribulorum & inutilium herbarum expectare debebant. Maior demum maledictionis ratio inoleuit, cum iterum poſteri ipſorum in peccata horrenda & abominabilia deflexerunt, neq; de commiſſis doluerunt at in deteriora deuenerũt Quocircà deflenda eſt penuria victus, ſæpius enim deueniunt homines ex tali penuria in furta & latrocinia, alij nec talem victũ qualem habuit miſer prodigus ſufficienter habere valeant. Quod ſi talis penuria victus deflenda eſt, quid dicemus de penuria victus animæ quæ prouenit ex offenſa Dei, an iſta defleri poteſt aliquo modo? Sed ſuperat amor corporis, etiam anima paruipenditur ob delectationem & corporis dulcorem. Vtinam ſaperent, intelligerent ac nouiſſima prouiderent; ſaperent quæ ſunt Dei, intelligerent quæ mũdi ſunt, prouiderent quæ inferni ſunt, profectò inferno abhorrerent, ſuperna peterent, vana contemnerent. Miles & Præfectus Adriani Imperato: nomine Similis teſtamento ſuo quam dulciter teſtatus eſt quid valeat inopia panis corporis, & panis animæ, Cum ægre & plurimis periculis, vulneribus, inedijs, vigilijs obtinuiſſet miles commendatus varijs meritis fruſtri panis cum Præfectura, tandem vacationem à Caſtris obtinuit, & in agro ſeptem annis quod reliquum fuit vitæ priuatus in otio & quiete exegiſſet, moriens ſepulchro inſcribi iuſſit. Similis hic iacet, cuius ætas quidem multorum annorum fuit, ſeptem tantum duntaxat annis vixit. Prætulit panem animæ in quiete pani corporis in caſtris. Quod ſi non Chriſtianus erat, non potuit ſcire animæ bonum verum ſed tantum apparens, eo tamẽ delectabatur.

Panis animæ verus.

Quanta igitur erit delectatio, de pane verò animæ beatitudine deſtinatæ, & quanta tribulatio de penuria tanti taliſq; panis ſubſequetur, vel inde colligere licebit, quod perpetuo deflenda ſit. Profert quandam ſtulticiam hominis quidam Neotericorum:

Caſeus vino repletur vt uermes naſcerentur.

Aliquis diues in caſei ventrem prætioſum vinum immittebat, vt in eo vermes enati, ſint illi dulcior cibus. Et ille: Dic amabo te, an non ſtomachus tuus tot ſordium corruptionum colluuie inſtructus citiùs te in tumulo vermibus condet, & condient? Quò tam varij cibi & innumerus eduliorũ exercitus, at vt ab vno milite ſtomacho expugnentur hæc omnia, aut ne fami domandæ deſint omnis generis arma, cui vnũ vel Epicuro iudice ſatis eſt. Quorsũ hæc omnia? Vis dicam!

Miles quidã eſt ſtomachus.

cam! Timet mihi crede inſanus for-
tunæ tuæ decoctor ſtomachus, ne ſi
diutiùs ſuperuiuas, non ſuperſit
quod in cænas non conferas, ideo te
Tanti cibi, vt vermes alueres citiùs morti immolatum vult, & te
vermibus ſaturum tribuat. Sic tua
lauta fames eſt vermium pænus. Et
plures te obruent, & molliore cibo
veſcentur auidius. En quo vadit ſa-
turitas panis corporis, diſponit ad
cibum vermibus corpus, & ad ludi-
brium dæmonum, Qualis igitur in te
generabitur luctus, qualis fletus e-
licietur, cum te penuria panis ani-
mæ in condemnationem æternam,
& ſaturitas panis corporis, deducet
in ſaturitatem beſtiarum! Oſeæ 7.
*Ephraim factus eſt quaſi ſubcinericius panis
qui non reuerſatur.* Quid eſt non reuer-
Panis ſubcinericius quod nō reuerſatur. ſatur? Panis ille qui prunis adhæret,
non tantum excoquitur, ſed niſi ver-
ſetur, torretur & in cineres redigi-
tur, altera verò quæ vim caloris non
ſentit cruda remanet & eſui inepta.
Ita ſunt qui ſaturati pane exuruntur
in corporis voluptatibus & ebrieti-
bus, qui verò ipſi comedendo panē
vertunt oculos flectuntq; animos ad
Reſpectus ad pauperes in prādio. pauperem vt ſimilis natura proxi-
mus & vniformiter ſanguine Chriſti
ablutus, non pereat inopia & fame,
ille dulciter vtitur pane ſuo, nec ſe-
men eorum oſtiatim quæret panem.

Pro 4. cauſa. Nota. Vbi Deus a-
Murus tela aranea. deſt, tela aranea murus; vbi Deus a-
beſt, murus aranea tela. Ita monu-
it quidam. Deus eſt fortitudo & mu
rus noſter. Vbi debilitas eſt horum
murorum, deplorata Prouincia, fle-
bile regnum, ſi Deus nobiſcum;
Si Deus contra nos, ... mures contra nos. quis contra nos? Si Deus contra nos,
quis nobiſcum? ignominia &, exci-
dium. Muſcæ, & ranæ, & vermes
debellabunt hominem. Seneca de
Rem: Fortuitorum. Malè de te opi-
nantur homines, ſed mali. Moue-
rer, reſpondet, ſi de me Marcus Ca-
Loqui male de aliquo contingit malo & bono. to, ſi Lelius ſapiens, ſi alter Cato, ſi
duo Scipiones iſta loquerentur. Iam
omnes boni & iuſti, iam homines &
Angeli, male opinantur & ſentiunt
de homine, cum Deus contra illum
eſt, cum minutæ beſtiæ pediculæ,
mures & vermes lacerant hominum
viſcera. At ſi præualet homo, pieta-
te, patientia, religione, & tolleran-
Qui patitur laudat Deum, eſt cum illo Deus. tia vt Iob vt Simon ſtillites, ſignum
verum Deum cum illo eſſe, ſed ſi im-
patiens vt Naaman, malitioſus vt
Abſalon, Deus cum illo non eſt, nec
aliqua protectio cæleſtis cū illo eſt.
Talem deplorat debilitatem turriū
B. Alb. Magnus. Hinc B. Iſid. de ſū.
lib. 1. cap. 13. Diuiſio & pugna vt
ſit in hominis animo, pæna peccati
eſt ex primo homine in omnes eius
filius propagata, vt qui cum Deo no-
luit eſſe vnitus, eſſet in ſeipſo diui-
ſus: & qui imperanti Domino nolu-
it, eſſe ſubiectus, fieret ſibimetipſi
rebellis atq; contrarius. Vndè nec
ſibi poterit ſubiugari, ſi priùs Deo
non fuerit ſubiungatus, ſibique ſer-
uiet nolens; qui Deo noluit volens.
Habent Principes boni quaſi pro pa-
trimonio, bonam exiſtimationem
de ſua adminiſtratione, Quocircà
dum confidunt illi & bona loquun-
tur de

tur de illo ſubditi fælices ſe pronunciant. Et ſi aliquis talem exiſtimationem de illis labefactarit vel inclinauerit etiam ioco, grauiter offenduntur & puniunt. Fertur in Hiſtoria Regum Arabiæ, Deuicto Roderico Rege, pacataq; Hiſpania, Almanſor Arabiæ Rex Abrahamum Mahauiam, hominem ſibi cariſſimū, ad res regni inſpiciendas miſit, Is per loca habitationibus parum frequentia iter faciens, inter Guadicē & Bazzam in puellam iter illâc itidē ſine vllo comite facientem incidens, confidentiam eius miratus, quod ſic ſola per ſolitudines oberrare non vereretur, eam reprehendit. At illa: Quandiù, inquit, Rex Iacobus Almanſor nobis ſuperſtes fuerit, vbicunq; lubitum erit, ſiue per ſolitudines, ſiue per oppida & pagos, ſine vllo inuaſionis, aut violentiæ metu nobis oberrare licebit. Hanc rem cum Mahauia inter alia quæ in Hiſpania viderat&audiuerat narraſſet: Rex, Quid tu ad hæc: inquit. Ego, inquit Mahauia, valde ſtultam eſſe dixit, quæ ſub regij nominis vmbra ſecuritatem ſibi promitteret. Quid enim auxilij miſera, ſi quis pudicitiæ tuæ vim inferre vellet, à rege tàm longis terrarum ſpacijs disiuncto, habere aut ſperare poſſis? Rex altum, quem ex hoc reſponſo conceperat, dolorem corde premens, Agedum, inquit, ad idem iter te denuò accinge: magna enim res eſt, quam efficere te volo, ſicq; hominē cum literis ſua manu ſcriptis dimittit, quibus pro regi Hiſpaniæ mandabat, vt hunc ipſum legatum eo in loco vbi cum puella colloquutus fuerat, palo infigeret, præcone ſupplicij cauſam proclamante. Quod loco ſolitario cum puella conſiſtere & verba miſcere, ſed inprimis Regis Almanſoris iuſtitiam & ſubditorum in ea confidentiam in dubium vocare auſus fuiſſet. Eſt enim Exiſtimatio quaſi patrimonium Principū. Sed adeò leuis eſt Regum tuitio & defenſio ſubditorum vt ipſe Dominus per os Regis Dauid Dixerit. Pſal. 126. *Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.* Quam & enim Dominus cuſtodit ciuitatem, turres muri valli, inſuperabiles & retundentes globos in ipſos explodientes erunt. Verum vt tali muro cuſtodiat ciuitatem Deus, neceſſe eſt fideles Chriſti virtutibus munire pectora & thorace charitatis corda. Vndè Epictetus in Enchirid. cap. 16 Suadet animi culturam cætera verò poſt habenda dicens. Si quid proficere ſtudes, iſtiuſmodi cogitationes miſſas facito, ſi mea neglexero, non erit vndè viuam. Niſi puerum caſtigato malus erit. Præſtat enim perire fame timoris ac moleſtiæ expertem, quam copijs omnium rerum circumfluentem animo viuere perturbato. Et puerum malum eſſe præſtat, quam te infelicem.

Pro 5. cauſa fletus. Nota. Dum fortis armatus cuſtodit domum ſuam, in pace ſunt omnia quæ poſſidet. Dicit Saluator. Sed quem tam fortē

nominabimus, dum etiam fortiſſimi hoſtes inſurgunt? Sibilauerunt, frẽduerunt, dixerunt, *Deuorabimus eum.* Tren. 2. Ælianus lib. 12. cap. 16. Enumerat fortes viros, ſed non tacet fortiores, qui eorum ipſam quoque fortitudinem oderant: Dicit. Perdicam oderat Alexander, quod eſſet bellicoſus. Lyſimachum, quod Imperatoriæ artis peritus, Seleucũ, quod forti animo eſſet. Antigoni liberalitas eum offendebat. Attali comitas, Ptolomæi benignitas & proſperitas. Quam igitur deflendum eſt quod mundus hoſtes injuſtos & virtutum extirpatores habuerit multos, & ſuper omnes, duriſſimum capitalemq; habeat poteſtatem infernalem. Vnde Pſal: 13. *Niſi Dominus adjuuiſſet me, paulominus in inferno habitaſſet anima mea.* Boeti: de Conſol: lib: 5. admonet hominem vt ad vincendum hoſtem, ad Deum recurrat. Sperate (inquit) & orate, ſolus modus eſt quo Deo homines loqui videntur. Quid loqui? Quod nobis neceſſe eſt. Siue victus ſiue defenſio, ſiue virtus, ſiue fortitudo. Omnia poteris in eo qui te confortabit. Bellatores magni ponunt ad vincendum hoſtem, alterum hoc. DILIGENTIAM. Vndè Aluari. Baſſani ducis naualis militiæ & triumphatoris de Gallis dictum. Diligentia, bonæ fortunæ mater eſt. Oculus enim vbiq; habendus & vigilia ſit noctis Domina oportet. Cic: de Orat: Diligentia in omnibus rebus plurimum valet, hæc præcipua colenda eſt nobis, hæc ſemper adhibenda, hâc nihil eſt quod non aſſequatur, qua vnâ virtute reliquæ omnes continentur. Pugnandum igitur contra hoſtes mundi tenebroſos, his modis duobus. Oratione & diligentiâ. Plurimi ſunt, qui ſine oratione & diligentiâ ſua à dæmonibus liberati ſunt, vt innocentes & qui moriuntur poſt baptiſmum infantes & adulti. Sed hæc infirmis veneranda non expectanda ſunt, at peregrinis in mundo vbi tot venenata, inſidiæ, retia, obſtacula poſita in mundo à diabolo, vbi circuit vt aliquem deuoret, vbi tot miſcentur dulcia amaris & amara dulcibus, quis effugiet, niſi oret & vigilet. S: Dominicus non ſemel vidit Dæmonem per dormitorium ambulantem varia vaſcula portantem, in Eccleſia ceu orantẽ, S. Antonius Anachoreta vidit, quod pſallentibus tepiditatem, legentibus dormitionem, orantibus tædium, audientibus verbum Dei diſplicentiam ingereret. Vndè B: Iſidorus lib: 3. cap. 5. Argumenta machinationum malarumq; cogitationum ſemina quæ in cordibus hominum diabolus fundit, ita ſœpè vndiq; captam implicant mentem vt ex qua parte quiſq; euadere tentauerit, ſine periculo exire non poſſit. Veluti, ſi jures hoc facere, quod ſi feceris pecces, ſi non feceris, reus perjurijs ſis. In tanto igitur periculo, non reſtat homini, niſi oratio & diligentia. Oratio ad Deum, diligentia in orando & repellendo incentiua diaboli. Prædicabat aliquã-

Vinces hoſtem ad Deũ recurrendo.

Vinces hoſtem diligẽtia.

quando S. Dominicus Romæ monialibus clauſis in monaſterio nouiter, vt in orando nedum ſint feruentes ſed etiam diligentes, perſeuerantes, deuotæ, attentæ. Nam ſi multis medijs impedit bonum diabolus, magis impedit orationem ad Deum attentam & diligentem. Scit enim quod oratio noſtra, ſit ſermo cum Deo efficax. Tali in prædicatione, aduolauit paſſer, qua via in occluſo clauſtro, non apparebat, & inter prædicandum cœpit perturbare ſorores, nunc ſuper vnius, nunc ſuper alterius cadendo vellum, volitabat ſæpius, ſtrepitum faciebat, atq; ſic attentas ſorores diſtrahebat. Cùm ſedit ad manus vnius ſororis, iuſſit eum S. Pater ſorori apprehendere & ſibi porrigere. Porrecto euulſit S: Pater alas atq; ipſum depilatum reiecit dicens. Volite nunc ſi potes. Cognouerat enim non fuiſſe paſſerem ſed dæmonem. Dum S Pater proſequebatur perturbatis ſermonem, ingreſſus paſſer in Eccleſiam, quâ parte, mirabantur, & plurimos faciebat ſtrepitus, conſcendit vſq; ad lampadem, inclinauit oleum, at vbi ſorores poſt ſermonem, oleum non fundi inclinatum è lampade in terram aduerterunt, cognouerunt tunc, non paſſerem, ſed boni & animarum perſecutorem fuiſſe. Oremus igitur Dominum & diligenter operemur bonum, nam promiſſio data eſt. 1 Ioan: 3 *Chariſſimi ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quicquid petierimus accipiemus ab eo, quoniam mandata ejus cuſtodimus, & ea quæ ſunt placita coram eo facimus.*

Pro 6. Cauſa fletus. Nota. Ier:48. Et paucos defenſores, & hos valoris nullius eſſe, dicit? *Fugite (inquit,) & ſaluate animas veſtras, & eritis quaſi myrycæ in deſerto. Pro eo quod habuiſtis fiduciam in munitionibus tuis & in theſauris tuis, tu quoque capieris.* Defenſor noſter eſt ipſe Deus, qui docet manus ad prœlium & digitos ad bellum. Qui igitur hunc reſpuit, vana fit defenſio eius, imò exterminium aduocat. Quod ſi de defenſione Chriſtianorum ſit ſermo, illi & ſi verè ſunt Chriſtiani defenduntur & proteguntur in defenſione. In hoc enim inquit Theod: in 6. cap: ad Rom: lex vetus à noua differt, & conſequenter homines ſub lege veteri & noua differunt. Lex docebat ſolùm quid eſſet agendum, ijs autem quibus ipſa imponebatur nullum penitus remedium adferebat: gratia autem præter legis impoſitionem etiam auxilium præbet, & propterea lege eſt perfectior, vtpotè, cùm auxilia ſoluant difficultatem. Ierem: 31. *Dabo legem meam in viſceribus eorum.* Hoc eſt in affectibus & in voluntate. *Et in corde ſcribam eam.* Id eſt, in mente & ratione, vt exponit Hugo. Mens inſtruitur, & voluntas afficitur legi exequendæ, per gratiam legis nouæ. Cauſam igitur jure merito fletus ſuper ciuitatem mundi & chriſtianitatem poſuit B: Alb: Mag: cum non in Deo ſpem ſuam & protectionem ponunt Chriſtiani, ſed in armis & exercitu. Iam enim nullus

Solus Deus defenſor

Non in armis ſed in Deo ſperandū.

nullus defenſor eſt, ſi Deus non eſt. Fertur quod Turnus in clypeo ſuo aureis literis portabat ſcriptum. Io: Eſt pro nomen Italicum. *Ego.* Vndè Virg: Ad clypeum. Io: auro inſigniebat. Profectò, nullus bellator ſibi in bello aliquid adſcribere poteſt laudis, quia ibi momentis omnia fiunt, ſed Deus ipſe adſcribit ſibi. Ego. Vndè Stephanus Rex Pol: Deuictis Gedanis in loco prœlij, crucem erexit & ſcripſit. *Non nobis Domine non nobis ſed nomini tuo ſit gloria.* Valent plurimum orationes ſanctorum, ſacrificia ſacerdotum, jejunia militum, deuotio & vota principum, at iſta ſunt ſecundaria ad defenſionem, primaria verò eſt ipſa protectio Dei. Pſal: 59. *In Deo faciemus virtutem & ipſe ad nihilum deducet inimicos noſtros.* D. Cyprianus. Aduerſus omnes diaboli terrores & minas mundi, anim⁹ immobilis perſtat; quem futurorum fides certa corroborat. Clauduntur oculi in perſecutionibus terræ, ſed patet cœlum. Minatur Antichriſtus, ſed Dominus Chriſtus tuetur; mors infertur, ſed immortalitas ſequitur; occiſo mundus eripitur ſed reſtituto paradiſus exhibetur; vita temporalis extinguitur, ſed æterna reparatur. Quanta dignitas, claudere oculos, quibus homines videbantur & mundus, & aperire os ſtatim, vt Deus videatur & Chriſtus.

Rex Poloniæ Stephanus.

Pro 7. Cauſa fletus. Nota. Iſa: 51. *Leuate in cœlum oculos veſtros & videte ſub terra deorſum, quia cœli ſicut fumus liqueſcent, & terra ſicut veſtimentum atteretur, & habitatores ejus ſicut hæc interibunt.* Si cœli vt fumus atterretur ad quem interibunt habitatores modum? Certè multò deteriori modo, in fauillam & cineres redigentur, ad nihilū reducentur vt nec vmbra illius maneret. B: Iſidorus de ſum: bon: lib: 1. cap: 13. Quamuis mutabilitas non ſit homini concreata ſed pro merito primæ præuaricationis illi acceſſit, jam tamen naturalis facta eſt, quia originaliter à primò homine ſicut & mors in omnes homines tranſit. Pluries tanta corruptio mundi & annihilatio hominum deſignata fuit. Nam cùm à morte Romuli fuit interregnum. Centum quinquaginta Patres adminiſtrabant regnum. Sed hâc lege, vt eorum vnus horis ſex diurnis alter totidem nocturnis ſumma cum poteſtate præeſſet. Decliuium hoc erat magis quàm Dominium. Et Caninius vnius ſolum diei conſul erat. Iocus potiùs non conſulatus. Et ſub Galieno, Marius vnâ die viſus imperio dignus eſſe, altera vti, tertia ſpoliari. Verè Tragicus Imperator. Oſtenditur his interitus mundi & hominum, D: Chryſoſtomus ridebat teſtamenta legendo dicentia. Ille quidem agrorum & domorum dominium habebat, vſum verò alius. Velimus, nolimus alijs in fine cedemus, & ſic poſt nos alij cedent domus, nec caſus obruerit mundum & nos, poſt judicij diem. Vt igitur ad fletum lugubrem non trahamur denigratione noſtra per mortem, ſuadeo Scipionis bellatoris animum.

Decliuium Reip.

Hîc cum

Hic, cùm illi ſcutum eleganter apparatum quidem oſtenderet & commendaret, dicebat. Romanum ciuem par eſt in dextera ſpem ponere non in ſiniſtra. Mundus res eſt ſiniſtra, nam in eo vel concupiſcentia carnis vel oculorum, aut ſuperbia vitæ. Deus eſt res dextra. Eſt enim Deus ipſiſſima bonitas & ipſiſſima vita beata. Amplectemur Deum non mundum. Qui enim amicus eſt mundi inimicus Dei conſtituitur. Sed arguet te inde mundanus Epicureus Zoilus. At defendent boni & ſancti. Accipio vnum ex his Zoilum irridentem bonos & virtuoſos. De illo ita habet Ælianus lib: 11. cap: 10. Zoilus Amphipolitanus, qui ſtylum in Homerum, Platonem, aliosque ſtrinxit, Polycratis fuit auditor. Hic verò Polycrates etiam accuſationē ſcripſit contra Socratem. Zoilus autem ille, canis rhetoricus nominatus eſt. Erat is talis. Barbam pro miſſam alebat, caput vſq; ad cutem radebat pallium ſupra genua pendebat, ſtudioſus malè loquendi, ſerendis litibus operam ſedulò dabat: contumelioſus deniq; & ad reprehenſiones procliuis erat, miſer ille. Et quum rogaret ab eo quidam eruditus Vir, quamobrem omnibus malè loqueretur? Quoniam (inquit) malè facere quum velim, non poſſū. Quaſi diceret adminùs, loqui malè volo, ſi facere malè non poſſum. Eſt mundus Zoilus quidam, facere aliquid boni non vult, malefacere cupit ſemper; ſed ne lædat vt vult, non permittitur, vndè loquitur primùm malè, tum facere malè continuò ſatagit. Nos igitur ſumentes exemplum à nobis ipſis Ægyptum hunc mundi fugiamus. Non faciamus vt aliqui miſeri ex populo Iſraël, qui potius ſtare in Ægypto appetebant & cœpe & alia comedere quàm in terra promiſſionis lactè & melle abundare, nos verò tales nequaquam ſimus, ſed quæramus nobis terram promiſſam vbi abundabimus omnibus bonis. Bern: in ſerm: Prouidi viri feſtinemus ad locum tutiorem, ad agrum vberiorem, ad paſtum ſuauiorem, vt habitemus ſine metu, abundemus ſine defectu, & ſine faſtidio epulemur.

Fugere ad loca abundā tiæ

DOMI-

DOMINICA VIII. POST TRINITATIS.

Publicanus à longe ſtans nolebat oculos ad cœlos leuare, ſed percutiebat pectus dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori, *Luc: 18.*

QVID SIGNIFICAT ISTE PVBLICANVS?

RESp: Gerit figuram veri pœnitentis. Cùm autem nos omnes peccauerimus, & pœnitere nos oporteat, ſex nobis neceſſaria ſunt ad veram pœnitentiam, quæ ex iſtius Publicani factis cognoſcuntur & Verbis. 1. Conſideratio Diuinæ ſeueritatis. 2. Inſpectio propriæ fragilitatis. 3. Dolor admiſſæ iniquitatis. 4. Sinceritas Confeſſionis. 5. Strenuitas ſatisfactionis. 6. Supplicitas orationis.

I. Neceſſaria eſt nobis conſideratio diuinæ ſeueritatis, quæ innuitur ibi, vbi dicitur: *Publicanus à longè ſtans.* Serui enim qui delinquunt, ſeueritatem Dominorum ſuorũ conſiderantes non audent appropinquare, ſed à longè ſtant propter metum, & nobis ita vtile eſt, vt ſeueritatem diſtricti judicis attendamus. & ſic propter timorem ejus peccare deſiſtamus. *Timor quippè Domini expellit peccatum,* ſicut dicitur Eccl: 1. Seueritatem iſtius judicis conſiderauerat Iob, qui dicit 9. cap. *DEVS cujus iræ nemo reſiſtere poteſt, quantus ſum ego, vt reſpondeam ei, & loquar verbu meu cum eo, qui etiam ſi habuerim quippiam juſtum, non reſpondebo, ſed meum judicem deprecabor. Si enim fortitudo quæritur robuſtiſſimus eſt, ſi æquitas judicij, nemo audet pro me teſtimoniũ reddere, ſi juſtificare me voluero os meum condemnabit me, ſi innocentem me voluero oſtendere, prauum me comprobabit.*

II. Neceſſaria eſt nobis inſpectio propriæ fragilitatis, quæ notatur ibi: *Nolebat oculos ad cœlum leuare,* terram & ſeipſum ex terra aſſumptum aſpiciebat. Ita & nos propriam fragilitatem humiliter debemus inſpicere, ne peccata audeamus perpetrare, & tam diſtrictum judicem ad iracundiam prouocare. Quomodo audet ille peccare, qui omni incertitudine incertior eſt, vtrum cras ſit victurus, & qui tunc forſitan ſententiam æternæ damnationis eſt auditurus? Propriæ fragilitatis nos admonet Dominus ita loquens Geneſ: 3. *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Sudor vultus noſtri ſunt lachrymæ noſtræ, & hæ eti- *Fragilit. hominis*

hæ etiam nobis debent eſſe panes die ac nocte, ſicut dicitur in Pſal: vt videlicet miſereatur noſtri, qui de puluere nos creauit: puluis enim ſumus & in puluerem reuertemur. De fragilitate etiam conditionis noſtræ Aug: in lib: de Ver: Domini: Quid fragilius vaſe vitreo, & tamen ſeruatur, & durat per ſæcula? Nos ergò fragiliores, & infirmiores ſumus, qui inter cauſas ambulamus, & ſi vitrei eſſemus, minùs caſus timeremus. Cauſas appellat Auguſtinus quaslibet infirmitates, quæ nobis minātur corporis & animæ ſeparationem.

III. Neceſſarius eſt nobis dolor admiſſæ iniquitatis, qui notatur ibi, vbi dicitur: *Percutiebat pectus ſuum.* Dolor enim ſuſcitatur ex vehementi pectoris tunſione. Dolere itaq; debemus contritionis dolore, propter peccata noſtra, ſicut dolet parturiens in anguſtijs parturitionis; vndè dicit Mich: 4. ad animam pœnitentem: *Dole & ſatage filia ſion, quaſi parturiens.* Et verè neceſſarium eſt nobis, vt ſic doleamus, quatenùs à monſtruoſo partu peccatorum, quem à Diabolo concepimus, & qui lacerat & diſſecat interiora animæ noſtræ, quantotiùs liberemur. Dolere etiam debet peccator, quia peccatis ſuis Deum offendit, quemadmodū mater dolere conſueuit in morte vnigeniti, & dilecti filij ſui; vndè dicit Dominus Zachar: 12. *Aſpicient ad me, quem confixerunt,* ſcilicet criminibus & peccatis, *& plangent planctu quaſi ſuper vnigenitum, & dolebunt, vt dolere ſolent in morte primogeniti.*

Dolere debemus peccata.

IV. Neceſſaria eſt nobis ſinceritas confeſſionis, quæ etiam innuitur ibi, vbi dicitur: *percutiens pectus ſuum.* Quando enim pectus percutitur, quidam ſonnus elicitur exinde. Monet ergo nos Spiritus Sanctus in Eccl: 14. Vt peccata noſtra tempeſtiuè confiteamur. *Ante mortem (inquit) confitere, à mortuo enim quaſi nihil ſit, perit,* ſcilicet confeſſio: Confiteberis viuens, viuus & ſanus confiteberis. Nota, quod monet nos vt ante mortem confiteamur, & ſani. Multi quippè per hoc decipiuntur, quod differunt pœnitentiam ſuam ad horam mortis; vndè dicit Auguſt: in quodam ſerm: de pœnit: Agens pœnitentiam & reconſiliatus, dum ſanus eſt, & poſtea benè viuens ſecurus hinc exit: de ſera pœnitentia, quæ raro verà, ego non ſum ſecurus: nunquid dico, damnabitur, non dico; ſed non dico etiam, liberabitur. Vis quod incertum eſt euadere: age pœnitentiam, dum ſanus es: ſi ſic agis ſecurus es. Quare ſecurus es, quia egiſti pœnitentiam eo tempore, quo potuiſti peccare. Si autem tunt vis agere pœnitentiam, quando jam nequis peccare; peccata te dimiſerunt, non tu illa. Non etiam quod dicitur Eccl: ſupra confitere confiteberis. Tria quippè genera ſunt peccatorum confitenda, videlicet peccata cogitationum, locutionum, & operationum. Quod etiam peccata integraliter ſint confitenda, per hoc

Ante mortē & ſani confiteantur.

hoc eſtenditur, quod dicitur contenere quod omnia ſimul facere debes, ne videlicet honeſta peccata confitearis, & inhoneſta reticeas, ne etiam Confeſſionem tuam in plures ſacerdotes diuidas, vt ſcilicet vni partem, & tertiò, & quartò, & quintò, & ſextò partem confitearis.

Strenue. V. Nobis neceſſaria eſt ſtrenuitas ſatisfactionis, quæ notatur ibi, vbi dicitur: *percutiens pectus ſuum.* Pectus enim percutere, non poterat, niſi manum mouiſſet. Manibus autem operamur. Vndè per motum manus ſatisfactio deſignatur, quæ maximè in duobus conſiſtit, videlicet in corporis afflictione & eleemoſynarum largitione. Corporis afflictio conſiſtit in jejunio, fletu, & cilicijs, in diſciplinis, in genu flexionibus, & peregrinationibus, & hujuſcemodi corporalibus exercitijs. De iſta afflictione dicit Dominus in Leuit: 23. *Affligetis animas veſtras in die expiationis, quia dies propitiationis eſt. Omnis anima, quæ afflicta non fuerit in die hac, peribit de populis ſuis.* Dies expiationis eſt tempus hujus vitæ ad pœnitentiam nobis conceſſu. Qui ſe in die iſto non afflixerit per pœnitentiam, peribit à numero electorum. Si quis enim impœnitens diſceſſerit, non inueniet gratiam coram oculis Domini. Poſt hanc quippè vitam non eſt tempus miſerendi, ſed potiùs crimina puniendi. Ad ſatisfactionem etiam requiritur eleemoſynarũ largitio. De hac dixit Daniël: 4. Ad Nabuchodonoſor regem, qui multas iniquitates commiſerat. *Conſilium meum rex placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum forſitan DEVS ignoſcet delictis tuis.*

VI. Requiritur ad veram pœnitentiam ſupplicitas orationis, quæ manifeſtè demonſtratur ibi, vbi Publicanus non alienum pectus per detractionē, ſed ſui per proprij reatus cognitionem percutiens dicebat ad Dominum: *Deus propitius eſto mihi peccatori.* Et Nota, quod ad orationem, vt digna ſit exaudiri à Domino quatuor requiruntur. Primùm quod per fidem orans in Deum moueatur: Secundum eſt quod per ſpem de Dei miſericordia non diffidatur: Tertium eſt, quod per charitatem ſalus animæ in oratione quæratur: Quartum eſt, quod ab orante humilitas habeatur. Superbia quippè nihil impetrare poteſt à Domino, & certè hæc quatuor inueniuntur in oratione Publicani. 1. Per fidem namq; mouebatur in Deum; vndè dixit: *Deus.* 2. Spem quoq; habuit vt exaudiretur: Si enim de miſericordia Dei deſperaſſet, propitiationem ejus non imploraſſet. Dixit enim: *Deus propitius eſto mihi peccatori.* 3. Per charitatem etiam animæ ſalutem quæſiuit; Vndè dixit: *Deus propitius.* 4. Quod nihilominùs humilitatem habuerit, per hoc patet, quod ſe peccatorem appellat, dicens: *Deus propitius eſto mihi peccatori.* Hæc autem & nos chariſſimi in orationibus noſtris habere debemus, videlicet fidem, ſpem, charitatem, & humilitatem. *Requiſita ad orationem.*

tem. Rogate ergo Dominum, vt ſic nunc per veram pœnitentiam remiſſionem noſtrorum criminum obtineamus, vt tandem exultantes coram Chriſto in Angelorum conſortijs appareamus. Quod nobis, &c.

ANNOTATIONES.

PRo primò ad pœnitentiam neceſſario. Nota. Pſal: 75. *Tu terribilis es & quis reſiſtet tibi? Ex tunc ira tua.* Nimis impiè agit peccator lædens Dei majeſtatem & negligens pœnitentiam & reconciliationem, vnde merito ſeuere judicabitur, vt terribilem ſentiat qui miſericordem ſentire noluit. Si enim peccator pœnitere vellet & Dominus repudiaret pœnitentiam, humano more loquendo, quilibet ipſi compateretur, ſed cum Dominus ipſe ad miſericordiam ſuam inuitat, & peccator repudiat, quomodo non arguetur. Videbit furore repletum, qui placabilem videre noluit. Ælianus judicium quoddam refert lib: 5. cap. 16. Puer auream laminam quæ ex Dianæ corona deciderat, ſuſtilit & non latuit. Iudices crepundia talos & laminam auream propoſuerunt puero, qui cum ad aurum ſe contuliſſet, plexus eſt tanquam ſacrilegus neq; ætati veniam dederunt ſed flagitium & ſcelus vindicârunt. Seuerius quia juſtius puniet Deus peccatores, inueſtigabit minima, propalabit ſumma, ita quod ſeipſum in peccatis ſuis peccator multoties condemnabit. Vnde dicit Pſal: 75. Erit judex Deus terribilis, & nullus reſiſtet illi cum juſtitiam fecerit, & adhuc ex tunc ira eius conſurget in peccatorem iniquum. D. Greg: ſuper 13. Matth. In majeſtate viſuri ſunt, quem in humilitate videre noluerunt, vt tanto diſtrictiùs virtutem ejus ſentiant, quantò ceruicem cordis ad pœnitentiam non inclinant. Veniet cum poteſtate & majeſtate judicaturus, qui mitis & humilis venerat peccatores ſuſcepturus. Iſa: 33. *Dominus judex noſter, legifer noſter rex noſter, ipſe ſaluabit nos.* Quis iſte eſt ordo dicendi! An priùs judex eſt quàm legifer vel Rex noſter! Lex primitus danda eſt, tum judicium de lege non ſeruanda inſtituitur. Prius ſit rex, tum ſubditi obediant, nam cui obedient, ſi conſtitutum ſupra ſe non videbunt? At S. Prophæta vidit conſtitutum jam judicem Deum, qui hos qui redemptorem mundi viderant & regem nolentes confitebantur, (ecce rex noſter) audire, ſequi & ſuſcipere noluerant, judicaturus ſeuere debuit; idcircò prius judicem quàm legislatorem & regem prophetauit, vt demonſtraret, quod in futuro judicio magis apparebit judex criminum, & vindex legum, ac vltor malorum, quàm miſericors & beneuolus. *Deus in judicio judex criminum.* Athenienſes juxta grauitatem ſcelerum, ſubſellia, loca & tribunalia, eligebant & conſtituebant. Et ita ſcelerum puniendorum pro diuerſite criminum loca erant, Martius. Palladius. & Delphinius locus, ait Ælla. lib: 5. cap: 15. Ita judicium quoq;

Deus faciet, alios judicabit in deceſſu ex hoc mundo alios in vltimo judicio. Quos judicauerit in vltimo vitæ ad cœlum, illis in vltimo iudicio completè reſtituet gloriam in corporibus ipſorum, & quos iudicauerit ad gehennam, illis in vltimo iudicio reſtituet condemnationem in corpore, & quos iudicauerit ad purgatorium, illis pro tempore aſſignato reſtituet gloriam in anima, & in vltimo iudicio dabit corporibus ipſorum gloriam ſempiternam. Vnde Pſal: 90. Conculcabit leonem & draconem, & ambulabit ſuper aſpidem & baſiliſcum. Hoc eſt, obduratos & iniquos conculcabit, pœnitentes & dolentes, tanget pede iuſtitiæ. Concludo verbis B. Iſidori de contemp: mundi. Ergò age dum licet, pete, quærere non ceſſes, erumpe in vocem fortiter, clama, plange iniquitates tuas, malitiam tuam deplora, quæ prauè egiſti, fletibus dilue; & quæ illicitè commiſiſti, terge lachrymis.

Pro ſecundo ad pœnitentiam neceſſario. Nota. Eccl: 14 *Omnis caro ſicut fœnum veteraſcet.* Quid fraligius fœno? Scinditur, emoritur & veteraſcit. Summa ſit fragilitas. Sed vide morientem omni momento horæ hominem, defluendo enim cum momentis horarum, nedum moritus flaccescit, ſed annihilatur ſecundum carnem. Et vt experientia docet, ita deficit vt fœnum nobilius viriditatem deponat, quàm homo virorem corporis. Exſiccatur fœnũ & fructui eſt; moritur verò homo, & terroris vmbra, ac intollerabilis fœtor efficitur. Fœnum conſeruatur & pretium habet; caro hominis cum reſtat, intollerabilem fœtorem, & concluſum marmoribus, vix non effundit ſordes. Fœnum veteraſcit, caro ſordeſcendo ad nihilum redigitur. Quid igitur reſtat tibi ô homo carni delicijs & peccatis onuſte? Quid neceſſarium tibi infirmo debili, peccatis catenato, carceri mancipato, & Dei ſententia mox mox condemnando agendum erit? Conſilium B: Iſidori de contemptu mundi accipe, tene, ſerua, dic corde & ore. Conuertere Deus meus, mei ne obliuiſcaris in finem, non me in perpetuum deſeras, nec me in poteſtate diaboli derelinquas, licet ſim peccator, tu autem es clemens, tu pius, tu multæ miſerationis. Nullum relinquis, nullum recuſas ad miſericordiam, ſed vltrò foris tarditatem peccatoris expectas vt redeant. Quanti ſcelerati, quanti luxurijs dediti, quanti concupiſcentiam ſecuti, per miſericordiam tuam ad indulgentiam peruenerunt? Multis non merentibus gratis veniam dediſti. Oſtende in me miſericordiã tuam & ſalutare tuum da nobis, non abneges quod omnibus promiſiſti, ſcelera mea non defendo, peccata mea tibi manifeſto, diſplicet mihi quod feci, diſplicet mihi quod peccaui. Deus mihi propitiare, errorem meum confiteor, culpam meam cognoſco, reatum meum aperio. Equidem ſunt iſta voces.

tes, ſed ante Deum, vox in confeſſione peccati, prima eſt ad reijcienda peccata; ſecundario verò conuerſus ad Deum, colligabit cor manibus, affectum labori, & vocem operi. Hic enim eſt fructus pœnitentis, redire ad cor & opus ſalutis. Eſt dogma Epicteti cap: 69. Oues non fœnum afferunt opilionibus ac demonſtrant quantum comederint, ſed paſtu intra ſe concocto, extra ferunt lanam & lac. Ita verus pœnitens non verba oſtendit, ſed opera, quæ verborum concoctionem ſequuntur. Vide peccatum attere, contere, fletu, dolore, ſatisfactione. In veteri lege tria ad ſanandum leproſum fieri juſſa fuêre, Leuit: 14. raſura, lotio & ſacrificium. Radebantur ca pilli, ſupercilia & barba, Lauabantur veſtes, & offerebat ſacrificium. Per raſuram humilitas & deſpectus ſui inſtruebatur, per lotionem munda conſcientia commendabatur, per ſacrificium Dei honor proponebatur. Nec alia ſunt magis neceſſaria pœnitenti, qui cum fuerit putredo & cinis, Deum tamen offendere voluit. Intuearis igitur teipſum, intuearis tuam conſcientiam, & redde altiſſimo vota tua. Sacrificium votumq; S. Gertrudis adduco. Hæc ſancta cum triſtaretur quod morbo præpedita tempore aduentus orationi vacare non potuiſſet, cœlitus edocta eſt, vt offerrat ſuauiſſimum cor Iesv Christi in compenſationem omnium delictorum. Quod cum faciebat, ita affecta fuit tali oblatione, vt omnem aliam precationem aut deuotionis exercitium, ſuperaret.

Pro tertio ad pænitendum neceſſario, Nota. Iob 42. *Auditu auris audiui te, idcircò ipſe me reprehendo, & age pænitentiam in fauilla & cinere.* Non modica ſigna ſunt doloris, reprehenſio ſui, & pænitentia cum aſperſione capitis cinere, & aſperſione cordis per fauillam, ſeu memoriam attentam mortis ſuæ, & corruptionis per mortem vſq; ad fauillam. *Signa doloris.* Iſidorus de contemptu mundi aſſumit pænitentis verba; Plorate me cælum & terra, lugete me omnis creatura, flete me omnia elementa, quia cecidi grauiter, lapſus ſum crudeliter, & corrui miſerabiliter. Nullum inuenitur peccatum cuius ſordibus non ſim inquinatus, ſemper ad peccatum meum redij, ſemper peccata mea iteraui, nunquam in melius mutaui mores, nunquam à peccatis receſſi, plurimos maculaui, multos prauis moribus peruerti, multis cauſa malorum fui, orate pro me ideò omnes Sancti. Ad Herculis clauam, addiderat legendum Capaccio: VI VIRVS. Denotabat quod optimus Princeps vt regnum ſit illius ſtabile & in pace, nedum illi prudentia & vigilantia neceſſaria eſt, ſed etiam fortitudo maxima. Vt ſi aliquod peſtiferum, tumultuoſum, capitale obuenerit, illud ceu virus regni, vi tollat. Idcircò ad clauam hanc appoſuit. vi virus. Puta tolle: Peccata mortem ferentia, vi inſe-

runt virus & venenum in animam candidam, & ex natura, & ex ablutione ſpirituali in baptiſmo per ſanguinem Chriſti, tantum etenim inſtat author perniciosus peccatorum diabolus, vt non poſſit homo aliquo medio recedere & ampliùs ſperare præmium cæli, ſed ſuccumbere quolibet momento in deterius. Cogita bellantem cum hoſte animæ Iob 2. dicit: *Pellem pro pelle & omnia dabit homo pro anima ſua.* D. Chryſoſt: Hom. 34. in Math: cap. 10. ait. Mecum ipſe mirari ſoleo, diabolum tot tantoſq; contra ipſum cogitaſſe labores, ſed truculentiſſima beſtia nunquam ſolet deſperare victoriam. Quod ſi inimicus animæ tam crudelis efficitur homini qui ſe illi ſuâ ſponte in laqueos tradidit, vt explicare ſemetipſum è captiuitate pluſquam Turcica & Tartarica non habeat medium, vi ſumma virus diaboli eijcere neceſſe eſt hominem, Chryſoſt. lib. 6. de ſacerdot. Aduerſus diabolum dimicanti nunquam licet arma ponere ſomnumuè vllum capere, ei præſertim qui vulneratus in prælio vellet diſcedere. Ex duobus enim neceſſario alterum ſequitur, vt aut cadat quis & pereat armis ſpoliatus, aut continenter vigilet armatuſque ſtet. Siquidem ille continenter cum ſua ipſius acie ſtat ſocordias noſtras obſeruans, ac maius quidem afferẽs ſtudium ad noſtram internecionem quàm ad noſtram ipſi nos ſalutem afferamus. Græcorum Hiſtoriæ de Lyſandro agunt. Cum contenderent

Diabolus vi repellendus.

Argiui de terræ finibus, & juſtiſſima ſe dicere hac in re ſe iactarent, Lyſander, ſtricto gladio dixit. Qui hâc obtinet, de agri finibus optimè diſſerit: Quid inferebat iſte? Viin. At iniquum eſt vi ſola fines extendere, non caret ille iniuſtitia non auaritia, non ſuperbia, non tyrannide, Sed virus peccati vi repellere, extirpare virtute, Sacramentis Eccleſiæ, oratione, humilitate, & iuſtum & ſanctum eſt peccatori. De F. Petro Briete Minorita fertur in chron: lib. 6. Tit. 3. Cum coram altari B. V. Mariæ præces effunderet, tribus cõſequenter noctibus immaniter à dæmone eſt cæſus, quem cum ſemianimem reliquiſſet, apparuit ei Deipara, vulnera ſanauit, & magno gaudio perfudit, quod tam generoſè hoſtem viciſſet.

Pro quarto ad pænitendum neceſſario. Nota. Pſal. 37. *Iniquitatem meam anunciabo & cogitabo diu pro peccato meo.* Confeſſionis hîc exprimitur vſ9 quam Catechumeni ante facere tenebantur humilitatis cauſa & conſilij capiendi, quo etiam modo confitebantur peccata ſua coram Ioanne baptiſante & diſponente ad baptiſmum Chriſti. De quali Confeſſione Act: 9. *Multi credentium veniebant confitentes & annunciantes actus ſuos.* Erat etiam hæc confeſſio ſignum quoddam futuræ confeſſionis Euangelicæ in Eccleſia Chriſti. De qua confeſſione Ioan: 20. *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis.* Ibi enim pars neceſſaria ſacramenti inſtituta eſt,

Confeſſio peccatorum facienda.

eſt; Confeſſio ſcilicet, ſine qua ſacerdotes exercere non poſſunt poteſtaté remittendi & retinendi peccata. De quo in Concil. Trid: clarius ſeſſ: 14. cap. 4. Pulchrè etiam de hoc B. Iſid: lib 2. de ſum. bono. cap. 7. Indulgentia peccatorum ſciendum vbi quando vel qualibus datur. Vbi quippè, niſi intra Eccleſiā Catholicam. Quando, niſi ante exitus venturi diem, quia, ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. Qualibus datur, niſi conuerſis, qui per humilitatem ad paruulorum tranſeunt imitationem, de quibus dicitur. Matth. 19. *Talium eſt enim regnum cælorum.* Igitur præoccupemus faciem eius in Confeſſione, tam fide confitendo Deum, quam confitendo peccata confeſſione ſacramentali. Fertur quod Romani Q. Fabium qui cunctando eludebat hoſtem, clypeum Romanorum vocaſſet. Marcellum verò viribus vincentem vocitârunt gladium. Illius enim præcipuum ſtudium fuit ne quid cladis acciperent Romani, iſtius verò vt hoſtem perimeret. Id quod laudis perhibetur fuiſſe in his duobus ducibus, id totum reperitur in Confeſſione Sacramentali in Eccleſia Dei. Eſt confeſſio Clypeus peccatorum, defendit enim confitentem à pænis æternis & futuris peccatis, eſt etiam gladius, ſeparans hoſtem diabolū ab homine & obtruncans peccata præterita ne in damnationem deducant animā, & demergant in profundo inferni. D. Greg. extollit virtutem Confeſſionis peccatorum vltra cæteras virtutes ſcribendo ſupra verba Iob 31. *Si celaui in ſinu meo iniquitatem meam.* Dicit enim. Mirentur in bono Iob qui volunt caſtitatis continentiam: mirentur integritatem iuſtitiæ: mirentur viſcera pietatis, ego in eo non minus admiror Confeſſionem humillimam peccatorum quam tot ſublimia virtutum. Hanc peccatorum confeſſionem ſacerdoti ſalutarem & neceſſariam plurima exempla oſtendunt, ſed quod in Anno 1627. accidit, refero. Neapoli mulier proſtituta ad balnea Anagnienſia ſanitatis cauſa tendebat. Vbi verò ſaxeam illam cauernam olim à Romanis conſtructam tranſiſſet, adeò morbus cæpit ingraueſcere vt ibi ſit mortua, delatum cadauer ad templum proximum, ſed quia abſq; Sacramētis obijt, parochus ea veſpera noluit ſepulturæ tradere. Depoſita in templo, ſub mediam noctem cæpit confeſſarium inclamare. Venit parochus, viua de certitudine mortis docet, ſed anima corpori reſtituta interceſſione B. V. Mariæ ad confeſſionem. Expiauit peccata, refecta communione ſacra, & mox animam ſuo creatori reddidit. B. Iſid: Et ſi apti fuimus imitari iniquos in malū, cur pigri ſumus imitari iuſtos in bonum?

Pro quinto ad pænitentiam neceſſario. Nota. Terribilis ſentētia 14. Iſa. prolata: *Perdam Babylonis nomen & reliquias, & progeniem, & germen, dicit Dominus.*

minus. Multis medijs & plurimis an-
nis perit, qui tali modo perit. At
quia Babylon ciuitas cum gentibus
peſſimis pridem deleta eſt, ſcriptu-
ræ autem veritas eſt in æternum, per
Babylon expoſuêre SS. Patres, pec-
catum & peccatores, quod in eos ſic
animaduertet Dominus grauiter,
quod Dominum offendendo ad eum
non ſunt reuerſi, vel ſi ſunt reuerſi
ſatisfacere hîc pro peccatis cõtem-
pſerunt. Nam ſi Chriſtus ſatisfecit
pro peccatis noſtris, vt oſtenditur
Ioan. 21. *Ecce agnus Dei qui tollit peccata*
mundi. Nobis tamen eam ſatisfacti-
onem applicare neceſſe eſt vt ſimus
cooperatores Chriſti. Vndè Euſebi-
us Ceſarienſis de demonſtr. Euang:
cap. 10. lib. 1. Eſt ſanè Chriſtus a-
gnus tollens peccata mundi, eſt o-
blatio, expiatio, ſatisfactio pro pec-
catis omnium, qui ſolus iuſto dato
pretio iram diuinam placat & amiſ-
ſam gratiam recuperat, noſq; pro-
pria virtute ſua quod alius nemo fa-
cere potuit reconciliat Patri. non
verò propterea negandum eſt hanc
ſuis fidelibus meruiſſe & impetraſſe
gratiam vt & ipſi mereri & ſatisface-
re in ipſo poſſint. Sufficit Chriſti
pretioſa mors ad omnia omniũ pec-
cata expianda, & vt loquitur Diuus
Paul. ad Hebr. 9. Exhaurienda pec-
cata, ſed illis tantum ſalutaris eſt,
qui volentes, credentes, & pænitẽ-
tes illam ſibi applicant, Chriſtique
gratiæ cooperantur. Vndè ad Hebr.
5. *Factus eſt obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis*
æternæ. Obſcurant hæretici ſummũ

Satiſfactio pro peccatis.

hoc Chriſti beneficium, cum negãt
vel ſubijcent ea media & remedia,
præcipuè Sacramenta, per quæ Chri-
ſto viſum eſt nobis efficaciter ſangui-
nem ſuum communicare. Et nedũ
puniet Deus in futuro non ſatisfaci-
entem pro peccatis, ſed etiam in
præſenti punire incipit, nam & Da-
uidi pro ſcelere patrato in Nathan
dictum eſt: *Quamobrem non recedet gla-*
dius de domo tua. Moralitatem iucun-
dam habet quidam de ſatisfactione.
Dicitur Eccl. 34. *Qui aufert ab egeno*
panem quaſi qui effundit ſanguinem. Dicit.
Qui negat Chriſto ſatisfactionem
dum poteſt, quaſi qui effundit ſan-
guinem eius: & precipuè dum Chri-
ſtus in vita præſenti eſurit & ſitit no-
ſtram ſalutem. Petit autem per con-
feſſores ſuos in actum ſatisfactionis,
modicum: *Affer mihi obſecro buccellam*
panis. Tunde pectus cum peccatore:
Deus propitius eſto mihi peccatori Dicito,
& cum nolis facere, licet ſic pecca-
torum culpa & quandoque pæna di-
mittitur, ille poſtmodum cum ve-
nerit repetet à te in iuſtitia, quod no-
luiſti potenti dare in miſericordia.
Heraclides in Politijs refert. Cyre-
neis erat lex vt multas controuerſi-
as mouentes, & malas cauſas agen-
tes, ab Ephoris ad iudicium addu-
cerentur, mulctaque eis irrogare-
tur, ac infames fierent. Ita quoq; fa-
cit Dominus cum his qui ſatisfacere
pro peccatis in vita negligunt. De-
ducentur ad iudicium, nedum in
hora mortis, ſed etiam ad vniuerſale
poſt mortem, mulcta illis aſſignabi-
tur,

tur, poſt vltimum iudicium infames erunt coram Deo, Angelis & beatis.

Pro vltimo ad pœnitentiam neceſſario. Nota. Licet Chriſtus Ieſus ad dexteram Patris interpellat pro nobis, tamen & nobis orandum eſt pro nobis ipſis & alijs. Ita enim ad Coloſ. 4. *Salutat vos Epaphras qui ex vobis eſt ſeruus Ieſu Chriſti ſemper ſolicitus pro vobis in orationibus vt ſtetis perfecti & pleni in omni voluntate Dei.* Maximè verò ſi quis pænitens eſt, orare Deũ debet cum iſto peccatore in verecũdia, humilitate, timore, ſinceritate. Chryſoſt. ſup: Math. Colonus Dei, conſilium diaboli non requirit, colonus diaboli & ſi conſilium Dei requirit, non inuenit. Orat fur vt proſperetur in furto, fornicator crucis ſignum facit vt non comprehendatur. Sed tanto citius capitur, quia neſcit diuina iuſtitia patrocinium dare criminibus. Cum verò colonus Dei requirit conſilium Dei, requirit verò oratione humili & perſeueranti, habet id quod petit, obtinet quod requirit, poſſidet quod voluit. Beatus Iſid. Qui vult cum Deo ſemper eſſe, frequenter debet orare, frequenter & legere. Nam cum oramus cum Deo loquimur; cum vero legimus, Deus nobiſcum loquitur. Ælianus refert lib. 12. cap. 32. Quod antiqui Philoſophi ob prærogatiuas ſuas miro & inſolito ornabantur amictu. Pythagoras Samius, inquit: amiciebatur veſte albâ & geſtabat coronam auream. Empedocles vtebatur purpura & calceis æneis. Sed quicquid ſit de amictu Philoſophorum. Pænitenti dum orat; veſtẽ innocentem, hoc eſt à peccatis liberam imponit Deus, & coronam auro pretioſiorem ſuperimponit capiti, dum ſuum confeſſorem & nominis ſui oratorem efficit. Ornat & purpura, dum pænitens ex oratione feruenti ad macerationem carnis, & afflictionem ſpiritus ſuperbi procedendo, ſanguinem deſiderat fundere pro nomine IESV: *Præparationem cordis eorum audiuit auris tua.* Pſal. 9. Citharedus præparat citharam, bellator arma, venator retia. Cur ergo cor non præparabit homo ſi cupit vt orationem eius audiat Deus? Oranti B. Columbæ ſorori Ord: S. Dominici impedimento fuit Sathanas, aliquando Roſarium è manibus excutiebat, aliquando globulos huc illuc diſſipabat, vt eam à recitatione & deiparæ honore impediret, illa tamen attenta orationi proſequi intentum non ceſſabat. Impediebat & publicanum Phariſæus orantem, ille tamen non ceſſabat à tunſione ſui pectoris. Eccl. 38. *Fili in tua infirmitate ne deſpicias teipſum, ſed ora Deum & curabit te.*

DOMINICA IX. POST TRINITATIS.

Apprehendẽs Ieſus ſurdum & mutum, miſit digitos in auriculam eius & tetigit linguam. *Marci. 7.*

QVID PER SVRDVM ET MVTVM FIGVRATVR?

RESp. Quilibet peccator. Pſal. 37. *Ego tanquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum.* Peccator igitur quamdiu in peccatis eſt, ſurdus eſt, quia non audit cũ effectu clamorem vocationis diuinæ, qua nos vocat ad pænitentiam. Vndè conſequitur Domini in Pſal. 68. Quod clamor eius non audiatur. Ait enim; *Laboraui clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ.* Et Nota, quod ipſe Sanguis IESV clamat vocans ad pænitentiam; vndè dicit Dominus in Iob 16. *Terra ne operiat ſanguinem meum, neq; inueniat locum in te latendi clamor meus.* Tunc terra, id eſt, homo terrenus Sanguinem Domini operit, & tunc clamor Domini locum latendi in eo inuenit, quando videlicet miſer peccator peccatorum delectationibus occupatus non curat reminiſci paſſionis diuinæ, quæ clamat ad hominem peccatorem, vt ad Dominum reuertatur.

Quod Sanguis Ieſu Chriſti clamat, teſtatur etiam Apoſtolus ad Hebr. 3. *Acceſſiſtis ad ſanguinis aſperſionẽ melius loquentem, quam Abel.* Nota, Sanguis Abel poſtulauit vindictã. Vndè Dominus dixit ad Cain, Gen: 4. *Quid feciſti? Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Nunc igitur maledictus erit, ſuper terrã Sanguis IESV verò poſtulat pro nobis Dei miſericordiã: Si tamẽ ipſo ſanguine dure velimus redire ad gratiã. Væ autem illi, qui clamorem recentis cruoris IESV exaudire noluerit: Verè & ipſe clamabit, & non exaudietur; Vndè dicirur Prouerb. 21. *Qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperis* (videlicet ad IESV Chriſti Crucifixi) *& ipſe clamabit, & non exaudietur.* Hinc etiã dicit Iob 27. *Numquid clamorem eius exaudiet Deus cum venerit ſuper illum anguſtia?*

Mutus etiam eſt peccator, quia non inuocat Deum cum effectu, quãdiu delectatur in peccatis. Os enim habent multi peccatores, & tamen rarò loquuntur bonum, ſed malum; quandoq; faſtidiunt eos qui bona loquuntur. Monet autem nos Apoſt: ad Epheſ. 4. ne mala loquamur, ita dicens: *Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat, ſed ſi quis bonus eſt ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus.* Et

Nota,

Nota, quod illi qui raro vel nunquã bonum loquuntur, quodammodo peiores ſunt quàm ipſi dæmones qui ſæpè Ieſum Chriſtum ſunt confeſſi; vndè dicitur Marci. 3. *Spiritus immũdi cum videbant Ieſum, procidebant ei & clamabant dicentes: Tu es Filius Dei.* Dicit etiam Lucæ 4. *Exibant dæmonia à multis clamantia & dicentia, quia tu es Filius* DEI.

ANNOTATIONES.

DE ſurdo, Not. Iſa. 35. *Tunc aures ſurdorum patebunt.* Quid obturauerat aures hominum & ita quaſi in capite abſconderat, vt non paterent de capite? Nullus vſus erat aurium, nîl ſoni clamoris tubarum penetrare poterat aures hominum, ita duriter diabolus vitijs & peccatis obturauerat hominũ aures, ne quãdo audirent Deum. Prædicit igitur Iſaias quòd cùm venerit Meſſias Saluator mundi: *Tunc aperientur oculi cæcorum & aures ſurdorum patebunt.* Theophil. Ex dæmonio enim pulſio talis fuit, ideò poſt eiectionem dæmonis, locutus eſt mutus & audiuit verba Chriſti. Chryſoſt: altiorem rationem ſurditatis attigit, propter transgreſſionem Adæ natura humana multam incurrebat paſſionem ac membrorum & ſenſuum læſionem, veniens Chriſtus in ſeipſo perfectionem demõſtrauit humanæ naturæ, & propter hoc digitis aures aperuit & ſputo loquelam dedit. In quo verum Meſſiam ſe eſſe declarauit cum de venturo Meſſia hæc ſigna Iſaias prænunciauerit. *Tunc* inquit: *aperientur oculi cæcorum & aures ſurdorum patebunt.* Ad verba Euangelij: *Hepheta*, id eſt adaperire quod ad aure pertinet, addit Beda vtraq; natura vnius & eiuſdẽ Chriſti hîc manifeſte diſtincta eſt, ſuſpexit ad cælum quaſi homo Deum deprecatus, ingemuit, ſed mox vno ſermone quaſi potens diuinâ maieſtate curauit. Solent familiæ nobiles Symbola & ſtemmata ſuſpendere in domibus & foribus ſuis quibus maiorum nobilitatem, ſuam fortitudinem cum magnificentia, explicant. Ita Chriſtus & hominem Sanctum & Deum verum vt ſe oſtenderet & fideles doceret, in quocunq; actu vtramq; naturam humanam & diuinam oculis & animis hominum explicabat, & appendebat. Ita hîc impoſitione digiti in auriculam hominis, ſe eſſe hominẽ docuit, voce autem Epheta declarauit ſe Deum, cuius eſt imperare ſurditati & eam tollere. Ita ſputum hominem docuit, tactus dans loquellam, Deum creatorem declarauit. Vndè Theophil: vt oſtenderet quod omnia membra ſacri corporis eius diuina exiſtunt & ſancta ſicut & ſputum, quod vinculum linguæ diſſoluit. Et enim omne ſputum ſuperfluitas eſt, ſed in Domino omnia diuina fuerunt. Quia igitur ſurdus iſte peccatorem repreſentat vt B. Alb. docuit, & Beda venerabilis oſtendit dicens. Surdus eſt, qui aures verba Dei audiendi non habet, iam digitus Dei hîc neceſſarius eſt, qui vel eſt in ip-

Chriſt9 veniẽs in mundum iſte reſtituit auditũ & ſermonem

Hæc miracula oſtẽdit ſe eſſe Deum verum & hominem

pſius Dei voluntate, vel in theſauro Eccleſiæ. Hinc D. Proſper lib. 1. de vocat. gent. cap. 12. Supplicat Deo Eccleſia pro malis & infidelibus. Quid autem pro iſtis petit, niſi vt accipiant fidem, accipiāt charitatem. Quod quia ipſi ſibi præſtare nequeunt malæ conſuetudinis pondere oppreſſi & diaboli vinculis alligati, miſericors & iuſtus Domin⁹ pro omnibus ſibi vult hominibus ſupplicari, vt cum videmus de tam profundis malis innumeros erui, non ambigamus Deum præſtitiſſe quod vt præſtaret oratus eſt, & gratias agentes pro his qui ſalui facti ſunt, ſperemus etiam idem de reliquis. Quod ſi aliquos ſaluantis gratia preterierit & pro eis oratio Eccleſiæ recepta non fuerit, ad occulta diuinæ iuſtitiæ iudicia referendum, & agnoſcendum eſt ſecreti huius profunditatem, nobis in hac vita patere nō poſſe. Quocircà qui ſurdus es, noueris quæ ſurditas laudabilis & quæ damnabilis eſt. Laudabilem deſcripſit B. Iſidorus de contemptu mundi dicens, claude aures tuas ne audiant malum reſpue ſermones impudicos, fuge inhoneſta verba, vanus enim ſermo cito polluit mentes audientium, & facile agitur, quod libenter auditur. Damnabilis autem ſurditas eſt, claudere aurem à verbo Dei, à correctione proximi, ab admonitione ſacerdotali. Qui vos audit me audit, dicebat Chriſtus.

Pro Muto. Nota. Deus & natura nil faciunt fruſtra. Dedit homini os & linguam, vt loquatur laudem Dei & veritatis confeſſionem, ſed diabolus fecit mutum hominem Inquit Ariſtot. Aliquid per præſentiam cauſa eſt alicuius, & per abſentiam cauſa eſt oppoſiti, vt gubernator nauis cauſa eſt ſalutis nauis per præſentiā, & cauſa eſt periclitationis nauis per abſentiam. Ita dæmon per præſentiam cauſa eſt periculi hominis, & per abſentiam cauſa eſt ſalutis. Quia non abeſt, niſi per gratiam Saluatoris. Cum vero ſtetit coram Saluatore mutus, vidit Dominus aſtantem ei diabolum & linguam impedientem, at quia à præſentia Dei fugit dæmon, poſtquam reiectus à muto, cæpit mutus laudare Deum. Non ſinit enim tentare & turbare hominem niſi ad ſalutem promouedam hominis. Condigne reliquit Ælianus lib. 6. cap. 13 Pulcherimè à Dijs immortalibus comparatum eſt, vt nullum tyrannidem vſq; ad tertiam generationem propagent, ſed aut confeſtim tyrannos tanquam piceas perdunt & extirpant, aut liberos eorum viribus denudent ac ſpoliant. Ita Chriſtus tyrannos noſtros diabolos, qui ne ingrediamur ad loca è quibus eiecti ſunt inſudant, ſubito à nobis eijcere deſiderat, ſi eius præſentiæ humiliter adſtiterimus. Vndè Hieron: Soluit linguam, vt eructet verbum bonum quod non poſſint mina nec verbera cohibere. Sputum enim, diuina ſapientiæ eſt quæ ſoluit vinculum labiorum humani generis, vt dicat. Credo in Deum

Chriſti ſputo ſoluit linguā muti.

Deum Patrem omnipotentem, &c. Cum igitur qui mutus ob ſcelera fuiſti, iam ad gratiam Dei receptus es & ſanus factus, cogita dogma ſapientis & Sancti Epiſc: de contemptu mundi B. Iſidori. Ait ille. Scientia facit breuem ſermonem, loqui multum ſtultitia eſt: maneat ergo in verbo menſura, in ſermone ſit ſtatera, modum loquendi ne excedas. Temporibus triumuiralibus apud Romanos, Auguſtus in Pollionem ſcripſerat Feſcininos ludibrij cauſa. Tum Pollio: At ego (inquit) Taceo. Non enim facilè in eum ſcribere, qui poteſt proſcribere, ſi igitur & tu contra Dominum aliquando peccaſti, iam ſanatus noli braterare contra redemptorem tuum, nam qui tibi nunc miſericorditer pepercit, poteſt te æternaliter proſcribere.

Qualiter iſte ſurdus & mutus à Domino curatus?

QVatuor cum illo Dominus fecit. I. De turba ſeorſum eduxit. Secundò digitos ſuos in auriculas eius miſit. Tertio expuens linguam eius tetigit. Quarto, ſuſpiciens in cælum ingemuit.

I. Igitur neceſſarium eſt peccatori, vt manu diuina à turba ſeorſum educatur. Tunc homo per IESVM à turba ſeorſum educitur, cum illa fugit & reſpuit, quæ amatores mundi frequentare conſueuerunt, vtpotè choreas & tabernas, theatrorum ſpectacula, & fœminarum cubilia, & alias inſanias falſas, & tranſitorias ſæculi voluptates. Propter hoc dicit Dominus Oſeæ. 2. de anima pœnitente. Ducam eam, inquit, in ſolitudinem, & ibi loquar ad cor ejus. Solitudo inquam Dominus pœnitentem èducit, eſt propria conſcientia, quàm debet homo intrare per ſui ipſius diſcuſſionem, & ſui criminis doloroſam recognitionem: & tunc loquitur ad cor eius locutiones pacis, & non afflictionis. Si enim homo peccata ſua per pœnitentiam agnoſcit, Deus ei ignoſcit, Vt dicit Auguſtinus.

Digiti Dei in aures peccatoris immittēdi

II. Neceſſarium eſt peccatori vt digiti Dei in aures mittantur. Per digitos qui per articulos diſtinguuntur, quid aliud intelligitur, niſi diſcreta ſententia Dei, quàm in extremo judicio profert contra omnes operarios iniquitatis, per quàm etiam vnuſquiſque recipiet, prout in corpore geſſit, ſiue bonum fuit, ſiue malum. Et ſicut digiti manus non eiuſdem ſunt fortitudinis, aut quantitatis; ita & ſententia Domini non erit omnibus æquè grauis, ſed vnuſquiſq; ſeuundum merita peccatorum ſuorum crudeliorem ſententiam audiet aut minorem. Neceſſe igitur habes ô peccator, vt Dominus hos digitos ſuos in aures tui cordis immittat, vt videlicet quaſi jam ſuo tribunali aſſiſtas, contra te æternæ damnationis ſententiam proferendam pertimeſcas, & ſic quamdiu tempus eſt miſerendi, pedibus ſuæ miſeri-

miſericordiæ prouolutus, peccata tua per veram contritionem tibi remitti depoſcas.

De prædictis digitis Dominus. Cant: 5. *Manus meæ diſtillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatiſſima.* Nota, quod Dominus habet duas manus, videlicet manum miſericordiæ, & manum juſtitiæ. Per primam peccatores ad pœnitentiam vocat, per ſecundam venire nolentes perpetuè caſtigat. 1. Manus itaq; miſericordiæ diſtillat myrrham, quia oſtendit nobis amaritudines paſſionis, quas pro nobis Dominus paſſus eſt in cruce. 2. Manus etiam juſtitiæ diſtillat myrrham & digiti manus hujus pleni ſunt myrrha probatiſſima, id eſt amariſſima, quia ſententia judicialis peccatoribus conuerti negligentibus, verba proferet acerbiſſima, & tormenta inferet amariſſima.

Chriſtus duas manus habet iuſtitiæ & miſericordiæ.

III. Neceſſarium eſt peccatori, vt ſputo IESV lingua ejus tangatur. Nota, quod in lingua eſt neruus, qui vocatur opticus, qui diſcernit inter amarum & dulcè, & inter amarum & amarius, & inter dulce & dulcius. Nota etiam quod id, quod expuitur, quandam vilitatē ſignificat. Sputum itaq;, quod expuit IESVS vilitatem damnationis æternæ deſignat.

Sputū IESV quid ſignificat.

Neceſſe igitur nobis eſt, vt incomparabilem illam vilitatem, in quàm cadent miſeri peccatores, modo lingua mentis noſtræ prægustemus, vt eò feruentius ad dignitatem electorum capeſſendam laboremus. Miſeri quippè peccatores incomparabiliter viliores erunt, quā bufones. De vilitate eorum dicit Eccl: 19. *Qui ſe jungit fornicarijs, erit nequam: putredo & vermes hæreditabunt illū.* Qui itaq; dulci relicto Deo, fornicatur cum concupiſcentijs hujus mundi, quaſi cadauer putridum vermibus immortalibus corrodendus perpetuo ſubjacebit. Item de quolibet damnato dicitur Ioël. 2. *Aſcendit fœtor ejus, & aſcendet putredo ejus, quia ſuperbè egit:* Audens videlicet altiſſimum ad iracundiam concitare. Item dicitur Mich: 2. *Propter immunditiam ejus corrumpetur putredine peſſima.* Item Dominus ad animas damnatorum Amos 4. *Aſcendere feci putredinem caſtrorum veſtrorum in nares veſtras.* Caſtra animarum ſunt corpora. In ipſis enim militant vel Deo, vel diabolo; & certè putredo & fœtor corporum ipſorum ſemper aſcendet in nares animarū ipſorum.

IV. Neceſſarium eſt nobis, vt ad imitationem IESV in cœlum ſuſpicientes ingemiſcamus. Ille enim in cœlum ſuſpicit, qui diuinam patientiam & longanimitatem deuotus attendit, & ſuper hoc Deo gratias agit. Ille enim ingemiſcit, qui magnitudinem & diuturnitatem ſcelerum ſuorum conſiderans ſuper his vera cordis contritione gemit & dolet, & ſic hinc ex Dei gratia contingit, quod aures ejus aperiantur, & lingua reſeretur, vt rectè loquatur. Libenter enim talis deinceps mandata Dei audit & implet, libentèr etiam de cætero per veram confeſſionem

Peccator pœnitens in cœlum ſuſpiciens ingemiſcat.

cor ſu-

cor ſuum à peccatorum maculis abluit, & Deo jugiter gratias agit.

Rogate ergò chariſſimi Dominum, vt ſic nos ab omni peccato, quod nos vel ſurdos vel mutos efficiat, curare dignetur, vt Angelorum audire concentus & electorum canticum concinere mereamur. Quod nobis, &c.

ANNOTATIONES.

Segregatus à peccatoribus

PRo ſegregatione. Nota. Vtilem imò ſalutarem ſegregationẽ fuiſſe ſurdo & muto curando, oſtendit Dominus. At ſi rationem volueris, plurimam reperies palæſtram, ſed præcipua, quod infirmus ob peccata, releuari à peccatis non valet, niſi ſegregatus fuerit à peccatoribus. Pſal: 7. *Cum malo malus eris & cum peruerſo peruerteris.* Vndè Hieronym: ſeorſum ſemper à turbulentis cogitationibus & actibus inordinatis ſermonibusq; incompoſitis educitur, qui ſanari meretur. In Hiſtoria Græcorum dicitur. Græci cùm aduerſus copias Xerxis dimicaturi eſſent juramento tali ſeſe obſtrinxerant. Vitam libertate pluris non faciam, neq; deſeram Imperatores neq; viuos, neq; mortuos, ſed eos è ſocijs qui in prœlio occubuerint ſepeliam & vbi barbaros deuicero, ex eis ciuitatibus quæ pro Græcia pugnauerint, nullam deuaſtabo; quæ autem barbari partes maluerunt ſequi decimabo. Fanorum quæ à barbaris incenſa & diruta ſunt, nullum omninò excitabo, ſed ſinam, impietatis barbaricæ extet in omni poſteritate monumentum. Admodum hujus conſpirationis & obligationis, faciunt conſpirationem contra animam, mundus caro & diabolus, quod ſecum erunt contra ipſam vt victores recedant. Quocirca oportet vt ſit per gratiam ſegregata Deo ab ipſis, & ſeipſa ipſam ſegreget à conſortio ipſorum. Greg: 30. Moraliũ Non prodeſt ſolitudo corporis ſi deeſt ſolitudo mentis. De conſpiratione horum aperit S. Gregorius. Quantò populus ad libertatem accedit, tantò ampliùs paremus inſidias. Aliquando ſimulemus nos victos, & cum ſe putabit homo ſecurum, ſubitò illum inuadamus; & ſi hominem exeuntem de peccato retinere non poſſumus, nihilominùs tempus inuadendi proſpiciamus. Ita diabolus crudeliſſimus hominum Tyrannus conſpirando, nunquam cupidam tyrannidem ſuam replere poteſt. Vnicum medium euadendi propoſuit nobis Chriſtus, vt ab eis nos ſegregemus, quia ipſe Chriſtus nos cupit ſegregare ab eis, ſicut ſegregauit hunc ſurdum & mutum. In libris Moyſi idem etiam legimus, quod filij Iſraël habitabant ſine gentibus, tam in terra Geſſen quàm in deſerto & in terra promiſſionis. Et cum ſic habitabant, Deus erat ſemper cum eis. Quando verò commixti ſunt inter gentes, & didicerunt opera illorum Deus elongatus eſt ab eis & captiui ducti ſunt ab hoſtibus ſuis. D. Gregor: ſi tentationi

in corde

in corde naſcenti feſtinè non reſiſtitur, eadem qua nutritur hora, roboratur foris: in operibus vix vinci præualet, quia ipſam intus membrorum Dominam mentem, captiuam tenet. Eſt igitur ſolitudo neceſſaria & ſeparatio à turba vtilis pro ſalute animæ, ſolitudo ſcilicet corporis & ſolitudo mentis, ita enim fugiendo & ſeparando nos a mundo carne & dæmonio ſanitatem animæ recipimus. Addere tamen liceat huic ſeparationi & intercesſionem B. V. Mariæ. Ita enim docet B. Laurent: Iuſtinian: Protopatriarcha Venetus. Deum veneremur in matre & matrem honoremus in filio. Vtriq; vota noſtra fideliter exoluamus, quatenus filium genitrice interpellante pro nobis vincamus, mundum, carnem, diabolum ſuperemus, atq; in regnum introemus æternum.

Pro 2. Nempè digitis Domini. Nota. Nimis ſalutarem doctrinam in digitis immiſſis in auriculas, oſtendit nobis Dominus. Vndè aliqui naturam humanam veram, alij diuinitatem veram ex tanta potentia factis eliciebant, ſed B. Alb: Mag: judicij judiciſq; memoriam, & aſſimilatione digitorum inæqualium, ad ſententiam ferendam ab eo, deduxit. Laudauit oſtenditq; non modicam magnanimitatem Themiſtoclis dum ad hac puer eſſet Ælianus lib: 3. cap. 21. Redibat (inquit) è ludo litterario, & cum ei obuius eſſet tyrannus Piſiſtrates, juſſit pædagogus vt de via decederet. Cui ille.

Digiti Dei in aures peccatoris immitantur.

Nunquid hæc via non ei ſufficit? Refulſit quid ingenuum & magnificum in hoc dicto & hac ætate in Themiſtocle. Quametſi comparatio humilis, attamen in ho• opere ſuo Chriſtus, quod digitos in ſurdi auriculas immiſerit, & ita ſanitati reſtituerit hominem, ingenuum quid pro nobis magnificum & ſummè ſalutare hominibus, docuit, monuit, repræſentarit. Ait B. Alb: Mag: Neceſſariù docuit peccatori vt digiti Dei in aures ejus mittantur. Et qui ſunt iſti digiti Dei qui mittendi in aures peccatoris? Deus noſter & Saluator Iesvs Christvs jam ſedet ad dexteram Patris nec in corpore deſcendet niſi ad conſummandù mundum, qui ergo digiti erunt ejus vt mittantur in auriculas peccatoris? D. Hieronimus Digiti qui in aures mittuntur, ſunt verba, vel dona Spiritus-Sancti. Spiritus enim Sanctus digitus Dei eſt B. Albertus Mag: digitos expoſuit judicium Dei. Neceſſe habes, ô peccator vt hos digitos in aures cordis tui Deus immittat, vt quaſi jam ſuo tribunali aſſiſtas, contra te ſententiam æternæ damnationis proferendam pertimeſcas, & dimitti peccata depoſcas. Matth: 25. *Proijcite eum in tenebras exteriores.* Elicit indè Chryſoſtomus doctrinam ſalutarem, ſi homo ſe cum ſua cogitatione demiſerit in judicium Dei & infernum. Dicit ille. In inferno erit frigus intollerabile, fœtor importabilis, tenebræ palpabiles, flagella cædentium, horrenda viſio dæmonum confu-

confuſio peccatorum, deſertio omnium bonorum, erit mors ſine morte, defectus ſine defectu: quia mors ſemper incipit ibi, & defectus neſcit deficere. Cogitando igitur hæc diſpone immittere in auriculam digitos juſtitiæ diuinæ, & audies ac ſenties ſanitatem animæ. Addamus etiam digitos Chriſti immittendos in aures animæ ex crucifixi meditatione. Qui enim imaginem crucifixi deuote ruminauerit, ſciet applicare digitos ipſius in ſuas auriculas, nam talis ſecreta meditatio format in mente & corde ſimilitudinem crucifixi. Ibi oculis mentis applicantur oculi Chriſti, vulneribus animæ accomodantur vulnera Chriſti, manus operibus, pedes greſſibus apponuntur. De F. Conſaluo Ordinis Prædic: legitur, quod cum baptiſaretur ita vehementer in imaginem crucifixi oculos intendit contemplationis dulcedinem quandam preſeferens vt omnes in ſtuporem conuerterit. Qualis igitur erat ille in progreſſu vitæ contemplator paſſionis Chriſti, ſi initio vitæ ſpiritualis, hunc progreſſum meditationis inchoauit? Quàm medicinam ille in crucifixo adinuenit, ſi tantum medicamentum ab originali peccato in crucifixo conſpexit. B: Iſidorus de ſum: bono lib: 1. cap: 14. Multum ex ſua natura poſſidet ſplendorem anima ſed fuſcatur commixtione carnis qua detinetur incluſa. Ex ejus enim parte vertitur ad peccandi infirmitatem. Salomone dicente.

Digiti Chriſti ex meditatione ipſius Crucifix.

Sap: 9. *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam & deprimit terrena habitatio ſenſum multa cogitantem.* Proficuum igitur erit, vt reſpiciat ad corpus IESV CHRISTI pro homine affixum in cruce, ita enim maculata caro, accipiet pulchritudinem ex carne IESV CHRISTI.

Pro 3. Nempè ſputo IESV. Nota. Docet B: Alb: Mag: quod non modo expuerit IESVS ſed ſputo ſuo tetigerit linguam infirmi ſeu muti. Textus Euangelij ſolùm dicit expuens, & non addit, an in terram vel in digitos expuerit, vt ſaliua ſua tangeret ipſũ. At quod ſaliua ſeu ſputo tetigerit linguam ejus. Theophilactus oſtendit dicendo, ſanctum ſputum Chriſti. Et Hier: diuinam ſapientiam ſignificaſſe. Sed quia ſputo tetigiſſe linguam dicit Euangeliſta & non ſaliua, ſignũ eſt, quod eo quod expuerat tetigerit linguam ejus. Sicut enim quæ nimium ligata ſunt & conſtricta, vt facilius diſſoluantur madida facimus, ita valide ſtrictam linguam ipſius à demonio, ſputo liniuit Dominus, vt à ſputo & tactu ipſius diſſoluantur ligaturæ. Hinc Beda. Lingua, vt loqui poſſet, à retinaculis ſuæ tarditatis erat ſoluenda. Sputum igitur & digitos ad linguam appoſuit, vt potentia ſua & ſapientia diuina aperta lingua, (iſta enim ſoluit vincula labiorum generis humani dicit D: Hier:) laudem daret Deo. *Benè omnia fecit & ſurdos fecit audire & mutos loqui.* Sapienter diſtinxit Theophilactus ſputum noſtrum à ſputo

Chriſti ſputo tetigit linguam muti.

Chriſti, noſtrum ſputum ſuperfluitas eſt, ſed hoc ſputum Chriſti quo reſtituit loquelam muto, res diuina fuit. Talis enim diſtinctio etiam in illa ſanacta hemoroiſſa apparet. Nam tactus veſtium hominum ſimplex tactus veſtis eſt, ſed tactus veſtis Chriſti eſt ſanctus & diuinus, defluebat enim quædam virtus in veſtem ejus, vndè dum mulier tetigit fimbriã ejus, dixit. *Quis me tetigit! Virtus enim exibat in veſtem ejus*, & ſanauit tactu veſtis infirmam. Neq; mirandum quod hoc ſpeciale eſt de ſputo & veſtè Chriſti, nam inquit B: Iſidor: lib: 1. cap: 10. Aliud eſt aliquid fieri poſſe, aliud fieri neceſſe eſt. Fieri neceſſe eſt. Fieri neceſſe eſt, quod Deus naturis inſeruit. Fieri poſſe eſt, quod extra curſum inditum naturarum creator vt faceret quando voluerit, ſibi reſeruauit. Sputum ergò hominum eſt ſuperfluitas, ſputum verò Chriſti non ſemper ſuperfluitas, ſed ſanctitas diuina ſapientia & virtus. Nam & inter tot virgas in arca Domini poſitas, ſola virga Aaronis floruit, fronduit, fructum dedit. Hoc igitur ſputo Chriſti neceſſe eſt vt tangatur lingua peccatoris, lingua (inquam) animæ. Vt ſcilicet prægustet & præſentiat vilitatem maximam quæ damnatos peccatores premit in inferno: Expuit enim IESVS vilitatem damnationis æternæ deſignando, inquit B: Alb: Mag: Dulcis Deus, amarus diabolus, Lux eſt Deus, tenebræ ſunt diabolus, gaudium perenne Deus, labor, dolor, fletus diabolus. Vita & ſalus Deus. Mors & interitus diabolus, Æternus & ſine fine Deus, æternus & ſine fine diabolus, at æternitas cum Deo fælicitas & beatitudo noſtra, æternitas cum diabolo condemnatio & maledictio noſtra. Prægustemus igitur meditatione noſtra & præſentiamus peccatorum damnationem amariſſimam, & aſpiremus vita & oratione ad dulcedinem cœleſtem amæniſſimam. Habet Auctuarium ad Molanum de B: Ioan: Canonico regulari S: Aug: Hìc in tantum ſeſe demiſerat in mundo vt cogitatione maneret nunc in inferno nunc in paſſione Chriſti, nunc in cœlo. Et tota vita ejus talis meditatio erat. Vndè aliquando fertur ad eum dixiſſe Chriſtum. Tu es Filius meus dilectus in quo mihi benè complacui, & amplexus eum ait matri & choris aſtantibus Ecce puer meus electus. Quis inde non argumentabitur, digitos Chriſti tetigiſſe aures ejus, tetigiſſe linguam ejus! Imo dicam tetigit oculos, manus, lumbos & pedes animæ ejus, ſi amplexatus eſt eum & puerum ſuum ac filium nominauit & ſuſcepit.

Sputũ Chriſti eſt ſanctitas & ſapientia.

B: Ioannem Canonico Regul: alloquitur Chriſtus.

Pro 4. Nempè, in cœlum aſpectu & ingemitu. Nota. Peccatori ſua videnti peccata, hoc neceſſarium & in ſumme eſt, reſpicere cœlum, & ingemiſcere ad peccata quibus Deum offendit. Beda. Suſpexit in cœlum, vt indè mutis loquelam, indè auditum ſurdis, indè cunctis infirmantibus medelam doceret eſſe quærendam. At præ-

Peccator videndo peccata ſua cœlum aſpiciat.

At præcipuè peccator, qui videt quod in cœlum aſpicere oculis corporeis dignus non fuit, vt confundendo ſemetipſum, oculis mentis aſpiciat cum illo publicano orante in Eccleſia cœlum, docuit ipſum Dominus, Superat namq; miſericordia Dei omnes miſerationes hominum, quocirca mente aſpicienti peccatori cœlum, ſemouet illicò ſagittas & fulgura cœli, vt ſi poſt voluerit oculis corporis aſpicere cœlum, non ipſum feriant, ſed adjuuent; non furorem exerceant, ſed amænitate ſuſcipiant. De Northmandiæ Duce Guilhelmo, qui Angliæ Regnum profligato Eraldo ſubegerat fertur. Vidit militem ſuum, cadaueri Eraldi ictus aliquot infligentem, & ſtatim exautoratum cum ignominia caſtris ejecit, dictitans. Tam turpe eſt hoſti mortuo inſultare, quàm turpe eſt viuo tergum obuertere. Iuſtior & miſericordior eſt Deus. Licet homo non ſit dignus miſericordia, ſed factis, dictis, cogitatibus vlterioribus accelerat juſtitiam, ille tam longanimis & patiẽs eſt, vt è ſinu ſuo non bellum ſed pacem aperiat. Vix de receſſu à peccato, illo met ſtimulante, homo recedit, & jam proſequitur ſuam gratiam vt afferatur illi ſtolla candida ceu filio dilecto, ſed prodigo, inhoneſto & lapſo. D. Aug: ſuper Ioannem. Nullus nobis contra fidem quàm tenemus & anunciamus de judice Chriſto ſcrupulus dubitationis remaneat in corde, venit Chriſtus primò ſaluare poſtea judicare, eos judicando in pœna qui ſaluari noluerint; eos perducendo ad vitam, qui ſalutem non reſpuerunt.

Ingenuit verò Chriſtus inquit V. Beda. Non quia Chriſto opus eſſet cum gemitu aliquid petere à Patre qui cuncta petentibus donat cum patre, ſed vt nobis gemendi daret exempla, cum vel pro noſtri, vel pro noſtrorum erroribus proximorum, ſupernæ pietatis præſidia inuocamus. Et quoniam lingua diu bruta fuit muti ad verba ſapientia proferenda, contactu ſuæ pietatis ora informat, addit Liranus. Ingemendum igitur eſt nobis peccatoribus pro iniquitatibus noſtris ad Deum, ſi Chriſtus ingemuit noſtram cauſam ſuſcipiens in ſeipſo, & naturæ miſertus humanæ miſeriã videns inquam inciderat. Eccl: 18. *Miſeratio hominis circa proximum, miſericordia autem Dei, ſuper omnem carnem.* Vniuerſalis pater miſericordiarum eſt Deus, qui cum paſcit coruum nec obliuiſcitur ejus cum eſt oblitus à genitoribus, minus obliuiſcetur hominis quem ad ſuam imaginem creare voluit. Sit peccator maximus, expectat pœnitentiã: Sit ſummè ſceleſtus, adhuc patiens eſt; quia miſericordia ejus ſuperat omnes miſerationes, & non aliud deſiderat, niſi vt peccator cognoſcat, quod ſatis ſuperq; Deus ipſum expectauerit. Vndè B. Iſid: de ſummo bono lib: 2 cap: 19. Nunc iram Dei dum viui ſumus vitare poſſumus, Timeamus ergo, ne veniente illo

Peccator ingemiſcat exemplo Chriſti.

illo terrore judicij, ſentiri poſſit, dum vitari non poſſit. De F: Franciſco Dominicano Ioan: Nider: refert. Duodecim continuis annis librum Salomonis explicando, laudes Diuæ Virginis Mariæ nunquam tacuit, ſed ſæpius repetebat dicens. Primi & puriſſimi fructus ejus. Ita Dei miſericordiam in peccatores explicando, dicere poſſumus. Primi & veriſſimi fructus Dei noſtri. *MISERICORDIA.*

DOMINICA X. POST TRINITATIS.

Homo quidam deſcendebat ab Ieruſalem in Iericho qui incidit in latrones, *Luc: 10.*

QVID PER HOMINEM ILLVM QVI AB HIERVSALEM DESCENDIT INTELLIGITVR.

INtelligitur, quilibet homo Chriſti ſanguine redemptus ac baptiſmi lauacro regeneratus. Ad hoc enim nos ſuo cruore redemit, & propter hoc ſumus regenerati, vt efficiamur conciues Sanctorum & domeſtici Dei in Ieruſalem quæ eſt ſuper nos videlicet in Eccleſia triũphante ſicut ad Epheſ: 2. de Chriſtianis ſpe in cœleſti Ieruſalem commorantibus dicitur. *Iam non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed eſtis ciues Sanctorum & domeſtici Dei, &c.*

ANNOTATIO.

HOmo, juxta naturam eſt Adam & omnis alius homo, juxta perſonam peccator eſt. In hac igitur aſſimilatione ſumpſit B: Alb: Mag: hominem juxta perſonam, & dixit. Homo iſte ſignificat peccatorem. Sed & ipſe deſcenſus ab Ieruſalem in Iericho, demonſtrat à bono ad vitium deſcenſum peccatoris, diuerſum deſcenſum & gradum ad peccatum declarauit B: Iſid: lib: 2. cap: 21. Quidam & diligunt peccatum & faciunt, quidam diligunt tantum & non faciunt, quidam faciunt & non diligunt, quidam non faciunt & juſtitiam odiunt. Grauius autem peccat qui non ſolùm peccatum diligit ſed & facit, quàm qui non facit & diligit; grauiusq; interdum qui diligit & non facit, quàm qui facit & odit. Grauiſſimum eſt, non ſolùm facere, ſed etiam diligere. Vndè qualiter deſcendit aliquis ab Ieruſalem ad Iericho, taliter & peccat grauius vel grauiſſimè. Bellatores fortunati & ſtrenui, non ſolent hoſtem etiam minimum contemnere, at ſi ſunt in prœlio actuali, tunc ad fortitudinẽ illo-

Deſcenſus peccatorum ab Ieruſalem in Iericho

illorum ſpectat, hoſtem in prœlio contemnere. Sic enim ardor ſpiritus bellandi efficit, vt hoſtes parui ſternantur, magni deijciantur, ſic cerui vincunt duce leone, & leones ſuccumbunt duce ceruo. Deſcendebat inquit. Deſcendit namq; peccator in peccatum, à gratia Dei ad diaboli captiuitatem, à dignitate naturæ ad deformitatem vitæ, à cuſtodia Angelorũ ad cuſtodiã diaboli. Iſa: 52. *In Ægyptum deſcendit populus meus vt colonus eſſet ibi.* Deſcendebat vt lapis grauitate. Pſal: 4. *Filij hominum vſquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatẽ & quæritis mendaciũ.* Qui grauat cor ſuum per peccatũ, ſemper ille tendit deorsũ ceu plumbũ, quod ſurſum, nunquã emergit, Alligatur enim peccatũ peccato, & ita multoties grauatus ſubmergitur. Zachariæ 5. *Iniquitas ſedet ſuper talentum plumbi.* Quaſi diceret, aliter peccatum ſellam & ſtatum habere non poteſt, niſi habeat tantam grauedinem quàm habet talentum plumbi, & ita vbi jam ſederit iniquitas, deſcenſus erit peccatoris vſq; ad centrum inferni. B. Iſidorus de ſummo bono lib: 2. cap: 23. Peccatum admittere, cadere eſt in puteum, conſuetudinem verò peccandi facere, os putei eſt coanguſtare, ne is qui cecidit valeat exire. Sed interdum etiam tales Deus liberat, dum eorum deſperationem ad conuerſionem libertatis commutat. Ipſo enim miſerante, peccata dimittuntur, quo protegente fit ne deterius peccando eatur. Dicitur Gen: 1. *Terra erat inanis, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.* Duplex malum, inanitas & tenebræ. Quid igitur factum eſt ſuper his? *Dixit Deus Fiat lux*, & ſtatim terra germinauit herbam virentem. Ita fit cum homine peccatore, vbi gratia Dei acceſſerit, & homo voluntatem ſuam à peccatis reduxerit, dignos fructus pœnitentiæ faciet, & fructus in æternitate beata proferet. Inter miracula B: V: M: à Monteſerato refertur. Nauigantibus Majoricam procella inſperata malum fregit, temonem, anchoras abſtulit, puppim diſrupit. Populus poſt dies tres & noctes cum ad vltimum periculum peruenit, facta confeſſione publica peccatorum, proſtrati in faciem magnis vocibus opem Dei & B: V: Mariæ implorabant. Mira res. Dum in eo toti ſunt, en cæleſte lumen deorſum è cœlo angulum nauis occupauit, & tam diu perſtitit donec tempeſtate ſedata portum ſani & incolumes tenerent.

Quid per Ieruſalem & Iericho à qua deſcendit exprimuntur.

PEr Ieruſalem patria cœleſtis exprimitur, quæ ad ſimilitudinem ciuitatis ex viuis & electis lapidibus conſtruitur in cœlo, de qua dicitur in Pſal: 121. *Stantes erant pedes noſtri in atrijs tuis Ieruſalem.* Ieruſalem quæ ædificatur vt ciuitas. Igitur in ſuperna Ieruſalem, id eſt, in Regno Dei, vbi eſt vera pacis viſio, pedes affectuum noſtro-

noſtrorum & deſideriorum jugiter ſtare deberent, & modo deberemus in ea habitare per ſpem, vt poſtea ad eam pertingere per rem mereremur.

Sed heu multi ab iſta Ieruſalem deſcendunt in Iericho, id eſt, delectantur in tranſitoria voluptate præſentis ſæculi. Iericho quippè luna interpretatur, & certè luna defectum patitur, & maculam habet. Vndè per Iericho mundus iſte figuratur, qui licet ſe ſtabilem eſſe mentiatur, & clarum; Veriſſimè tamen inſtabilis eſt, & maculis plenus. Vndè qui mundo innititur, neceſſe eſt, vt labatur & maculetur. Qui enim labenti & polluenti innititur, ineuitabile eſt quin cum labente labatur, & polluente polluatur.

ANNOTATIONES.

A bono incommutabili ad bonum commutabile deſcenſus dicitur peccatum mortale, quaſi innueret tali dicto, ab Ieruſalem ſeu viſione pacis, ad Iericho hoc eſt ad defectuoſam & maculatam regionem, deſcenſum. Et quia ſtatus perigrinorum in hac vita tangitur per has ciuitates, per Ieruſalem non viſio illa æterna in cœlis hìc intelligitur, ab illa enim nullus hominum qui eam poſſidet excluditur, ſed viſio pacis, debita hìc viatoribus per fidem & gratiam, per quam in illa beatitudine æterna habitare debet homo, intelligenda eſt. Ab hâc enim per peccatum deſcendit peccator & tendit ad Iericho mundum inquinatum ſcilicet. De quo Prou: 24. *Iuſtitia eleuat gentem, miſeros autem facit populos peccatum.* Iuſtitia viatoris, eſt fides, ſpes, charitas, per iſta enim eleuatur homo ad beatitudinem cæleſtem poſt hanc vitam conſequendam, ſed per receſſum ad peccatum, miſeriam ſibi generant. D: Greg: lib: 2. Moral: In caſſum bonum agitur, ſi ante vitæ terminum deſeratur: quia fruſtra velociter currit, qui priuſquam ad metas peruenerit deficit. Veniet ad nos diuinus amor, conſumato agone noſtro & nos coronabit corona victoriæ quàm Deus ipſe benè certantibus promiſit. Summopere verò conſiderandum eſt, quod in ipſo deſcenſu ab Ieruſalem ad Iericho inciderit hìc in latrones & tantum periculum ſubijt vitæ, quanta igitur pericula manent eum, qui jam non intentione vadit in peccatum vel cogitatione, ſed attingit Iericho, hoc eſt mundanas delicias atque in ipſis obuerſatur? Refert Ælianus lib: 9. cap: 21. Theramenes Dux Athenienſium, cum in quadam domo verſatus inde prodijſſet, illa ſubitò lapſu corruit. Et cum Athenienſes alij aliunde ad eum confluerent & inopinatæ ſaluti congratularentur, ille præter omnium opinionem reſpondit. O Iupiter cui nam me tempori reſeruas? Nec multo poſt à triginta tyrannis de medio ſublatus eſt. Ita peccator, ſi recedendo à rectò & bono ad vitia declinat, & in ipſo initio jam multoties læſus

Peccator per peccatum deſcendens ab Ieruſalem incidit in latrones

læſus & ſpoliatus vix vitæ ſpiraculum obtinet, quanta illum poſt manent mala cum in peccatis permanſerit maioribus? Dicere poteſt ſic afflictus. O Luciper, cui me tempori malorum reſeruas? Nullo enim placatur obſequio diabolus, ſed perditam animam, æternis inuoluendam pœnis, ſemper torquere anhælat. Si igitur aliqua cogitatio & ſtimuli carnis obrepſerint, vel aliquod malum animæ hominem perturbauerit, nouerit vel proceſſiſſe à carne infeſta vel à diabolo, vndè cautus oporter maneat. Sic enim B: Iſid: cap: 39. lib: 2. admonet. Stimuli carnis qui in Paulo excitante Angelo Sathanæ inerant, ex lege peccati erant, qui in membris hominum de neceſſitate libidinis habitant. Quam reluctantté, dum in ſe expugnat perficitur virtus, & de infirmitate libidinoſæ titillationis, virtutem ſuſcipit glorioſi certaminis. Nunquam felix fuit diſſenſio minoris cum maiore, at ſubditis ſemper infœlicitas manet? Quid ſi cum Deo pacem non habemus. S. Antonin: part: 2. Tit: 17 lib. 27 refert. Inter Regem Arragoniæ & Comitem S: Ægidij capitales inimicitiæ erant, quod cum plurimos malis afficiebat, orabat populus Deum pro reconciliatione ipſorum. Quod cum homines facere non poterant, oſtendit ſe Deus cuidam carpentario, & dedit illi chartulã in qua erat imago B. Virg: Filium tenentis, & rotunditas eius circumſcripta erat. *Agnus Dei qui tollis peccata mundi Dona nobis pacem.* Vocatus ad Epiſcopum Carpentarius de pace inter regem & Comitem expoſuit. Et ita non ſine lachrymis pacem cœlitus imperatam ſe ſeruaturos jurant pacis obſidem imaginem B: V: M: aſſummunt, & pectori applicatam pro ſymbolo pacis circumgeſtare cœperant. Hanc pacem inter hominem & Deum nos peccatores expoſtulemus à Deo, ille enim eſt qui tollit peccata, ille qui dat pacem eſt. Circumferamus adjutorium. B: V: Mariam, vt ipſius interceſſione gratiam hãc promereri mereamur.

Quid per latrones ſignificatur.

Significantur dæmones. Ipſi quippe jacent in inſidias in via Ierichontina, vt interficiant animas, Chriſtianorum; vndè Legitur in 4. Reg: 25. quod exercitus Chaldæorum Sedechiam Regem Ieruſalem comprehendit in planicie Iericho, cujus Filios Rex Babylonis occidit, & oculos ejus effodit, vinxitq; eum in catenis, & duxit in Babylonem. Sedechias interpretatur juſtitia Domini, & certè quilibet chriſtianus ad hoc vocatus eſt, vt fiat Rex in Ieruſalem, & cum homo de Sancta Ieruſalem vadit in voluptates hujus mundi, comprehendit eum exercitus Chaldæorum, id eſt, turba dæmonum, & ſic filij ejus, id eſt, bona opera ejus, quæ fecerat occiduntur, *Latrones in quos incidit peccator dæmones.*

oculi

oculi animæ ſuæ per Dei obliuionem eruuntur: & poſtremò multis peccatorum catenis vinctus ducitur in Babylonem, id eſt, in confuſionem gehennæ ſempiternæ. Babylon quippè confuſio interpretatur. Quod autem dæmones ſint latrones, teſtatur Iob: 19. qui ita dicit in perſona peccatoris: *Simul venerunt latrones ejus, & fecerunt ſibi viam, per me obſederunt in gyro tabernaculum meum.*

Iſti latrones ſpoliāt hominem virtutibus.

Et Nota, quod iſti latrones tria mala faciunt. Primò enim ſpoliant hominem nobilibus virtutum indumentis, de quibus dicit, Pſal: 44. *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate.* Veſtitus deauratus, in quo regina, id eſt, anima, aſſiſtit à dextris æterni Regis, eſt nobilis charitas, quæ ſplendidam reddit animam, etiam aliarum virtutum varietate circumdatam, vtpotè caſtitatis, humilitatis, manſuetudinis, pietatis, æquitatis, & veritatis: & ſic de alijs virtutibus.

Vulnerant peccatis.

Secundò dæmones homines vulnerant criminibus & peccatis. Peccata namque plagæ & vulnera ſunt animæ, de quibus Iob 16. loquitur in perſona peccatoris. *Circumdedit me lanceis ſuis, & conuulnerauit lumbos meos, nec pepercit, & effudit in terram viſcera mea, concidit me vulnere ſuper vulnus.* Hoc dicit de diabolo.

Et Nota, quod dæmones per ſuperbiam & jactantiam capiti lethale vulnus infligant. In capite enim eſt principalis oſtentatio ſuperbiæ, ſicut dicit Gregor: Per auaritiam verò brachia mortali plaga vulnerant & transfigunt. Auarorum quippè manus & brachia ad accipiendum ſunt porrecta. Per iram verò pectus & cor transfigiunt, quia iracundi ſemper habent cor & pectus turbulentum. Porrò per inuidiam ipſas medullas oſſium vulnerant & diſturbant. Putredo enim oſſium eſt inuidia, ſicut dicitur Prou: 13. Per gulam verò venter & viſcera mortaliter vulnerantur. Guloſi quippè ad hoc inhiant ſolùm, vt ventrem & viſcera cibis & potibus repleant. Per luxuriam lumbi, & fœmora mortali vulnere transfiguntur. Luxurioſi namq; ad hoc ſummo ſtudio laborant, vt expleant libidinem fœmorum & lumborum. Poſtremo coxæ & tibiæ per acediam vulnerantur. Acedioſi quippè pigri ſunt, & ſegnes coxas & tibias mouere ad obſequium Dei.

Iſ ſum inflicto vulnere abeunt ſemiuiuo relicto.

Tertiò dæmones vulneribus tam diuerſimodè inflictis abeunt, peccatore ſemiuiuo relicto. Per hoc, quod dæmones abeunt intelligitur, quod dant peccatori ſpem & præſumptionem longioris vitæ. Multi ſiquidem peccatores per quandam animæ ſineresim non ſentientes dolorem vulnerum ſuorum delectantur in peccatis ſuis, quaſi ſomniantes ſibi longam vitam; non timent æterna ſupplicia, quæ à dæmonibus inferentur.

Quod autem legitur, quod reliquerunt hominem quem vulnerauerant ſemiuiuum: hoc ſignificat, quod miſer

miſer homo, poſtquam ſe dæmonibus ſubiecit per conſenſum & peccati actum, ſtatim anima eius morte ſpirituali trucidatur, & nihil in eo viuum relinquitur, niſi corpus tantum. Homo quippè ex anima conſtat & corpore. Anima verò per peccata mortificata, corpori tãtum ſecundum animalitatem vita relinquitur.

ANNOTATIONES.

Latro ſignificet dæmonem.

QVod latrones ſignificant dæmones aperte D. Ambr: lib: 7. in Luc. Chryſoſt: & D. Aug: docent. D. Ambr: dicit. *Qui ſunt iſti latrones niſi Angeli noctis & tenebrarum.* Et addit rationem cur inciderit in eos dicens. In quos non incidiſſet, niſi eis, mandati cæleſtis deuius ſe feciſſet obnoxium. Chryſoſtomus verò eundem aſtruit latronem qui in paradiſo parentes ſpoliauit. Dicit enim. In exordio mundi nocendi fallaciam diabolus eſt operatus in hominem, in quem fallendi virus exercuit & malitiæ nocentiam dedicauit. Quaſi innueret: Quod latrocinium ante perfecerat latro, idem latro exercuit in Ierichontina planicie, latrocinium. Aug: verò contra Pelagium lib: 3. dicit: Incidit in latrones, id eſt in diabolum & Angelos eius, qui per inobedientiam primi hominis humanum genus deſpoliauerunt, vulnerauerunt, plagis affecerunt. Tantum latronem inſidiantem homini nedum lupo, vrſo, leoni aſſimilare licet ſed omnibus brutis ſeueriſſimis, nam eo inſidiatur animo in homines vt ſi poſſibile eſſet vnâ horâ vellet omnes ſeducere & trucidare. Ille ante ſe ponit veſperas ſiculas, qui vna hora in ſicilia tot millia hominum trucidarunt, poſuit mare rubrum ante ſe quo erant Pharaonis phalanges ſubmerſi, & deſiderat imò conſtruit varia media modos & inſidias vt nullus hominum fidelium habitantium mente in cæleſti Ieruſalem euadat in ſempiterna gaudia. Bernardus ſuper Cant: ſerm: 18. Inuidet diabolus humano generi volens illud habere ſubiectum, quia præuidit hominem Deum futurum. Refert Ælinus lib: 10. cap: 3. Per dicum pulli ſimul ac pedes excreuerũt de impedimento & tegumento, velociſſimi ſunt ad currendum, Anatum pulli, ſtatim poſt partum natant. Leonum catuli, matrum vterum ſtimulant vnguibus ad lucem feſtinantes. Ita profectò & diabolus ex quo eiectus eſt à delicijs æternis, ex quo priuatus lumine, vt ex lucifero luciper fieret, ex quo condemnatus in æternum ad carcerem ſubterraneum, ſubito factus eſt hoſtis hominis, qui ad locum amiſſum ab eis deſtinatus à Deo fuerat. Et tantus hoſtis factus eſt vt de illo D. Greg: 1. Reg: dixerit. Dæmonum manus euadere, magnum, imò maximum eſt. Vbiq; enim telæ, inſidiæ, doli, fraudes, nocumenta, obſtacula, pericula extendit & in hominem ſtruit. Carolus V. Imp: cum Nea-

Latro dæmoni aſſimilatur.

Seueriſſimus brutis.

Cur homini inuidet diab:

Hoſtis magnus dæmon.

cum Neapolim ob eſſam poſſedit, diſtributi ſunt agri, domus, areæ militibus Hiſpanis, Qui cum inſolenter & cum reprehenſione abuterentur bonis Auguſtino Nipho Philoſopho porrectum fuit in chartâ quod prædia ipſius annihilata fuiſſent. Cum verò Philoſophus eo tempore ad Imperatorem vocatus fuiſſet, & cum illo multa ad veram ſapientiam ſpectantia collocutus fuiſſet, tandem perquiſiuit ab eo. Quæ vera in hac vita felicitas ſibi videretur? reſpondit: Procul à ſe ſuiſq; prædijs Hiſpanos habere milites, & obtulit literas ad ſe ſcriptas. Quibus lectis Imperator, iuſſit abducere milites à ſuis prædijs. Me hercule ſi hæc fuit fælicitas, non minor longè erit, ſi dæmonum manus à Chriſtianorum perſecutione eſſent auulſæ. Non tantum nocet homo quantum dæmon, qui inſidiatur nedum corpori ſed animæ, Domui, proli, ſucceſſibus & honeſto. Tyrannus poſſidens iniuſtè aliquam ciuitatem ſemper timet eam perdere, vndè ſtatim illos quos ſuſpicatur ſibi velle eripere occidit, trucidat Ita diabolus tyrannice poſſidens animam peccatori, cum non ſit ſua poſſeſſio ſed Dei templum, ideò vt videt ſanctos inſpirationes in anima ſtatim principales exterminat virtutes quas ſuſpicatur ſibi poſſe animam eripere & dare Chriſto, deſtruit recordationem Paſſionis & vanitates mundi ſuggerit. *Erectus eſt inimicus dicitur.* Thren: 1. Cur non dicit occidit, vulnerat inimicus, ſed dicit erectus eſt? An ideò quia proſtratus ceciderat, & ideò, erectus eſt. Non eſt facilis regreſſus diaboli ad cælum, imò impoſſibilis eſt. Sed erectus eſt inimicus contra hominem, vt ceu miles in hoſtem erectus ſemper eſt & ſemper vigil, truculentus & fortis. ita dæmon ſemper erigitur ſuâ voluntate in nos & erectus cupit nos tollere, ſed non permittit diuinâ gratiâ iuſtos, & miſericordiam ipſius tollere peccatores & dum tempus habet conuertantur. Greg: 4. Moral: *Diabolus non ceſſat primam quam tulit culpam augere.*

Militesinſolentes.

Vera fælicitas in vita eſſe ſine moleſtia.

Dæmō Tyrannus.

Erectus eſt inimicus dæmon.

De tribus malis quæ dæmones faciunt. Nota. Non tria ſed infinita mala cogitat peccatoribus dæmon: Inſidiatur vt rapiat, inquit Pſal: 9. Vnde non tria ſed infinita inducit mala, donec rapiat, rapiat verò ne dum in vitijs, blaſphemijs, maledictis, deſperationibus, ſed rapiat ad inferos, ſedem miſeriarum æternarum. *Vnde D. Iſidorus lib: 3. cap: 5. Tunc contra eum quem poſſidet diabolus acrius ſæuit, quando ſe virtute diuina ab eo expellendum cognoſcit.* Proinde immundus ſpiritus tunc diſcerpſit grauius puerum inquo habitabat, quando ad Chriſti imperium exire ab eo coactus eſt. Quod factum & ad Iob verba reſpicit vbi in nouiſſimis Vehemoth caudam ſuam quaſi cedrus aſtringit. Tria tamē enumerauit ſolùm mala B. Albert9 Magnus, quia huius hominis qui incidit

Mala plurima diabolus infert.

Spoliatio diaboli.

cidit in latrones, mala enumerauit. Primum ipſius malum, quia hominem ſpoliauit, non ſimplicibus veſtibus, ſed ſummè precioſis, excedentibus in valore Regum purpuras. Spoliârunt ipſum nobilibus virtutum indumentis, quas B. Albertus enumerauit, charitate, caſtitate, humilitate, pietate, &c. Cum Pharaonis conſors ſpoliare intendebat caſtum Ioſeph, nedum pallio, ſed omni ornatu, quis nuditatem & turpitudinem non conſiderabit, in corde mulieris! Maior ſpoliatio eſt facta per dæmonem hominis cum tantis virtutibus ſpoliauit ipſum. Hinc D. Iſidorus lib: 3. cap: 5. *Nunquam ceſſat diabolus aduerſus hominem iuſtum, aut enim tribulationes cordis illius exaggerat aut dolores corporis ſuſcitat.* Si hoc facit in iuſtorum malum, quanta faciet in pœnam peccatorum.

Diabolus mala iuſtis pœnas iniuſtis dabit.

D. Aug: contra Pelag: tractando dictum Euang: ait. Angeli diaboli per inobedientiam primi hominis humanum genus deſpoliauerũt morum ornamentis. Et in libro 2. de quæſt: Euang: queſt: 19. dicit, ſpoliauerunt hominem immortalitate. Ambro: lib: 7. in Luc. Spoliârunt indumentis gratiæ ſpiritualibus. Vide diaboli nequitiam, ſurripuit mores honeſtos, proceſſit ad ſpoliandam gratiam in via, deſcendit mox ad ſpoliandum hominem de immortalitate. Cogita igitur homo, nedum latronem latronum, ſed ſummam nuditatem tuam corporis & animæ, quam intendit tibi dæmon cogitauerim illum in curia Pharaonis Aman excellentem opinione, & gratia Regis, & mox contemplare illum ſuſpenſum in patibulo, contemptum blaſphematum, irriſum, ignominijs affectum, & deſcende cum tua cogitatione quæ manent peccatorem, dum iudex iubebit quod tortor deſiderabat, dæmones exhilareſcent, infernus anhelabit, animam peccatoris.

Aman q. ſuſtulit ferret peccator.

Ottho Imper: deſtinatus ad mortem Cocceium fratris filium ad ſe vocatum ſic adhortatus eſt. O fili habuiſſe te patruum ceſarem, nec prorſus obliuiſcaris, nec prorſus memineris. Vt autumor, non modicam rationem vtriuſq; dicti habuit Ottho. Sed peccatorem alloquor, vt ſemper meminerit nec quãdo obliuiſcatur ſe habuiſſe Deum creatorem & Redemptorem, ita enim fiet, quod & præcepta DEI, & merita Chriſti in valore habebit. Qui enim Dei memor fuerit & animam ſaluare non negliget.

Admonitio parẽtis ad filium.

Refert Ælianus de pictoribus vetuſtis, quod cum primitus ars pingendi velut in lacte & faſcijs verſaretur, adeò rudi & impolito ſtijlo depinxerunt animantia, vt adſcribere ad ea pictores neceſſe eſſet. Hoc eſt bos, illud equus, hoc arbor. Ita factus homo nudus per ſpoliationem diaboli, ita incognitus factus eſt vt non homo, ſed animal, quoddam ignotum videretur, At vbi redijt homo ad ſe & ad Deum per cogitationem & pœnitentiam, apparuit ſubitò, homi-

Pictores addebant hoc eſt bos, equus.

Homo peccator non cognoſcit qui ſit.

hominem non eſſe bouem vel aſinum aut arborem, ſed Dei ſimilitudinem. *Qui vigilauerit ad me, inueniet me.* Prouerbiorum 8.

Secundo vulnerant latrones ſeu dæmones hominem. Explicat vulnera B. Albertus Magnus crimina & peccata, per ſuperbiam vulnus lethale capiti infligit, per auaritiã brachia tranſſigit, per iram pectus & cor, per inuidiam medullas diſturbat, &c. D. Auguſt: contra Pelag: dicit: Vulnerauerunt eum, bono ſcilicet liberi arbitrij perdito. Quod nequitius & periculoſius vulnus eſt hominis, ſi non id quod vult facit, ſed quod non vult, ſi id deſideret quod non vult deſiderare. Ille profectò qui ſuum non habet liberum arbitrium talis eſt, vulnus habet inſanabile, cum ſanare liberum arbitrium ſuum non poteſt, Qualis quidem eſt qui peccato ſeſe obligauit & vitijs & Dæmoni; Chryſoſt: *Iſtius hominis miſerandus eſt caſus, qui inermis ac deſtitutus in latrones inciderit, quiq́; improuidus incautusq́; eam viam elegerit, qua euadere prædonum manus nequiuerit. Non enim poſſet inermis armatos, improuidus peſſimos, incautus nociuos effugere, cum malitia ſemper armata ſit dolis.* Crudelitate ſepta, munita fallacia, & ad nocendi ſæuitia præparata. Non eſt comparabilis hæc miſeria hominis, ſuperat enim omnem crudelitatem. Refert Val: Max: lib: 9. cap: 2. Barbari mactatarum pecudum inteſtinis & viſceribus egeſtis homines inſerebant vt tantummodò capitibus eminerent. Et vt pœne diutius ſufficiant cibo & potione infælicem ſpiritum prorogabant, donec intus putrefacti laniati ſint ab animalibus quæ tapidis in corporibus naſci ſolent. En quot cruciatus ſibimet ipſa mortalitas impulſu crudelitatis ex cogitauerat. At parua comparatio hæc ad crudelitatem diaboli, qui nedum oſſa conterit & medullas inficit ſed animã vulneratã vulneribus conſumit. Et ne què adiutorem noſtrum adhibeamus contra eiuſmodi tyrannum niſi Deum & B. V. Mariam Dei Matrem, ille qui non concedit diabolo tyranno nos affligere niſi in quantum poſſumus ferre nos inſtruit. Dicit enim Pſal: 117. *Dominus mihi adiutor, & ego deſpiciam omnes inimicos meos.* Hinc B. Iſidorus lib: 3. de ſum: bono cap: 5. ſæpè mentem iuſti varijs vexationum doloribus vis dæmonũ cruciat, vnde & interdum vſq; ad deſperationis anguſtiam coarctatur. Permanẽt autẽ in Dei amore animæ & ipſa talis anguſtia ad meritũ proficit. Nã ſiue in animo, ſiue in corpore per inſtinctum immundorũ ſpirituũ quælibet aduerſa iuſtus patiatur, ex Dei vtiq; permiſſu id patitur. Quod ſi hoc ipſum ad Dei gloriam humilis referat, & dicat quod pro corporis paſſione Iob 2. dixit. *Si bona ſuſcepimus de manu Domini, mala autem quare non ſuſtineamus.* Iſte qui ſic loquitur non ſeparatur à Deo ſed coniungitur quamlibet atroci anguſtia torqueatur. *Hæc ille.* Confugiendum

quoq;

Diaboli vulneratio

Tyrannus magna diaboli.

Dæmonum ſæuitia & vulneratio I. Petrus.

quoq; eſt ad B. V. genitricem Dei. Nam D. Hieron: in Coll: Patrum refert, quod pluries dæmones homines vulnerabant. Et in chronica Ord: S. Franciſci legitur. Quod Petrum Briete orantem ad altare B. V. M. tribus Noctibus dæmones immaniter cædebant, quem cum ſemiuiuum reliquiſſent, apparuit ei B. V. Maria & vulnera ſanauit magnoq; gaudio perfudit quod tam generoſe hoſtem viciſſet. Et Sanctũ Dominicum orantem lapidibus dæmon impetijt. Optime B. Iſidor⁹. *Multa iuſtus aduerſa in anima patitur inſtigatione dæmonum, ſed talibus tentamentis perire à vita æterna non poteſt.*

Semiuiuus homo quo dicitur.

Tertio ſemiuiuo peccatore relicto abeunt dæmones. Nota. Videtur quoddam leuamen quod non occiderint ſed ſemiuiuum reliquerint. Equidem leuamen eſt, at non prouenit ex aliqua commiſeratione dæmonum qui ex malitia ſine dubio non relinquerent viuum, ſed ex Dei gratia qui id non permittit dæmonibus. Vnde B. Albertus: ſolum relinquunt in eo viuum corpus, ſed animam trucidârunt. D. Aug: de quæſt: Euang: ſemiuiuum reliquerunt. Quia ex parte qua poteſt intelligere & cognoſcere Deum, viuus eſt homo: ex parte autem quia peccatis tabeſcit & premitur, mortuus eſt. At ne cui mirum quid videatur quod Dominus permittit ita torquere homines dæmonibus, non enim hoc vt quaſi immiſericors ſit Deus, ſed quia vel iuſtus, vel bonus. Iuſtus cum peccatorẽ punit in corpore, vt ſaluet in anima. Ita enim B. Iſid. lib: de ſum: bon: 3. cap: 5.

Cur dæmonibus dantur vexari homines.

Quidam ob incorrigibilem iniquitatem quia ſponte non corriguntur, immundis ſpiritibus venandi & vorandi traduntur, vt arripiendi eos dæmones corporaliter habeant poteſtatem, terroribusq; eorum afflicti humilientur, pœniteant & ſaluentur. Vnde Apoſt: 1. ad Corinth: 5. Tradere huiuſmodi hominem ſathanæ in interitum carnis vt ſpirit⁹ ſaluus ſit in die Domini. Quidam ergò ad emendationem dæmonibus deputantur, quidam verò deſpecti ad ſolam perditionem traduntur. Facit etiam hoc bonus Deus, vt magis coronetur in eiuſmodi tentationibus homo iuſtus, & manifeſtetur protectio diuina circa hominem: Quocirca Sanctus Antonius Anachoreta multis affectus plagis à dæmonibus, vidit ſtantem Dominum Iesvm, & dixit. Vbi fuiſti Domine, vbi cum maligni ſpirit⁹ veniebant, Et Dominus. Ego fui hic, & conſiderabam certamen tuum & victoriam. Ita & Iob. 2. afflictus & maxime plagatus dicebat. *Si bona ſuſcepimus à Domino, mala cur non ſuſtineamus?* Vel quod abierunt dæmones ſemiuiuo relicto, vt maiorem deſperationem aſſumat & timorem ne reuertantur iterum renouare vulnera ſed ſi aliquando ita fit, quod redeant dæmones grauiuſq; quam prius affligant, timendum magis eſt, quia ſi modo à peccatore recedunt, in horam mortis reuertentur contra peccatorem & etiam iuſtum hominem,

Certamen ſanctorum Deus reſpicit.

Abeūt dæmones vt cruciāt magis.

nem, incuſando. De Morico F. Ord: S. Franc: legitur. Videbatur ſibi in quadam viſione licet Sanctè vixiſſet quod fuerit damnatus, imò ſe damnatum clamabat. Excitati fratres, iubent in paſſione Chriſti & meritis B. V. M. confidere, & ille poſt inclamauit, nomen Ieſus cantando: Quæſitus de clamore, iudicium exactum Dei reſpondit. Apparuit B. V. Maria monens me vt in ſatisfactionem delictorum centies recitarem nomen Ieſu. Itaq; canebam nomen Ieſus. Quocirca receſſum conſiderando dæmonum V. Beda ait. Abierunt non ab inſidijs ceſſando, ſed inſidiarum fraudes occultando.

B. Moricus nomen IESV morien dedicit

Quid per Samaritanum qui circa eum motus eſt miſericordia ſignificatur?

Samaritano cuſtos interpretatur.

RESp: DEI Filius. Samaritanus quippè cuſtos interpretatur. Et certè DEI Filius cuſtodit filios gratiæ. Vnde Pſal: 120. *Non dormitabit neq; dormiet qui cuſtodit Iſraël.* Et verè neceſſarius eſt aduentus eius vt viſitet miſerum peccatorem & faciat illa quæ fecit Samaritanus, de quo agitur in præſenti Euangelio.

Samaritano octo bona fecit.

Ipſe enim illi ſautiato octo bona fecit. Primò quippè videns hominem vulneratum iacentem miſericordia motus eſt. Secundò appropinquabit. Tertiò vulneribus Sauciati vinum infudit. Quartò oleum affudit. Quintò plagas alligans alligauit. Sextò iumento ſuo impoſuit. Septimò in ſtabulum duxit, id eſt, hoſpitium. Octauò curam eius egit.

Igitur & nos quia peccatorū vulneribus ſauciati ſumus, rogare primò debemus Dei Filium Creatorem noſtrum vt circa nos miſericordia moueatur: ſi enim ipſe qui nos creauit, auerterit miſericordiam ſuam à nobis, quis miſerebitur noſtri? Secundò ſupplicare debemus, quatenus humanitatis ſuæ recordatione per compaſſionem nobis appropinquare dignetur; propinquus enim noſter factus eſt per humanitatis aſſumptionem. Tertiò rogandus eſt, vt vinum feruentiſſimæ contritionis vulneribus animarum noſtrarum infundat; ſine vera quippè contritione ſaluari non poſſumus.

Vinum eſt contritio

Quarto ſupplicandum eſt ei. Vt oleum internæ conſolationis Vino contritionis effundat. Alios enim nunquam læti verè eſſe poſſumus, niſi intrinſecus nos per ſpiritum paracletum conſoletur. Quintò libenter ſuſtinere debemus, vt alliget vulnera noſtra ligaminibus præceptorum ſuorum, & deuota ſatisfactione. Heu pauci ſunt qui hodie Diuinis præceptis plagas ſuas alligari permittant, omnes & maiores, & minores, ideſt, ſubditi & Prælati, Pauperes, & diuites rumpunt vincula præceptorum, ſicut dicit Dominus Ierem. 5.

Præcepta Domini, ſunt ligatura

Iumentum eſt Crux.

Sextò indigemus, vt iumento ſuo nos imponat. Iumentum Domini eſt Crux benedicta. Tunc autem iumento ſuo nos imponit, quando nos reminiſci facit & imitari amaritudinem paſſionis ſuæ. Proh dolor! multi refugiunt hoc iumentum. Pauci enim ſunt, qui Diuinæ Paſſionis amaritudines intueantur, & qui Domino in ſuis doloribus compatiantur. Cùm tamen dicat Apoſtolus: Quod ſi non compatimur & non conregnabimus.

Hoſpitium eſt Eccleſia.

Septimò neceſſarium nobis eſt, vt nos in ſtabulum, id eſt, in hoſpitium ſuum ducat. Hoſpitium verò Domini eſt Sancta Eccleſia: Tūc autem inducit nos in ſuum hoſpitium quando nos participes facit omnium bonorum & laborum, quæ fiunt in Sancta Eccleſia, per deuotionem electorum; vndè dicit Pſal: 11. *Participem me fac Deus omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua.*

Octauò neceſſe eſt nobis, vt quotidie curam noſtri habeat. Tunc curam noſtram agit, cùm facit nos proficere de bono opere in aliud bonum opus, & cum nos tranſire facit de virtute in virtutem. Curam etiam ſuam circa nos per hoc oſtendit quod nos ſtabularijs, id eſt, ſacerdotibus Eccleſiæ committit, qui nobis Eccleſiæ Sacramenta ad ſalutem corporis & animæ fideliter adminiſtrent. Rogate Ergò Dominum, vt ſic noſtram curam agat, quod omnes in die iudicij nos ſaluari contingat quod nobis, &c.

ANNOTATIONES.

Chriſtus eſt Samaritanus interpretatione nominis.

Non denegat ſe Samaritanum nomine, Filius Dei, non quidem conditione religionis, ſed interpretatione nominis, & miſericordiarum fontis. Vnde D. Aug: de verb: Dom: In hoc Samaritano ſe voluit intelligi Dominus noſter Iesvs Chriſtus. Samaritanus enim cuſtos interpretatur. Qui & ſi genere longinquus, ſed miſericordia proximus fuit & cuſtos infirmi. Et quia nec ſacerdos nec leuita & qui conuerſabātur in lege, legis propoſitum non implebant, venit Iesvs conſumaturus legis propoſitum. Addidit D. Ambroſius in Euangelio alteram rationem cur Ieſus Chriſtus Samaritanus dictus ſit. Samaritanus inquit erat deſcendens, quis enim eſt qui deſcendit de cælo niſi qui aſcendit in celum filius hominis qui eſt in celo? Talem cuſtodem adnotabat Filium Dei B. Alb: Magnus. Quocirca exagerando cōtra Iſrael ſuper Lucam dicit. Congruum nomen accepit Samaritanus, Nam ſui cuſtos & aliorum, nihil non cuſtoditum relinquit. Sui cuſtos eſt qui ſeipſum intra terminos humanæ pietatis & virtutis cuſtodit. Et qui hoc non facit, in canem, aſinum, vel in aliam beſtiam transformatur, perditur. Nam cùm homo eſſet & in honore, non intellexit: comparatus eſt iumentis & ſimilis factus illis. *Cuſtodi temetipſum (inquit Moyſes Deut: 4.) & animam tuam ſollicite.* Alios

Cuſtos eſt Chriſtus.

etiam

etiã cuſtodit Ieſus Chriſt ſibi cõmiſſos Ioã: 17. *Quos dediſti mihi cuſtodiui, nemo ex eis perijt, niſi filius perditionis vt ſcriptura impleretur.* Quaſi diceret, perit ille, non per incuriam meam, ſed per obſtinatiam ſuam, & in hoc eripuiſſem illum qui lachrymarum fontes de corde & oculis induratorum aſpectu meo elicio, ſed ſcriptura debebat impleri, qua iuſtitia Dei præordinata conſumata remanſit. Varios modos curationis infirmorum reperio à ſanctis. Barbaram Sanctam miraculoſe ſanauit in mamilla Apoſtolus Domini. Inter miracula ſacratæ imaginis B. M. V. Montisferati legimus, quod in Anno 1513. Io. Artes Hiſpanum quem ſeptem ſicarij ab hoſte miſſi in capite tribus lethalibus vulneribus in colo vno: in ſcapulis binis, in femoribus binis, in tibijs tribus, in manu & brachio vno. præter vulnera à ſagittis, inflixerunt inuocata hîc Deipara Virgine ita confoſſus, & vulneratus, exurrexit; omnes roboratus, fugauit, ſauciauit, & paulo poſt perfectam ſanitatem recepit. Quantus igitur erit medicus, qui nomen cuſtodis Samaritani & miſericordiarum parentis, ſibi appropriauit? Dicitur Tob: 5. *Angelus dicebat, viam quæ ducit in Rages ciuitatem Medorum noui, & vias frequenter ambulaui.* Rages, interpretatur ægrotatio. Quis nouit viam ad ægrotos? quis itinera pauperum infirmorum ambulauit? Ieſus Chriſtus. Ille Medicus & Medicina, ille ſuſcepit infirmitates noſtras, ille nouit ægritudines corporis & animæ. Quia venit, agnus Dei, tollere peccata mundi. D. Aug: de Verbo Domini ſerm: 37. Cùm haberet in ſe duo bona, ſcilicet iuſtitiam & immortalitatem, & nos duo mala, ſcilicet iniquitatem & mortalitatem, ſi vtrumq; malum noſtrum ſuſcepiſſet, par noſter eſſet & liberatore nobiſcum opus haberet: vt ergò eſſet non hoc quod nos, ſed propè nos, non eſt ille peccator vt tu, ſed factus eſt mortalis vt tu, ſuſcipiendo pœnam. & non ſuſcipiendo culpam, deleuit & pœnam. Medici diligentes, cum in vltimo periculo videt patientem adhibent medicinam vltimam, quæ vel vitam vel mortem inducit. Adhibent ad periodum Hoc eſt, ad periodum vitæ, periodum medicinæ. At ſæpiùs & plurimum tali antidoto, mortem inducunt quàm vitam. Ieſus Chriſtus verò talis medicus eſt, vt ex medicina ſua nullus mortem, omnes vitam recipiant. Salus tua ex me, perditio tua ex te, dicit Propheta. Oſeæ 13.

Varii modi curãdi vulnera à Sãctis.

Rages ægritudo.

IESVS ſcit vias ad ægroto.

De primo bono quod fecit infirmo Samaritanus, nempè, miſericordia, Nota. Summa laus Tobiæ ſancti quod à menſa ſurgebat & ſepeliret mortuos. Miſericordia & compaſſio fecerat domicilium in corde ipſius, vndè ardebat deſiderio in tam pio opere. At nullus poteſt cõparari hoc in munere miſericordiæ Ieſu Chriſto Domino noſtro. Non enim ſedet Chriſtus in domo, non expectat nuntium vt ſignificetur illi miſer homo, ſed ipſe exit, vadit, quærit

Medici diſferunt à Chriſto ab aliis medicis.

Miſericordia magna in ægrotos Chriſti.

quærit cui poſſit miſereri & compati, non ſolo affectu, ſed ipſo effectu. Vndè Theophil. in hoc loco. Dicit Euangeliſta. Iter faciens. quaſi ex propoſito hoc ſtatuens, vt nos curaret. Diuertit Theophil: ab infirmo, ad infirmos. Ex propoſito quæſiuit ægrotum, ex propoſito quærit ægrotos, miſericordia enim diffluit ipſius, in multas miſericordias. Dat alteram tantæ ſolidæ miſericordiæ iſtius Samaritani Chriſti rationem. D. Auguſtinus Cont: Pelag: lib: 7. Vides eum iacentem, non valentem, non currentem: & ideò miſericordia motus eſt, quia in eo nullum meritum inuenit quo curari dign⁹ eſſet, ſed ipſe de peccato damnauit peccatum. Conſidera igitur quanta miſericordia ſit Chriſti in peccatores, quanta ſolicitudo de ægroto, quanta diligentia de ſanando. Meritò igitur B. Albertus Magnus dixit: Si ipſe auerterit miſericordiam ſuam à nobis quis miſerebitur noſtri? Quaſi diceret nullus. Tum quia non eſt in nobis occaſio vt noſtri miſereatur vir iuſtus & bonus, timet enim ne inficiatur magis tum quia merita nullus habere poteſt, qui contemptibilis eſt ob ſcelera & crimina. Theophil. Præterijt ſacerdos & Leuita, quia lex venit, & ſtetit vſq; ad tempus præfixum, deinde non valens curare abijt. Et lex non eſt data precogitatiuè vt hominẽ curaret, quia non potuit à principio ſuſcipere Chriſti Myſterium. Reſtat igitur vt ſolus Chriſtus curet infirmos, ægrotos peccatores, & ipſe vnus ſit qui miſericordiam præſtet, qui ſi non præſtiterit, iam nullus erit, qui eam homini præſtare vel poſſit vel valeat. Chriſtus ipſe eſt oculus cæco, pes claudo, medicina ſurdo, & hoc tam in corpore quàm in anima orbatis. Qui igitur fueras apud hoſtem animæ ceu alter Beliſarius apud Iuſtinianum Imperatorem, cùm vides te orbum factum pro tuis impenſis ſeruitijs, recurre ad Ieſum miſericordiam vt tibi vel obulum gratiæ ſuæ porrigat, cum te non virtus ſed vitium tuum orbem fecerit. *Iſidor: lib: 3. de ſummo bono cap: 1. Stimulat hominem ad recurrendum ad Chriſtum dicens. In hac vita Deus parcit impiis & tamen non parcit electis: in illa verò vita parcit electis & non parcit impijs.* Ergò recurre ad miſericordẽ Chriſtum ô peccator & ſauciate in anima. Tuus enim eſt locus iſte ad bonum, tuus campus ad fructum, tuum donum ad præmium. Ad te Chriſtus clamat hic. Venite ad me omnes qui laboratis (puta in peccato) & onerati eſtis (puta in crimine) & ego reficiam vos refectione miſericordiæ paſſionis & gratiæ. Hierem: 31. *Conturbata ſunt viſcera mea ſuper eum, miſerans miſerebor eius.*

Si Chriſtus non miſeretur, nullus miſerebitur peccatoriu.

Beliſarius eſt peccator.

De 2. Bono nempè, appropinquatione. Nota. Iob: 2. *Amici eius condixerant ſibi, vt pariter venientes viſitarent eum & conſolarentur ipſum.* Ita & hic Samaritanus fecit, ſed fidelius Chriſtus. Prius comparando condeſcendit, & condeſcendens afflicto congemit congemens inhæret; & inhærendo

rendo conſolatur. Pſal: 33. *Iuxta eſt Dominus his qui tribulato ſunt corde & humiles ſpiritu ſaluabit.* At ſi hic ſine meritis proprijs, ſine humiliatione tribulationis ſuæ recepit iuuamen, vt nedum appropinquaret illi Samaritanus, nedum conſolatus eſt eum, ſed Oleum, vinũ, vulneribus eius infudit, ſuper humerum portauit, in iumento, ipſe pedeſter gradiendo, deduxit ad hoſpitem, rogauit, & ſoluit vt curam ipſius haberet, profectò approximatio ipſius Samaritani, à qua vt à fonte viui, ita plurima defluxerunt hæc beneficia, maximum bonum fuit. Quid igitur de Chriſti approximatione ad peccatorem concludemus? Approximatio ipſius eſt, ceu ſol, qui oriendo diſplodit tenebras: eſt ceu ignis, qui fumum eijcit: eſt ceu ſal, qui ſanas reddidit aquas; eſt ceu nuntius, qui hoſtis cladem nunciat. *Exod. 3. Videns vidi afflictionem populi mei & gemitum eius audiui.* Attende ad repetita verba. Videns vidi afflictionem; ſi videns vidit afflictionem, profectò & audiens audiuit gemitum, atq; ſuſtulit afflictionem, & ſedando gemitum, multo compenſauit gaudio. Sit Daniel S. in confirmationem, qui afflict⁹ in ſpelunca inter Leones, dum vidit miſſum ſibi prandium à Deo, tantum gaudium concepit vt triſtitiæ omnis oblitus eſſet. Vnde Iſidorus de ſummo bono lib: 3. cap: 4. *Diſcat non murmurare qui mala patitur,* etiam ſi ignorat cur mala patiatur: & per hoc iuſtè ſe pati arbitretur,

Approximatio Chriſti qualis eſt.

per quod ab illo iudicatur; cuius nunquam iniuſta iudicia ſunt. Qui flagella ſuſtinet & contra DEVM murmurat, iuſtitiam iudicantis accuſat. Qui verò ſe cognoſcit à iuſto iudice pati quod ſuſtinet, etiamſi pro quo patitur ignoret, per hoc iam iuſtificatur, per quod & ſeipſũ accuſat & Dei iuſtitiã laudat. Quod ſi appropinquatio Dei in iuſtitia ad ſauciatum hominem peccato, tam vtilis eſt homini, vt ipſum laudare teneatur, quantum igitur laudandus erit Deus ab homine, ad quem ille appropinquat in miſericordia & miſerationibus.

Pro 3. bono, nempè, vini infuſione in vulnera, Nota. vinum infuſum variè SS. Doctores explicârunt. D. Ambroſius libro 7. in Lucam compunctionem ex denunciatione iudicij exponit. Et accedit Beatus Albertus Mag: ad talem expoſitionem, nam contritio, ex compunctione quæ ex meditatione iudicij & ſupplicij prouenit, oritur. D. Chryſ. per vinum, ſanguinem paſſionis intelligit. *Sanguis enim Chriſti, eſt ablutio animæ & ſaginatio vera.* Et à cæleſti medico, non alia requirebatur medicina. D. Aug: de quæſt: Euang: q. 19. lib: 2. per vinum intelligit: exhortationem ad operandum feruentiſſime in ſpiritu. Verùm conſiderando vulnera, nil magis opportunum ad curanda animæ vulnera quàm contritio in homine, & ſanguis Paſſionis Chriſti, ſanguis medetur, contritio de peccatis, applicat vul-

Vinum eſt compunctio & ſanguis Chriſti atq; o- pera

cat vulneribus emplaſtra ſalutis. Hinc B. Nilus Epiſc: & Martyr in Sent: Tropologicis. *Priuſquam animæ denudentur vlcera, lachrymis ſunt curanda, vt pharmaco iſta pœna valeat euitari.* Beatus Henricus Suſo Ordinis Prædicatorum, cùm vidit Dæmonem ſibi inſidias parantem, & ſagittam acutam ad eum occidendum intorquentẽ, recurſus eius vt moris ſanctorum eſt, ad Deum, per contritionem, primus fuit; tum, ad B. V. Mariam per interceſſionis inuocationem, & illico dæmonem fugauit. Benè Iſidorus lib: 2. cap: 12. de compunctione. *Compunctio cordis, eſt humilitas mentis cum lachrymis exoriens, de recordatione peccati & timore iudicij.* Vinum igitur hoc ſuadet vulneribus peccatorum infundendum B. Albertus Magnus. Sed vt commiſceatur & fundetur in ſanguine paſſionis Chriſti, nam vim & virtutem ſanatiuam non habet contritio, niſi in vulneribus & ſanguine Chriſti. Contritos & compunctos in Ægypto, ſanguis ſuper poſtes & ſignum tuu liberabat. *Et D. Chryſoſtomus dicit indulgentia datur per ſanguinem.*

Pro 4. bono, nempè, infuſione Olei, Nota. Chriſt⁹ veniens ab Hieruſalem cœleſti ad Hericho mundi defectuoſi, factus eſt nobis & finitimus & vicinus, idcircò compatitur nobis, vt naturæ noſtræ finitimus, & miſericors eſt nobis, vt vicinus, quãobrem nec Vinum nec Oleum nec operam ſuam denegare voluit. Imò meritò omnibus finitimis nobis & vicinis Chriſtum Ieſum præponamus, non enim id efficere vellet nobis ſanguine etiam junct⁹ ne dicam vicinus vel finitimus, quod præſtitit hic Samaritanus infirmo & debili. Majora verò ægroto peccatori offert & ſpondet Dominus Ieſus. Hinc B. Nilus Epiſc. & Mart. in ſent. Tropol. dicit. *Deum ama, nec illi domeſticos præfer, ne & tu, ipſius juxta vocem, indignus inueniaris.*

Oleum vulneribus infuſum reſpiciendo ad Samaritanum noſtrum Ieſum B. Alb. Mag. conſolationem internam expoſuit. Non enim lœtus poteſt eſſe peccator niſi intrinſecus per Spiritum Paracletum conſoletur. Ita dicebat Tobias S. *Quale mihi gaudium dum lumen cœli non video?* Ita qui lumen conſolationis in anima non ſentit, gaudere veraciter & lætari proprie, non poteſt. Neq; ab hac expoſitione alienus eſt D. Aug. in quæſt: Euang. Dicit enim, Oleum eſt conſolatio ſpei bonæ per indulgentiã datam ad reconciliationẽ pacis. Pax enim hæc & reconciliatio cũſit peccatoris cum Deo, fieri non poteſt niſi per conſolationem internam à Spiritu S. Carolus V. Imper. ceruum prolapſum in genua erecto collo vrſus ſolem ſumpſerat in Symbolum cum tali lemmate. *Tu perficis.* Significabat tali medio, nullam gloriam humanam fieri perfectam, niſi referatur ille actus in Deum, qui omnia dat & perficit. Ita ſi interna conſolatio per Spiritum Paracletum defuerit homini peccatori, recedat quomodo vult à peccatis, non erit conſo-

Lætitia noſtra per Spiritum S.

Ceruus ſolem aſpiciens & procumbens.

conſolatio perfecta, niſi perficiatur à Deo & referatur ad Deum, perficientem per Ieſum ſaluatorem noſtrum, opera hominum. Cant. 1. *Oleum effuſum nomen tuum.* Quid Oleum

Oleum Conſolationis interna.

effuſum facit? linit, vngit, ſaporem dat & odorem ſuum ſpargit. Ita Oleum conſolationis internæ per Spiritum Sanctum, linit vulnera vngit cicatrices, dat ſaporem animæ, odorem cœli inducit. Quocirca inſtruebat verè pœnitentem. D. Iſidorus lib. 2. cap. 12. quomodo perficere poſſit ſalubre intentum. *Quatuor* (*inquit*) *ſunt*

Mens iuſti ſtimulatur quadruplici modo.

qualitates affectionum quibus mens iuſti tædio ſalubri pungitur, hoc eſt, memoria præteritorum facinorum: recordatio futurarum pœnarum: conſideratio peregrinationis ſuæ in huius vitæ longinquitate: deſiderium ſupernæ patriæ, quatenus ad eam quantocius valeat peruenire.

Pro 5. bono, nempè, alligatione

Malũ vulnera Alligare maius malum animæ.

vulnerum. Nota. Periculum vitæ eſt, vulnera corporis lethalia non alligare, periculum verò animæ vulnera illius & plagas, apertas conſenſu actu & peccandi conſuetudine, non colligare vndè lamentabatur Iſa. 1. *Vulnus & liuor & plaga tumens non eſt circumligata neq; curata medicamine neq; fota Oleo.* Quomodo verò vulnera animæ alligantur, docet D. Aug. de quæſt:

Alligãtur. animæ vulnera quo.

Euang. *Alligatio vulnerum, eſt cohibitio peccatorum.* Et profectò faſcia hæc ſummè neceſſaria ad curandas animæ plagas, nam ſi hæc defuerit, vulnus nedum inſanabile redditur, ſed igne infernali conſumetur. 2. Reg. 2. dicebat Heli filijs ſuis. *Si peccauerit vir in virum placari ei poteſt Deus, ſi autem in Deum peccauerit vir, quis orabit pro eo?* Quod ſi nec hominem iuſtum in terris facile inueniet, nec in cœlis Angelus pro eo obligatur orare, ipſi peccatori arripienda hæc ad ſananda vulnera faſcia erit, cohibitio ſcilicet peccatorum. B: Alb. Mag: ligamina vulnerum, ponit duo. Præcepta Dei, & ſatisfactionem. Illa ſunt obſeruationi commendanda, hæc verò ſeu peccatori vulnerato acriter, humiliter aſſumenda. Præcepta

Præcepta & ſatisfactio ſunt ligationes ſuæ.

enim Domini poſtquam ſe à peccatis cohibuerit homo, ſtringunt ligamina, ne vulnera magis pateant, ſatisfactio verò, quæ fonte lachrymarum ſaniem abluit, & vigore deuotionis frigida & ſauciata, calefacit, ſanitatem inducere conſueuit. Vndè D. Ambr. lib. 7. in Luc. Conſtringit vulnera noſtra auſteriore præcepto, ſicut Oleo fouet remiſſionem peccati. Hinc Iſa. 59. *Ecce non eſt abbreuiata manus Domini vt ſaluare nequeat, ſed iniquitates & peccata veſtra abſconderunt vultum eius à vobis.* Non poteſt homo videre vulnera & vlcera corporis putrida, ſaniata, intumata ſine abominatione & horrore, magis Deus vulnera animæ, quibus nil ſordidius, turpius, abominabilius eſt, ceu, quæ ab infernali infectione proueniunt, conſpicere abhorret. Sed quia me-

Medicus curare vulnera non abhorret.

dicus peccatorum eſt, cum ad eum conuerſus fueris, ſicut chirurgus non abominatur graui vlcere, ita Deus conuerſi peccatoris habet curam & ſanare ipſam deſiderat, ſi adhibere ſibi li-

ſibi ligamina permittit. Vndè ligamina permittenda & præmittenda peccatori. Præmitte ligamen cohibitionis à peccatis, permitte ligamina præceptorum, conſiliorum Dei, & ſatisfacere concupiſcat. Et ſi Iob vndiq; vulneribus & vlceribus attritus dicebat. *Si bona ſuſcepimus de manu Domini, mala autem cur non ſuſtineamus?* Tu quoque tibi alloquere. Si Dominum Deum offendebam, ſi animam vulneribus peccatorum afficiebam, ſi conſilia peruerſa audiebam, cur modò non pœnitebo, cur Dei præcepta & monita non obſeruabo? cur me, ad humiliationem & ſatisfactionem non inclinabo? Confitebor Domine peccata mea quia tu fidelis & iuſtus vt remittas ea.

Pro 6. bono, nempè, impoſitione in jumentum Nota. Pſal. 77. *Vt jumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum.* Habet quandam ſingularem dignitatem hoc jumentum, cum ſemper dicatur cum Deo eſſe. Si Chriſti naturam humanam, in qua paſſus eſt & factus obediens vſq; ad mortem, ſignificat. Profectò jumentum hoc non ob naturam, ſed ob ſupportationem oneris in ſalutem mundi, appellationem habebit. Vndè D. Aug. in quæſt. Euang. Iumentum eſt caro, in qua ad nos venire dignatus eſt. Et D. Ambroſius: Cum peccata noſtra portat vt jumentum factus eſt nobis. Homo enim jumento ſimilis factus, ne eſſemus vt equus & mulus, infirmitatem noſtram aboleuit, per aſſumptionem carnis noſtræ. Verum Pſalmiſtæ verba etiam ad quemlibet Chriſtianum ſunt referenda. Debet enim fieri vt jumentum apud Dominum, ad portandum honorem Chriſti & crucem ejus. Quocirca B. Alb. Magnus expoſuit de cruce Domini jumentum. Inquit enim. Iumentum Domini eſt crux benedicta. Tunc autem jumento ſuo nos imponit, quando nos reminiſci facit & imitari amaritudinem paſſionis ſuæ. Neq; longè ab hac expoſitione eſt D. Aug in quæſt. Euang. 5. libr. 2. Vbi ait. Imponi jumento eſt in ipſam incarnationē Chriſti credere. Quid verò juuat credere id niſi ſimul credamus & illud propter quod incarnatus fuit? Incarnatus verò vt nos eriperet à peccatis & ablueret ſanguine ſuo in cruce. 1. Io. 2. *Sanguis Ieſu Chriſti Filij eius emundat nos ab omni peccato.* Impoſuit ergò nos Samaritanus iſte Ieſus Chriſtus jumento ſuo crucis videlicet & paſſionis ſuæ recordationi, vt ſicut aſpicientes ſerpentem in deſerto ſanabantur à vulnere, ita peccator aſpiciendo Chriſtum in cruce paſſum & ſanguine abluentem peccata & ſanctificantem mundum, recipiat ſanitatem animæ & ſperet non jam ſtabulum & ſtabularium, ſed cœlum & cœli Dominum. Ad ceruum appoſuerat quidam legendum. IN TENERO STAT TIBI CORDE SILEX. Naturaliſtæ inquirendo ſenſum, dicunt. Ceruus non habet fel. Sed cùm à venaticis impetitur canibus ita concitatur & conuellitur intus, vt amaritudine fellea reſper-

Credere quod incarnatus quod debemus.

In tenero corde ſilex.

reſpergat inteſtina, nec oppreſſus à canibus & venatoribus, poſſunt inteſtina ipſius à canibus corrodi. Et inde prouerbium. *IN TENERO STAT TIBI CORDE SILEX.* Peccatum eſt ſilex in corde hominis & ſuperat duritie adamantem, quocirca peccatori non aliud eſt remedium niſi ſanguis Ieſu Chriſti, quo ſi peccatum aſpergatur per recordationem amaræ paſſionis ipſius, ſilex nedum emolitur peccati ſed tollitur. 1. Io. 3. *Scitis quia ille apparuit vt peccata tolleret, & peccatum in eo non eſt.* In quo non eſt? in Filio Dei. Ita quidem. Sed etiam ſic tollit peccata de corde hominis, vt nec reliquiæ peccati maneant in homine. Peccatum in eo non eſt qui peccauerat. 1. Io. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi.* Compatiamur ergò Chriſto & conregnabimus.

Peccatũ ſilex in corde.

Peccatum totũ tollit Chriſtus.

Pro 7. bono. Nempè, pro hoſpitio. Nota. Tria hic conſideranda. 1. Ille qui deducit Samaritanus. 2. Hoſpitium ad quod deducitur ægrotus. 3. Hoſpes hoſpitij. Nam ſi ad ſenſum noſtrum deduxerimus propoſitum, profectò, ille qui in hoſpitium duxit vulneratum in anima ac perinde vulneratum in corpore, fieri non poteſt niſi ipſe Filius Dei. Cum enim ſtabulum hoc non aliud ſit niſi Eccleſia militans vt docebat B. Alb. Magn. & ſine dubio ex mente D. Chryſoſtomi homil. ſuper Lucam & Theophil. Dicit enim Chryſoſt. Stabulum eſt Eccleſia, quæ in itinere mundi laſſatos & ſarcinis delictorum defeſſos ſuſcipit venientes, vbi depoſito onere peccatorum, viator laſſus reficitur, & refectus ſalubri paſtu reparatur. Quod vt majoris claritatis nitorem habeat, quid referat Theophil. audiamus. Lex non omnes ſuſcipiebat. Moabitæ (inquit) & Ammonitæ non intrabunt in Eccleſiam Dei: nunc verò in omni genere qui timet Dominum ab eo ſuſcipitur volens credere & pars Eccleſiæ fieri, propter hoc dicit, quod duxit eum in ſtabulum. Cùm ergò vt dicebam ſtabulum ſit Eccleſia militans in terris ſeu Eccleſia Chriſti, jam conducens Samaritanus non erit niſi ipſe Chriſtus, animarum medicus & totius generis humani prouiſor vniuerſalis & medicina. Ad aquilam recenter natam & rore ipſo è nubibus alimenta tenentem, addiderat quidam ad ſpeculandum. *DIVINO NVMINE PASCOR.* Magis conſentaneum vt peccatori ducto ad Eccleſiam à Samaritano Chriſto adſcribamus Diuino numine ſanor, paſcor, ſaluor. Ad hunc namq; ſenſum Ven: Beda dicit. Duxit in ſtabulum, quia nemo niſi per baptiſmum corpori Chriſti adunatus Eccleſiam intrabit. Nemo æterne poterit paſci & ſaluari niſi per Ieſum Chriſtum & in Ieſu Chriſto: Vndè D. Aug. Tract. 11. in Ioan. *Hic, quod eſt aurum non poteſt eſſe argentum; quod eſt vinum non poteſt eſſe panis: quod lux eſt non poteſt eſſe potus: Deus autem totus totum tibi erit. Manducabis eum ne eſurias, bibes eum ne ſitias, illuminaberis ab eo*

Hoſpes hoſpitij Chriſtus.

Eccleſia militans ſtabulum eſt.

Diuino numine paſcor.

DEVS eſt totum omnibus.

ab eo ne deficias. Exod. 33. *Ego oſtendam tibi omne bonum.* Erit Deus omnia omnibus quæcunq; ab omnibus honeſte deſiderantur, & vita & ſalus, & victus, & copia, & gloria, & honor, & pax, & omnia bona.

Pro 8. bono, nempè. Quod curam egit. Nota. Et Samaritanus egit curam infirmi cum ad vltimum duos denarios protulit ſtabulario, & ſtabularius curam ipſius egit, cum curandum ſuſcepit. D. Ambr. *Beatus iſte ſtabularius qui alterius vulnera curare poteſt. Beatus cui dixit Ieſus. Quodcunq; ſuper erogaueris reuertens reddam tibi.* Sed quando reuerteris Domine, niſi in judicij die? Nam licet vbiq; ſis ſemper, & ſtans in medio noſtrum non cerneris à nobis, erit tamen tempus, quo vniuerſa caro te reſpiciet reuertentem. Reddes ergò quod debes beatis quibus es debitor. Vtinam nos ſimus idonei debitores, vt quod accepimus poſſimus exoluere. *Hæc ille.* Quibus ex verbis apertè conſtat, quod ſtabularius ſit omnis Chriſtianus; illi enim duo denarij, hoc eſt duo teſtamenta data ſunt, quæ ſcilicet habent in ſe imaginem æterni regis expreſſam, quorum precio vulnera noſtra curantur. Demandatur ergò omni Chriſtiano pietas, miſericordia & compaſſio proximi, hanc enim retribuet Dominus in judicio. *Quod vni horum feciſtis mihi feciſtis.* Eſuriuit proximus, ego ſum qui eſurio, pauiſti proximum vel cooperuiſti, me pauiſti & cooperuiſti. Ambr. Non enim cognatio facit proximum, ſed miſericordia, quia miſericordia eſt ſecundum naturam nil verò tàm ſecundum naturam, quàm juuare conſortem naturæ. Agunt ſtabularium optimum, omnes ſummi Pont: Romani, cum tot Cardinales, Pontifices, religiones, congregationes, ſocietates, confraternitates fundans, vt charitatis opera proximis impendant. Sed præcipuè laudatur Clemens 8. Pont: Max: qui Anno 1595. in Vrbe inſtituit domum, in cuius parte vna educantur pie virgines pauperes, in alia honeſtæ viduæ, in tertia impudicæ mulieres pœnitentiam agere volentes, quàm domum, monaſterium B. V. Mariæ refugij, nuncupari decreuit. Hinc ſtabulario rependet Chriſtus quia fecit quod Iſa. 58. dictum fuit.

Stabularius eſt Chriſtianus

Proximum quid facit.

Domus refugij B.V.M.

Egenos vagoſq; induc in domum tuam.

DOMINICA XI. POST OCT: TRINIT:

Cum ingrederetur IESVS in quoddam caſtellum occurerunt ei decem viri leproſi: *Luc. 17.*

QVID PER CASTELLVM DESIGNATVR?

Reſp:

Mundus Caſtellum

RESp. Mundus. De quali Matth. 21. *Ite in caſtellum quod contra vos eſt & inuenietis aſinam alligatam &c.* Duo diſcipuli miſſi, ſunt timor caſtus & amor ſanctus, qui ſeniorem populum & juniorem ſoluunt à vinculis peccatorum & adducunt in obſequium Chriſti. Ingreſſus eſt Ieſus hoc caſtellum mundi per carnis noſtræ aſſumptionem, & ingredietur per finalem judicij diſtrictionem Act. 1. *Hic IESVS qui aſſumptus eſt vobis ſic veniet, &c.*

ANNOTATIO.

Mundus non vrbs, ciuitas ſed caſtellum dicitur

MVndus quia eſt immundus, meritò non vrbs, non ciuitas, ſed caſtellum, non ſimpliciter, ſed cum quadam demiſſione, nempè, quoddam caſtellum nuncupatur Cœlum, meritò vrbs vocatur, vbi Rex regum & Dominus dominantium regnat; meritò ciuitas dicitur, quia in ea eſt Eccleſia triumphans habens paſtorem animarum Ieſum Chriſtum ſummum Pontificem, Caſtellum verò nequit nuncupari, cum hoc imperfectionis cuiusdam nomen eſt, quocirca ſcabellum pedum Dei mundus & terra profertur. Refert Ælianus lib. 14. cap. 16. Hypponicus Calliæ filius ſtatuam ponere, Sacroſanctum patriæ donarium habebat. Quum igitur quidam conſuleret ei vt à Polycleto faciendam imaginem curaret, negauit ille, nam gloria non ad conſecratorem ſed ad artificem eſſet reditura. Sanè enim manifeſtum eſt, ſpectatores in ea ſtatua ſpectanda magis artem & induſtriam Polycleti quam liberalitatem & munificentiam Hypponici admiraturos eſſe. Equidem & mundus iſte à Deo tam ſplendidè & perfectè formatus, habet creatoris ſui in ſe ſapientiam, fortitudinem, ſimilitudinem, habet quod admiremur, laudemus, prædicemus in artifice & prototypo ſuo Deo. *Inuiſibilia enim DEI per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur*, Rom. 1. Ac deformatus atq; infectus mundus opere hominum, illam dignitatem obfuſcatam retinet, & deſpectibilis nominis rationem aſſumpſit. Indè oppidulum quoddam & quoddam caſtellum nuncupatus eſt mundus. Antiqui ad portas caſtelli efformabant hominem ſiluaticum, piloſum, cum pugione in manu extenſa verſus terram. Aliqui dicebant eſſe Deum nauigantium in mari, quocirca maritinæ munitiones deferebant talem hominem pro Symbolo. Alij ſignificabant Piratas in mari oberrantes. Sed quicquid ſit de intento vrbium maritimarum ac hoc ſiluatico Satyro, mundi homines contra diuina præcepta agentes, cùm non aliud ſint quàm horror juſtorum & abominatio Dei & Angelorum, rectè mundus cum ſuis in habitatoribus mundanis, per horridum hunc hominem qui non aliud ſibi machinatur niſi malum perpetuum, ſignificabitur. Vide primos parentes eiectos de paradiſo, vide illorum perizomata, vide

Statua artifi[ciosa] eſt mũ[n]dus ſed deformatus

Homo ſiluaticus ad portam

vide veſtes ex animalium cutibus. Quid tibi videtur? An non ſunt iſti homines ſiluatici, an non ſunt Satyres quidam? *Homo cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt jumentis & ſimilis factus eſt illis*, Pſalm. 48.

Quid per decem leproſos exprimatur.

RESp. Peccator, qui violat decem præcepta DEI; primus leproſus eſt violator primi præcepti quod dicit Exod. 20. *Non habebis Deos alienos coram me, non adorabis eos neque coles*, quod dicit non habebis Deos alienos coram me in corde, id eſt non adorabis eos ore, neque coles opere. Hoc præceptum violant præcipuè quinq; genera hominum. Videl: humanæ laudis auidi, auari, guloſi, & luxurioſi, nec & non ſortiariæ mulieres ſortilegijs confidentes. Humanæ quippè laudis auidi vanam gloriam, quã emunt à mimis & Hiſtrionibus, Deo præponunt. Auari nummum & aliam rem temporalem plùs diligunt, quàm Deum. Guloſi ventri ſuo ferventius ſeruiunt, quàm dulci Deo. Luxurioſi circa amorem mulieris fornicariæ plùs æſtuant, quàm circa dilectionem DEI. Mulieres ſortiariæ plùs confidunt in ſortilegijs ſuis, quàm in his, quæ pertinent ad DEI cultum.

Secundus leproſus eſt, qui violat ſecundùm præceptum quod ait: *Non aſſumes nomen DEI tui in Vanum: nec enim habebit eum inſontem Dominus, qui aſſumpſerit nomen Domini DEI ſui in vanum.* Hoc mandatum maximè violant mercatores & omnes, qui, ne dixerim, peierant, ſed qui aſſiduè ſine cauſa jurant. Violatur etiam hoc præceptum à luſoribus qui ſæpè DEUM blaſphemant.

Tertius leproſus eſt ille qui ſabbata, id eſt, ſolennitates Domini non cuſtodit. Vndè dicitur in tertio mandato: *Memento vt diem ſabbati ſanctifices.* Violatores huius præcepti ſunt choriſatores, & aliarum vanitatum ſectatores. Ipſi enim dies celebres DEO & Beatæ Mariæ, & alijs Sanctis dedicatos non ſanctificant orationibus, ac alijs bonis operibus inſiſtendo, immò potiùs maculant & exhonorant vanitates libidinoſas exercendo.

Quartus Leproſus eſt ille, qui parentes ſuos non reueretur, nec amat, nec eis neceſſaria ſubminiſtrat. Dicit enim quartum mandatum: *Honora patrem tuum & matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terram, quàm Dominus tuus dabit tibi*: hæc eſt terra viuentium, vbi regnat vita æterna.

Quintùs Leproſus eſt violator quinti præcepti, quod ſic loquitur: *Non occides*, id eſt, non occides corde, vt deſideres vel optes alicui mortem. Item non occides ore vel lingua, id eſt, non inſtigabis aliquem ad occidendum, nec detrahes proximo tuo nec conſilium aliquod dabis per quod animæ noceatur. Item non occides manu vel opere, nec permittas aliquem mori fame.

Sextus Leproſus eſt, Sodomita, fornicator, & adulter. Dicit enim ſextum præceptum: *Non mœchaberis*, id eſt, nullam turpitudinem vel immunditiam, corde ac ore & opere, ſeu manibus exercebis, nec alicui mulieri jungaris quæ non fuerit tibi per legitimum matrimonium copulata.

Septimus leproſus eſt ſeptimi præcepti contemptor, quod dicit *Non furtum facies.* Hoc mandato & furtum & rapina, & dolus & calumnia & omnis generis vſura prohibetur.

Octauus leproſus eſt qui loquitur contra proximum falſum teſtimonium. Dicit enim octauum præceptum: *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium.* Hoc præceptum violant, qui verbis ſuis vel vitæ, vel famæ, vel etiam rebus proximi nocent.

Nonus leproſus eſt noni præcepti transgreſſor, quod ſic ait: *Non deſiderabis vxorem proximi tui.* Hinc etiam luxuriam mentalis prohibetur, ne videlicet aliquis credat, quod non ſit peccatum delitiari cum luxurioſis cogitationibus in corde.

Decimus leproſus eſt, qui violat decimum præceptum, quod ait: *Non concupiſces domum proximi tui, nec omnia quæ illius ſunt.* Hoc mandatum non obſeruat, qui per auaritiam intus exæſtuans quamcunq; rem proximi contra iuſtitiam concupiſcit.

ANNOTATIONES.

PRo I. leproſo. Pſal. 52. Dixit inſipiens non eſt Deus. In tantam enim inſipientiam deuenit nequam homo vt nedum non veretur Deum in operibus ſuis ſed etiam negat eum, vel eſſe, vel intueri opera ipſorum, imò præponunt Deo, vana, inania, corporalia & mundana. Quid horum eſt origo, & quis ſtimulus? Non certe aliud niſi, quia falſa fide & dilectione non vera adorant Deum. Vndè de virtutibus Chriſtianis loquendo S. Leo ſerm: 10. de quadrag: Quamuis magnum ſit habere rectam fidem ſanamq; doctrinam, & multa laude digna, ſit circumciſio gulæ, lenitas manſuetudinis, puritas caſtitatis, nudæ tamen ſunt iſtæ ſine charitate virtutes, nec poteſt dici inqualibet virtutum excellentia fructuoſum quod non Charitatis partus ediderit. Quocirca optimè enumerauit B. Alb: Magnus leproſos qui contra primum præceptum peccant nempè, quod habeant Deos alienos præter Deum cæli Deum verum & ſanctum. At ſicut ſuperbus Angelus ſemel deiectus è cælo iam non habet ampliùs medium recuperandi amiſſum locum, ita hi vanis propoſitis immerſi non ampliùs habebunt locum in cælo, ſed in inferno. Hoc igitur cogitent quorum cuncta cogitatio cordis intenta eſt ad malum. Nam ſi mala mors tales manet, quàm amara erit qui ventrem aurum, laſciuiam,

Non eſ ſe De um quod di cere audet homo

Sine charitate nil eſt boni

ſciuiam; ſibi Deos conſtituerunt? cant folia, ille aliud corde aliud lin- Grauiter loquebatur D. Cyprianus ſerm: de morte. Mori planè timeat, qui ex aqua & ſpiritu non renatus gehennæ ignibus mancipatur: mori timeat, qui non Chriſti Cruce & Paſſione cenſetur: mori timeat, qui ad ſecundam mortem de hac morte tranſibit: mori timeat, quē de ſæculo recedentem perennibus pœnis æterna flamma torquebit: mori timeat, cui hoc mora longiore confertur, vt cruciatus eius & gemitus differatur. Recogitandū quoq; talibus quid cum illo vano Deo Dagon actum fuerat, eiectus de ſede, ceruicem cum capite amiſit irriſionis & cachinni incenſor. Quod ſi hoc cum dijs vanis agitur, quid erit cum eis qui ſibi eos elegerunt in Deos? Ad vbera capræ lupi catulo pendenti, addiderat quidam legendum: MORTEM DABIT IPSA VOLVPTAS. Ablactatus enim lupi catulus & capram poſt modum deuorauit. Ita propter Deum quem tibi conſtituiſti vanum, tu auare, guloſe, luxurioſe, &c. confunderis, damnaberis. Prou: 3. *Abominatio eſt Domini, omnis illuſor.* Summa igitur lepra eſt, dij alieni, quos à bonis videre, eſt abominari ea.

Pro 3. leproſo, qui in vanum aſſumit nomen Dei, Nota B. Nilus Martyr & Epiſc: in ſent: Tropol: docet.: *Semper mens Deo inhæreat cœleſtisq; tua cogitatio fiat.* Excludit vanam Dei inuocationem, excludit mo iuramenti ſanctitatem. Hinc Ecclef: 23. *Vir multum iurans implebitur iniquitate & non diſcendet à domo illius plaga.* Et ſi fruſtrauerit fratrem, delictum illius ſuper ipſum erit, & ſi diſſimulauerit, delinquit dupliciter: & ſi in vacuū iurauerit, non iuſtificabitur. Admonet igitur B. Iſid: Multidū loquūtur iurare ſemper delectantur dum oportet hoc tantum eſſe in ore, Eſt eſt, Non non. Amplius enim quàm eſt & non eſt, à malo eſt. Quocirca de Ageſilao Ælianus lib: 14 cap: 2. refert. Barbaros qui iuriſiurandi religionem violaſſent, laudabat. Audi rationem. Quia peierando illi Deos ſibi ipſis infeſtos redderent, ipſi verò ſocios & auxiliares fore intelligebat. At ne aliquis exiſtimet quod iuramentum omne ſit tenendum, & cuilibet præſtitum; teneat memoria filiam ſaltantem pro capite B. Ioannis Baptiſtæ obtinendo. Iurauerat Rex, ſed non debuit miſer iuramentum tenere. Vndè Iſidorus lib: 2. cap: 31. Non eſt obſeruandum iuramentum cum malum incautè promittitur, veluti ſi quiſpiam adulteræ perpetuo cum ea permanendi fidem polliceatur. Tollerabiliùs eſt enim non implere Sacramentum, quàm permanere in ſtupri flagitio. Inter ſymbola ponunt aliqui pomum Perſicum inter folia frondis, & ſubſcribunt: VÆ DVPLICI CORDE. Qui enim aliud cogitat in corde quod figurat pomum Perſicum, & aliud lingua loquitur, quod ſignificat

Iurans impletur iniquitate.

Laudat periuris malum.

Non omne iuramentum tenendū.

falſam, prohibet damnoſam proxigua tenet. Quocirca meritò huic ipponitur. *Væ.* Maius væ erit illi, qui ſimulate vadit cum Deo Saluatore ſuo, nam in iudicio ſentiet ſummum væ, vbi manebit fletus & ſtridor dentum. Aſſumpſit enim in vanum nomen Domini, & aliquando in mendacio, in periurio, in damno proximi. Hinc Iſa. 5. Ad eum venient & confundentur omnes qui repugnant ei. Magna enim culpa eſt mendacium quod animæ, corpori, famæ, bonis temporalibus nocet. Maxima verò quæ contra veritatem religionis eſt.

Vlulare incubilib9.

Pro 3. leproſo qui diem Domini non Sanctificat, Nota. Oſeæ. 7. *Non clamauerunt ad me in corde ſuo, ſed vlulabant in cubilibus ſuis.* Quaſi diceret, laudem meam noluerunt nec nomen meum ſanctificauerunt, at maluerunt vanis & inhoneſtis actibus occupari & obſcena agere in cubilibus ſuis, quæ turpi cantu exprimebant, non tam cantando quam vlulando cum lupis & beſtijs inſenſibilibus, reiecerunt enim omnem intellectum ſuum, ac conſideratione̅ Dei qui intuetur corda, ſpreuerunt. Ælianus lib: 14. cap: 9. refert. Philiſcus ad Alexandrum aliquando dixit. Ad gloriam incumbe, verum ea conditione, ne ſis peſtis, vel magnus aliquis morbus, ſed pax & ſanitas: affirmans, per vim & ſæuitiam imperare, expugnare ciuitates, populos excindere, peſtilentiam eſſe: Sanitatis verò eſt, ſalutis ſubditorum rationem habere, ea inquit, ſunt pacis commoda. Docuit hîc gloriam veram, inter populos vndè oriatur, ex pace & ſanitate, infamiam verò apud mortales, ex vi & tyrannide eſſe. Ita gloria hominis vera, ex laude Dei procedit, ex maledicto verò & non reddito honore maieſtati diuinæ, ignominia æterna ſequitur. Vndè dicebat Dominus: *Memento vt diem ſabbati ſanctifices.* Si enim dies Domini non obſeruaueris ſanctificando, maledicto in maledictionem detruderis. Vnde B. Iſid: de ſum: bon: lib: 2. cap: 11. Ad præcepta Domini hortatur dicens: Si ad boni incitamentum diuina quibus admonemur præcepta deeſſent, pro lege nobis Sanctorum exempla ſufficerent. At contra cu̅ & nos Deus præceptis ſuis admoneat & vitæ Sanctorum boni operis nobis exempla proponat, nulla eſt iam de reatu excuſatio, quia ea lex Dei ad aures noſtras quotidie pulſat, & factorum documenta bonorum cordis noſtri intima prouocant. Fidem Romanorum tali ſymbolo Capaccius expreſſit. Formauit nome̅ Dei literis Hæbraicis Iehouach tu̅ manus inſertas duorum virorum poſuit faſcia ligatas, & infra canem quieſcentem addidit, ſubſcripſitq;: FIDES ROMANORVM. Per pulchrum ſymbolum, Deus verò fidem ſuam cum homini in decalogo manifeſtauerit atq; addidit præmia & pœnas ſeruantibus & non ſeruantibus, iam homo in corde & mente quotidie &

Ad gloriam quo incumbe̅dum.

Gloria hominis ex laude DEI.

quoli-

quolibet horæ momento, verſare & recogitare illa debet, dicendo. Fides Chriſtianorum, & pactum Dei. Non habere Deos alienos. non aſſumere nomen Domini in vanum, Diem ipſius ſanctificare, orationibus, meditationibus, ſanctis operib⁹. Concludo verbis Beati Nili Mart: *Semper in operibus bonis vlterius procedere cura, nam ſi minutum minuto accumulaueris quotidie, breui diuitias ab omnibus expetendas congregabis.*

Fides Chriſti amorũ

Pro 4. Leproſo qui parentes ſuos non reueretur nec amat. Nota. Dei & diaboli longe ſunt diuerſa deſideria. Deus honorare parentes præcipit, diabolus contemnere ſuadet. Homo qui recta ratione vtitur ſentit cum Deo & dicit. Dijs, parentibus & præceptoribus non redditur æquiualens, qui verò rationis vitiatæ eſt diabolũ ſequitur & dicit. Cur igitur me genuit, cur non ſubminiſtrat bona, cur ille potiùs me non ego illum tollerare debet. Et de horũ numero erant illi potiſſimi Filij apud ſardoas qui vt refert Ælianus Libro 4. cap: 47. legem tulerant, vt filij patres iam ſenio confectos fuſtibus cæderent & interemptos ſepelirent, abſurdum arbitrantes vt delirus ſenex vlterius in viuis agat. De numero verò bonorum erant illi duo Abraham & Iſaac, Iſaac reuerebatur Patrem, qui patiens ac ſine voce vt percuteret pia colla, præbuit Patri. Abraham verò reuertus Deum licet promiſſum accepiſſet quod ſemen ipſius ceu arena maris multiplicanda erat vel ſtellæ cæli, tamen ad præceptum Dei ibat & imolabat Deo filium vnicum & ſic promiſſum. Vndè parentibus inobedientes filios inter ſceleratos numerabat Apoſtol: ad Rom: 1. Et Moyſes dicit 25. lapidibus obrui tales iubebat. Sed mouenda hic quæſtio an in omnibus obedire debeãt filij parentibus ſuis, ne per hoc illos diſhonorare videantur cum non obedierint illis. Quod in omnibus obedire teneantur apparet ex Apoſt: ad Coloſſ: 3. Filij obedite parentibus per omnia. Ex altera parte Luc: 14. dicitur. *Si quis non odit Patrem & matrem non poteſt eſſe meus diſcipulus, inquit Chriſtus.* Et *Deut* 33. *dicit Moyſes. Qui dixit Patri ſuo & matri ſuæ neſcio vos, & fratribus ſuis, ignoro ſi cuſtodiunt eloquium tuum & pactum tuum ſeruauerunt.* Reſpondendo diſtinguit S. Auguſtin: *Honorandus eſt genitor ſed præponendus eſt creator.* Vndè cum ad monaſterium Dei cauſa confugit, & matrem ſuam quam ſemper amauerat & cui maximâ deuotione ſeruierat ante fores monaſterij deſolationem ſuam miſerabitur allegantem ac cælum clamoribus pulſantem, audiret; ſurſum corde poſitus, ne quidem ad illius præces aduertere dignum putabat quia pietatem ſolitam religioſa crudelitate vincebat, & ſimilis ebrio per ſpiritualem gratiã factus, vtrum mater eſſet, quodam modo ipſorum iuris, obediendum patientibus, ſed quæ ſunt ignorabat. In illis igitur quæ ſunt contra Devm

Bonus parentibus reddit honorẽ malus ignominiam.

Patres fuſtib⁹ cædebãtur.

An in omnib⁹ obedire filii debent parent.

Præponendus creator

Non ſẽper obediendũ parentibus

DEVM vel legem, non audienda ab illis. Hinc Plut: de vitioſa verecundia dicit, Cum iuberet Pater Ageſilai vt contra leges pronunciaret, reſpondit A te pater à puero didici parere legibus, quamobrem nunc quoq; tibi obtempero, caues ne quid faciam contra legem Adijciam D. Hyeron: verba ex Epiſt: ad Heliod: *Licet ſparſo crine & ſciſſis veſtibus, vbera quibus te nutrierat oſtendat mater, licet in limine pater iaceat, per calcatum perge patrem, ſiccis oculis ad vexilum crucis euola. Summum pietatis genus eſt, in hac re eſſe crudelem.* Tempore belli, omnes currunt ad arma, ad foſſas, ad præſidia, quia tunc hæc poſcit ſpectacula tempus. Ita qui Chriſtianus eſt & æternitatem in cæleſtibus appetit & perquirit, ſciat quod tempus hoc non alia ſpectacula poſcit, niſi vt Deo obtemperes, legibus pareas, parentes vt iuſtum eſt honores, ipſiſq; obedias. Eccl: 3. *Qui timet Dominum honorat parentes, & quaſi Dominis ſeruiet his qui ſe genuerunt.*

Hæc poſcit ſpectacula tẽpus.

Pro 5. leproſo qui eſt violator 5. præcepti, Nota. Ex morte hominis probi, amici, parentis, plurimum triſtantur homines, quomodo igitur non contriſtabis eum, cum morte violenta abſtuleris è viuis alicuius amicum vel parentem. Alexander Hephæſtionem Ducem militiæ ita luxit (inquit Ælianus lib: 7. c. 8.) vt dolori, amori & lachrymis omnia permitteret. Nam cum diem ſuum obijſſet, Alexander iniecit in pyram arma ipſius aurum & argentum, veſtem magni precij apud Perſas in ignem conuertit. Raſit omnes fortes bellicoſos & ſeipſum, tum vbi mortuus eſt arcem Ecbatanorum euertit, & ſtolam permutauit. Obſeruauit in hoc vſq; ad capillos ingenium Græcum, ſed euertendo arcem luxit more barbarico: cætera dolori, amori, lachrymis permiſit. Quomodo igitur non fleret, ſi non morte naturali ſed violéta, ignominioſa, fraudulenta deceſſiſſet? Apparet grandè nefas occiſionem hominis eſſe, ſi tam lege veteri quam noua prohibita eſt occiſio hominis, ſi tanta pæna primus occiſor Caim punitus fuerat, ad clamorem in cælum occiſi Abel. Dolorem mortuorum communiter exprimunt colore nigro, ſed quædam vere dolens mariti mortem vidua, vt continuum dolorem & gemitum exprimeret, aſſumpſit columbam albam in ſymbolum, ſed cum reprehenderetur quod nigram aſſumere debuiſſet, illa cum albæ nil ſubducere volebat, quod motus cordis & dolor æquiparandá non inueniret periodum, ſubduxit laceſſita dictæ columbæ, DOLOR NON COLOR. Hoc eſt Exprimit gemitum meum & dolorem, illius continuus gemitus & dolor. Cùm verò occiditur aliquis homo violenter & innocue, dolet DEVS quod præceptum illius irritum factum, Dolet, quæ pænas infligere duras cogitur. Dolent amici, vicini, familiares & propinqui. Vndè continuas lachrymas

Mors amici doloroſa.

Dolor Alexãdri de morte amici.

Color niger doloris ſignum

Columba doloris ſimb:

Occiſio fortuita.

mas nigro colore teſtantur. Quod ſi occiſio non fuerit ex voluntate mera ſed fortuito, alleuiatur quidem lex vt non moriatur ſed mortale fit eo quod vel re illicita vſus eſt vel incaute egit. Vnde Num: 25. dicitur. Quod ſi fortuito & abſq; odio & inimicitijs quicquam horũ fecerit occiderit ferro, ligno, lapide, & hoc comprobatum à populo fuerit, ſi quæſtio ventilata inter percuſſorem & propinquum ſanguinis, liberabitur innocens de vltoris manu. Sed diuerſa ſunt iudicia Domini ſub diuerſa hac lege. Nam inter exempla Patrum occiſionem cauſalem grauius & grauiſſime hic punitam legimus. Quidam currendo ſuper equum occiderat infantulum curſu equi, qui mortuus, continuò ipſi apparebat vocitando. Cur me occidiſti? cur me occidiſti? Motus tanto pondere verborum, intrauit religionem, attamen non ceſſauit vox poſt tergum licet annis duodecim in religione eſſet. Affectus rerum horrore ex voce occiſi pueri incautè, exiit è religione, & ſubito vltio ſanguinis ſuper illum, reddidit enim vitam pro vita, occiſus eſt atrociter caſu inopinato occiſor. At quoniam B. Albertus Mag: occiſionem duplicem in ſermone coniunxit corporalem ſcilicet & ſpiritualem, idcirco intelligentiæ gratiâ diſtinctionem hanc ampliorem reddemus. Homicidium corporale committitur quadrupliciter, facto, conſilio, præcepto, & defenſione. Item committitur voluntate, caſu, neceſſitate, vt alij diſtinguunt. Sed occidere voluntate idem eſt quòd facto, & neceſſitate idem videtur eſſe quod in defenſione. Homicidiũ verò ſpirituale cõmittitur, vel omittendo, vt cum quis videt alium in extrema neceſſitate & non ſubuenit illi, dicitur eum occidiſſe. Quos enim homines paſcere poteris, & non paſcis occidiſti. 1. Ioan: 3. *Qui habuerit ſubſtantiam mundi huius & viderit fratrem ſuum hoc eſt proximum ſuum neceſſitatatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo manet charitas Dei in eo?* Vel commttitur committendo, vel corde odiendo, ſicut 1. Ioan: 3. *Qui oderit fratrem ſuum homicida eſt*, vel ore detrahendo, quia ille qui detrahitur, occiditur in conſcientia eius qui audit detractorem in quo prius videbat bonam famam. Vel opere, malo ſcilicet exemplo alij occaſionem præſtando.

Cur me occidiſti?

Occiſio corporalis & ſpiritualis.

Spirit: occiſio qua.

Pro 6. leproſo, qui contra caſtitatem pugnat, Nota. Leuit: 20. *Si mœchatus quis fuerit, & adulterium perpetrauerit, morte moriatur & mœchus & adultera.* Proindè vult B. Albertus Magnus vt qui per legitimum matrimonium non ſunt copulati, corde, ore, opere & manibus non exerceãt turpitudinem. Nam licet mœchia prohibeat ſolùm adulterium, nihilominùs in hoc præcepto etiam omnis illicitus concubitus, & membrorum illegitimus vſus in actu venereo, prohibitur. Et ad talem lepram ſpectat inceſtus, ſacrilegium, Sodomia, beſtialitas. Verè enim lepro-

Mœchi a quid.

Lproſ9 eſt, om- nu im- mund9

leproſi ſunt iſti, quorum cor, cogitatio, manus, opus, membra ſordibus polluta, ſorditiem fætent, & ſorditatem amant. Hinc B. Nilus Mart: in Sent: Tropol: Væ ſcortatori, quoniam ſtolla eius nuptialis ſordebit, & ex regijs nuptijs turpiter eijcietur. Quocirca & viri & mulieres cautè ſe veſtire debent & cautiùs loqui ne occaſio fiant cogitatus peſſimi. Ita enim admonebat vxorem ſuam Socrates quam vidit veſtem inducere atq; ſic ad ſpectandam pompam exire, dixit illi. Vide quàm non ſpectandi cauſa, ſed potiùs vt ſpecteris, abeas, Dan: 14. Summè laudatur Suſanna quæ dicebat in anguſtia. *Melius eſt mihi abſq; opere incidere in manus hominum quàm peccare in conſpectu Dei.* Caſtus animus, caſtum corpus cuſtodit, & innocens animus, innocens corpus liberat. Sciat igitur vnuſquiſq; veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore non in paſſione deſiderij, ſicut & gentes quæ ignorant Deum 1. *ad Teſſ:* 4. Quocirca D. Aug: in Pſal: 146. dicit ad coniugatos Nihil in lecto turpiter agas, nec excedas vltra conceſſam libidinem in lege Dei: ſit caſtus cum vxore torus, & ſi eſt cura propagandi liberos non ſit effrenata luxuries libidinum. Defer in lecto tuo coniugi honorem quia membra Chriſti eſtis ambo, ambo ab illo conditi, ambo ſanguine ipſius reparati. *Sap:* 3. Nationes iniquæ, diræ ſunt conſumationis.

Veſtes mulier caute.

Caſtitas coniugatorum.

Pro 7. leproſo qui contemptor eſt præcepti Non furtum facies. Nota. Exod: 22. *Siquis furatus fuerit bouem aut ouem, aut occiderit vel vendiderit, quinq; boues pro vno reſtituet, & quatuor oues pro vna oue, ſi effringerit fur domum ſiue ſuffodiens fuerit inuentus, & accepto vulnere mortuus fuerit, percuſſor non erit reus ſanguinis Quod ſi orto ſole hoc fecerit, homicidium perpetrauit & ipſe morietur.* Sub nomine furti comprehendit B. Alb: Mag: rapinam, vſuram, dolum nam ſi pænale eſt clanculũ auferre, multo maioris pænæ eſt, violenter eripere. Et Cato de re Ruſt: ait. Peior exiſtimatur fænerator, quam fur. Vſurarius autem ſuper omnes mercatores maledictus. Greg: ſup Mat: Hom: 38. Et ſumma lepra eſt furtum, præter hoc enim, quod fures furca, reſtis, rota, tractio & ignis maculant, domum enormitate & parentes afficiunt, manet illos ſupplicium æternum ob peccatum mortale, niſi Dominus illorum pænitentia ad miſericordiam prouocetur. Spirituale quoq; furtum eſt, non quod aliquid furetur de rebus ſacris, ſed vt docet D. Aug: ſi propterea non feciſti furtũ quia times ne videaris, intus in corde feciſti, furti reus teneris & ſi nihil tuliſti. Quocirca ſymbolo ſi velis exprimere furem, tenebras denſas & velamen adnotato, & adiunge AMICI TENEBRARVM. fur enim vt habet Iſidorus in Ethymol: à furuo dictus eſt, id eſt, à fuſco, nigro & obſcuro. Nec periculoſius eſt peccatum quã furtum, nam ſine ſatisfactione non dimitti;

Furem quando occidere licet

Fenerator & fur comp:

Furtũ ſpirit:

Symb: furi.

mittitur licet pæniteat. Augſt: Non dimittitur peccatum niſi reſtituatur ablatum. Sed communiter parui fures plectuntur, & magni in Dominos exurgunt. Vndè quidam leges, aranearum tellis comparauit, vbi muſcæ pereunt, & bruchus rupta tella pertrãſit. Prou:29 idcit. *Qui cum fure participat, odit animam ſuam.* Cur non addidit, non proſperabitur, vel non ditabitur, vel perdet & ſuam ſubſtantiam, ſed dixit, odit animam ſuam, A furto & quaſi adiutorio corporis, ad animam deſcendit, an quia furtum tam graue peccatum eſt vt nedùm participatorem furti in periculum corporis deducit, ſed etiam animam iugulat, nedum priuat bonis temporalibus, ſed etiam æternis. Ita quidem eſt, ſed plus additur pænarum participatori furti, quia ille non furtũ commiſiſſet, niſi haberet vbi collocaret, & participanté foueret. Odit igitur animam ſuam tam qui furatur ſpiritualiter quàm qui attractat manibus furtum. Vterq; enim odit animã ſuam. Iſa: 1. Principes tui infideles, ſocij furum,

Fures praui & magni.

Fur odit animam ſuam qui.

Qui eſt fur. particips.

Pro 8. leproſo, qui forte falſum teſtimonium loquutus erat. Nota. Grauitatem & fæditatem eorum qui delinquunt contra hoc præceptum declarauit patientiſſimus Iob. 27. dicens. *Donec ſupereſt halitus in me & ſpiritus Dei in naribus meis non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium.* Arguit dicto ſuo falſos teſtes & conteſtes qui ex ira, timore & lucro ſolent iurare in damnum proximi. Habet Heraclides in Policijs. Lex apud Chaladenſes fuit ne magiſtratus & legati munere fungeretur qui annis quinquaginta minor eſſet. Verum ad teſtimonium dandum non ſufficiunt & tales anni, cum ſenio cõfecti contra Suſannam innocentem falſum teſtimonium dicere auſi fuiſſent, vitæ, famæ, & rebus ipſius inſidiando. B. Iſid: de Summ: lib: 3. cap: 59. Iniquus teſtis quãuis ſuâ falſitate corpori rebuſq; officiat, animæ tamen nihil oberit; imò maximum lucrum confert ſi impetitus æquanimiter tulerit, erit autem ille apud Deum condemnatus qui aduerſus innocentem falſum teſtimonium; vel dicit vel dicentibus credit. Nam non ſolùm ille reus eſt qui falſum de alio profert, ſed & is qui citò aurem criminibus præbet. Meritò loquentem falſum teſtimonium tali Symbolo declarabimus. Lingua crocodili farina conſperſa, habeat adiunctum, ADVERSA, VERO. Nunquam enim falſum teſtimonium ſine leſione vel damno fit, ſed ſpecioſis verbis, lachrymis, compoſitione ſemper fallit. Vndè meritò Iſidorus Teſtis falſidicus tribus eſt perſonis obnoxius. Primum Deo quem periurando contemnit, & conſequenter iudici, quem mentiendo fallit, poſtremò innocenti, quem falſo teſtimonio lædit. Quàm igitur enormis lepra fuerit dare falſum teſtimonium in puoximum ex his cognoſcere iam libet, ſi animam tam exoſam Deo & hominibus facit, vt

Mendacium cauendum.

Legati & Senatores in Annis. 50.

Falſus teſtis animæ non aſficit.

Symbol falſi teſtis lingua crocodili

Teſtis falſus tribus obnoxius.

vt Pſ: 5. dixerit. *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Quocirca recte Epictetus in Enchirid: cap: 50. admonebat. Quemadmodum in ambulando caues ne clauum calces pedemue diſtorqueas, ſic in degenda vita caue, ne gubernatricem actionem mentem tuam ledas. Qod ſi in re vnaquaq; obſeruabimus, omnia cautiùs aggrediemur.

Cauta ducẽda vita.

Pro 9. leproſo qui deſiderauit forte vxorem proximi ſui, Nota. 2. Petri 1. *Efficiamini diuinæ naturæ conſortes, fugientes eius quæ in mundo eſt concupiſcentiæ corruptionem.* Quam terribilis lepra qua diuinæ naturæ conſortium deperditur, & acquiritur diabolicæ conformitatis ſimilitudo, ſi conuertatur homo facie ſpecioſus in Ethyopis nigredinem, & candidum corpus ipſius in ſetam Satyris alicuius piloſi, conuerteretur, nonne terribilis oculis hominum factus, quemq; fugere à conſortio ſuo compelleret? ita concupiſcentia carnalis in homine & turpitudinis amor, retrudit hominem a conſortio caſtorum Angelorum & caſtitatis amatore Deo. Quod verò & amiſſionem æterni boni & conſecutionem æterni mali inducat hæc lepra Eccleſ: 18. dicitur. *Poſt concupiſcentias tuas non eas & à voluntate tua auertere. Si pr. ſtas animæ tuæ concupiſcentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Quibus inimicis? Et his qui ſunt in terra, nam ex conſenſu ad peccatum & actum ob concupiſcentiam, incides in diuerſa ſpaſmata ſanitatis, in puſtulas, morbos, vlcera, ex quibus inimici tui hîc gãdebunt, & inimici tuæ animæ infernales qui te ſuggeſtione ſuâ induxerunt in prauos cogitatus gaudebunt, dum pænam adhuc ſic viuenti in terra in corpore tuo diſtẽdent & in inferno maiores in dies prorogabunt. Refert Ælianus lib: 13. cap: 15. Polydorus quidam adeò duriſſimam cutem habuit, vt pungendo transfigi non poſſet. Profectò in illis tormentis inferi, deſiderabit immundus vt talem habent cutem quæ pænis reſiſtat inferi, ſed candenti tridenti atq; diaboli contumelijs cædat cutis duriſſima. Quocirca corrige te in vita, conſtringe lumbos tuos, cogitationes depelle, oculos cuſtodi; ita enim effugies pænam & gaudium cæleſtibus adferes. Hinc B. Nilus. Beatus puro corde & anima ſimplici, iudicare enim dignus eſt mundum, & non ipſum mundus. Vndè B. Albertus Mag: luxuriam mentalem interdicit, ne in tantam lepram animæ incidat homo. His enim principijs in maxima delabitur mala non cuſtodita concupiſcentia. Eſai: 5. *Dilatauit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſq; vllo termino.* Quomodo animam habet infernus? Eſt hic aſſimilatio quædam ad animam hominis gaudio repletam, quia tum ſummo deſiderio recipit quem ex toto affectu recipit. Ita infernus ceu haberet animam, cum ſumma dulcedine ſua recipiet animam

Conſortium diuinæ naturæ deperditur.

Concupiſcentia volenda.

Inimicis eorũ qui concupiſcunt abor.

Cutis duriſſima hominis ſed non in inferno.

Puri corde pigmentæ.

Luxuria mentalis.

Anima inferni & eſ.

mam luxurioſam & deſiderabit illam ſubmergere vſq; in profundo inferi. Aperuit os, cum concupiſcentiam immiſit; dilatauit os, cum ad peccati actum induxit; diſtendit amplius os, cum inconſuetudinem peccati reſtrinxit, claudet vero os, cum per mortem inferis ad iudicabitur. Aufer à me vanas concupiſcentias, & concubitus concupiſcentiæ ne apprehendant me. Orabat Eccl: 23.

Pro 10 leproſo, qui forte concupiſcebat, domum proximi ſui vel aliqua ipſius. Nota. Eccl: 9. *Non Zeles gloriam nec opes peccatoris non enim ſcis quæ futura ſit illi ſubuerſio.* Ignitum ferrum quis manu attrectare auderet; Bona proximi ſunt ceu ferrum ignitum, qui auarus vel inuidus illa concupiſcit & inuidet, ſibiq; deſiderat, tangit & aſſumit non ignem carbonum, ſed ignem ſupplicij æterni quia facit contra præceptum Dei & contra charitatem proximi. Quam verò damnabilis hæc lepra ſit, audi B. Iſidorum lib: 3. cap: 25. dicentem. Ita requirunt inuidi aditum malæ famæ, per quam bonorum vitam maculent, ſicut quærebant oſtium Sodomitæ quo domum Loth nocituri introirent. Illi verò cæcitate erroris percuſſi parietes videbant, oſtium non inueniebant Non aliter inuidi videndo velut parietem virtutes diſſimulant, vitia verò perquirunt, per quæ eorũ conſcientiam vrant. Dignus plane erat laude Ptolemæus filius Lagi, de quo Ælianus lib: 13. c. 13. Hic maxima cum voluptate amicos ſuos locupletes afficiebat Dicebatq; melius eſt ditare quàm diteſcere. Ita profectò & ſenſus præcepti Domini est, vt non concupiſcamus bona & quæ ſunt proximi, ſed locupletes & ditiores faciamus, oremus verò Dominum vt placeat maieſtati ipſius & benedicere tibi ſicut proximo benedixit, & ea dare, quæ ſint vtilitati animæ magis quàm corpori, corpus enim perit & ſpiritus manet.

Bona aliena ſunt ignitum ferrum. — *Inuidia vitium malitiæ.* — *Melius eſt ditare quam diteſcere.*

Quid ad Leproſorũ munditiem requiratur.

RESP: Quinq; 1. Vt Iesv caſtellum ingredienti occurrant. Ille Ieſu occurrit, qui hoc firmiter credit quod Ieſus ad iudicium in mundum veniet, & quod in carne ſua reſurget, & coram Deo iudice ſtabit, vel vitæ æternæ, vel mortis perpetuæ ſententiam auditurus. 2. vt Viſo Ieſu ſtent à longe. Ille à longè ſtat, qui ſe humiliat, & Chriſtum iudicem ſperando formidat. In hoc enim notatur ſpes, quod ſteterunt. Timor autem in hoc innuitur, ſteterũt à longe, tanquam non audentes propiùs accedere. 3. eſt quod vocem ſuam ad Deum leuent dicentes: Ieſu præceptor miſerere noſtri. Ille ad Deum vocem leuat, qui per pænitentiam & iuſtitiam ad Deum clamat Miſericordia quippè & iuſtitia ſunt alæ orationis, quibus leuatur ad Deum, miſericordiam ſuam pauperibus

Leproſorum munditia quibus modis.

ribus tribuit. Iuſtitia verò vnicuiq; ablata reſtituit. Quartum eſt, quod Sacerdotibus ſe oſtendant. Vndè dixit eis: *Ite oſtendite vos Sacerdotibus.*

Ad confeſſionem 4. Reg:

Et Nota, quod ad confeſſionem præcipuè quatuor exiguntur, quæ hic innuuntur. 1. eſt vt ſit humilis; Vndè non dixit equitate, ſed ite. 2. eſt quod ſit nuda & ſui accuſatoria vnde ait: Oſtendite vos, & non alios. Tertium & quartum eſt, quod ſit diſcreta & frequens: vndè ſubdit Sacerdotibus, quaſi diſcretis & bonis. Sacerdotes enim dicuntur quaſi Sacri duces. In hoc enim quod pluraliter ait, innuitur, quod debet eſſe frequens; vt ſi vnus Sacerdos & confeſſor moriatur, vel ſe in alium locum transferat, alteri confiteatur, & vt toties ſe ad minùs lauet per confeſſionem, quoties ſe polluit per peccatum. Contra quod multi faciunt, qui vix ſemel confitentur in anno. Quartò neceſſarium eſt leproſis, vt pro emundatione ſua manus offerant, quod lex inſtituit offerendum. Vndè Dominus Luc: 5. dixit cuidam leproſo, quem curauerat à lepra, *Vndè oſtende te ſacerdoti*, & offer pro emundatione tua, ſicut præcepit Moyſes in teſtamento illis.

Munera leproſorum.

Nota, quod legitur in Leuit: 14. quod leproſus pro emundatione ſua ad minus, offerebat quadruplex munus, videlicet agnum vnum, & olei ſextarium, & duos turtures, aut duos pullos columbarum, & decimam ſimilæ oleatæ in ſacrificium. 1. Per agnum, qui pro delicto immolatur, intelligitur carnis maceratio, quæ maximæ fit per ieiunium & cilicium, 2. Per Olei ſextarium figuratur eleemoſynarum largitio, quæ admodum olei miſerias egenorum lenit; & hæc maximè conſiſtit in illis ſex, de quibus Dominus loquitur Matth: 25. Eſuriui & dediſtis mihi manducare: ſitiui, &c. 3. Per par turturum aut duos pullos columbarum ſignificatur gemebunda & lachrymoſa oratio. Debet enim pænitens deinceps ad ſimilitudinem turturum, fugere ſtrepitus huius mundi; Debet etiam tanquã gementes columbæ ſemper aquarum id eſt lacrymarum fluuium reſidere. 4. Per decimam ſimilæ oleatæ notatur hilaris adimpletio mandatorum Dei ſicut enim ex ſimila panis conficitur, qui cor hominis confirmat; ita & per adimpletionem decem mandatorum Dei anima confirmatur, vt perueniat ad regnũ Dei. Quod autem pænitens deinceps hilariter adimplere debeat quæ transgreſſus eſt; primò per hoc haberi poteſt quod ſimila oleo conſperſa debebat offerri. Rogate ergò Dominum, vt per eius gratiam à peccatis emundati ad electorum conſortium pertinere mereamur. Quod nobis &c.

ANNO.

ANNOTATIONES.

Lepro- ſi pro- pter pecca- tum neceſſa- rio.

OCcurrere Domino IESV primum eſt quod lepro'o per peccatum ſummè neceſſarium, Nè enim occurreret Abigail Regi Dauid irato, cæſſus fuiſſet maritus ſuus. Et ſi hi leproſi non occuriſſent Christo Ieſu, nunquam fuiſſent curati, ſed abominabiles eſſent populo in diem vitæ ſuæ. Occurrerunt ergò illi decem leproſi ab vrbibus & opidis expulſi, ceu ritu legis Moſaicæ immundi, qui vt dicit Titus in expoſitione Euangelij præſtolabantur tranſitum Ieſu ſoliciti donec aduenientem Chriſtum viderent. Et in dè in Euangelio additum legimus, quia occurerunt viri, Non enim ſolùm appoſitum eſt viri, quia erant de Maſculino ſexu, ſed expreſſit Euangeliſta opus in eis non fæmineum nec debile, ſed virile & forte. Induerant enim virilem animam, nam ſpem & fidem habentes ad Saluatorem, viriliter occurrerunt atq; inhæſitanter. Ad talem animoſitatem & virilem progreſſum inuitauit omnes D. Paulus ad Epheſ: 4. *Occurramus omnes in vnitatem fidei vt agnitionis Filij Dei.* Dicebat quondam Pſal: 26. *Faciem tuam Domine requiram.* Quid eſt faciem Domini requirere? Vbiq; eſt Deus ſecundum eſſentiam diuinitatis ſuæ, omnia implet, omnia comprehendit, quomodo igitur requiret? D. Proſper ſoluit dictum. Ceſſatio auxilij eſt abſentia eius, vndè ibi non eſſe dicitur, vbi non operatur. Sed aliam voluit ſolutionem S. Dauid, cum faciem requirere Domini deſiderat. Facies Domini, eſt filius eius qui eſt ſplendor Patris & figura ſubſtantiæ eius. Cupiebat ergò faciem Meſſiæ promiſſi ſibi & ſanctis ab æterno, videre. Et talem faciem perquirebant etiam hi decem viri leproſi. Conuerſabantur enim adinuicem quos fecerat vnanimes communitas paſſionis, & ad inuicem præſtolabantur venientem Dominum vndè occurrerunt ad caſtellum venienti, vt faciem Filij Dei incarnati conſpicerent in natura humana factum hominem. Miram ex aſpectu deduxit ſapientiam Eccl: 19. dicens. *Ex viſu cognoſcitur Vir & ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus.* Vt non ſimplex vir intelligitur in hac ſententia, ita & ſenſatus non ſimplex eſſe debet. Nam ſi vir ad viſum comparabitur, non ex viſu debet cognoſci, quoniam hic non eſt intentio dicti de quantitate mollis, ſed de ſapientia graui, aut de fortitudine magnanimi, quod non ad vſum, ſed ad experientiam ſpectat. Ita ex facie ſenſatus ſeu intellectu prægnans & ſagax non cognoſcitur, ſed ex ſermone & actu aliquo ſapienti. Quid igitur dicendo intelligit Eccleſia, quod ex curſu faciei, cognoſcitur ſenſatus ſit hæc expoſitio noſtra. Senſus eſt non de viſu & occurſu actuali, ſed de paſſiuo. Ille qui videtur, cognoſcitur, ex viſu vir, vt ille qui occurrit alicui, cognoſcitur ſenſatus. Et ita Dominus Ieſus vt vidit

Occur- ſus le- proſo- rū do- mino. — *Vir di- ſcitur intelli:* — *Facies domini requi- rere.* — *Auxi- lij ceſ- ſatio abſentia domini.*

Facies domini Filius Dei. — *Vir quomodo cognoſci- tur & ſenſatus.*

vt vidit leproſos cognouit eſſe viros intus, & ex occurſu faciei ipſorum Domino, cognouit ſenſatos eſſe & intelligentes, in Ieſu Nazareno futuram ſuam ſanitatem & ſalutem. Quocirca B. Cyrill: Gloriam ſuam Saluator manifeſtat, attrahens ad fidem Iſrael: Vidit igitur in his leproſis fidem virilem, qui in nomine præceptoris vt habet Thæoph: Dominum & indè Deum intellexerant, & attraxit eos reſpiciendo, ad ſe, & gloriam ſuam manifeſtauit, cum illos ex templo ſanos fecit, & remiſit ad ſacerdotes vt cognoſcerent & iudicarent illos redditos eſſe ſanitati & mundiciì. B Albertus Magnus. Occurſum futurum Domino peccatorum conſiderauit, & ex occurſu leproſorum qualiter peccator Ieſu Chriſto occurrere debeat iudici concluſit & docuit. Vndè dixit Ille occurret ingredienti benè, quí rectè ſedulo & exquiſite ſecum meditabitur, quod Chriſtus Ieſus ad iudicium veniet in carne, & omnis homo ſtabit ante illum iudicaturus, & de factis ſuis ſententiam auditurus, Occurrendum igitur hîc Domino dicendo ſuppliciter. Ieſu præceptor miſerere noſtri. Iam enim ibi non ampliùs dies miſericordiæ ſed iudicij erit, vnde hîc miſericordia quærenda nobis, vt iudicium ſeuerum ibibem fugiamus.

Occurrat peccator Deo vt leproſus in animas

Stādū à longè leproſo.

Stare à longè. Nota. Theophilactus expoſuit ſtare à longè, de verecundia. Quaſi verecundantes de immundicia quæ eis imputabatur de longe ſteterunt. Putabāt illi quid Chriſtus eos faſtidiret admodum aliorum. B. Albertus Magnus dicit quòd ob humiliationē ſuam Domino, & ob timorem non audebant accedere, ideò à longe ſtabant. Omnis iſta expoſitio eſt vera, & ex vna, altera ſequitur. Nam qui afflictus eſt, humiliter ſolet deprecari adiutorium, & reuerentiam facit, & accedere, non ita libere audet ad ipſum, cum quo notitiam vel familiaritatem non habet. Quocirca conſiderando Samaritanum Titus quod ſanatus audacter venit vt gratias ageret, dicit. Dedit ei appropinquandi audaciam ſuſcepta purgatio, & cecidit in faciem ante pedes eius gratias agens, fidem ſuam cum beneuolentia procubitu tali ponderis. S. Brigitta cum ad partum periclitaretur ob filiam Cæciliam dedit ei B. V. MARIA fælicem partum. Poſtea apparuit ei & dixit. Tu auxilium es experta, vide ne ſis ingrata. Si me diligis, labora vt Filij tui ſint etiam filij mei. Fælix progenies ex qua Dei Mater ſibi filios adoptionis eligere dignabatur. Hi decem leproſi, erant quidam partus ſpiritualis Saluatoris noſtri, à quibus non aliud volebat Dominus niſi vt ſint ſui Filij adoptiui. Nam licet erant longè loco & corpore, à Domino vt dicit Theophilactus, erant tamen propè Dominum, fide & deprecatione. *Propè enim eſt Dominus omnibus inuocantibus ſe in veritate.* Pſal: 144. Quocirca his qui erāt ſibi propè factus

Catharina filia S. Brigittæ

Filia adoptiua B. V. M.

Partus ſpirituales Dei

ctus eſt Dominus propè. Anaxagoræ Ppiloſopho inquit Ælianus lib: 8. cap: 18. erant inſcriptum ſepulchro Epitaphium. Hic iacet ille cui rerum patuere receſſus, atq; arcana poli, *Magnus Anaxagoras.* Superba inſcriptio. Sed fortè, illo tempore plauſibilis populo honorato. Verùm nulli hic ſenſus Litterarum magis conuenit, quam Chriſto Domino. Illi enim omnium nedum rerum ſed accidentiũ quoque patet & receſſus & acceſſus, & arcana poli, nemini magis nota, quam illi ſunt. Quocirca hi licet ſtarent à longe nec peterent niſi ſanitatem corporis ille qui in feriora cordis nouit, incitauit illorum petitionem etiam ad petendam ſanitatem mentis. Quocirca Samaritano dictum fuit Lucæ 17. *ſurge, vade fides tua te ſaluum fecit.* Non dixit ſanum, ſed ſaluum. Quod & in corpore & in anima ſanus factus eſſet.

Magno Anaxagoro.

Deus intima nouit.

Vocem eleuauerunt. Ieſu præceptor miſ: noſtri. Nota. Patientiſſimus Iob 7. eleuando vocem ad Deum dicebat: *Non parcam ori meo loquar in tribulatione ſpiritus mei, & confabulabor in amaritudine animæ meæ.* Altitudo ſpei ſatis expreſſa à Sancto viro, ſed heu in Chriſto venturo talis ſpes fixa fuerat, idcircò non conſolabatur in ttibulatione & amaritudine ſua ſubitò, ſed confabulabatur cum anima ſua, & ſpem ſibi ponebat in futuro Saluatore. Hi verò leproſi eleuabant vocem ad aures præſentis Saluatoris ſæculi, & animarum futuri redemptoris. Idcircò fælix illorum fides, fælix vocis eleuatio ad Ieſum, nam & tribulationem corporis & amaritudinem animæ ab eis tollere paratus fuit. Sed recipere gratiam vlteriorem vnus ipſe Samaritanus accelerauit, alij verò qui erant ex Iſraël, licet ſanitatem corporis receperunt, non tamen vlteriorem ſanitatem in anima quâ verè abominati erant Deo & Angelis, recipere noluerunt. Vndè dicit Dominus: *Et nouem vbi ſunt!* Hinc quantumcunq; enormis peccator colligat, quod Deus paratus eſt inuocanti ſe auxilium præbere. Audi Petrum Rauennat. Quis in ſæculo peccauit enormis Paulo? Quis in religione grauiùs Petro? Illi tamen per lachrymas & pœnitentiam, meruerunt conſequi, non ſolùm miniſterium, ſed magiſterium ſanctitatis.

Vox Idei.

Vox leproſorum.

Peccator non deſperet.

IESV præceptor miſerere noſtri. Nota. Breuis ſed alta deprecatio. Vndè Theophil: Non ſimpliciter obſecrat eum; nec rogant vt mortalem. Vocant præceptorem, id eſt Dominum, quo videntur opinari Deum. Præceptor enim erat non ſimplex, ſed qui vitæ legem poſuit & præcepta dedit. Ac ſi dicerent dicit B. Alb: Mag: Præceptis tuis volumus obedire & ſumus parati. Dicunt IESV. Titus. Nomen dicunt & lucri faciunt rem, nempè, ſaluationem *Fortis eſt in ſalutem gentis.* Eccl: 47. Dicunt miſerere nobis, propter experientiam virtutis eius, nec aurum

Oratio leproſorum.

Præceptor Chriſtus.

Nomen Ieſus.

rum vel argentum petunt, ſed aſpectum, vt ad aſpectum, ſanitatẽ corporis obtineant. De hoc Eccl: 36. *Miſerere noſtri Deus omnium & reſpice nos, & oſtende nobis lucem miſerationum tuarum.*

Lux miſerationum

Ex aſpectu lux quædam miſerationum prodire dicitur, quod in ipſo affectu cognouerunt leproſi, quia vt reſpexit illos, & illi greſſum mouere ad mandatum ipſius, ſtatim lepra decidebat, & decor corpori aduenìebat, & ſanati remanſerunt.

Darij miſericordia in hoſtes.

Excellentem quondam miſericordiam proteſtatus fuit Darius contra quoſdam in Perſia non obſcuræ famæ viros ſaluti ſuæ inſidiatores, refert Ælianus lib: 6. cap: vltimo. Cũ reſciſſet quòd inter venandum inſidias ſtruere deberent illi, non correptus metu Darius, ſed iuſſit eos arma ſumere & equos, deindè mandauit vt proferrent & intenderent arma. Torue poſt aſpexit eos & dixit. Quid igitur non exequimini id cuius gratia veniſtis; At illi cum intrepidum Darij vultum aſpicerent, non ſolùm impetum remiſerunt verùm etiam vſq; adeò terrore perculſi ſunt, vt haſtas abijcerent & deſilientes ab equis Darium adorarent, eiuſq; arbitrio prorſùs ſe darent, Qui diſgregauit eos à ſe mutuo & alium in Indiæ confinia miſit alium ad Scythica. Atque illi beneficij memores fideles in poſtremum & obedientes ei fuerunt. Non mediocris hæc fuit miſericordia in conuictos hoſtes ſuæ ſalutis Darij. At incomparabiliter maior IESV Chriſti in leproſos. Nam ad vnam vocem, Ieſu præceptor miſerere noſtri illos nedum ſanauit licet ſciret multos fore ingratos beneficij, ſed cætera beneficia illis conferre erat paratus ſicut & Samaritano contulit, dicens. *Fides tua te ſaluam fecit,* hoc eſt in ſalutem conſeruabit. Iſidorus Primordia conuerſorum blandis refouẽda ſunt modis, ne ſi ab aſperitate incipiant exterriti ad priores lapſus recurrant. Qui enim conuerſum ſine lenitate erudit exaſperare potiùs quàm corrigere conſueuit. Quocirca Chriſtus, nec quæſiuit vbi ſunt ingrati beneficij ſed quæſiuit cur ad gratias agẽdas non venerunt. Nouerat enim vbi fuerunt & cur non venerunt, ſed illos acriter admonere non deſiderauit. 2 Petri 2. *Canis reuerſus ad ſuum vomitum & ſus lota in volutabro luti.* Vbi inueniebantur & illi nouem ingrati vnd: Titus in expoſitione Euang: Promptiores ad fidem erant alienigenæ, lentiùs autem erat Iſrael.

Primordia conuerſorum curanda.

Alienigenæ fide promptiores.

Ite oſtendite vos Sacerdotibus. Nota. Tria in his verbis notãtur. 1. Præceptum vt irent ad Sacerdotes, illorũ enim erat experiri an mundati à lepra vel non. 2. obedientia leproſorum, nam eundo ſanitatem recipere debuerant, ſicut & Naaman qui iuſſus lauari in Iordanis aqua. *Miſit verbum ſuum ſanauit eos.* Pſal: 106. 3. Gloria Filij Dei. Cyrillus. In quo Iudæorum Pontifices æmuli gloriæ eius cognoſcere poterant quod inopinatè & miriſicè ſanati ſunt. Concedente

Oſtendite vos ſacerdotibus cur dictum.

cedente ſcilicet eis ſanitate in Chriſto Ieſu. Omnes remiſit ad Sacerdotes, quia vna debet eſſe confeſſio fidei ſicut & vnus Deus eſt & vna debet eſſe Eccleſia. Nec nobilis nec plebeius, nec gentilis nec Iſraëlis dimittitur à cura Ieſu Chriſti, ſed omnes cuſtodit quos dedit eis Pater. Quocircà Theophil: Non impedit quenquam placere Deo & ſi de genere prophano proceſſerit dũ modo bonum gerat propoſitum. Nullus etiam natus ex ſanctis ſuperbiat, nouem enim qui Iſraëlitæ erãt, ingrati fuerunt. Sed dicunt Caluiniſtæ: Pro omnibus venit & mortuus eſt, cur non omnibus prodeſt? ſed multi ſunt expertes meritorũ Chriſti ſed reſpondendum quod Chriſtus omnium eſt redemptor quoad pretij ſufficientiam, quia omnes merito ſanguinis eius liberari poſſent à peccatis ſi crederent, non verò omnium eſt redemptor ſecundum efficatiam eo quod illius merita non applicantur ad vulnera animæ. Applicantur verò per ſacramenta, per gratiam præuenientem & per gratiam cooperantem. Et propter ſimilem applicationem iuſſit ire tales leproſos ad ſacerdotes, illorum enim eſt conferre ſacramenta per quæ & gratiã præueniens & gratia cooperans largitur homini ſupplicanti & oranti. Quocircà in defectu ſacerdotis, aliquando ipſi Angeli adminiſtrauerunt Sacramenta præcipuè Euchariſtiæ ſicut de B. Catharina Senenſi legitur, Et quodam Principe qui obſcelus quoddam occiderat Conſanguineum ſuum dum eſſet infirmus. Qui cum non confiteretur hoc peccatum admonitus ab Epiſcopo, excuſatione poſita quod iuſtitiam adminiſtraſſet, & Epiſcopus ſacrum viaticum illi denegaſſet, Angelus ex pixide accepta Euchariſtiã tradidit infirmo. Reuocauit Princeps Epiſcopum & iuſſit inquirere an haberet ſacram ſinaxim, & ille cum non comperiſſet turbatus eſſet, dixit Princeps ſibi porrectam fuiſſe ab Angelo. B. Albertus Mag: Authoritatem ſacerdotum hîc & ſuper 5. cap: Lucæ ex oſtenſione Sacerdotibus concludit. Vbi dicit. Et ſic, vſus clauis eſt in nouo teſtamento, quia ad arbitrium ſacerdotis leproſus iudicabatur, & ſeperabatur vel coniungebatur & reconciliabatur Eccleſiæ, Augſt: Confitere homo peccator homini peccatori. Ad hoc enim Deus exigit confeſſionem vt liberet hominem humilẽ, ad hoc damnat vt puniat ſuperbum.

Omnium habet curam D. Ieſu.

Chriſtus eſt omniũ redemptor.

Merita Chriſti applicanda.

Euchariſtiã Angelus dedit.

Confitendum Deo & homini.

DOMINICA XII. POST OCT: TRINIT:

Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire. *Matth: 6.*

QVIS SIT DOMINVS, CVI AB VNIVERSIS SERVIENDVM.

Chriſto eſt verum Dominium.

ILle eſt Dominus cui ſeruire debemus quem adorant Dominationes, tremunt poteſtates, videlicet Chriſtus Dominus DEVS noſter. De quo 1. ad Timot: 6. *Eſt Rex regum & Dominus Dominantium qui ſolus habet immortalitatem & lucem habitat in acceſſibilem.* Et Apoc. 9. *Vidit equum album & qui ſedebat ſuper eum vocabatur fidelis & verax & cum iuſtitia iudicat & pugnat. & veſtitus erat veſte aſperſa ſanguine habens in veſtimento & in femore ſcriptum. Rex Regum & Dominus Dominantium.* Hæc exponuntur de Filio DEI, cuius albus equus, eſt caro immaculata quàm ſumpſit ex virgine. Veſtis verò aſperſa ſanguine, eſt corpus proprio ſanguine aſperſum in cruce. Et in hoc ſcriptum Rex &c. quia enim ſe humiliauit vſq; ad mortem mortem autem crucis, DEVS Pater illum exaltauit & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine IESV omne genu flectatur cęleſtium terreſtrium & infernorum. Huic ergò credendum & ſeruiendum Domino, 1. Reg. 7. *Præparate corda veſtra Domino & ſeruite ei ſoli.*

❧)(o)(❧

ANNOTATIO.

Dominium duplex.

EST dominium verum & Dominium apparens. Verum, non eſt niſi penes DEVM, idcircò ſummo Pontifici ira lege veteri mandatum erat, vt nomen Domini ſuper frontem portet. Ille enim ſolus eſt, qui dicere poteſt. EGO SVM. Cuius eſſe vt omninò indepedens eſt, ita & Dominium ſingulare eſt. Dominium apparens eſt illud, quod vidit ſcriptum B. Ioan. in Apocal. ſuper femur ſuper equum ſedentis. Nam licet non ſit apparens apud eum, eſſe Regem regum ſed tantum apud eos quos ille fecit Dominos in terra, ſunt vere apparentes Domini: Natura enim ſunt fragiles, potentia verò ſua & Dominatu fortes. Vndè relinquitur, quod Rex regum & Dominus dominantium IESVS Chriſtus verus & independens eſt Dominus, alij verò ſunt Domini ab ipſo & participes poteſtatis ipſius. Vndè Epictetus in Euchirid. cap. 20. quærit. Quis Dominus? Et reſpondet cuiuſq; Dominus is eſt, qui ea quæ ipſe vult aut non vult poteſtatem habet conſeruandi vel eripiendi. Si ergò neq; cupis quicquam, neq; auerſeris eorum

Quis eſt Dominus.

rum quæ alterius ſunt, liber eris. Sin minùs ſeruire neceſſe erit. Omnes igitur & Reges & Domini terreni, ſerui ſunt cœleſtis Domini, tum quia ab eo Domini ſunt, tum quia ab eo multa & omnia egent. Aug. de ſerm. Dom. lib. 2. cap. 22. *Nullius conſcientia Deum poteſt odiſſe. Contemnit autem Deum, id eſt, non timet eum, cum quaſi de bonitate ipſius ſecurus eſt.* Dixit odiſſe non poteſt, quia ſummum bonum rationem odij habere non poteſt. Contemni verò & non timeri poteſt, quia miſericors, longanimis, patiens & benignus eſt. Sed tarditatem ſupplicij grauitate pœnæ recompenſabit. Quod verò Dominium terrenum ſit leue, caducum & vanum. Laconum conuiuia id inſtruebant. Aptabant enim in conuiuijs moderatis tres choros ſecundum tres ætates Horũ primus qui ſenior erat canebat. Nos olim validi fuimus iuuenes. Secùndus florentis ætatis reſpondebat, Nos autem ſumus ac ſi vis contemplare. Tertiùs puerorum cantabat. At nos erimus multo fortiores. Quid in his verbis conſiderabit lector. Flatum venti, turbinis ſtrepitum, vanitatis fiduciam. Infirmitas caſus hoſtis mors, totam ſpem & intentionis ardorem confundit & euertit. Fælix Dominium in terris eſt illud, qui eſt Dominus ſuorum affectuum, nam conſequenter erit Dominus variarum virtutum & meritorum, quibus de congruo præmia merebitur in cœlis.

Reges ſunt ſerui.

Dominium terrenũ caducum chori tres repræſentant.

Quis eſt Dominus, cui non eſt ſeruiendum, ſed fugiendum.

Reſp. Diabolus; cuius ſeruitium eſt fugiendum. Dæmones enim ſunt crudeles Domini, ſub quorum manu traditus eſt mundus iſte; vndè Iſa. 19. dicitur. *Tradam Ægyptum*, id eſt, mundum *in manu Dominorum crudelium.* De crudelitate quoq; dæmonum, dicitur Ier. 6. *Ecce populus venit de terra aquilonis Sagittam & ſcutum arripiet, crudelis eſt, & non miſerebitur, & ſuper equos aſcendent præparati quaſi vir ad prælium aduerſum te filia Syon.* Per populum, qui venit de terra aquilonis, dæmones intelliguntur, qui veniunt de regione inferni, vbi hyems regnat æterna. Per hoc autem quod dicitur, quod ſuper equos aſcendent, hoc intelligitur, quod feſtinant in interitum animarum. Veniunt autem cum ſagitta & ſcuto. Per ſagittam notantur plagæ irremediabiles, quas inferent peccatoribus & ſceleratis. Per ſcutum verò ſignâtur illa, per quæ ſe modo peccatores excuſantà ſeruitio Dei. Hæc ſcuta deferent ſecum dæmones. Oſtendent enim miſeris peccatoribus, quod quia ſe excuſauerant, ne Chriſto ſeruirent, propter hoc pœnas patientur æternas. Et certè ipſi crudeles ſunt & nunquam animabus damnatis miſerebuntur in ſupplicijs. Stultus eſt ergò qui ſeruierit ipſis.

Diaboli crudeles Domini.

ANNOTATIO.

Seruitium diaboli fugiendum.

CVm Diabolus ſemper odio ſit habendus, vt in Euangelio inſinuatur, nequaquam ſeruiendum illi, ſed fugiendum ſemper ab eius ſeruitio. Seruus enim ſeruiens Domino honorem & amorem Domino ſuo debet, igitur quem neceſſario odit, illi ſeruire non debet. Thales Philoſophus aliquando interrogatus. *Quid eſt vetuſtiſſimum pulcherrimum, maximum, velociſſimũ, robuſtiſſimum, ſapientiſsimum.* Quid eſſet omnium vetuſtiſſimum! reſpondit. DEVS quia nunquam eſſe cœpit. Quid eſſet pulcherrimum! ait. Mundus, eſt enim opus DEI. Quid maximum? locus, capit enim omnia. Quid velociſſimum? Mens diſcurrit enim per vniuerſa. Quid robuſtiſſimum? Neceſſitas. Superat enim omnia. Quid ſapientiſſimum? Tempus. Nam inuenit omnia. Poteſt apparens ratio reſponſionum Philoſophi haberi, ſed veriùs & meliùs dixiſſet quod DEVS qui eſt vetuſtiſſimus eo quia nunquam cœpit, ille quoq; eſt & pulcherrimus quia ab eo omnis pulchritudo eſt, ille quoq; *Tituli boni dominiũs Deo.* eſt maximus, quia à nullo capi creato intellectu poteſt, ille quoq; velociſſimus, quia citius quàm mens, eſt in cœlo, in terra, in inferis, ille quoq; robuſtiſſimus, quia totius roboris & fortitudinis dator, ille quoq; ſapientiſſimus eſt, quia eſt totiùs ſcientiæ, prudentiæ, ſapientiæ fons. Et quoniam talis & tantus eſt DEVS, merito illi omnis pulchritudo, fortitudo, velocitas, ſapientia ſeruire debet. Diabolus verò cum ſit ſtultiſſimus, quia amiſit cœleſtia bona ob ſuperbiam & detruſus eſt ſub terram in tenebras perpetuas; cum ſit turpiſſimus, quia Lucifer in Lucipetum conuerſus, omni pulchritudine priuatus, in turpitudinis ſignum primarium delapſus eſt: cum ſit tardiſſimus, nam licet vt ſpiritus penetrare poteſt corpora, nunquam tamen redibit ad ſedes amiſſas, nec malitia ſua nocere cuiquam poteſt niſi DEVS permiſerit & homo voluntatem malam ad ipſum inclinauerit: cum ſit minimus, nil enim tam vile & minimum eſt in creaturis, quam vilis factus eſt Diabolus, dum condemnatus ad pœnas inferi deuictus fuit: cum ſit debiliſſimus nam licet ſit magna circumferentia ſuæ fortitudinis & rupes, montes poſſit transferre, tamen vt leo ad vocem galli contremiſcit, ita Diabolus ad vocem nominis IESVS, ad ſignum S. Crucis, ad aſperſionem aquæ benedictæ, ad præceptum præsbiteri exorcizantis, contremiſcit, fugit & diris effligitur: illi ergò nunquam ſeruiendum eſt. Beatus Alb. Magnus cur non ſeruiendum Diabolo vnicam adduxit ex mille rationem, quia ſcilicet crudelis eſt, & non miſeretur. Dicebat quondam Plutarchus. Neq; à mortuo colloquium, neq; ab homine auaro beneficium expectandum eſt. Profectò diabolus eſt, ceu mortuus ad bonum conferendum homini, nam nec ſcire vult de bono eius nec cogitare, ſed ſemper malum intentat ex inuidia homini, & deſiderat,

Diabolus ſtultiſſimus turpiſſimus tardiſſimus &c.

Contremiſcit ad nomen & vocem IESV diabolus.

A mortuo colloquiũ ab auaro beneficium non expecta.

rat, vt id quod promiſſum & collatum eſt à Deo homini, eripere vel impedimento diluere valeat. Eſt auarior auaro, eſt crudelior omni crudeli. Vndè D. Aug. in Soliloq. Ipſi ſcilicèt dæmones, obuiauerunt mihi, & deſpexerunt me videntes ſine te Devs, diuiſerunt ſibi veſtimenta mea quibus honoraueras me, fecerunt ſibi viam per me, ſub pedibus ſuis conculcauerunt me, fæcibus peccatorum polluerunt ſanctū templum tuum, poſuerunt me deſolatum, tota die mœrore confectum, ibam poſt eos cæcus & nudus & illaqueatus funibus peccatorum, traherunt me poſt ſe in circuitu de vitio in vitium, de luto in lutum, ibā ante faciem ſubſequentis. Seruus eram, ſeruitutem amabam; cæcus eram, cæcitatem deſiderabam; vinctus eram, vincula non horrebam. Amarum dulce, & dulce amarum putabam, miſer hæc non cognoſcebam, quia ſine te Devs eram. Et quod maximè dolendum in crudelitate Diaboli, quia nullo placatur obſequio, ſed eo peior, eo crudelior, quo magis illi es obſequior, & qui parcebat in terra peccanti, non parcet in inferno lamentanti. Vndè Chryſoſt: ſuper Gen. Hom. 42. Diabolus, mala beſtia. Sicut enim crudelis læona, diſcerpit, cruentat, frangit, conſumit, ita malitia Diaboli ceu beſtiæ eſt & erit. Refert Ælianus lib. 5. cap. 19. Æſchylus ob quoddam drama impietatis damnatus erat. Cumq; Athenienſes jam parati erant illum lapidibus obruere junior frater eius Amynias deiecta veſte cubitum oſtendit manu carentem. Erat enim vnus ex illis qui fortiſſimè pugnauit in ſalamine vbi manum amiſit & primum fortitudinis præmium conſecutus eſt. Vbi judices hominis animum & miſerationem intellexerunt, repetentes facinorum eius memoriam, fratrem abſoluerunt. Mouit miſericordiam judicum excellens factum & meritum. Sed ponat peccator merita ſua quæ pro Diabolo fecit, quod ſuggeſtionem eius peſſimam non retruſit ſed admiſit, quod plurimos ad ſimile peccatum induxit, quod exemplum alijs malum propoſuit, quod ſacerdotibus Eccleſiæ ob ipſum non obediuit, quod jeiunia, mortificationes non fecit, quod pietatem, commiſerationem, juſtitiam non ſeruauit, nullo placabitur obſequio, imo accendetur ad obruendum igne, tenebris, frigore, pœnis. Chryſoſt. hom. 14. in Matth. Diabolus Tyrannus crudelis. Antonini Imperatoris erat inter cætera Symbolum. Caduceus, ſeu in virga oliuæ ſerpentes duo concordes. Et fuerat ſignum pacis. Sed cùm adhibebatur ad radicem virgæ culter grandis, ſignificabatur, eradicatam pacem. Ita ſerpens infernalis dæmon licèt offerrat homini pacem, virtutem commendat, pietatem ſtimulat, ſemper tamen ad finem id facit malum & detrimentum animæ Gregor. 3. Moral. *Diabolus ſub virtutum ſpecie iniqua nobis opponit, elationem*

Diabolus crudelior crudelis, auarior auaro.

Excellens factū ad miſericordiā mouet.

Diabolus nullo placatur obſequio.

Culter ad caduceū eradicat pacem.

nem ſuggerit de ſeruata caſtitate, de data Eleemoſyna. Ad caduceum pacis, cultrum acinatis appoſuit. Vndè D. Bern. in ſerm. de ſept. panibus. *Hoſtes indefeſſi nos aſſiduè oppugnant, modo apertè, modo fraudulenter, quos ne videre quidem poſſimus, quanto minus cauere.*

In quibus potiſſimum Dei ſeruitus conſiſtere videatur.

1. POtiſſimum Dei ſeruitus conſiſtit in quatuor, videlicet, in ſanctitate, in æquitate & pietate, & caſtitate. De ſeruitio Sanctitatis dicit Dominus Leuit. 10. *Sancti eſtote, quoniam ego Sanctus ſum.* Item Deut. 26. *En Dominus elegit te, vt ſis populus ſanctus.* Item Luc. 1. *Benedictus Dominus DEVS Iſraël, quia viſitauit & fecit redemptionem plebis ſuæ.* Et infra. *Vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſeruiamus illi in ſanctitate & iuſtitia, &c.* Sanctitas autem conſiſtit in diuino cultu, videlicet in deuotione orationum, & dulcedine lacrymarum, in ſancta meditatione, & cæleſtium contemplatione. Hoc ſeruitium deberent homines Deo impendere diebus ſolemnibus, quando vacant ab alijs laboribus. Vndè dicitur eis: *Memento, quod diem ſabbati ſanctifices*; Sed heu tunc DEVM maximè offendunt: propter hoc dæmones derident ſabbata noſtra, ſicut dicitur in Thren.

Seruitus Dei in 4. conſiſtit.

2. De ſeruitio caſtitatis dicit Apoſt. 2. ad Cor. 6. *Exhibeamus noſmetipſos ſicut DEI miniſtros in caſtitate.* Item ſcribit 1. ad Timoth. 5. *Teipſum caſtum cuſtodi.* Caſtitas autem eſt perdomitis vitiorum furijs munda & honeſta totius corporis habitudo, ſed heu multi derelicta caſtitate ſeruiunt immunditijs, luxuriæ: vndè dicitur 4. Reg. 21. *Seruiuit Ammon Rex immunditijs, & adorauit eas, & dereliquit Dominum DEVM Patrum ſuorum.* Ammon interpretatur onerans, vel onuſtus, & ſignificat Luxurioſos, qui onuſti ſunt Domino. Laborat enim ſuſtinens immunditias eorum. Vndè ipſe dicit Iſa. 1. *Laboraui ſuſtinens.*

3. De Seruitio æquitatis ſiue juſtitiæ dicitur Tob. 13. *Conuertimini peccatores, & facite juſtitiam coram DEO, credentes: quod faciat miſericordiam ſuam vobiſcum.* Item dicitur Tob. 14. In hora exitus ſui vocauit ad ſe Tobias Tobiam filium ſuum, & ſeptem juuenes filios eius nepotes ſuos, & dixit eis: Seruite Domino in timore, & in veritate, & inquirite vt faciatis quæ placita ſunt illi, & filijs veſtris mandate, vt faciant juſtitias. Iuſtitia verò eſt æquitas jus vnicuiq; rei tribuens pro dignitate cuiusq. Pauci ſunt qui faciunt hodie juſtitiam; propter hoc conqueritur Dominus Iſai. 59. *Conuerſum eſt retrorſum judicium, & juſtitia longè ſtetit, quia corruit in plateis veritas, & æquitas non potuit ingredi facta eſt veritas in obliuionem.*

De ſeruitio pietatis ſiue miſericordiæ dicit Apoſt. 2. ad Timoth. 4. *Exerce teipſum ad pietatem: nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis eſt: pietas autem ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ,*

vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ. Multumq; igitur quiſq; niti debet, vt ſit pius & miſericors in Eleëmoſynis dandis, & pauperibus confouendis, quia magna gratiâ eſt eis repoſita, qui cum pietate ſiue miſericordia moriuntur. Vndè dicitur 2. Machab. 12. Iudas Machabæus *conſiderabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repoſitam gratiam.*

ANNOTATIONES.

Sanctificatio noſtra. PRo ſanctitate. Nota. Leuit. 22. *Ego Dominus ſanctifico vos.* Ad quid nobis hæc ſanctificatio Domine? Vt mihi ſeruiatis in ſanctitate, & vt ſine quærela viuatis in hoc ſæculo. Vnde 1. ad Theſſ. 5. *Ipſe DEVS pacis ſanctificet vos per omnia vt integer ſpiritus veſter & anima & corpus ſine quærela in aduentu Domini noſtri IESV CHRISTI ſeruetur.* Optimè admonebat B. Iſidor: lib. 2. cap. 11. Si prauorum ſæpè ſecuti ſumus exempla, cur non imitemur ſanctorum digna & DEO placita facta? Et ſi apti fuimus imitari iniquos in malum, cur pigri ſumus imitari juſtos in bonum. Profectò non aliud docet his dictis, niſi ſanctitatem, vt pie & juſte viuamus in hoc ſæculo, nec operibus malis polluamus nomen ſanctum DEI. Talem ſanctitatem proponebat cum ſpiritu ſummo D. Hier. in Epiſt. ad Demetriam. Bonum eſt obedire majoribus, parere perfectis, & poſt regulas ſcripturarum, vitæ ſuæ tramitem ab alijs diſcere, nec præceptore vti peſſimo, ſcilicèt præſumptione ſua. At quoniam ſanctitas eſt verâ & ficta, verâ illa eſt de qua 1. Io. 3. Omnis qui habet ſpem in eo, ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt. Falſa & ficta eſt, de qua B. Iſidor. lib. 2. cap. 12. Sunt qui non ex vera cordis compunctione ſui accuſatores fiunt, ſed tantum ad hoc eſſe ſe peccatores aſſignant, vt ex ficta humilitate confeſſionis, locum inueniant ſanctitatis. Illam requirit DEVS ſanctitatem, hanc verò Diabolus ſtruit. Blaſphæmatur enim & irridetur DEVS per talem fictam ſanctitatem. Etſi regem terræ qui blaſphemauerit oportet punire, magis eum qui regem cœlorum blaſphemauit. S. Vincentij Ferrerij ex Ordine S. Dominici ſanctitatem voluit impugnare Diabolus. Nam cum librum de Virginitate Deiparæ S. Hieronymi legeret, & ipſam obſecraret, vt eius virginitatem cuſtodiret, facta eſt ad eum vox iſta. Non omnes poſſumus eſſe virgines. Et licet hactenùs te virginem appellare voluiſti, tamen non patiar vt deinceps tam honorato nomine gaudeas. Attonitus Vincentius, tacitus voluebat quid ſibi vellet hic ſermo. Non enim credebat eſſe virginis vt quæ virginitatis cuſtodes ſemper amauit. Igitur petijt ab ea dignaretur oſtendere quid ſibi vellent illa verba. Nec multò poſt Deipara illi multa cum luce viſibiliter apparuit & ita locuta eſt? Verba illa Diaboli fuêre qui tibi proponit bonorum operum difficultatem, tu verò cautus eſto & conſtans. Et quanquam virginita-

Margin notes: Facta ſanctorum ſectanda. — Sanctitas diſcenda ab aliis. — Caſtitas à diab: impugnata.

Virginitas clipeus. ginitatem tuam impugnabit, tamen ſpera in DEO qui tibi erit clipeus. Hæc vbi ab ea dicta ſunt diſparuit. Ex eo tempore tantum militi Chriſti feruoris acceſſit vt non homo ſed Angelus videretur. *Sanctitas in cultu diuino.* Fundauit talem ſanctitatem veram B. Alb. Mag. in cultu diuino, qui cōſiſtit in quatuor; Primò in deuotione orationum: B. Iſidorus. *Oratio ſine deuotione vana.* Sicut vox ſine modulatione eſt vox porcorum, ita oratio ſine deuotione eſt quaſi mugitus boum, DEVS enim aſpicit cor non verba orantis. Et meliùs eſt ſolo corde orare cum ſilentio ſine ſono vocis, quam ſolis verbis ſine intuitu mentis. *Sanctitas in lachrimis.* Secundò, conſiſtit cultus diuinus, in dulcedine lachrymarum. D. Greg 33. Moral. veraciter orare, eſt amaros in compunctione gemitus & non compoſita verba reſonare. Tertiò conſiſtit, in ſancta meditatione. Bern: de S. Andr. ſerm. 2. Meditatione pericula agnoſcimus, oratione euadimus. Idcircò B. Mag: Alb: optimā partē elegit. Quartò, in cœleſtium contemplatione. Bern. ſuper Cant. ſerm. 67. Contemplatio diuinæ ſuauitatis & gloriæ, ſolis mente & corpore puris conceditur. Idcircò S. Ioannes in pectore Chriſti recubuit.

Pro ſeruitio æquitatis. Nota. *Aequitas ſeu juſtitia.* Cum æquitatem hîc pro juſtitia ſumat B. Alb. Magnus, ſtillo ferreo ſcribenda verba in corde hominis erunt 1. Ioan. 1. *Si ſcitis quoniam juſtus Dominus eſt, ſcitote quoniam & omnis qui facit juſtitiam, ex ipſo natus eſt.* Quaſi diceret, qui facit injuſtitiam ex Diabolos eſt, nam ille in juſtus & mendax fuit & eſt. *Iuſtitiam faciens ex Deo eſt.* Vndè B. Iſidor. lib. 3. de ſum. bono cap. 54. Omnis qui rectè judicat, ſtateram in manu geſtat, & in vtroque penſo juſtitiam & miſericordiam portat: ſed per juſtitiam reddit peccato ſententiam, per miſericordiam peccantis temperat pœnam. Vt ſic juſto libramine quædam per æquitatem corrigat, quædam verò per miſericordiam indulgeat. Interrogatus quondam Philoſophus nomine Charillus, quam arbitraretur optimam Rempublicam. Et dixit dignam Philoſopho ſententiam. In qua plurimi ciues inter ſe de virtute decertant citra ſeditionem. Ego verò illam fœlicem & honoratam Remp. puto. In qua juſtitia & miſericordia exercetur. Nam per juſtitiam vt virtutes plurimæ radicantur, ita per miſericordiam, charitas proximi conciliatur & conſeruatur. Quibus duobus, obtinebit judex judicio ſuo juſtitiam à DEO ſuauem, & miſericordia, miſericordiam à Domino recipiet. Epictetus in Enchirid. cap. 71. dicit. Plebeij ſtatus & nota eſt, nunquam à ſe ipſo vel damnum expectare vel vtilitatem, ſed à rebus externis. *Status plebeii Philoſophi & Chriſtiani.* Philoſophi autem ſtatus & expreſſa imago eſt, omnem vtilitatem à ſemetipſo expectare. Vis ſcire quis etiam erit ſtatus Chriſtiani? Omnia expectare à DEO. Ille enim eſt remunerator bonorum & malorum, bona benè recompenſabit, mala malè. Apoc. 7. *Vidi poſt Dominum*

Deus retribuitor boni & mali.

minum turbam magnam quàm dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus & populis, & linguis, ſtantes ante thronum qui amicti erant ſtolis albis. Quæ eſt iſta turba? Non alia, quàm, quæ à Domino retributionem expectatam recepit. Vndè B. Anſelmus in medit: O Dei ſapientia benè adornaſti eos in opus ſacri miniſterij tui. Hi ſunt viua ſydera ſuperioris cœli, lilia interioris paradiſi, roſæ plantatæ ſuper aquas ſiloe quæ confluunt cum ſilentio, & ibi in radicibus adhærent immobiliter.

Sanctorum dignitates.

Com igitur ſeruitium Dei conſiſtat in cultu Dei, ad cultum verò pertinet juſtitiæ æquitas, in hac quilibet homo exercitari quotidie debet, & ſi nullus eſt quem judicet & de quo juſtitiam faciat, ſecum meditetur & de ſe Deo juſtitiam facere non negligat. Cum Colonienſis Archiep: S. Heribertus Eccleſiam erigere ſub Titulo B. V. M. Othonis Cæſaris ſumptibus, commendauit intentum ſuum B. V. vt locum reuelaret. Apparens illi deſignauit locum vbi prius fuerant culti dæmones quem juſſit emundari, vt vbi quondam abundauit peccatum ibi juſtitia regnet in multitudine ſanctorum.

B. V. M. locum pro Eccleſia deſignat.

Me hercule ſæpius dæmones regnant in mente judicum, ſæpius eorum iniquitas magis colitur quàm juſtitia, vndè purganda conſcientia & juſtitia à nobis ipſis Deo facienda. Si enim nos ipſi judicauerimus vtiq; non judicabimur. Rem labefactatam & ſolutam ſicut horologium vel quid artificioſum ſimile ad Archetypum reducimus reparandum, Iudex igitur ad Archetypum Devm referat conſcientiam reparandam per adminiſtrationem juſtitiæ de ſemetipſo.

Iudex faciat de ſeipſo iuſtitiam.

Pro ſeruitio pietatis. Nota. Pietas, vt inquit Cic: in Rethor: eſt, per quàm ſanguine junctis patriæq; beneuolis officium & diligens tribuitur cultus. Et D. Tho. in 22. q. 101. ar. 3. ad 1. dicit. Sicut religio eſt quædam proteſtatio fidei ſpei & charitatis, ita pietas eſt quædam proteſtatio charitatis, quam quis habet ad parentes & patriam.

Pietas quomodo cultus parentum patriæ & Dei.

Hinc oritur quæſtio, quomodo pietas ad cultum Dei pertinet, & B. Alb: Mag expoſuit, quod ad cultum Dei inter cætera pietas pertinet. Et idem docuit D. Aug: lib. 10. de Ciuit: cap. 1. dicendo. Pietas exhibet cultùm Dei. Sed reſpondet D. Dionyſius lib. de diu Nom. cap. 1. Ea quæ ſunt creaturarum per quandam ſuperexcellentiam & cauſalitatem transferuntur in Devm. Vnde ſicut Devs excellenter dicitur Pater noſter, ita per excellentiam pietas, cultus Dei nominatur. Devs enim eſt noſtri eſſe & gubernationis primum principium ſecundarium verò ſunt parentes & patria, à quibus & in qua nati & nutriti ſumus. Vnde in pretate quæ ad cultum Dei pertinet, continentur pietas in parentes & patriam, tanquam in magis vniuerſali minùs. Hinc Malach: 1. Si ego Pater, vbi eſt honor meus. Et cum referamus in Devm ſemper miſericordiæ opera, ita pietatem in parentes, in Devm referamus, docente

Vvvv Domino

Domino Matth. 25. *Quod vni ex minimis meis feciſtis mihi feciſtis.* At contra

Pater & mater quo modo odiendi.

pietatem in parentes eſt Lucæ 14. *Si quis venit ad me & non odit patrem, matrem, vxorem, filios, fratres, ſorores, adhuc & animam ſuam non poteſt eſſe meus diſcipulus.* Et Deut: 33. *Qui dixit patri ſuo & matri neſcio vos. Et fratribus, ignoro vos, ſi cuſtodierunt eloquium tuum.* Sed reſpondet D. Greg. Parentes quos aduerſarios in via Dei patimur, odiendo & fugiendo neſcire debemus, ſi enim parentes noſtri nos prouocent ad peccandum, & abſtrahant nos à cultu diuino, debemus quantum ad hoc eos deſerere & odire. Et ita Leuitæ conſanguineos ignorabant, nec volebant parcere idolatris Exod. 32. Aut etiam quia aliter poſſunt parentes vitam agere, ideo ſequi Chriſtum paratiores eſſe debent, quàm ad parentes manendo illis obſequia dare. Quod verò de pietate dicit Apoſt: 1. ad Timoth: 4. *Pietas promiſſionem habet vitæ quæ nunc eſt & futuræ*, clarè oſtenditur, quod ad cultum Dei pertineat, non enim aliter vitæ futuræ haberet promiſſionem. Quid non penetrat, aut quid non excogitat pie-

S. Dominici pietas.

tas. Sanctus Dominicus Ordinis mei Patriarcha Zeloziſſimus. Cum adhuc puerulus eſſet, libros & veſtes vendidit, & pauperibus tempore famis panem ſuppeditauit. Factus verò antesignanus religioſorum & Pater, voluit ſemetipſum mittere in carcerem hoſtilem vt afflictæ matris poſſit eliberare filium. At majora & ſtupenda refert Val: Max. lib. 5. cap. 4.

Filiarum in parentes pietas.

Filia damnatum parentem ſenio confectum, & filia matrem, vberibus ſuis lactabant, atq; ita vitam illorum prolongabant. Sed quia D. Hier: dixit in Epiſt: Grandis in ſuos pietas, ira pietas in Devm eſt, quomodo ſeruanda ſit, & quo ordine docet idẽ D. Hier: ad Paul. Rectus ordo eſt poſt Devm amare parentes & amicos. Si tamen neceſſitas venit vt vtrumq; ſeruari non poſſit, odium in ſuos, pietas in Devm ſeruanda eſt.

Pro ſeruitio caſtitatis. Nota.

Sephoræ Spiritus.

Exod. 4. Dominus voluit occidere Moyſen, ſed tulit illico Sephora acutiſſimam petram & circumcidit præputium filij ſui. Quis eſt iſte, modus placationis Dei? Non alius niſi caſtitatis velamen. Hoc enim oppoſito, caſtus Dominus, caſtos defendit, protegit, alleuiat, ſuſcipit. Orig: ſup.

Corpus animã lædit.

Leuit: hom: 8. Neſcitis, ſi corpus nutriatis, & ipſum frequenti mollitie ac jugi deliciarum fluxu foueatis, inſoleſcit neceſſario aduerſus ſpiritum & fortior illo efficitur, quod ſi fiat ſine dubio in ditionem ſuam, redactum ſpiritum cogit ſuis legibus & vitijs ſeruire. Qui igitur in caſtitate manet, dabit ei Dominus in domo ſua locum, & nomen meliùs à filijs & filiabus, dabit nomen ſempiternum. Vt Iſa: 56. dicitur. Magna de caſtis D. Hier. Epiſt. 22. ad Euſtach.

Caſti ſunt Angeli terreſtres.

Statim vt Filius Dei ingreſſus eſt ſuper terram, nouam ſibi familiam inſtituit, vt qui ab Angelis adorabatur in cœlo, haberet Angelos in terris, nempè virgines. Et nedum elegit

virgi-

Virgines in Angelos, ſed cœleſtibus Angelis illos ſpecialiter commiſit. Referat id S. Greg. Turonen. Hic de Gloria SS. Confeſſ. cap. 34. habet. Georgia Virgo Deo deuota dum poſt mortem ad Baſilicam portaretur, grex magnus columbarum adueniens comitatus eſt ſuper eam volitans, tum ſuper tectum ædis in quam deponebatur conſedit, ea ſepulta in cœlum auolauit. Omnis cætus populi Angelos fuiſſe qui caſtis delectantur exiſtimauit, & quia illi caſtos defendunt. Mirum enim eſt quòd plures Virgines Chriſtianæ ad lupanaria deductæ non fuerunt aliquando violatæ, quod diuinæ protectionis per Angelos fuiſſe, luculentum eſt teſtimonium. Eſt igitur caſtitas, gallea ſalutis, gladius defenſionis, lorica victoriarum, toga æternitatis. Cyri & Artaxerxis mater, jubebat eum qui regem allocuturus eſſet, byſſinis vti verbis. Hoc eſt, mundis, prudentibus, circumſpectis. Magis ei qui cupit caſtitatis florem conſeruare, ſemper byſſinis verbis vti debere. Nam vt dicit Chryſoſt. Turpem ſermonem eſſe ſcortationis vehiculum. Caſtus igitur mente erit caſtus corpore, nec verbo nec oculo, nec aure tentabit incaſtum cogitare, loqui, audire, videre. S. Domicilla neptis Domitiani Imp: cum ad nuptias noluit conſentire, ſtimulantibus Euphroſinæ & Theodoræ dixit. Vos habetis ſponſos viros nobiles, ſed ſi ignobiles & humili loco nati ab illis vos auocare vellent, num illis pareretis? Dixerunt. Auertat Devs à nobis. Tum illa. Ego habeo Sponſum Filium Dei qui promiſit vitam æternam ſe daturum eis qui in gratiam ipſius corporis caſtitatem ſeruauerint. Illa noluit eſſe conſors Aureliani, caſtus verò mente & corpore nec oculum, nec manum, nec aurem, nec linguam mundanis & carnalibus verbis concedere debet, ſed omnia Domino conſecret, nilque ſit illi dulciùs quem de Deo cogitare, loqui, audire. Et hoc eſt quod dicebat D. Paul: ad Timoth: *Teipſum caſtum cuſtodi.*

Columbæ ad tumulum Virginis.

Virgines S. in lupanaribus cuſtoditæ.

Sponſo Vero Chriſto.

Quare quilibet Chriſto ſeruire teneatur?

Sex cauſæ aſſignantur, quare quilibet Domino ſeruire teneatur. Prima cauſa eſt ſeruilis conditio, propter ſeruilem quippè conditionem tenemur ei ſeruire. Ipſe enim de limo nos plaſmauit, quod recognouit Dauid Rex, ita dicens: in Pſal. 115. *O Domine, ego ſeruus & filius ancillæ tuæ.* Quod dicit O Domine ego ſum ſeruus tuus, quia ad imaginem tuam me creaſti: ſum & ſeruus tuus quia mihi ſpiraculum vitæ, id eſt, animam inſpiraſti. Et bene dico quod ſum ſeruus tuus: ſum enim filius ancillæ tuæ, id eſt, terræ quæ eſt ſcabellum pedum tuorum.

Sex cauſæ cur Domino Deo ſeruire teneamur.

Secunda Cauſa eſt chariſſima emptio. Pretioſo quippè ſanguine ſuo de poteſtate Diaboli nos redemit. Vndè dicit Apoſt. 1. ad Corinth. 6.

Empti eſtis pretio magno, glorificate & portate DEVM in corde & in corpore veſtro. & 1. Pet: 1. *Non auro vel argento redempti eſtis, ſed pretioſo ſanguine IESV Chriſti.* Oportet ergò vel Domino ſeruiamus, vel ei totum ſanguinem ſuum, quem pro nobis effudit, perſoluamus; alioquin contra nos ſanguis eius aget in judicio.

Tertiò Cauſa eſt impenſi ſeruitij recompenſatio. Recompenſare quippè debemus DEO ſeruitium, quo nobis ſeruiuit; vndè ipſe dicit Iſa: 43. *Seruire me feciſti in peccatis tuis. Præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Omnia quæ Dominus fecit in carne, quaſi quædam ſeruitus fuit, videlicet quod jejunauit, quod plorauit, quod prædicauit, quod orauit, quod infirmos curauit, & quod dorſum ſuum exhibuit percutientibus, & genas vellentibus, & quod faciem ſuam à conſpuentibus non auertit, & quod ſuum patibulum ipſe tulit, & cætera plura.

Quarta Cauſa eſt propriæ promiſſionis obligatio: promiſimus enim in baptiſmo, quod ei ſeruire deberemus; Vndè dicit. Eccl. 1. *Si quid vouiſti DEO, ne moreris reddere; multò melius eſt enim non vouere, quam poſt vota promiſſa non reddere.*

Quinta Cauſa eſt quotidiani boni erogatio. Quotidiè namq; accipimus beneficia DEI, quo merito deſeruire debemus. Et certè longum eſſet ſingula beneficia DEI, quæ quotidiè de manu ſuæ Clementiæ ſuſcipimus, per ordinem recitare. Vt autem de omnibus alijs beneficijs DEI taceam, quantum putatis, quod valeat aër, quem omni tempore ad inſpirandum accipimus & expirandum?

Sexta Cauſa eſt æternæ mercedis expectatio. Vndè dicit. Iſa: 40. *Dic ciuitatibus Iudæ: Ecce Dominus veſter, ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, ecce merces eius cum eo.* Ipſe etiam Dominus ait Matth: 5. *Gaudete & exultate ecce enim merces veſtra copioſa eſt in Cœlis.* Benedicit copioſa, quia ſi numerari poſſent Stellæ Cœli, numerari etiam poterit merces & præmium ſeruorũ Dei. Rogate ergò Dominũ, vt tam fideliter & in hac ſeruiamus, vt poſt hanc vitam ad mercedem inenarrabilem perueniamus.

ANNOTATIONES.

PRo prima Cauſa, ſtatus noſtri ſeruilis. Nota. Si Imperator Ducem militiæ vel Imperij aliquem conſtituiſſet, nonne in paſſu ſtatus Imperatoris eſſet ſtatus Domini, conſtituti verò Ducis eſſet ſtatus ſubditi & ſerui? Ita planè. Nos igitur homunciones miſeri manu artificis Dei in hac formam plaſmati & ſuper corporales creaturas Domini facti, nonne ſumus ſubditi conditione & ſtatu ſerui indigni noſtri plaſmatoris DEI! Quis ſicut Dominus DEVS noſter qui in altis habitat & humilia reſpicit in cœlo & in terra, ſuſcitans de terra inopem & de ſtercore erigens pauperem? Dicebat Pſal. 112, & addebat: *Homo eſt Dominus & ſeruus.*

vt collocet eum cum Principibus. Sed quid dicit cum Principibus. Homo eſt magnum miraculum dicit S. Aug. lib. 10. de Ciuit: Dei. Superat enim Principis mundi authoritatem dignitate ſecundum gratiam ſibi à Deo collatam omnes homines in Chriſto eſt vnus homo, en primum miraculum. Homo poteſt dici Devs en ſecundum. Homo Trinitatis exemplar en tertium miraculum. Hæc ex D. Aug: Quod ſi dignitatem hominis quam illi Devs contulit & aſſignauit, juxta alicos judicaueri- mus Doctores S. Eccleſiæ, miraculum magnum in hoc homine qui eſt mundus alter licet minor, conſiderabimus. Quocirca juſtè ſtatus hominis, non alius eſt reſpectu Dei, niſi ſeruitus, filius verò homo, ancillæ terræ, eſt, vt B. Alb. Mag. aſſignabat. Sed proch dolor vbi ſe homo ſeruum & ſubditum erga Devm profiteri debet, ibi ſæpè ſepius extollitur vltra ſe & conditionem ſuam.

Homo eſt magnum miraculum

Quocirca B. Bern: admonebat in ſerm. Vigil. Nat. Dom: Aduerte homo quod limus es, & non ſis ſuperbus quod Deo coniunctus, & non ſis ingratus. Referebat quidam hiſtrio, quòd quatuor mala ex quatuor bonis oriuntur. Ex veritate odium: ex proſperitate ſuperbia: ex ſecuritate periculum: ex familiaritate contemptus. Profectò digna ſententia Salomone. At cum apud nouos Politicos, veritas vertitur in fabulam, proſperitas in æternitatem, ſecuritas in oppreſſionem, familiaritas in maledictionem & tyrannidem; jam nec Deo parcet, nec conſcientiam verebitur, ſed ſeruus Dominari, ſubditus collum contra Devm erigere, audacter ſtudebit. Sed audi D. Iſid: de Sum: bono lib: 1. cap: 14. Quædam in rebus temporalia ſunt, quædā perpetua, quædam ſempiterna. Temporalia ſunt, quibus in eſt ortus & obitus: perpetua, quibus ortus nec terminus: ſempiterna, quibus nec ortus nec terminus. Ex his primus eſt homo, ſecundus eſt Angelus vltimus eſt Deus. Cur igitur ſuberbis terra & cinis? Cur conditionem tuam ex limo terræ confictę, non conſideras? quare non apprehendis, quod qui te fecit vas honoris facere te poteſt vas contumeliæ? Chryſoſtomus ſup: Matth: Hom: 11. Conſiderando malitiam hominis dicit. *Præ omnibus malis homo eſt peſſimum malum, quælibet beſtia vanum habet & propriè malum, homo autem omnia.* Conſidera igitur homo bonitatem Dei inte, intellige dona gratiarū collata, vide inquam dignitatem te Deus promouet, euehit, collocat, & ſeruire Domino Deo tuo aſſueſcas atq; illi totum te in obſequium tribuas, cum ſis puluis, Domino viuas, moriaris.

Homo ſe extollet ſupra Deum.

Quatuor mala ex 4. bonis oriuntur.

Quædam ſunt temporalia perpetua ſempiterna.

Pro 2. cauſa, nempè emptione. Nota. Paſſio Chriſti opus noſtræ redemptionis, totum amorem noſtrū vindicare dedet, inquit D. Bern: Sup: Cant: Serm: 20. Vbi autem totus eſt amor, ibi nihil eſt quod repugnare faciat ad obſequium & ſeruitium præſtandum ei, quem amamus.

Paſſio Chriſti totum amorē noſtrū requirit.

mus. Dicit Iſaias 52. *Poſuiſti profundum amoris viam, vt tranſirent liberati.* Nec ſolùm hîc ſermo de mari rubro vbi poſuit viam Dominus Iſraeli. Sed intelligitur quoq; de mari ſanguinis Ieſu Christi pro nobis effuſi copioſiſſimè, per quem nobis viam fecit & monſtrauit in cælum. Cum ergò ſummum amorem nobis Chriſtus propoſuerit, merito quoq; à nobis, cum toto noſtro amore requirit, vt illi toto corde & corpore ſeruiamus. D. Bern: *Scio quot merita mea non ſufficiunt, quod mihi deëſt, audacter vſurpo ex viſceribus Chriſti quæ à miſericordia effluunt, nec deſunt foramina per quæ defluant, patet enim arcanam cordis per foramina cordis, patet viſcera miſericordiæ Dei noſtri, inquibus viſitauit nos oriens ex alto.* Quod ſi miſer homo in ſua vltima neceſſitate, recurſum habet ad vulnera, merita, ſanguinem Chriſti quomodo non obligabitur ipſi cum toto ſpiritu & corpore ad ſeruitutem? Seruiamus ergò illi in Sanctitate & iuſtitia coram ipſo, omnibus diebus noſtris laudando & benedicendo. vt ſemetipſum magis excitaret ad ſeruiendum Deo ſuo & redemptori Chriſto: D. Anſelmus, ita in meditationibus loquitur ad Chriſtum patientem & redimentem hominem, *Quid feciſti dulciſſime Pater, vt ſic iudicareris? Quid commiſiſti amantiſſime iuuenis, vt adeò malè tractareris? quod ſcelus tuum quæ noxa tua, quæ occaſio tuæ damnationis? O admirabilis cenſuræ conditio, ô ineffabilis myſterij depoſitio. peccat iniquus & punitur iuſtus. Delinquit reus vapulat innocens; offendit impius damnatur pius. Quod meretur malus patitur bonus., quod pertrectat ſeruus exoluit Dominus. quod committit homo ſuſtinet Deus.* Quibus verbis pungentibus cor in quantam obligabat ſe B. Anſelmus ſeruitutem Domino Ieſu Chriſto, vel indè cognoſcere licebit, quod omni momento vitam fundere & mortem vocare, ſedulis in meditationibus pro Chriſto, exoptaret. Eximiæ fortitudinis milites, dum inter infima ſeruitia in caſtris & onerosa Tribunum mandata, apertam deferunt in hoſtes, vitæ ſuæ globis gladijs, ſagittis frementibus, audaciam; ſolent commendat Ducibus belli, referre inſignia ducum, in æternæ memoriæ ſoliditatem. Hoc in Regno Poloniæ conſtat, dum plurimi milites adarma nobiliſſimorum Tenciniorum, Zamoiſciorum, Potociorum ad ſciti fuerunt. Simile quid inter Chriſtianos deuotos reperio, qui in ſeruitute Domini dum continui, manebant illos inſignijs ſuis Chriſtus Dominus nobilitauit. S. Franciſcum & S. Catharinam Senenſem, nobilitauit vulneribus ſacris, B. Iacobum à Beuhania Ord: S. Dominici ſanguine ex imagine crucifixi. B. Claram de monte Falcone Ord: S. Auguſtini myſterijs Paſſionis ſuæ in corde ipſius exactè exculptis. Hos ſi tantis gratijs inſigniuit in terris, quantas ipſis gratias retribuet in cælis? Rectè S. Antonius de Ord: Præd: Archiep: Florentinus dicebat. SERVIRE DEO REGNARE EST. Seruire verò illi qui te tanto

Mare rubrũ, Paſsio Chriſti

Quæ nobis de ſũt ex Paſſione Chriſti ſumme

Eximij milites cõmendatur à Ducibus.

Cõmendat Chriſto pacti milites ſuos & inſignia donat.

Memoria Dei & ſuſpirii adipſũ fructg.

tanto pretiò redemit, glorioſum eſt. Vndè B. Bern: in Medit: Ecce Domine cum de tui memoria mens mea ſuſpirat & tuam ineffabilem meditatur pietatem, ipſa carnis ſarcina minùs grauat, cogitationum tumultus ceſſat, pondus mortalitatis & miſeriæ more ſolito non oblectat. Silent cuncta, tranquilla ſunt omnia, cor ardet, animus gaudet, memoria viget, intellectus lucet, & totus ſpiritus deſiderio viſionis tuæ accenſus, inuiſibilium rapitur amore. Quanta igitur tibi adeſt materia & ratio ô homo vt æuiternæ laudes & ſeruias Ieſu Chriſto? In ſepulchro Iſocratis loco epitaphij exciſa erant Aries, cui inſidebat Sirena alata. Quid fuerit intentionis, non facilè indagare, an manſueta vita cum promptitudine loquendi dulciter, an vtilitas aditorum, cum profectu iucundo. Sed his dimiſſis, Chriſtianam deſumo doctrinam. Verbum caro factum vt ouis ad occiſionem cum duceretur, tunc natura humana ad perſonalitatem diuinam iuncta facta eſt, vt ſirena alata cecinit enim inter ſanguinem Ieſu Chriſti & Paſſionem, hodie ibimus in paradiſum cæleſtem. Igitur ſeruiamus Domino in terris, vt corregnemus cum ipſo in cælis.

Sepulchrum Iſocr: Aries cum ſirena alata.

Paſſio Chriſti paradiſum dedit.

Pro 3. cauſa ſeruitij nempè recompenſatione, Nota. Nulla reciprocatio iuſtior, quàm vt ſeruienti Domino, ſeruus reſeruiat. Nam ſi ex debito illi ſeruire hebet, cum videt Dominum ſibi ſeruientem ex amore & benè placito, ſeruus nedũ Domino reciprocè reſeruire debet, ſed ſeruitia ſeruitijs addere, vt & debito ſuo & amori Domini reſeruiat, reſeruiatq; non aliquo modo indebito ſed honeſto. Nam ſi in honeſto cupierit reſeruire non hoc placebit Domino recto. Quocirca Memnon Dux qui in partibus Darij Regis bellum aduerſus Alexandrum gerebat, cum militem ſuum ſtipendiarium multa in Alexandrum opprobria & flagitioſa torquentem audiret lancea eum percuſſit dicens. Ego te alo vt pugnes cum Alexandro non vt ei maledicas. Quia igitur Dominus Ieſus non ſimpliciter nobis ſeruiuit ſed ſeruiuit in peccatis noſtris tollendis, atq; multis medijs cætera homini ſeruitia miſericorditer & dulciter præſtitit, iam illi hoc miris medijs homo reſeruire tenetur & aliquo modo recompenſare obligatur. D. Aug: in ſoliloq: vt ſe ad recompenſandum incitaret ita loquitur ad Ieſum Chriſtum. Domine dilexiſti me plùs quàm te, quia mori voluiſti propter me, tanto pretio redemiſti me, de exilio reduxiſti me, de ſeruitio retraxiſti me, de ſupplicio vocaſti me nomine tuo, ſignaſti me ſanguine tuo. Quomodo igitur rependam, quomodo reſeruiam, quid ego miſer faciam. Et reſpondet. Memoriale tuum ſemper erit apud me, & nunquam recedes à corde, qui propter me noluiſti recedere à Cruce. Alexander 6. Pont: Max: vt memoriale IESV

Seruienti reſeruiendum.

Miles pugnare non maledicere debet hoſti.

Deus non recedat à corde quia noluit recedere à cruce pro te.

Chriſti

Chriſti ſemper haberet, exemplo mirando modo non tamen imitando à nobis, id proteſtat⁹ fuit, vt Anton: Caraciol: in vita Pauli 4. refert. Ille SS. Sacramentum globo aureo incluſum perpetuo ad collum appenſum geſtabat, ſiue prouidens Dominum exemplo Dauidis coram ſe ſemper omnium actionum inſpectorem & iudicem, ſiue præſidium & amuletum ad omnia quibus circumcingebatur pericula, ſiue (quod priſcis Chriſtianis in more) viaticum præſentaneum ad itinera æternitatis haberet. Quicquid ſit, non aliud tali Sacramento SS. explicauit, niſi quod, ſeruum ſe Domini eſſe pru tantis incarnationis, paſſionis, beneficijs, fuiſſet. Sed concludamus cum B. Nilo Epiſc: & Martyre. *Beatum eſt timore Deum & ſollicite cogitare diem illum cum occulta cuncta manifeſtabuntur.* Ad hæc quid facient negligentes cum nullam ampliùs vtilitatem pœnitentia afferet?

Pro 4. Cauſa ſeruitij, nempè promiſſione. Nota. Non ſimplex promiſſio eſt, quæ & in facie Eccleſiæ fit, & cum ſponſoribus pro aliquo. Pro homine ſpondent ſponſores, quod homo baptiſatus renunciabit Diabolo ſemper & ſeruiet Deo quem profitetur credendo in Deum Patrem & Filium eius & Spiritum Sanctum. De quali homine laude & gratia Dei affluente dicit Apoſt: ad Rom. 4. *In repromiſſione DEI non hæſitauit diſſidentia. Sed confortatus eſt fide, dans gloriam DEO.* Qui enim id quod promiſit

Promiſſio non ſimplex.

in baptiſmo non ſeruat nec ſeruare deſiderat, debilitatur ipſius fides, nec Deo reddens gloriam vt debet, injuriam facit Deo & ſibi maledictionem aggregat. Hinc B. Iſidor. de ſum: bono lib. 1. cap. 26. Dei ſeruus aduerſitate vlla non frangitur, ſed ſe pro veritatis defenſione vltrò certamini offert, nec vnquam pro veritate diffidit. Veritas ergò illa quàm homo proteſtatus eſt credendo in baptiſmo ſemper tenenda eſt, nec ab illa, aduerſitate premente & infirmitate ſuadente, vnquam homo recedere debet, at id quod ſemel credidit & credendo ſeruare promiſit, continuò obſeruare tenetur. *Seruus meus es tu quia in te glòriabor.* Inquit Pſal. Hoc eſt, ab eo tempore quo te ſeruum Dei proteſtatus es in baptiſmo, gloriari incœpit in te Devs, quod ſeruus ipſius factus ſis; quocirca nunquam ceſſare à tali ſeruitio debes, ne gloriationem Domini & præmium gloriæ, reus tibi metipſi amittas. Inter Symbola, aquilam video pede ſceptrum regale tenentem, cui ſubſcriptum eſt. PROVIDENTIA DEORVM. Adrianus Imper. vtebatur hoc gnomone. Antiqui dicebant quod Iouis conceſſerit illi Imperium. Equidem in baptiſmo vbi infans non vtitur ratione, ſed leuantes pro illo reſpondent & quaſi ſpondent futurum Chriſti ſeruum qui baptiſatur. Quocircà cum non per ſe niſi adultus fiat baptiſatus ad ſeruitium Dei & Chriſti ſe obligat, ſed per alios. Subſcribendum eſt illi.

Dei ſeruus nulla aduerſitate frangitur.

PRO-

PROVIDENTIA DEI. Puta, factus eſt ſeruus IESV Chriſti. Si igitur & tu promiſiſti DEO ſeruire in baptiſmo & te ſeruum diuinâ prouidentiâ ſibi elegit & conſtituit, jam in tali ſeruitio negligens non eris. Anaxagoræ Philoſopho inquit Ælianus lib. 6. cap. 19. duæ erant poſitæ aræ. Vna mentis altera veritatis. At mittamus intentum ſtruentium. In baptiſmo duæ aræ eriguntur in homine vna mentis, nam recedit à Diabolo & accedit ad DEVM, altera veritatis, nam credit in DEVM vnum in eſſentia & trinum in perſonis, quo nil eſt verius. Per primum fit ſeruus Chriſti vnde Græci baptiſando infantem dicunt, Baptiſetur ſeruus Chriſti. Per ſecundum fit fidelis & Chriſtianus. Vndè D. Aug. Per baptiſmum, oues Chriſti incipimus eſſe.

Ara mentis & veritatis.

Pro 5. Cauſa ſeruitij. Nempè erogatione boni. Nota. Non ſolùm innumerabilia contulit Dominus bona hominibus & quolibet momento dat ea affluenter, cum nec oculus noſter ſine illius illuſtratione à ſolè nil eſt, nec vita noſtra quicquam eſt ſine beneficio aëris, ſed per alios quoq; homines & cætera animalia nobis indeficienter beneficia confert. De animalibus, notum eſt Danielis & Ionæ exemplum, de hominibus verò ita Num. 6. dicitur. *Sic benedicetis filijs Iſraël & dicetis eis. Benedicat tibi Dominus & cuſtodiat te. Oſtendat Dominus faciem ſuam tibi & miſeratur tui. Conuertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem. Inuocabuntq; nomen meum ſuper filios Iſraël, & ego benedicam eis.* Quis igitur beneficia Domini enumerabit, cum juſſerit nedum terræ aquæ aëri, igni nobis beneficia ferre, ſed omnibus quæ iſta producunt & conſeruant, nobis ſeruire & ferre bona ordinauit, inſuper manum & velle ſuum homini ad faciendum benè diſpoſuit & applicauit, vt ſolùm homo extendere manus & cor non differat ad accipiendum. Habent Sozom. lib. 6. cap. 15. & Socr: lib. 4. cap. 15. Valens Imperator, vt ſcire poſſit quis ſuus ſucceſſor foret, ſcripſit literas Græcas & ſuperpoſuit illis ſingula grana hordei, vt à quibus literis grana non collegiſſet gallus, ex illis compoſitis intelligeret ſucceſſorem. Non collegit igitur grana gallus à θεο. Et ita Theodoſium ſucceſſorem habuit. Non poſſum rei ſecretum indagare, ſed ego inde colligam, quod à DEO quem iſtæ literæ ſignificabant, grana beneficij nunquam deſunt, ſed ſemper inexhauſtus eſt DEVS in dandis bonis homini cum dat ille eſcam omni carni nedum pullis coruorum inuocantibus eum. Vt igitur non deeſt DEVS nobis in conferendis bonis, ita nos Deo non debemus deeſſe in conferendis gratijs & ſeruitijs. Ita fecit Iacob Patriarcha dum dicebat Gen: 28. *Si Dominus DEVS meus fuerit me cum in via iſta per quam ambulo, & cuſtodierit me, & dederit mihi panem ad edendum, & veſtimentum quo operiar, & reuocauerit me cum ſalute: Decimas & hoſtias pacificas offeram ei.* Devotus Granatenſis lib. de Conuerſione peccatoris cap. 12. ait. Quanta debes Domino Deo quot in tanta

Quomodo benedicendū homini

Succeſſor quomodo cognoſcendo.

Pactū Iacob pro vno beneficio Dei.

tamq; infinita reproborum multitudine voluerit te in electorum numero recenſeri! Inter domeſticos Eccleſiæ naſci? Lacte Apoſtolorum nutriri & ſanguine Chriſti inebriari? Si autem poſt gratiam huius vocationis, innocentiam baptiſmi per peccatum amiſiſti, ecce placuit Domino Deo te ſecundò tertiò aut ſæpiùs reuocare, quid ergò illi non debebis? Merito igitur conſideratis his & innumeris beneficijs Euſebius Emiſſenus ait. Ecce frater, ecce nouum funiculum, ecce catenam nouam, qua ſœpius cor tuum ſtringitur atq; obligatur ad virtutem appetendam, & Domino Deo ſeruiendum. Audiamus igitur dicentē Prophætam Malach. 3. *Conuertimini & videte, quid ſit inter juſtum & impium, & inter ſeruientem DEO & non ſeruientem ei.*

Nouũ beneficium noua obligatio.

Pro 6. Cauſa ſeruitij. Nempè æterna mercede. Nota. Retributio mercedis pro ſeruitio, facit ſeruum & lætum & aptiorem ad ſeruiendum. Quanto tempore ſeruiuit Labano in ſpem mercedis Patriarcha Iacob Gen. 29. At tamen tot laborum anni nil moleſtiæ ipſi afferebant. Sed ſit quam optima merces temporalis, ea tamen diu delectare hominem nequit. Vnde B. Iſid. Diu cum rebus noſtris durare non poſſumus, quia aut nos illas moriendo deſerimus, aut ille nos viuentes deſerunt. Quocirca B. Alb. Mag. incitat nos ad ſeruitutem Dei, ex mercede Dei, non temporali, ſed æterna. *Ecce merces veſtra copioſa in cœlis.* Matt. 5. Epictetus in Enchiridion cap. 12. docet. Quod animo in Devm intento ferri debeamus, rebus cæteris obiter vtendo. Et dicit. Quemadmodum in nauigatione ſubducto nauigio, ſi aquatum exieris obiter fortaſſis etiam cochleolam colliges aut bulbum: animo autem in nauigium eſſe oportet ac continenter ſolicito, ne gubernator vocet, ac tum illa omnia relinquere vt ne vinctus tanquam ouis in nauim conijciaris. Ita etiam in vita, ſi tibi vice cochleæ aut bulbi detur vxorcula & puer, nihil impediet. At ſi gubernator vocauerit, curres ad nauim relictis illis. Quod ſi ſenex es, caue vnquam à naue recedas longiùs, ne quando vocatus, deficias. Quod ſi pro conſeruanda vita temporali tantum ſubit laborem homo, quantum igitur ſeruitium tenebitur præſtare homo Deo ſuo; vt recipere æternum præmium poſſit. Rectè Abacuc optando præmium, dicebat. cap. 3. *Ingrediatur putredo in oſſibus meis & ſubtus me ſcateat vt requieſcam in die tribulationis & aſcendam ad Patrem noſtrum.* Felicem & millies fœlicem S. Dominicum Ordinis Sacri Prædicatorum fundatorem nominare licet, qui cum pro tantis beneficiis Dei ſe continuum ſeruum Iesv Chriſti & Dei nominaret, anhelanti, & ad celeſtia oratione & lachrymis æſtuanti, adſtitit juuenis formoſiſſimus dicens ei. Veni dilecte mi, veni ingredere in vera gaudia. Oſuanē & omni dulcedine plenam vocationis vocem. Te miſeri nos inuocamus Pater ſancte. Sta coram Summo judice pro tuo cœtu pauperum.

Merces alleuiat ſeruitium.

Merces noſtra æterna.

Curandum ſumme ne nauis per manſi- ar mi- ri erũ.

Vocatio S. Dominici in cœlum.

DOMI-

DOMINICA XIII. POST OCT: TRINIT:

Ibat Ieſus in ciuitatem quæ vocatur Naim. *Luc: 7.*

QVID PER CIVITATEM QVAM IESVS INGREDITVR EXPRIMATVR?

RESp. Mundus. Naim enim interpretatur fluctus vel commotio. Et verè ſicut fluctus eſt inſtabilis, ita omnia, quæ ſunt in hoc mundo, ſubiacent inſtabilitati. Vndè dicunt mundi amatores in inferno exiſtentes Sap. 5. *Quid nobis profuit ſuperbia, aut diuitiarum jactantia quid contulit nobis? tranſierunt omnia tanquam vmbra, & tanquam nauis, quæ tranſit fluctuantem aquam, cuius cum pertranſierit, non eſt veſtigium inuenire.* Tranſierunt enim & nauis & aqua. Mundus enim appellatur commotio, & non immeritò ſemper commouetur ad ſimilitudinem maris, quod nunquam poteſt quieſcere; Vnde dicitur Iſa 19. *Concurrere faciam Ægyptios*, id eſt, quemlibet mundanum contra mundanum, *& pugnabit vir contra fratrem ſuum, & vir contra amicum ſuum, ciuitas contra ciuitatem, & regnum quaſi aduerſus regnum.* Iſá. 19 Quòd hæc verba ſunt vera, ſatis hodie patet. Hanc ciuitatem quotidiè Dominus, & ſine intermiſſione ingreditur, per deſiderium, quod habet ad conuerſionem peccatorum.

Mundo appellatur cõmotio.

Sequuntur etiam eum diſcipuli eius, id eſt, omnis congregatio beatorum, & turba copioſa, id eſt, omnis exercitus Angelorum. Omnes ſiquidem jam Beati, nec non & vniuerſi Angeli videntes, quod Rex eorum deſideret conuerſionem peccatorum, deſiderant & ipſi, præſertim cum per conuerſionem peccatorum citiùs impleatur numerus electorum.

Mundi ciuitatem ingreditur Deus.

ANNOTATIONES.

NAim erat ciuitas Galileæ Solennis, non quidem ſicut Capharnaum, ſed poſt eam ſecundi Ordinis, vbi multi habitabant, confluebant. Dicit B. Alb. Mag. ſuper Lucam. Mundus iſte opus DEI ſpecioſum, non quidem ſicut cœlum eſt, ſed ordinis ſecundi, in quo peregrinantur Beati & conuerſantur confluentes Angeli, & congruus eſt locus ad DEI perpetranda miracula & præſtandam gratiam hominibus. V. Beda de illo loco dicit. Naim in ſecundò milliario montis Tabor. Etiam hoc ſpecioſitatem mundi declarat, ſicut enim in monte Tabor manifeſtauit Dominus gloriam ſuam cum facta erat

Mundus opus Dei ſpecioſum

erat facies eius ſicut ſol & veſtimenta ſicut nix, ita in mundo manifeſtauit gloriam ſuam Dominus plurimis miraculis, & diſpoſuit mundum vt ex ipſo contemplarentur mortales cœlum. Tob. 5. *Quale mihi gaudium eſt, cum in tenebris ſedeo & lumen cœli non video?* Deſiderabat nedum oculis mentis ſed etiam oculis corporis videre cœlum, vt viſus corporeus ſit ſibi ſtimulus ad viſum mentis. Verùm quia talis contemplatio fieri nequit ſine commotione ſpiritus in peccatoribus ad pœnitentiam veram, & ſine commotione ſpiritus in juſtis ad verum deſiderium, oportet, quod fiat ciuitas cordis, Naim, ſeu vt commoueatur cor. Vndè Pſal. 59. *Commouiſti terram & conturbaſti eam, ſana contritiones eius quia commota eſt.* Ex commotione contritio, ex contritione commotio, & ſequetur ſanitas vt vides. Sana inquit contritiones, quia commota eſt. Hinc B. Alb. Mag. ſuper Lucam. Mori ſunt factis & verbis Domini. Habet Heraclides in Politijs, quod Epheſus ciuitas dicta fuit à nomine cuiusdam Amaſonum, Alij verò dicunt quod à Verbo Græco quod ſonat permittere vel concedere, eo quòd Hercules hanc regionem Amaſonibus conceſſerit. Si de hac ciuitate mundo, ſermonem ducemus, profectò eam conceſſit & permiſit inhabitare Devs Amoonibus, hoc eſt potentibus bello & fortitudine, qui enim vicerit in eo carnem & Diabolum, ille nedum vitam temporalem ſed æternam quoq; merebitur. Qui vicerit coronabitur. inquit S. 1. Ioan. 3. Hinc B. Nilus Episc & Mart in ſent. Tropol. dicebat. *In opera & orationes animam diuidere oportet, ita enim haud multos in n. bis intr oitus Diabolus inueniet.*

Epheſus dicta ab Amazonibus.

Pro diſcipulis euntibus cum Domino. Nota. Pſal. 35. *Domine apud te eſt fons vitæ.* Cum fons vitæ ſit apud Dominum Iesvm, jam non requirit aliquem in adminiculum vt morte ſublato, cum ipſo tribuerent vitam. Cur igitur ibant diſcipuli cum eo adiunxit Euangeliſta? An vt ſint teſtes reſuſcitationis filij viduæ, ſed ſufficiebat ad hoc turba tam ingrediens Naim cum Chriſto quàm efferens mortuum filium viduæ. Vndè Ven. Beda. Diuino nutu multa turba Dominum comitatur, vt multi eſſent tanti miraculi teſtes. An verò comitantur Chriſtum ſimpliciter vt diſcipuli magiſtrum, quo poſſint medio aliquid adiſcere à Domino. Et hæc non eſt mediocris ratio, tetigit eam B. Alb. Mag. dicens. Ibant vt ex factis Domini exemplum acciperent. Sed addidit rationem tertiam. Vt apud Dominum pro petentibus intercederent. Nam quicquid ordinauit Dominus hominibus dare, id totum conceſſit mediante oratione. Vndè B. Nilus Epiſc. & Mart. Omne opus oratione ſignato, potiſſimum verò illud cui cogitationes vides eſſe circumfluas. Narrat Vaſtaurus de B. Gerechimo Ordinis Ciſtercienſis. Præceperat ei Abbas vt eos qui in piſtrino laborabant adiuuaret, ipſe

Cur ſe quebantur diſcipuli Chriſtū ad Naim.

S. Gerechimus Ciſter: B. V. Mariā orā tem reg

mittit adorationem à priſmo.

Ipſe artis piſtoriæ ignarus, imaginem quandam B. V. M. in pariete depictam more ſolito venerando ſic affatus eſt. Domina mea chariſſima D. Abbas præcepit mihi vt cum piſtoribus laborem, tu autem ſcis me in ea arte eſſe planè rudem, tamen faciam quod præcipies. Cui imago, fac quod vſq; feceras & ego pro te ſeruiam in piſtrino. Abijt ille vbi noćte & die orare conſueuit, & orauit, & viſa eſt perſona Gerechini ſpeciem habens miniſtrare, ipſe verò in Eccleſia deprehenſus ſub id tempus fixus in oratione. Tantum erga penſat Dominus orationem hominis deuotam humilem & ſinceram, vt voluiſſet interceſſionem eſſe pro mortuo adoleſcente à ſuis diſcipulis. Quocirca Eccl. 83. *Fili in tua infirmitate ne deſpicias te ipſum, ſed ora DEVM & curabit te.*

Quid per defunctum qui efferebatur intelligitur.

Peccator eſt defunctus.

Reſp. Quilibet peccator cuius peccata ad hominum notitiam peruenerunt. Manifeſtè quippè peccare, eſt portari ad portam ciuitatis. In porta enim frequens eſt introitus & exitus hominum, & benè peccator defunctus appellatur: etſi corpore enim mortuus non eſt, eſt tamen in anima coram DEO.

Et Nota quod ſicut Gloſſæ teſtimonio homo quatuor elementis conſtat: Videlicet aëre, igne, terrâ & aquâ: ita etiam ſunt quatuor genera peccatorum, per prædicta quatuor elementa ſignificata, quæ portant peccatorem ad ſepulchrum inferni. Per aërem igitur ſignificatur ſuperbia, quæ ſemper appetens excellere, vult alijs dominari, & hæc eſt vna & prima ex alijs, quæ hominem deportat ad infernum. Habet autem ſuperbia quandam ſororem; quæ vocatur vana gloria, quæ iuuat eam portare defunctum in vna parte feretri. Superbia autem eſt, quosque alios opprimere, & de malis quibuslibet ſe iactare. Vana gloria eſt, quæ facit humanam laudem appetere, & ſe meliorem vel ſanctiorem, quàm alios reputare. Contra ſuperbiam & vanam gloriam dicitur Iob. 10. *Hoc ſcio à principio, ex quo poſitus eſt homo; quod laus impiorum breuis ſit ſuper terram, & gaudium Hypocritæ ad inſtar puncti. Si aſcenderit vſq; ad cœlum ſuperbia eius, & caput eius;* Scilicet per vanam gloriam cœlum tetigerit, *quaſi ſterquilinium in fine perdetur, & qui viderant eum, dicent vbi eſt?* Poteſt reſponderi: Ipſe eſt in inferno deformior, quàm aliquis bufo, & hoc ſatis eſt dignum. Qui enim per humilitatem noluit ſimilari DEO pulcherrimo; per ſuperbiam factus eſt ſimilis dæmoni deformiſſimo: Dicit enim Greg. Apoſtatæ Angelo ſimilis efficitur, qui alijs hominibus eſſe ſimilis dedignatur.

Quatuor elementa ſignificat 4 peccata.

Superbia ſoror eius vana gloria.

Per ignem ſignificatur ira, quæ hominem intrinſecus inflammat, & hæc altera parte portat feretrum defuncti quàm etiam iuuat portare ſoror ſua, ſcilicet inuidia,

Ira ſoror iræ inuidia.

ſiue odium: quia odium eſt ira inueterata, vt dicit Aug: Eſt autem ira ſubita tempeſtas animi, qua aliquis mouetur ad nocendum alijs. Inuidia autem eſt dolor ex aliena felicitate naſcens. Contra iram dicit Eccl: 11. *Aufer iram à corde tuo, & amoue malitiam à carne tua.* Et quare hoc? Ita enim viri iuſtitiam Dei non operantur. vt dicitur Iacob. 1. contra inuidiam: dicitur etiam Prou: 14. *PVTREDO OSSIVM INVIDIA* id eſt virtutum. Item contra inuidiam dicitur Sap: 2. *Inuidia diaboli mors introiuit in Orbem terrarum.* Imitantur autem illum, id eſt diabolum, qui ſunt ex parte illius, ideſt, inuidi.

Per terram intelligitur auaritia, quæ terrenna deſiderat, hæc in tertia parte feretri portat defunctum ad ſepulchrum inferni. Habet & iſta ſororem, videl: acediam quæ ſocia eius eſt in portando. Eſt auaritiæ multa acquirere, nec ſuperflua pauperibus erogare. Acedia verò eſt deſidioſus animi torpor, à bono incæpto faciens aliquem reſilire. Et ſatis congrue auaritiam ſequitur acidia, quia per nimium deſiderium & concupiſcentiam temporalis boni naſcitur homini tædium & obliuio ſummi boni. Contra auaritiam dicitur Abacuc 2. *Væ ei qui multiplicat non ſua! vſquequo aggrauat contra ſe denſum lutum! Væ ei qui congregat auaritiam malam domui ſuæ vt ſit in excelſo nidus eius.* Contra acediam Eccl: 6. *Audi fili ſubijce humerum tuum & porta ſapientiam. (hoc eſt, ſeruitutem Dei) & ne accidieris in vinculis eius, in nouiſſimis inuenies requiē in ea, & conuertetur tibi in oblectationem.*

Auaritia.

Auaritiam ſequitur acidia.

Per aquam, quæ eſt quartum elementum, luxuria figuratur. Hæc enim ſemper deſpumat in libidinem. Luxuria verò in quarta parte feretri deportat mortuum ad ſepulchrum tormentorum. Habet & ipſa ſororem, gulam, quæ aſſiſtit ei in portando. Eſt autem luxuria inordinata carnis petulantia, id eſt, dulce carnis venenum quod corpus humanum debilitat & virilis animi robur eneruat. Gula eſt vorax edacitas nauſeanti ſtomacho applaudēs, naturæ finibus non contenta. Contra luxuriam dicit Eccl: 11. *Malitia horæ vnius, ſcilicet in inferno, obliuionem facit luxuriæ maximæ, & in fine hominis denudatio operum illius.* Cùm enim mortuus fuerit homo, tunc ſtatuentur omnes immunditiæ ante oculos ipſius quas operatus fuit prius, & per has imnunditias irremediabiliter punietur. Contra gulam ſiue crapulam Eccl: 37. *Propter crapulam multi perierunt in morte, ſcilicet temporali & æternali.*

Luxuriæ ſoror eſt gula.

ANNOTATIONES.

QVod ſignificetur per mortuum peccator Nota. Prou: 14. *Iuſtitia eleuat gentem, miſeros autem facit populos, peccatū.* Quomodo miſeros? Ita, quod nulla infirmitas nullum, malum periculum, infelicitas non eſt communiter, niſi ob peccatum commiſſum, imò & repentina & violenta & cita mors. Vndè cuidam dicebat Saluator

Quomodo miſeros facit.

Saluator Ioan: 8. *VADE ET AMPLIVS NOLI PECCARE.* Ven: Beda præſentem mortuum ſpeculatur dicit. Defunctus autem qui extra portam ciuitatis multis eſt intuentibus elatus, ſignificat hominem lethalium funere criminum ſuperatum, & animæ mortem non cordis adhuc cubili tegentem, ſed ad multorum noticiam per locutionis operiſuè iudicium quaſi per ciuitatis oſtia propalantem. Ipſa quoq; ætas mortui adoleſcentia ſcilicèt & iuuentus, quâ ſolent in peccata varia incidere homines, peccatorem fuiſſe declarat, nec ipsa mater ceu vidua fortè ipſum retrahebat, præcipuè, quia vnicus erat. Hinc Greg: Niſſen?. Non ſperabat vlterius filios procreare, hunc ſolùm lactauerat, ſolus aderat alacritatis cauſa in domo, quicquid matri dulce ac pretioſum, hîc ſolus extiterat. Et ætas igitur & amor matris viduæ, occaſio erat ad peccandum adoleſcenti, & ideò mors accelerauit.

Extra portam mortuũ multis criminibus obnoxium, ſignificat.

B. Nilus in Sent: Trop: dicit. Præcipuè auditum ac viſum munire memento, potiſſimum enim illac malitiæ tela penetrant. Erat hîc adoleſcens totus ante oculos & ad aures matris, erat illemet cum oculis & auribus ad vanitates mundi, & facilè malitia penetrauit, cor infecit & mentem, ſic igitur mortem aduocauit. Præmonebat DEVS per Moyſen Deut: 11. parentes dicens. *Docete filios veſtros verba mea vt illâ meditentur quãdo ſederis in domo tua & ãbulaueris in via & accubueris atq; ſurrexeris.* Et profectò bona educatio liberorũ magni momẽti apud Deũ. D. Hier: in Epiſt: ad Chromatium, mulierem talem & vterum eius vocat, Aureum verè. Sed difficilè inuenire tales parentes, leuis eorum educatio liberorũ, ob amorem, negligentiam, & parcitatem. D. Ambr: in Examer: lib: 6. *Vrſa fertur informes edere partus, ſed natos lingua fingere atq; in ſpeciẽ ſui ſimilitudineq; formare. Non mireris in fera tam pij oris officia, cuius naturam pietas exprimit.* Vrſa igitur partus ſuos ad ſimilitudinem ſui effingit, & tu filios tuos inſtituere ſimiles tui vel non vis vel grauaris. Permiſſio igitur parentũ licentioſa in liberos, congerit mala in filios. Quocircà D. Aug: ſerm: de verb. Dom: 37. Sæculi lætitia, eſt impunita nequitia, ſcilicèt luxuriari, fornicari, in ſpectaculis nugari, ebrietate ingurgitari, turpitudine fædari, & nihil mali pati: hoc gaudium omni dolore deterius eſt, & nulla pæna, grandis pæna. Ceſar qui omnium externorum & domeſticorum hoſtium victor erat, cum filium Ceſetis Romani equitis expoſtularet à patre vt eum abdicaſſet ob affectatum regnum cum Marullo Collega, reſpondit Ceſetius. Celerius tu mihi Ceſar omnes filios eripies, quam ego illum pellam. Nec clementia nec donis ceſſit Ceſaris, vt amorem in filium mutaret. *Val: Max: lib: 5. cap: 7.* Equidem Dominus noſter IESVS Chriſtus nullum filium

Per viſum & auditũ intrant malitia.

Vrſa linguâ figurat catulos.

Sæculi lætitia mala.

Amor parentum in filium.

Nemo perſeuerans in peccato à Christo ſaluatur. ſſimum adoptiuum patri, licèt peccantem, vult excludere à ſe, ſed omnibus antidota & ſanitatem tribuere cupit, attamen nulli id præſtiturus eſt, quem in peccatis ſine pœnitentia deliteſcere cognouerit.

Pro 4. generibus peccatorum. *Superbia inter pec: max:* Nota. Quoniam initium omnis peccati eſt ſuperbia, idcircò primò loco ponitur, inter genera peccatorum. B. Iſidorus Inter omnia peccata ſuperbia eſt maxima, quia tam per virtutes quàm per vitia humanam mentem exterminat. Val: Max: de Alexandro lib: 9. cap: 5 ſuperbiſſimo conſequenter dementi homine refert. Huius regis virtus & fælicitas tribus inſolentiæ gradibus, exulauit. Faſtidio Philippi Patris ſui, Iouem Hammonem, Patrem aſciuit, tædio morum & cultus Macedonici, veſtem & inſtituta Perſica aſſumpſit, ſpreto mortali habitu, diuinum caput æmulatus eſt, nec fuit ei pudori, filium ciuem, hominem, diſſimulare. En quo ſuperbia ducit, quo homo ſtolidus, deuenit per ſuperbiam. Benè Iſidorus. Meritò ſuperbia diabolus à ſupernâ beatitudine corruit. Et qui de virtutibus attoluntur, diabolum imitantur, & exindè grauius, corruunt, quia de excelſo labuntur. Viros animo excelſo in bonum quorum fortitudo probata æuiternam generat *Symb: virorũ fortiũ.* memoriam, aliqui hoc Symbolo adnotarunt. Poſuerunt canem iacentem ſupra ſepulchrum, & ſubſcripſerunt. *VIRTVS SEPVLCHRVM CONDIDIT.* Superbo verò qui eradicat Virtutes & vitia plantat, Hidra ponenda ſuper ſepulchrum, & ſcribendum. *SVPERBIA EVVLSIT SEPVLCRVM.* Non enim dignus eſt ſepulchro. Qui enim per propriam ſuperbiam attolitur, per Dei iuſtitiam inclinatur, inquit Iſidorus. Refert Ælianus lib: 13. cap: 34. Dionyſius, cum Leonem interfici iuſſit dicebat. *Non licet tibi Leo, tibi viuo eſſe.* Superbia quia extrema dementia eſt, vt inquit Chryſoſt: iam ſuperbus, ferrocior Leone iracundior vrſo, rapacior lupo erit. Quocirca tam immani beſtiæ, non conueniens eſt vt viuat, ſed requirit lex humana & iuſtitia diuina, vt talis non viuat. Vndè D. Aug: *Superbus indignus miſericordiâ.* Epiſt: 137. Superbus indignus eſt miſericordiâ. Quapropter formauit decretum Dominus Eccl: 41. *Væ vobis viri impij, qui dereliquiſtis legem altiſſimi.* Et ſi nati fueritis, in maledictione naſcemini, & ſi mortui fueritis, in maledictione erit pars veſtra.

Pro ſorore ſuperbiæ Vana gloria. Nota Ad Gal. 4. *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi.* *Gloria inanis quæ ſit.* Et quæ eſt hæc gloria inanis! Reſpondet Apoſt. Inuicem prouocare, (puta ad faſtum & vanam gloriam, & inuicem inuidere) puta quod ſimilis illi non ſis, ne ita veſtiaris, promoueris. Vana hæc gloria eſt exiſtimare ſe aliquid eſſe cum nihil ſis. Ignoras, quid ſuperuentura pariat dies. Dicitur Prou. 27. At quod grauiſſimum eſt vt ſuam vanam gloriam conſtituant aliqui, ſine fronte, ſibi ea quæ

Dei

Dei ſunt aſſcribunt, vt gloriam ſuam ſtabilitent. Deplorat id D. Aug. in ſoliloq: dicens. Qui laudari vult de tuo bono & non quærit gloriam tuam in illo ſed ſuam, hic fur eſt & latro & diabolo ſimilis qui gloriam tuam furari voluit. Domine formator meus, ex vtero matris meæ non ſinas cadere in illam exprobationem vt exprobretur mihi furari voluiſſe gloriam tuam. Tibi laus & gloria, tibi gratiarum actio cuius eſt omne bonum, nobis confuſio faciei & miſeria quorum eſt omne malum niſi tu Domine volueris miſereri. Quàm plurimis extollendus encomiis Polonorum Rex Steph. Bathorius qui deuictis hoſtibus, erexit in loco pugnæ crucem Domini, & his laudabat verbis. *Non nobis Domine non nobis, ſed nomini tuo ſit gloria.* Pharaonis exercitum contritum & in mari rubro ſubmerſum explicabat aliquis hoc ſcripto, *Tu confregiſti caput draconis, Pſal.* 73. Caput ſuperbiæ eſt vana gloria, illa enim ſuperbum cor contra Deum & proximum extollit, ſed ſicut caput exercitus ad mare rubrum confractum eſt, ita miſerabilius, ſuperbum & gloriam fugacem & nugacem ſectantem, in inferni profundo Dominus peſſundare decreuit. Quia verò B. Alb. Mag. tam ſuperbiam quàm ſororem eius ad elementum aëris comparauit. Id, quia in cælis incœpit ſuperbia quibus propinquus eſt aër & quia peccatum ſuperbiæ ſubtilitate & tenuitate Dominium inchoat, factum eſt. Non verò, quòd veri quid cæleſtis, in ſe habeat.

Superbia initia in cælis nũc nil ibi habet.

Pro ſecundo portatore, ad infernum, nempè ira, Nota. Cic. 4. Tuſc: Ira eſt principium inſaniæ. Non quidem omnis ira damnabilis eſt, nam & Lactan: dixit. Iraſci rationis eſt, auferuntur enim delicta & refrenatur licentia, quod iuſtè & ſapienter fit. Sed damnatur ira, quæ vt dicit Amb. in Exam. Animæ ebrietas eſt, quæ radix homicidij eſt & fera truculenta vt Chryſoſt. docuit; quæ diabolo ludibrium eſt. Illa damnatur ira, de qua Ariſtides apud Stob: Iracundia eſt perturbatio immanis, dura & violenta potentia, cædium cauſa, calamitatis ſocia, concilians iacturam & dedecus, pecuniarum pernicies, perditionis origo. Illa damnatur ira de qua Greg: lib. 6. Mor: Per iram iuſtitia derelinquitur, quia dum perturbata mens iudicium ſine ratione exaſperat, omne quod furor ſuggerit rectum putat. Per iram gratia amittitur, quia qui ſe ex humana ratione non temperat, neceſſe eſt vt beſtialiter viuat, per iram manſuetudo & lux veritatis amittitur, concordia corrumpitur, Deus contemnitur. Vndè filij Dei à filijs diaboli per iram diſcernuntur. *Beati enim pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Matth. 5. Greg 1. Moral: In hoc mens iuſta ab iniuſta diſcernitur, quòd omnipotentis laudem inter aduerſa confitetur,

Ira bona & mala.

Quo filii Dei & diab diſcern

 quod

Ira in tyrannidem verti-tur.

quod non cum rebus frangitur, quod non cum caſu exterioris gloriæ cadit. Marcum Marium cum ira in tyrannidem protraxit, ſubito ipſũ & fortuna & honore & vita ſpoliauit. Nam vnâ die Imperator factus, altera viſus Imperator, tertia interemptus eſt, cum exprobratione hac fuit. *Hic eſt gladius quem ipſe fecisti.* Vndè Herodot: Fugies iracundiam tanquam acerbiſſimum tyrannum. Non enim ſtruit irato ipſum periculum, ſed ira pro gladio fit. In Symbolum ira nil poteſt poni meliùs quàm fumus maſſæ fetidæ. Sicut enim fumat & ignem ſpirat iratus. Ita hæreditabit fumum inferni cum fetore & igne.

Mari⁹ gladio perc: ſuo.

Inuidia vitanda.

Pro inuidia quæ iuuat portare feretrum iræ. Nota. Sap. 6. *Cum tabeſcente inuidia iter non habebo, quia talis homo non erit particeps ſapientiæ.* Quis libenter conuerſabitur cum eo quem ſeuera iuſtitia deſtinare parata ad terribilem iuſtitiam? Et tu quomodo conuerſaberis cum illo qui Chriſto veræ ſapientiæ nedum non adhæret, ſed ipſa ſapientia participari cum illo non vult? Qui nedum morbo graui laborat, ſed fætet, tabeſcit in infirmitate? Inuidus aſſimilatur cani qui fenum defendit quo ipſe vti non poteſt. Nam quæ inuidus non poteſt habere alteri cum ira, furore, malitia inuidet, & ſi poſſet omnia bona eius cui inuidet, ad nihilum redigeret, Nam ſi inuidus ſibi quoq; inuidet, quomodo alteri mala non tentabit Eccleſ. 14. *Qui ſibi inuidet, nil eſt illo nequius & hæc eſt redditio malitiæ eius.* Hinc B. Iſid: de ſum: bono lib. 3. cap 25. Liuor alieni boni ſuum punit authorem, nam vndè bonus proficit, indè inuidus contabeſcit. Laërtius lib. 4. cap. 7. Bion Boryſthenites conſpiciens quendam triſti vultu qui habebatur inuidus. Neſcio inquit, vtrum tibi aliquid acciderit mali, an alteri boni quidpiam. Inuidus enim non minùs diſcrutiatur aliena felicitate quàm ſuo infortunio. Optimè de inuidis Ariſtot. cùm eſſet interrogatus quid eſſet inuidia dixit. Eſt Antigoniſta fortunatorum.

Inuidꝰ ſibi nocet.

Antigoniſta fortunatorũ.

Auarus malum ſuum tarde videt.

Pro tertio portatore ad infernum nempe. Auaritia. Nota. 1. Cor. 6. *Auari regnum Dei non poſſidebunt.* O quam terribilis portator in infernum. Ezech. 8. *Eleuauit ipſum Spiritus inter cælum & terram, & conuerſus vidit abominationem, aſpexit terram & ecce vacua erat.* Auar⁹ qui totã cogitat poſſidere terram, totum mare, aëra, deſiderat Dominus fieri hominibus, piſcibus, aquis, volucribus &c. Eſt cogitatione ſua inter cælum & terram, ſed cum ad finem vitæ & mortem conuerterit intuitum, videbit abominationem, quia nec ille, nec poſteritas, nec conſanguinei de male partis gaudebunt, videbit abominationem ſuam imminentem ab Angelis & Deo, quia terrena præpoſuit cæleſtibus, videbit ſuos in inferno vt ille diues qui pauperem Lazarũ non videbat in ſucuria, quod omnes ad infernos deſcendent, nec

erit in

erit in terra derelictus de ſemine ipſius. Vndè Amb: lib. 9. ſuper Luc. Diſcant diuites non in facultatibus crimen haberi, ſed in his qui vti neſciunt. Nam diuitiæ vt ſunt impedimenta reprobis ita ſunt bonis adiumenta virtutis, Refert Æ-lianus lib. 3. cap. 145. Quidam

Caue à curru.

Philippus magnæ dignitatis, acceperat in Boëtia oraculum vt caueret à curru, ille nec aſcendere currum voluit metu oraculi. Cùm verò occiſus eſſet, aliqui dicebant quod Pauſanias qui occidit eum, habuit currum ex ebore capulo gladij inſertum; alij dicunt quod lacus ad quem occiſus fuit, habuit nomen currus. Ego verò conijcturor quod auaritia, quæ curru infelici adnotari poteſt, ſiue enim inter milites & in campo, & in terra, & mari reperiretur auarus, ſemper tamen ſecum periculum portat. *Auari regnum Dei non poſſidebunt.*

Pro ſorore Auari, Acedia quæ facit à bono reſilire hominem. Nota. Cùm qui in vinculis ſapientiæ non acediatur inueniet requiem & oblectationem iam acidioſus nec requiem, nec oblectationem habebit, ſed inquietudinem & amaritudinem, vt ex authoritate Eccl. adducta à B. Alb. Mag: apparet. Num. 12. Enumerantur infortunia Acediæ. Inquit enim. Acedia vel tædium, homini eſt cauſa impatientiæ, & carnalis deſiderij & cauſa multiplicis mendacij. Et Matth. 21. *Inutilem ſeruum eijcite in tenebras exteriores, illic erit fletus & ſtridor dentium.* En quam damnabilis eſt portitoris auari ſocius acedia, non enim alio deportat auarum & acedioſum niſi ad infernum. Quocirca B. Nilus vt nos ab acedia reuocaret & admoneret ad operandum pro bono animæ, dicit. Filij Adam cùm ſimus; vt laboremus eſt neceſſe, nam niſi hîc laborauerimus, in futuro ſæculo retributionem non lucrabimur. Cùm aliquis punitur paupertate ob luxum vel propter non miſericordiam in pauperem, oſtiatim petendo panem non inuenit; Ita piger & acedioſus pro ſe & anima licet orauerit, non habebit miſericordiam. Vndè Prou. 20. *Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergò æſtate, & non dabitur ei.* Cùm in hyeme nullus arare poteſt obſpiſſitatem terræ, non hîc arare intelligitur de opere in terra quàm pedibus calcamus, ſed intelligitur de corde terreno, circa quòd ſi opus agendum eſt, infrigore agendum, cùm videlicet nullus calor in eo charitatis inuenitur. Si enim tepeſcet, nec laborem addiderit, mendicabit, nec dabitur ei, ſed fame peribit. Quæ enim homo ſeminauerit hæc & metet. Vndè Eccl. 7. *Non oderis laborioſa opera, & ruſticationem creatam ab altiſſimo.*

Acedia quid.

Filiũ Adam quã cõueniãt

Arare terram & cor.

Pro quarto portitore ad infernum. nempè, luxuria. Nota. Pſal. 68. Orat Dauid ad Dominum. *Eripe me de luto vt non infigar.* Quis ſenſus! Iam ſi eſt in luto, infixus eſt. Antequam eſſet in luto orare debuit

buit vt non ſit infixus; & ſi eſt infixus, orare debuit vt eripiatur, ſed ſapienter orauit, iam erat in luto & infixus erat in luto peccatorum & luxuriæ, at quia magis & minùs quis infigitur in luto, ideò petit vt eripiatur, nam grauedine peccatorum in profundum luti deijciebatur. Vndè in eodem. Pſal. dicit. *Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia.* Orat igitur vt in tantum profundum non deueniat, vbi vitam & ſubſtantiam amittere poſſit. Videbat quòd in profundo fuerat, non putei, ſed luti & ſordidi limi, vbi vix ſpei erat vitæ, & peccatorum pondere inferiòs deſcendebat nec ſe iuuare ampliùs poterat, ſed Deus potuit, at non debuit, orat igitur, vt ſe dignetur adiuuare. Propheta Ieremias 38. in lacum poſitus erat vbi non erat aqua, ſed vbi erat lutum, & erat in eo vſq; ad guttur, quod erat illi amarius (vt inquit Magiſter) millies amarius morte. Quid igitur de luto luxuriæ dicemus, an non ſordidiùs eſt luto fœtido? an non amariùs erit millies, cum pro luxuria deputabitur ad infernum tenebrarum, inter picem & diabolorum ludibria, qui eandem luxuriam quâ delectabatur in ipſum effundent vt palam fiat quod in ſecreto fuerat? Vndè in cautellam B. Iſidori lib 2. de ſum: cap. 42. Proxima eſt ventri libido, ſicut loco ita vitio. Vbi enim ventris cura, ibi & eorum quæ circa ventrem ſunt proxima. In ordine namq; membrorum, genitalia ventri iunguntur. Dumque vnum ex his im moderatè reficitur, aliud ad luxuriam excitatur. Hinc terribilem adduxit authoritatem B. Alb. Mag: Malitia horæ vnius, obliuionem facit luxuriæ maximæ, puta in inferno, & in fine hominis denudatio operum eius. Et quia luxuria eſt dulce carnis venenum, nedum libidinem ſed etiam luxum ſignificabit. Vndè ſicut libido ita luxus abominandus eſt, vtrumq; enim ad inferos trudit. Nam ſi rectum erat quondam iudicium Alphonſi regis. Accuſatus ei erat eques quod ingens patrimonium per luxum ac libidinem abſorbuerat, atq; inſuper magnam æris alieni vim contraxerat, pro quo intercedentibus quibuſdam apud Alphonſum Aragoniæ regem ne ſaltem quæ debebat corpore luere cogeretur, reſpondit Alphonſus. Si tantam pecuniam, vel in ſui regis obſequium, vel patriæ commodis, vel ſubleuandis propinquis impendiſſet, audirem. Nunc quoniam tantas opes impendit corpori, par eſt vt luat corpore. Rectius iudicium erit Dei vt puniat luxurioſum & in anima, & in corpore.

Ieremias in lacu luteoſo.

Proxima ventri libido.

Luxurioſus punitur in corpore & anima.

Pro Gula adiuuante Luxuriam. Nota. Deut. 20. *Filius veſter ſi comeſſationibus vacat, & luxuriæ atq; conuiuiis, lapidibus obruet eum populus.* Terribile decretum. Sed hoc non ſufficit in pœnam. Vide quid Iob 20, dicitur. *Panis eius in vtero, vertetur in fel aſpidum intrinſecus.* Punietur (inquit) & in corpore

Terribile decretum in luxurioſos.

corpore & in anima. Vndè Iſidorus. Vtile eſt cauere gulam ciborumq; concupiſcentiam. Quid enim tam noxium quàm vt animus ſeruiat ventri & e.cæ quæ ſunt deſtruenda teſtante Apoſt: 1. Cor: 6. *Deus autem & hunc & hanc deſtruet* Hoc eſt, ita puniet, vt penitus ruinentur. Quocirca laudatur apud Plutarchum Pompeius. Cùm enim ægrotanti præſcripſerat medicus vt turdis veſceretur, illi quibus negotium datum fuit, negârunt inueniri (non enim erat tempus quo genus hoc auium capi ſolet) Admonuit aliquis apud Lucullum inueniri poſſe, nam turdos toto anno ſolebat alere. Ita ne, inquit Pompeius, niſi deliciis deditus eſſet Lucullus, nequaquam viueret Pompeius! Contempto medico, cibis parabilibus vſus eſt. O verè maſculum animum. Atquoniam non quemq; ad gulam alligare licet, Reges & Principes vno obſonio ob ſplendorem menſæ & amicorum numerò contenti eſſe nequeunt. Epiſcopi & Prælati cùm de menſa ſua alere pauperes teneantur, apparatum tabulæ requirunt, idcircò diſtinxit B. Iſid: lib: 2. de Sum: cap: 42. Non qualitatem ciborum ſed eorum cupiditatem cauendam. Non ſæpè acuratius præparata ſine gulæ concupiſcentia deguſtantur, & ſæpè abiecta & vilia edendi cupiditate ſumuntur. Sicq; fit vt non ſit in culpa ciborum qualitas, ſed illud reputetur in vitium, quod cum deſiderio deguſtatur.

Ex deliciis alterius monitur alius.

Quid cauendum in cibis.

Quid per matrem viduam accipitur.

Reſp: Sancta Eccleſia. Vidua; quia viduata eſt corporali præſentia chariſſimi ſponſi videlicet Ieſu Chriſti. Hæc autem mater quemlibet peccatorem amariſſimè deflet tanquam vnicum filium ſuum. Quilibet enim regeneratus ex aqua & ſpiritu S. eſt ei tanquam vnicus filius ſummè dilectus, vndè & ſummè dolet eius perditionem.

Vidua eſt Eccleſia.

ANNOTATIO.

Maximam habuit compaſſionem Heliſæus ſuper mulierem & filium eius defunctum, qui paruulo corpori defuncti pueri, applicabat proprium corpus ſuum & coarctabat membra ſua membris eius. At non eſt miſericordia ſuper miſericordiam Chriſti. Vndè non vocatus obuiat matri & mortuo; non rogatus reſuſcitat filium, non facit moram ſed ſubitò reſedere illum facit. Vndè Greg: Niſſ: Ærumnæ molem breuibus verbis explicuit Euangeliſta. Mater, vidua erat, Miſericordiam verò clarè explicauit Chriſti. Viduam vt vidit Dominus, miſericordia motus ſuper eam, dixit illi *Noli flere*. Ille enim loquebatur, qui non entia velut entia vocat, qui mortuos vt viuos allo- qui poteſt. Hanc igitur viduam Eccleſiam ora vt pro te peccatore mortuo intercedat. Dicit enim D. Ambr.

Miſeratio Chriſti magna.

Eccleſia orãda vt pro nobis intercedat.

Ambr. Si graue peccatum eſt, quod pænitentiæ tuæ lachrymis ipſe lauare non poſſis, fleat pro te mater Eccleſia, aſſiſtat & turba iam reſurgens à funere, & incipies alia vita loqui, timebunt omnes, vnius enim exemplo omnes corriguntur. Laudabunt etiam Deum qui tanta nobis remedia vitandæ mortis indulſit. Quocirca extollendo S. Eccleſiam B. Iſidorus & condemnando ſectas lib: de ſum: cap: 20 dicit *Hæretici quamuis legem & Prophetas adimpleant, ex eo tamen quod Catholici non ſunt, non eſt Deus in eorum conuentibus ipſo Domino teſtante. Si ſteterint Moyſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum.* Eijce eos à facie mea & egrediantur. Per Moyſen quippè & Samuelem, legem accipe & Prophetas, quos quamuis hæretici opere implere contendant, propter erroris tamen impietatem, à vultu Dei proijciuntur, & à iuſtorum cætibus ſeparantur. Habet aliam quoq; explicationem Theoph: huius viduæ. Ponamus illius verba. Viduam potes etiam intelligere animam virum amittentem, id eſt, diuinum ſermonem. Filius eius eſt intellectus qui extra ciuitatem effertur viuentium. Loculus eius eſt corpus quod quidam dixerunt eſſe ſepulchrum: Tangens autem Dominus eleuat ipſum, iuueneſcere faciens eum, qui ſurgens à peccato, incipit loqui & alios docere. Non enim ei prius crederetur. Quadrat hæc expoſitio in illos Doctores & viros literatos qui odio habent vitam ſpiritualem; nam cum illos Dominus tetigerit infirmitate graui mox redeunt ad ſe & colligunt conſcientiam ſuam ad opera religioſa, & qui erant ſpiritualium virorum oſores, fiunt poſt modum promotores, defenſores. Et talis erat Saulus, antequam vas electionis factus fuerat. Talis erat D. Aug: cum Manichei errorem defendebat. Tales erant Doctores Pariſienſes dum perſequebantur Ordines Mendicantium. Tales ſunt omnes hæretici, qui diuinum ſermonem contra legitimum ſenſum diuertunt, & ritus, obſeruantias Catholicas ſedis Romanæ in qua Apoſtolorum Princeps ſedit & ſucceſſores Ieſu Chriſti digito Spiritus S. demonſtrauit, demoliuntur. Quam rectè B. Iſidorus lib. 3. cap: 41. Multi ſunt qui non ex conſultu ædificandi ſed ex tumore ſuperbiendi docent: nec vt proſint ſapientes ſunt, ſed vt ſapientes videantur docere ſtudent.

Inter hæreticorum conuentus non eſt Deus

Poſt viros ſpirituales liquidè ruunt.

Quomodo defunctus iſte vitæ reſtitutus.

AD hoc; Vt peccator reſuſcitetur à peccatis ad ſpem vitæ æternæ, quatuor requiruntur. Primum eſt vt Ieſus accedat, & loculum tangat. Secundum eſt, vt hi ſtent, qui defunctum portabant in loculo, id eſt, in feretro. Tertium eſt, vt Ieſus defuncto imperet, vt reſurgat. Quartum eſt, vt defunctus

4. Requiruntur vt quis à peccatis ſurgat.

ctus ſe erigat, & loquatur. Et ſic quinto, matri viuus reſtituetur. 1. Tunc Ieſus accedit, & loculum, id eſt, conſcientiam peccatoris tangit, quando ei metum illius extremi iudicij incutit, in quo ſcilicet iudicio Dominus percutiet virga crudeli omnes peccatores terræ. O quam infelix, quem agnus, tunc Leo effectus, feriet virga labiorum ſuorum, dicens: *Ite maledicti in ignem æternum*. 2. Tunc autem ſtant, qui prius mortuum ferebant, quando videlicet peccator compunctus per timorem conteritur, & deſiſtit à peccatis, quæ cum prius ad puteum gæhennæ portabant, 3. Tunc verò Ieſus peccatori mortuo imperat vt reſurgat, quando videlicet ei robur gratiæ adminiſtrat. Gratia quippe Dei dat homini vires, vt poſſit reſurgere. 4. Tunc verò mortuus ſe erigit, & ſedens loquitur, cum peccator per ſpem veniæ ſe leuat ad cœlum, & tunc ſedens loquitur, quando peccata ſua diſcrete & integrè confitetur. Oportet ergò vt quilibet peccata ſua confiteatur, aliâs ſaluari non poterit. 5. Cùm autem locutus fuerit per Confeſſionem, tunc quinto Ieſus Sacerdotum miniſterio peccatorem iam pœnitentem reſtituit Eccleſiæ per peccati ablutionem & debitæ ſatisfactionis iniunctionem. Rogate ergò Dominum vt tam ſtrenuè pro peccatis noſtris in vita ſatisfaciamus, vt poſt hanc vitam in conſpectu eius fiducialiter appareamus.

ANNOTATIONES.

PRo primo requiſito ad reſuſcitationem à peccato, nempè vt Ieſus ad peccatorem accedat. Nota. Sicut neceſſarium eſt ſimpliciter, vt ſol oriatur ſi dies eſſe debet, ita neceſſarium eſt vt Ieſus Chriſtus accedat ad peccatorē. Non enim medicus inuenitur alter nec aliquis medicinam aptare ad peccati noxam poteſt, niſi ipſe Deus & filius ipſius naturalis, Ieſus Chriſtus. Appropinquauit nedum portæ ciuitatis ſed etiam acceſſit ad cadauer mortui & vt inquit D. Chryſoſt: vita obuians morti. Quæ vt obuiauit, ſteterunt qui portabant, & mors obſtupuit, & reddidit eum quem tenebat mortuum, vt qui ſpiraculum vitæ dederat homini, & per vnionem animæ viuum corpus conſtituebat, ius quoq; ſuum ſuper mortuum exequeretur, & anima reuocata ad corpus mortuum hominem viuum redderet mundo & matri filium. Cum B. V. Maria appropinquauit ad Eliſabeth poſtquam conſenſit Angelo nuntianti & mater effecta eſt filij Dei, dicit S. Euangeliſta, quod cum ſalutaſſet Maria Eliſabeth, exultauit infans in vtero Eliſabethæ. Magis cum vita ipſa Chriſtus obuiauit morti adoleſcentis, exultauit corpus mortui, & contremuit mors, & anima ad vocem vitæ, vt perſenſit corpus cui alligata erat exultatione poſſe iam reflorescere, redijt, & obediens facta voci Domi-

Chriſtus vt accedat ad peccatorem neceſſe eſt.

Exultat in vtero S. Ioānes

Domini iterum informauit corpus. Dicitur Iſa: 8. Voca nomen eius. *Accelerare & feſtinare Chriſti* Accelera feſtina. Quid hîc intenti erat in Propheta ? Orabat vt appropinquet celerius homini qui in dies in maiora incidebat enormia peccatorum, Ac celera & ſalua, non ſit præda homo alterius in æuum. Niſi enim accelerâueris & manum porrigas periclitanti, non erit ſalua omnis caro. Feſtina, chaos & profundum inferi obumbrabit eos qui ſpem ponebant in te Saluator meus: Veni igitur, accelera protinus, opem pone redemptionis. D. *Redēptio inſcrutabilis.* Bern. in Epiſt. *Nemo hominum nouit, nec noſcere poteſt ad plenum, quid boni ad gratiam, quid congruentiæ ad ſapientiam, quid decoris ad gloriam, quid commodi ad ſalutem penes ſe ipſum contineat huius venerandi myſterij ſcilicet humanæ redemptionis altitudo inſcrutabilis.* At inter cætera, appropinquauit Dominus ad mortuum, tetigit non mortuum, ſed loculum, dixit vt reſedeat mortuus, & reſedit. Ita appropinquare ad peccatorem illum eſt neceſſe & tangere loculum peccatoris.

Pro tactu loculi. Nota. Gen. 27. *Accede ad me fili mi vt tangam te.* Iacobo *Tactus feretri myſterioſus.* filio dicit S. Patriarcha Iſaac In quibus verbis cum Eſau ad venandum miſerat, & non Iacob, optimè nouerat ex voce non Eſau eſſe, cur igitur *Cur feretrum non corpus tetigit.* deſiderat tangere ipſum? Non aliud eſt, niſi quid oſtendebat in prophetia, quod DEVS Pater debuit dare filio hominis facto, vt tactu ſanaret corpus & animam. Vndè Cyrillus Feretrum tangit, vt cognoſcas efficax eſſe ſacrum Chriſti corpus ad humanam ſalutem, eſt enim corpus vitæ, & caro verbi omnipotentis cuius habet virtutem. Sicut enim ferrum adiunctum igni perficit opus ignis, ſic poſtquam caro vnita eſt Verbo quod viuificat omnia, ipſa quoq; facta eſt viuificatiua & mortis expulſiua. Sed admiranda eſt res in opere Chriſti & reſuſcitatione mortui, cur Chriſtus non tetigit mortuum, ſed feretrum? cur in quoddam medium reſurrectionis aſſumpſit lignum & non immediate tetigit manum vt antea puellæ mortuæ, vel corpus? D. Ambroſ. accepit hanc conſiderationem & tractauit lib. 5. in Luc. Et ponit primam rationem, ex parte mortui. Habebat ſpem reſurgendi, idcircò ferebatur in ligno, non verò in puluinaribus nec ſericis, Licet enim lignum ante nil proderat, tamen poſtquam id Chriſtus tetigit, cæpit proficere ad vitam, vt per hoc eſſet judicio ſalutem populo per crucis patibulum refundendam; Et hæc eſt ratio ſecunda ex parte Chriſti, tactus iſtius feretri. Nam ſi vmbra D. Petri ſanabat, quomodo tactum lignum virtutem à Chriſto communicatam ſibi, non retinebit? Fertur in Hiſtoria Ord: S. Dominici; quod oranti ante lucem B: Mariæ *B. Razzia Ord: Præd:* Razziæ ſorori Ord. S. Dom. apparuerit Chriſtus innumeris ſtipatus ſanctis, qui ei facto ſigno crucis, benedixit. Cuius benedictionis virtute, & ſanctiorem vitam duxit, & augustio-

guſtiorem ſpiritum orandi accepit. Quòd ſi Dominus tetigiſſet eam atq; corpus illius tactu ſuo conſecraſſet, in quam fortitudinem ſpiritus & benedictionem Domini abundantiſſimam non deueniſſet? Igitur tactus iſte Domini quod feretrum tetigit, crucem Chriſti ac virtutem crucis ſignificauit, idcircò gratiam myſterioſam obtinuit. Poſſumus quoq; cum V. Beda dicere quod loculus iſte in quo mortuus efferebatur deſperati corporis conſcientia eſt, qui verò ſepeliendum portant, vel immunda deſideria, vel blandimenta ſunt ſociorum, qui Domino tangente ſteterunt. Ad eundem ſenſum de peccatis explicuit Ambr. In feretro jacemus exanimes, cùm vel ignis immodicæ cupiditatis exeſtuat, vel frigidus humor exundat, & pigra corporis habitudine vigor hebitatur animorum. Ad hos igitur neceſſe eſt vt apropiget Chriſtus, tangat eos virtute ſuâ. Niſi enim hoc fuerit, peribit homo in æternum. Legimus in Manu ſcripto Vaticano quòd Anno 1219. B. Athanaſio Patriarchæ Alexandrino oranti coram reliquijs S. Ioã: Bapt. & coram imagine B. V. & cæteris reliquijs, apparuit illi S. Ioan. Bapt: dicens. Non eſt voluntatis meæ, vt meæ & aliorum ſanctorum quorum hîc ſunt reliquiæ atq; imprimis iſta glorioſæ V. Mariæ imago hîc remaneant, demerentur peccata populi vt hinc efferantur. Itaque eam cum ſanctis pignoribus hinc efferto & in Italiam per Fratrē Angelum Carmelitam tranſmittito. Quod re ipſe præſtitit. Erant reliquiæ, Brachium & tibia S. Ioan: Bap: caput Ieremiæ Prophetæ. Brachium S. Catharinæ Vir: & Mart: Tibia S. Greg. Capadocis Martyris: Igitur ſi ſancti cum peccatoribus remanere recuſant, profectò ſi & Chriſtus recuſauerit, ſine dubio peribit anima illa de populo Dei. Neceſſe igitur vt tangat Chriſtus peccatorem dextera benignitatis ſuæ.

Feretrum eſt conſcientia peccatis onuſta.

Reliquiæ Sanctorum volunt transferri à peccatoribus.

Pro 2. requiſito ad reſuſcitationem, Nota. Stent qui portant mortuum neceſſe eſt, nam qui portant peccatorem, cum portitores ſint peccata vt nunc declarauimus, ſi non ſteterint, ſed portauerint, alibi portare non poſſunt, niſi in infernum. Vndè B. Alb: Mag: in Lucam. Erat fixus portantium gradus, & per hoc remotum ſuſcitationis impedimentum. Quia ſi fortiter portando præterijſſent, tactus diuinus ſuper mortuum non fuiſſet confirmatus ſed à manu retractus. Hi verò qui portabant, literaliter ſunt homines, naturaliter ſunt elementa, moraliter verò ſunt paſſiones & peccati affectiones. D. Bern: *Amant enim quæ non decent. Timent quæ non oportet. Dolent vana, gaudent vanius.* Hæc igitur ſtant, quando in malum non impellunt, ſed de ſtatu ſuo homo incipit cogitare vt Dei gratia redeat à peccato. Quocircà Ierem: 6. *State ſuper vias veſtras, interrogate de ſemitatis antiquis, quæ ſit via bona.* V. Beda Hi morales portitores ſteterunt loculum tangente Chriſto, quia ſuper-

Peccatamiſſa in infern: portāt.

Portatores mortui.

De ſemitis inquirendū antiq:

ſuperni formidine judicij tacta conſcientia carnales voluptates coërcens ad ſe reuertitur, & vocanti ad vitam reſpondet ſaluatori. Currunt ſæpiùs peccatores in modum furijs inuecti Sauli vt mala perpetrentur, ſed neceſſarium, vt cum in conſcientiam clamauerint confeſſarij, prædicatores, ſtent ſubitò vt Saulus, & dicant cum eo. Domine quid me vis facere? Antiqui non aptum ad bellum ſignificabant manu quæ erat ſine indice, non enim gladium vibrare nec lancea vti valet. Index in cœlum eſt conſcientia, hæc ſi mutilata fuerit, ſtare ille homo in cœlo non poterit. Conſcientia enim ad bellum cum hoſte animæ inſtruit, conſcientia indicat virtutes, conſcientia meretur præmia. Qui ergò currit in peccatis, oportet vt ſtet ante terminum mortis, & rediens ad cor dicat. Peccaui Domine. Parce peccatori. Fac me facere voluntatem tuã. Ioannes Rex Galliæ dum erexit B. V. Mariæ templum ſpecioſum, vocauit illum. *Cubile DEI genitricis Mariæ.* Cui Eccleſiæ plurima dedit beneficia & priuilegia. Ita quoq; oportet vt peccator conſcientiam ſuam cubile Iesv Chriſti conſtituat, in qua cum Patre & Spir: S. requieſcere poſſit.

Lignũ ſcientia boni & mali. Pro 3. requiſito ad reſuſcitationem. Nota. Imperium Dei, eſt ipſa res & factum. Dixit fiat lux, & facta eſt lux. Dixit. *Si manducaueritis de ligno ſcientiæ boni & mali morte moriemini.* Et factum quod vbi primi parentes guſtauerunt fructum de ligno vetito, cognouerunt bonum amiſſum & malum commiſſum, & morti ſubiecti ſunt. Vndè ad propoſitum Euangelij vnus expoſitorum Euangelij Titus dictus in hoc loco de imperio Chriſti reliquit. Cùm dixit Dominus. *Adoleſcens tibi dico ſurge.* Incunctanter erectus eſt cui ſunt mandata directa, diuina enim poteſtas eſt irrefragabilis, nulla mora, nulla orationum inſtantia, ſed reſedit qui erat mortuus. Expreſſit iſtud imperium, illum exercitum Ezech. 37. *Qui voluit vt ad ſpiritum ex quatuor partibus aeris congregatum, ſint reſuſcitati.* Ille etenim ſpiritus non alium ſpiritum figurabat, niſi vocem Domini, qui animam ab inferis, ſpiritum ab aëre, corpus à terra aduocauit, & mortuum vitæ imperio ſuo donauit. Et ſi imperium Chriſti expoſtulabat ſeparatio illa animæ à corpore, multò magis requirit imperium eius ille, qui in anima eſt mortuus, nullus enim morti imperare poteſt niſi Devs, ſed nec peccata dimittere poteſt niſi Devs Saluator. *Quis eſt hic qui etiam peccata dimittit?* Non homo, ſic enim nil noceret peccatum; non Angelus, qui ſeipſum in gloria conſtituere non poterat nec retrahere à vitio ſuperbiæ, ergò debet ille eſſe Devs, Saluator mundi. Hinc D. Aug: de immolatione agni Paſchalis. *Nunc (inquit) Dominus, venite vniuerſæ familiæ hominum qui eſtis commixti delictis & remiſſionem accipite peccatorum. Et enim ſum vera remiſſio, ego paſcua ſalutis, ego agnus qui pro vobis ſum jugulatus, ego veſtra redemptio, ego vita,*

Reſuſcitatio ab imperio Chriſti

vita, ego veſtra ſum ſalus, ego veſtra reſurrectio, ego veſter ſum rex, ego reſuſcitabo per dexteram meam.

Pro 4. requiſito ad reſuſcitationem. Nota. Signum verum reſuſcitati, vt ſedeat & loquatur, ſicut ſignum veri hominis vt rideat. Vndè Titus. Indicia ſunt hæc veræ reſurrectionis, corpus enim exanime loqui non poteſt, nec reportaſſet mulier ad domum defunctum filium & inanimatum. Pſal. 21. *Refloruit caro mea.* Iuremeritò reſuſcitatus adoleſcens hæc iterare verba potuit. Nam licet refloreſcere carni humanæ decens eſt, ex quo Chriſtus caro noſtra refloruit, at hoc fieri non poteſt niſi poſt vltimum judicium Dei, cum omnes reſurgent beati ad gloriam. At quia hîc qui erat mortuus & efferebatur ad ſepeliendum reſurrexit ad Verbum Chriſti, cùm adhuc Chriſtus nec mortuus erat nec reſurrexerat, refloruit caro eius, cum reſedit & loquebatur reſuſcitatus à mortuis. Inter virgas plurimas in arca Domini incluſas, ipſa virga Aaron floruit, fronduit, fructus edidit, ita inter reſuſcitatos hic adoleſcens floruit, cùm dedit eum Dominus matri ſuæ viuum; fronduit, cùm videntes reſuſcitatum accepit omnes timor & magnificabant Devm dicentes, quia Prophæta magnus ſurrexit in nobis, & quia Devs viſitauit plebem ſuam: fructus edidit, cum reſurrectionem hominum futuram euidenter demonſtrauit docuit. Cyrillus. Neminem habitantium in Iudæa hoc miraculum latuit, ſed exijt ſermo in vniuerſam Iudæam & regionem illam. Sed quod hîc ſecundum literam de reſuſcitato adoleſcente dicitur, id de reſuſcitatione animæ à peccatis etiam intelligendum eſt. Illa enim literalis hanc ſignificat moralem reſuſcitationem. Curatur enim anima reſpectiuè, per curationem corporis. Hinc V. Beda. Viſitauit Dominus plebem ſuam, non ſolùm ſemel verbum ſuum incorporando, ſed ſemper in corda noſtra immittendo. Vndè & reſedit peccator, & loquitur de Deo & cum Deo, & magnificat laudes eius. Ad Epheſ: 4. *Loquentes vobis metipſis in Pſalmis & hymnis & canticis, & pſallentes in cordibus veſtris Domino.*

Refloruit caro reſuſcitatione mort:

Reſuſcitatio adoleſcentis ſignificat animæ reſuſcitationem.

Pro vltimò requiſito ad reſuſcitationem. Nempè reſtitutione matri. Nota. 4. Reg. 4. Dicebat Heliſeus matri cuius viuere fecerat filium. *Tolle filium tuum.* Non enim aliter facere poterat cum filio viduæ paruuli, vt reſuſcitatum redderet matri ſuæ, ſequi enim Prophætam non poterat. At iſte adoleſcens cùm jam eſſet primam producens lanuinem vt dicit Greg: Niſſ: potuit eum Dominus ad ſeruitium & ſequellam ſuî deputare, ſicut & alteri dixerat, ſequere me & ſine vt mortui ſepeliant mortuos, non tamen hoc fecit, ſed reddidit ipſum matri ſuæ, vel quia miſertus erat viduæ omni ſolatio deſtitutæ, quatenùs illi loco mariti neceſſaria procuraret, (quomodo & religioſi vt ſubueniant parentibus ſuis,

Cur ad ſequellam ſuî reſuſcitatum à mortuis nō obligauit Dominus.

ſuis, ad tempus è monaſterio dimittuntur,) vel vt ſenſum ſpiritualem commendaret nobis. Nempè, quòd ſuſcitatus ſpiritualiter reſtituendus eſt matri Eccleſiæ per reconciliationem, & reſtituendus communioni ſanctorũ: Sicut enim ſcandaliſando ab Eccleſiæ gremio per peccatum receſſit, ita ſatisfaciendo ad Eccleſię Sacramenta reuertatur. B: Alb: Mag: reducit hoc ad peccatorem dicens. Poſtquàm locutus eſt per confeſſionem oportet vt Eccleſiæ reſtituatur per pœnitentiam & ſatisfactionem à ſacerdote. Ipſis enim dictum. Quorum remiſeritis peccata remiſſa ſunt. In Hiſtor. Soc: Iesv legitur. Benedictus Goez cum ſæculo miles eſſet, vocatus miraculo ad Societatem. Accidit enim vt cum oram Trauancoris in India Orientali attigiſſet, in templum ingreſſus coram Icone D. Virg. vt oraret ſe ſeque vitamque perditam planè licentia militari hactenùs exactam ſibi ob oculos ſtatueret. Vndè tantum dolebat, vt fere de Dei bonitate deſperaret, nihilominùs Dei Matris clementiæ memor, eius opem vehementer implorat. Quod dum facit, Iesv Chriſti pueri imago quàm in gremio fouebat Deipara cæpit flere atq; ex oculis emittere quaſi quoſdam lactis aut alterius liquoris non abſimiles fonticulos. Quo viſo expauit vehementer ac ſocios vt id etiam contemplarentur aduocauit, qui ſimul omnes viderunt & ſacrum liquorem ceu reliquias ſudariis ſuis exceperunt. Inde in Societ: Iesv admiſſus fuit. Rectè B. Nilus Epiſc: & Mart: in Sent: Tropol. *Si cœlum deſideras, nihil tibi cum terra, haud enim hæc illa ad iſtud tendere permittit.*

DOMINICA XIV. POST OCT: TRINIT:

Ecce homo quidam hydropicus erat ante Ieſum: ipſe verò apprehenſum ſanauit & dimiſit. *Luc: 14.*

QVID PER DOMVM PRINCIPIS PHARISÆORVM SIGNIFICATVR?

Domus Princi pis, Eccleſ.

RESP: Sancta Eccleſia. Princeps autem Phariſæorum eſt glorioſa Virgo Maria. Ipſa enim vt pote Mater, & ſponſa, ſoror, & Filia Regis æterni, princeps eſt totius Eccleſiæ. De hac principe dicitur Cant: 7. *quàm pulchri ſunt greſſus tui in calciamentis, filia Sion Principis, id eſt, Dei glorioſi.* Ipſa enim fuit fiilia, & Mater Principis illius, cuius principatus factus eſt ſemper humerũ eius, vt dicitur

citur Iſa: 9. Per crucem quippè quam Dominus Ieſus portauit in humeris ſuis, meruit principatum imperij ſempiterni. Greſſus igitur filiæ iſtius principis, id eſt, actus B. Virginis pulchri fuerunt in calciamentis, id eſt in exẽplis Sanct: Patrum. Ipſa nempè ſtudioſè imitabatur virtutes & exempla præcedentiũ Patrum, ac in omnibus ſtrenuè exequebatur.

Princeps eſt B. V. Maria

Et benè Beata Virgo Princeps Phariſæorum appellatur. Phariſæi quippè diuiſi interpretantur. Ipſa enim eſt Princeps & Domina fidelium, qui vita & moribus diuiſi ſunt à populo diaboli. Populus quippè diaboli ſuperbus eſt, iracundus, inuidus, & acedioſus, auarus, luxurioſus, & guloſus. Populus enim Beatæ Virginis, è diuerſo humilis eſt mitis, benignus & religioſus, ſufficiens etiam in his, quæ à Deo habet, & caſtus & ſobrius.

Ieſus autem hanc domum, id eſt, Eccleſiam intrat ſabbato manducare panem. Deſiderat enim, vt peccatores ipſi Sabbatum faciant, id eſt, à peccatis deſiſtant, & eum quieſcere permittant, quem quotidie per peccata impugnant. Deſiderat enim, vt dent ei manducare Panem, id eſt, vt de cætero per conuerſionem veram voluntatem ſuam perficiant. Vndè legitur in Iohan: 4. Quod cum Ieſus mulierem Samaritanam conuertiſſet, & illa in eum crederet: Venerunt diſcipuli eius apportantes cibum materialem, & dicebant; Rabbi manduca. Quibus ipſe reſpondit?: Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis; quaſi diceret, benè refectus ſum per conuerſionem & fidem huius mulieris. Quicunq; enim facit voluntatem Dei, optima cibo cibat eum.

ANNOTATIO.

DOmus Principis, rectiſſimè Eccleſia S. Catholica, Apoſtolica, Romana denominatur. Nam ipſe Princeps Ieſus Chriſtus eijciendo vendentes & ementes de templo dicebat: *Domus mea domus orationis eſt, vos autem feciſtis eam domum negotiationis.* B. Iſidorus vt declararet quòd Eccleſia ſit Chriſti & Chriſtus Princeps Eccleſiæ, & quòd Chriſtiani meritò à Chriſti & doctrina & Eccleſiæ, nuncupentur, lib: 1. de Sum. c. 20. dicit. *Cuius doctrinam quiſq; ſequitur, huius & filius nuncupatur.* Sicut & per prophætam Amoreum Patrem & Getheam matrem eſſe Iſraël Dominus dicit, non vtiq; naſcendo ſed imitando, Sic & in meliorem partem Filij Dei nuncupantur, qui præcepta Dei cuſtodiunt. Vndè & nos non natura ſed adoptione clamamꝰ dicentes. *Pater noſter qui es in cælis,* (Hæc ille.) meritò igitur Eccleſia Sancta quam viatores audiunt & præcepta eius obſeruant, dicitur Domus Principis, & Principis noſtri Chriſti à quo & nos ſumus Chriſtiani, & ſerui Domini, & filij adoptiui per Chriſtum æterni Patris, & Eccleſiæ Filij. Neq; mirandum quòd in Euang: non ſit nominatus iſte Princeps licet Chriſtus Ieſus meritò nomi-

Chriſti Eccleſiæ Princeps.

Doctrina filios facit.

nominandus eſſet. Nam in Euangelio, literalis ſenſus, non myſticus expoſitus eſt. Hic enim erat Princeps Sacerdotum qui non erat dignus nominatione, quia inuitauerat Chriſtum vt inſidiaretur illi. 1. Reg: 22. Coniurauit aduerſum me ſeruus meus inſidiator vſq; hodie permanens, idcircò non erat dignus vt nominetur. Sicut Pſal: 15. *Nec memor ero nominum eorum per labia mea.* B. Cyrillus. Quamuis Domin⁹ inſidias Iudeorum cognoſceret, tamen eorum conuiua fiebat, vt prodeſſet præſentibus per verba & miracula. Ipſi obſeruabant eum, ſi legis reuerentiam contemneret, aut quicquid prohibitorum in die Sabbati faceret, ſed neglectis Iudæorum inſidijs, hydropicum, qui metu Iudæorum Phariſæorũ remedia non poſtulabat propter Sabbatum, ſed ſolùm aſtabat, & aſpiciebat Ieſum, vt ex aſpectu eius, miſertus eius ſanaret, apprehenſum ſanauit, dimiſit.

Panem vocat comedere vt inſidiaretur.

Conuiuia eſt Chriſtꝰ apud indignos.

B. Albertus Magnus Principem in domo hac expoſuit B. V. M. & pluribus hoc declarauit. At præcipuè populi eſt Princeps, qui ſunt diuiſi à populo diaboli. Fidelium enim illorum qui vita & moribus diuiſi ſunt, nam huius Principiſſæ populus humilis, mitis, benignus, religioſus, caſtus, ſobrius, horum eſt Princeps, exceſſit enim in virtutibus & exemplis omnes Sanctos vtriuſq; teſtamenti, vndè Principis Sion filia dicta fuit Cant: 7. Neq; ſine myſterio magno Principem in Eccleſia ſtatuit B. Alb: Mag: B. V. Mariam, qui enim conſiderauerit attentè quod illa ſit, mater, ſponſa, ſoror & filia Regis æterni, iam in regno ipſius militanti Eccleſia facilè hærediſſa & Princeps conſtituetur B. V. Maria. D. Aug: in Medit: conſiderando quod mater facta ſit vnigeniti Filij Dei dicit. Dic mihi quæſo Sācta Sanct: Mater, quomodo florem niuei candoris, Liliū Conualiū ſine fucco humanæ propaginis & ſine imbre carnalis ſeminis in ſinu Eccleſiæ germinaſti? dic quæſo mihi vnica Mater quibus manibus vel quomodo diuinitatis articulo in vtero tuo formatus eſt Filius cuius Deus ſolus eſt Pater? dic obſecro per illum qui te talem fecit vt ipſe fieret in te, quid boni egiſti? quod præmium obtuliſti? Et illa non auro nec pomposo cultu radientis auri, aut pretioſo lapidum margaritarum dependentium ab auribus meis, ſed oblatione virginitatis & humilitatis; Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. En quomodo princeps facta eſt cæli & Domina mundi, Eccleſiæ regina.

Princeps in Eccleſ B.V.M

Quo facta eſt Mater Dei B. V. Maria.

Verùm ſi de ligit imò Principe Eccleſiæ fuerit ſermo, Princeps Eccleſiæ eſt Chriſtus. Ille enim in hac vita exiſtes ædificauit Eccleſiam, & Apoſtoli eandem poſt Chriſti aſcenſionem auxerunt & propagârunt. Nam Chriſtus in hac vita inſtituit miniſtros Eccleſiæ duodecem Apoſtolos & ſeptuaginta duos diſcipulos & hi erant Præſbiteri, illi erant Epiſcopi. In hac vita inſtituit noua Sacramenta, inſtituit nouum ſacerdo-

cerdotium & ſacrificium, ſanciuit nouas leges Euangelicas, condidit nouum teſtamentum, & omnia per mortem confirmauit cum dixit. *Conſumatus eſt.* Et poſt reſurrectionem dixit Apoſtolis. *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis &c.* Et Petro ſeorſim. *Paſce oues meas.*

Princeps in Eccleſia D. Petrus.

Quid per hydropicum intelligi detur.

Hydropicus eſt peccator.

RESP: Quilibet peccator. Et non immeritò ſi quis proprietates & diuerſitates Hydropiſis adaptauerit peccatis. Eſt enim hydropiſis error digeſtiuæ virtutis in tupate tumorem membrorum generans. Et Nota, quod per hydropicum intelligitur homo qui ſeptem mortalibus peccatis eſt inuolutus, Videl: ſuperbia, ira, inuidia, auaritia, gula, acedia, & luxuria. Eſt autem duplex hydropiſis.

Prima vocatur Leucophlegmantia, qui hanc patitur totum corpus habet vehementer inflatum, & ſuperficies cutis eius eſt alba. Vndè per hanc ſignatur ſuperbia, & vna gloria, & mirabiliter hominem inficit. Contra dicit Apoſt: 1. Cor: 4. *Vnus aruerſus alterum non infletur.* Item 2. Ad Corint: 12. *Non ſint inflactiones in vobis.* Secunda ſpecies hydropiſis hypoſarca, vel anaſarca vocatur. In hac hydropiſi ſuperfluus humor non vſq; ad cutem vel exterius expellitur, ſed ſub carne retinetur. Vndè hypoſarca deſignat inuidiam, quæ interiùs iacet. Putredo quippè oſſium eſt inuidia, ſicut dicitur Prouer: 14.

Tertia ſpecies hydropiſis vocatur tympanites, qui hanc patiuntur venter eorum percuſſus reſonat admodum tympani: propter hoc per hanc ira deſignatur, quæ hominem ſuſcitat in indignationem & clarem. Contra hanc dicit Apoſt: Ad Epheſ: 4. *Nolite contriſtare Spiritum Sanctum DEI, in quo ſignati eſtis in die redemptionis,* id eſt in die baptiſmatis regenerationis. Et quomodo nunc contriſtabitur? ſequitur. *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blaſphemia tollantur à vobis cum omni malitia.*

Quarta ſpecies hydropiſis vocatur Aſchites, qui hanc patiuntur venter eorum percuſſus reſonat admodum vtris ſemipleni. Vndè per hanc gula figuratur. Verè enim guloſi patiuntur Aſchitem, quia ventereum ſemper æſtuat ad cibum & potum, velut vter ſemiplenus. Contra hoc dicit Apoſt: Paul ad Rom: 13. *Non ſitis in commeſſationibus & ebrietatibus, ſed induimini Dominum Ieſum Chriſtum,* q. d. Nolite nimis cibum & potum appetere, ſed potiùs appetite Dominum Ieſum Chriſtum, quia ipſe eſt vera refectio animarum veſtrarum.

Quintum quòd attenditur in hydropico, hoc eſt, quod ſicut gloſſa dicit proprium hydropiſi eſt quantò plus biberit, tantò amplius ſitit, & per hoc vocari poteſt auaritia, quæ ſemper eſt ſitibunda, Auaritia enim

enim eſt vna illius filiarum ſanguiſugæ, id eſt, diaboli; qui ſemper dicit: affer, affer: vt dicitur Prouerbiorum 19. ibi dicit Gloſsa. Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit. Dicit etiam Saluſtius: Auaritia peccuniæ ſtudium habet, quàm nemo ſapiens, vnquam concupiuit, & quaſi venenis imbuta corpus animumq; virilem effeminat ſemper infinita, ſemper inſatiabilis neq; copia, neq; inopia minuitur.

Hydropicus ſitit fætet & piger eſt.

Sequitur quòd attenditur in hydropico, hoc eſt, quod habet fætidum anhelitum, & per hoc notatur luxuria, quæ fætet coram Deo & Angelis, & hominibus: propter hoc dicit Anſel: O quam tolerabilius fætet canis putridus hominibus quã anima peccatrix Deo?

Septimum eſt quod attenditur in hydropico, quòd videlicet grauis eſt, & piger, & per hoc exprimitur acedia, quæ hominem grauem & pigrum reddit in obſequio Ieſu Chriſti. Contra pigros & accedioſos dicitur Prouerb. 20. *Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergò æſtate, & non dabitur ei.* Pigri modo propter frigus deſidiæ nolunt mittere manus operationis ad aratrũ crucis, quòd ipſe Ieſus, quaſi quidam bos traxit, & propter hoc in æſtate, cum ſol ſempiterni ardoris caput eorum exuret mendicabunt diuinam miſericordiam & non dabitur eis vel vna gutta alleuiationis & miſericordiæ.

ANNOTATIONES.

Fulcitur expoſitio B. Alberti Magni de hydropico, quod ſignificet peccatorem authoritate D. Gregorij. Nam lib: 14. Moral: ſuper Iob 18. dicit Rectè hydropicus ante Phariſæum curatur, quia per alterius ægritudinem corporis, in altero exprimitur ægritudo cordis & mentis. vbi per ægritudinem mentis non aliud intelligitur niſi infirmitas animæ per peccatum. Quocirca vt à peccatis remouere poſſit animam B. Iſid: lib: de Contemp: mundi dicit. Age itaq; ô anima vt dignum eſt, age vt rectum eſt, propone vt amplius non pecces. Caue culpas tuas iterare. Caue mala repetere, poſt pœnitentiæ luctum non redeas ad peccatum. Culpam pro qua veniam poſtulaſti iterare non præſumas, caue ne facias quod iterum plangas, inanis eſt pænitentia quam inquinat culpa, vulnus iteratum tardius ſanatur, nihil proſunt lamenta ſi replicantur peccata. B. Albertus Mag: in Luc: ſicut hydropico ſoluuntur iuncturæ, ita peccator ſolus à iunctura Chriſti, nihil ſpiritualium intelligit. De quo lamentabatur quodam Ier: Tren: 4. *Filij ſyon inclyti amicti auro primo, quomodo computati ſunt in vaſa teſtea manuum figuli?* Maxima demiſſio filiorum ſyon ab auro primo ad vaſa figuli in manu, vaſa enim in manu figuli ſi recentia, ſordida ſunt ſi vaſa fracta in manu figuli, illa maiori ruinæ ſuæ & repentinæ cauſa ſunt.

Propone ne pecces.

Peccator ſe ſeparatur à Chriſto.

ſunt, nam proijcentur ad vltimam confractionem. Ita homo qui conditus eſt vt cæleſtia reciperet bona, cum propter ſordida peccata deuenit in iuſtitiam diuinam, grauiùs proijcietur & conteretur quàm vas figuli de manu hominis.

Cur aliorum ſælicitas non reſpiciatur. Pro hydropiſi, ſuperbia nimirum. Nota. Dicit Tacitus. Mortalibus natura inſitum eſt, recentem aliorum fælicitatem ægris oculis aſpicere. Quod plerumq; accidit eis ex elatione & ſuperbia qui plùs de ſe præſumunt quam de alio. Exemplum apparens eſt Amani qui plùs ſibi quàm merenti patriæ & regi Mardochæo adſcribebat, quocircà nec eum nec liberos eius imò totam Hæbræam gentem aſpicere, niſi ægris & liuidis oculis, poterat. Hydropis inquit Ven: Beda facit inflationem ab humore aquoſo. Quàm benè ſuperbus, inflatus per hunc exprimitur morbum, vento & humore de ſe præconcepto ſuperbus inflatur. Vndè B. Iſidorus lib: 2. cap: 38. de ſum: bono. Qui inflantur ſuperbia, vento paſcuntur. Omnes inquit Prophæta paſtores tuos paſcet ventus, hoc eſt, ſpiritus ſuperbiæ. Vndè rectè quidam in ſymbolum ſuperbi bullam poſuit natantem ſuper aquas, & ſubduxit. HOMO BVLLA. Hoc eſt, Homo ſuperbus. Tam enim citò tollitur quàm citò perit bulla. Pſal: 92. *Vidi hominem excelſum & eleuatum ſicut cedrus libani & ecce tranſij & non eſt inuentus nec locus eius.* Qui enim ſe exaltant, oportet vt humilientur, & ſi non humiliabuntur in hoc ſæculo neceſſario humiliabuntur in futuro. Dicit enim Saluator. *Omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur.* Vndè Pſal: 29. qui dicebat. *Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum.* At cum permiſſus eſt cadere in fædum adulterium & homicidium, dicit. Pſal: 29. Auertiſti faciem tuam à me & factus ſum conturbatus. Et de Origene Vincen: Lirinenſis cōtra Nouatum dicit. Dum gratia Dei inſolentius abutitur, dum ingenio ſuo nimium indulget ſibiq; ſatis credit, cum paruipendit, antiquam religionis Chriſtianæ ſimplicitatem, dum ſe plùs cæteris ſapere præſumit, grauiſſimè lapſus eſt. In quantum hydropiſim ſuperbiæ antiqui Romanorum triumphatores inciderant, qui poſt ſuas victorias diuinum quoq; numen ſibi attribuebant. Sed anteferendus eſt Anglorum Rex Eduardus, qui poſt inſignem victoriam de Gallis in qua viginta millia hominum ſubmerſerat, non intumuit, nec ſuperbè locutus eſt, ſed ad Eccleſiam propè pugnam Rotemburgen: perrexit, & Deo victoriam ſuam adſcripſit, ipſeq; de tanta victoria coram Domino erubuit. Nec curabitur patiens hydropiſim ſuperbia niſi Dominus illum reſpiciat & apprehendat. D. Aug: ante conuerſionem vt lib: 7. confeſ: cap: 7. dicit. *Tumore meo ſeparabar abs te, & nimis inflata facies claudebat oculos meos.* Vndè o-

Eduardo Rex Angl: victoriam Deo tribuit.

Aaaaa portet

portet vt Deus tumorem diſpergat oculo miſericordiæ & apprehendat faciem & tumentia membra, & ſanet. Qui enim ſuperbis reſiſtit, niſi eos fecerit humiles, non dabit ipſis gratiam.

Pro hydropiſi, inuidia, Nota. Cum diuerſæ ſint ſpecies paralyſis & aliqua ſub carne retinetur & occulcatur, illa nedum carni ſed & oſſibus ac medullis nocere debet. Quocirca inuidiæ quæ oſſa facit ſicca comparatur. Vndè B. Iſidorus lib: 3. de ſum: bono cap: 25. Inuidum nedum diabolo comparat, ſed quod membrum ſit eius, docet. Inuidia enim diaboli, nedum morbi, triſtia, ſed ipſa mors ingreſſa eſt in orbem terrarum. Medulla oſſium cum ſit obumbrata à natura, cute, carne, oſſe, res debet eſſe ſummè neceſſaria ad bonum vitæ humanæ, vnde ſi ex[ſi]ccetur, in dolores & calamitates immedicabiles neceſſe eſt ipſum deuenire. Profectò inuidia exſiccat oſſa & ſua quidem & eius cui inuidet, ſua exſiccat inueniendo & tentando diuerſa media vt inuidia ſua noceat, illius exſiccat, quia vndè malum ſibi veniat maleficij & nocumenti citò ſcire non poteſt nec obuiare ſemper valet. Primus impetus inuidiæ in bonum virtutis & gloriæ. Vndè Euſebius Iter facientes per ſolem neceſſario comitatur vmbra, incedentibus verò per gloriam, comes eſt inuidia. Non comes vt ex virtute & factis glorioſis gignetur, ſed liuidi malorum oculi, mox obtenebrare illa ſubitò nituntur. Quòd quantum malum fuerit, idem apud Stob: ait. Si quis inuidet fortunato viro is etiam patriæ, ac toti Reip: deniq; ſibi ipſi inuidet. Vidit B. Ioannes vt dicitur Apoc. 8. *Stellam de cœlo cadentem tanquam faculam ardentem & nomen ſtellæ dicitur Abſinthium, & cecidit ſuper tertiam partem fluminum, & facta eſt aqua abſinthium & multi homines mortui ſunt.* Non apparet eſſe bona ſtella ſi abſinthium dicta & effectum triſtem refert. Sed repræſentabit inuidum diabolum ac membra eius, illi etenim cui inuident faciem hilarem, frontem lucidum, vocem amenam, deuotionem cum pietatem ſpecioſam præſeferunt, oſtendunt, prædicantur; At intus cor illorum totum eſt abſinthium, totum nociuum, totum lethale, vulnerare, occidere vel ad minùs nocere damnoſe cogitârunt. Mortui ſunt multi homines inquit. Quia nedum inuidia occidit inuidum, ſed etiam auditores & aures libenter præbentes detractoribus proximorum De quo Bern: lib: de conſid: Detractor & libenter auditor, vterq; diabolum portat. Ille in lingua, iſte in auribus. Igitur qui non vult amaritudine inuidiæ venerari, procul fugiat detractionis virus. Nam dum detractor te viderit non libenter audire, non facilè poteſt detrahere. Rectum ſymbolum inuidi, canis rabidus. Cui ſubſcribendum. *Rabies & ſtridor.* Dicit enim D. Greg: Inuidi

Hydropiſis in carne & in oſſibus.

Inuidus diaboli membrum.

Gloria comes inuidia.

Stella nomen abſinthium.

Diabolum in lingua & auribus qui portant.

Canis rabidi, inuidi ſymb: Inuidi color, pallore afficitur, oculi deprimuntur, mens accenditur, membra frigeſcunt, fit in cogitatione rabies, in dentibus ſtridor.

Pro hydropiſi ira. Nota. Ex rebombo tracti ventris, aſſignatur ſpecies hydropiſi Tympanites. *Irati voces quales* Quid ad ſonum rigidum & terrentem magis concitat hominem, quam ira. Fit vox muliebris in ira, & vox viri fit vox leonis vel vrſi, & ita mutatur quandoq; vt proximus ſit morti. Eccl: 28. *Certamen feſtinantium incendit ignem, & lis feſtinans effundit ſanguinem, & lingua teſtificans adducit mortem.* Tympana in congreſſu belli, iram, ſanguinem & mortem nunciat atq; ad ea hortatur, ita iratus homo cum inimicitias inchoat neſcit alia ſtruere niſi hæc quoq; tria. Prou. 27. *Ira non habet miſericordiam, nec erumpens furor, & impetum concitati ſpiritus ferre quis poterit?* Quantum delectatur diabolus cum iratos ſibi maximè videt? Mox etenim nedum iratos cadere breui conſpicit, ſed etiam amicos & ſocios eorum concitat vt ijdem defendendo cæteros, in iram deueniant atq; ſeſe periculis miſceant. Rixantes aliquando læti aſpiciunt chirurgi, aliquando gaudent de malo ſerui, aliquando ex ſpiritualibus ex malo iræ creſcit ſubſidium, & diabolus vndiq; ſine fructu ſuo non deſcendit ex arena. *Rixantes læti qui aſpiciunt.* Vndè *Apoſt: ad Epheſ. 4. Iraſcimini & nolite peccare. Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Nolite dare locum diabolo?* Ier: 1. Quid tu vides Ieremia? Dicit Dominus. Et ille, *Ollam ſuccenſam video.* Iterum quærit, Quid vides? Et ille, *Virgam vigilantem video.* Tunc Dominus *Bene vidiſti,* vigilabo ego. Hoc actu, ſignificatur homo iratus, qui ceu olla ab igne incenditur & efficitur ignis, ita *Irati vt olla accenſa.* illi irati, efficiuntur ignei, licet natura eſſent pallidi. Sed Dominus tutor eſt eorum contra quos iraſcuntur malitioſè, aſſumet virgam ad puniendum iratos, & vigilabit in punitione. B. Iſidorus lib: 2. c. 19. de ſum. Quid ſit iram Dei mereri quid verò prouocare prudens lector debet ſcire. Grauior eſt namq; ira quæ prouocatur, quàm quæ meretur. Nam meremur, quando ignorando peccamus; Prouocamus, quando ſcimus bonum facere nec volumus Prou: 17. *Semper iurgia quærit malus, Angelus autem crudelis mittetur contra eum.*

Pro hydropiſi, gula, Nota. Deut: 6. *Cum comederis & ſaturatus fueris, caue diligenter, ne obliuiſcaris Domini Dei tui qui eduxit te de domo ſeruitutis.* *In comeſtione non obliuiſcaris Dei.* Maximè hydropiſis ſignum eſt, cum additur, *Caue diligenter.* In medio enim gulæ periculum eſt, nedum vitæ, (nam plurimi ad menſam comedendo & bibendo hilariter, repente animam exhalârunt,) ſed etiam contemptus Dei & obliuionis ipſius. In medio paradiſi deliciarum, obliti ſunt Dei ſui parentes noſtri. Præcepit nobis Deus (inquit Eua) comedere ne fortè moriamur. O infernalis additio. Ne fortè. Et

Infernalis additio ad præceptum parentū priorum

Adam. Mulier ſeduxit me quàm dediſti mihi : O infernale verbum. In Deum ponit culpam ſuam, qui ſpontè prætergreſſus eſt præceptum Dei, In mulierem reijcit, qui cognouerat quòd ſit os de oſſibus eius. Parua comeſto, infiniti mali origo fuit. Rectè B. Iſidorus. Nemo poteſt Dominari cæteris vitijs niſi priùs ingluuiem reſtrinxerit ventris. Nec quiſquam facilè poterit à ſemetipſo ſpiritus immundos expellere niſi per abſtinentiam gulæ. Tunc enim hoſtes qui extra nos ſunt, à nobis fortiùs ſuperantur, quando prius quæ intra nos ſunt vitia extinguuntur. Nam fruſtra foris agit bellum, qui intus habet periculum. Antiqui Philoſophi ita commendatum habuerunt vſum rectum temporalium, vt luxum & gulam, abominationes reputarent : Enchiridion Epict: ita habet cap: 46. Quæ corpori ſeruiunt eatenùs adhibeantur, quatenùs animo ſunt vſui : velut cibi, potus, amictus, ædes, ſeruitium. Quidquid autem ad oſtentationem & delicias attinet, repudiato. Inter cauenda quidam ponebat inuidiam, & dicebat. Præcipuè cauenda ſunt, amicorum inuidia, inimicorum inſidiæ. At inter nedum cauenda ſed fugienda, hæc duo ſunt ponenda. Vtrumq; enim occidit, & ipſum inuidentem & inſidiantem primitus necat, necat autem in corpore & anima. Vndè Socrates Inuidiam ſerram animæ & vlcus appellauit.

Repudianda que ſūt luxus & gula.

Pro hydropiſi Auaritia. Nota. Pſal: 142. *Anima mea ſicut terra ſine aqua.* Quaſi diceret, ſicut arida terra ſemper cupit aquam ita auarus ſemper cupit terrena, & quo plùs habet, plùs ſitit. Eſt poſitus ceu Tantalus in aquis ad poma. Aug: lib: 2. de quæſt: Euang: cap: 29. Hydropicum rectè comparamus diuiti auaro, ſicut enim ille quanto plùs abundat humore in ordinato tanto ampliùs ſitit, ſic & iſte, quanto eſt copioſior diuitijs quibus non benè vtitur, tantò ardentiùs talia concupiſcit. Ier: 6. Nedum exprobratur cuidam auaritia in faciem, ſed enormia quæ conſecutiuè auarum ſequuntur enumerantur. Dicitur enim. *Tui oculi & cor ad auaritiam, & ad innocentem ſanguinem fundendum, & calumniam, & ad cauſam mali operis.* En quantum chaos malorum ſequitur auaritiam, ſignum ipſam auaritiam eſſe malum malorum. Fontem & matrem vitiorum. Quocircà fert ſententiam ex ore Chriſti D. Paulus 1. Cor: 6. in auaros. *Auari regnum Dei non poſſidebunt.* At neq; in vita hac auari ſunt fœlices ſed maximè infœlices. Nam diuitiarum ſuarum non ſolum eſt ſeruus ſed mancipium. Perdidit enim omnem libertatem qui auarus eſt dicebat Diogenes. Non enim eſt liber qui vitijs ſeruit, nec ille liber eſt qui multis eget, plurimis autem eget auarus ambitioſus ac delitijs deditus, omnes enim iſti ſemper extra ſe & ſua, ſunt Gieſi, cum pecuniam quam S. Prophæta repu-

Auarus ceu Tantalus.

Auarus diuitiarum mancipium

repudiauerat accipere, nomine Prophæte à Rege accepit, nedum lepra percuſſus fuit ob auaritiam, ſed cætera quoq; ignominia & maledictione repletus, vt ita eius deſiderium & ardor omnibus eſſet maniſeſtus, & pæna pro malo opere, nullum quoq; lateret. Admonet igitur B. Alb: Mag: Ne appetant homines & quærant temporalia & vana quæ potius nocent quam iuuant, ſed appetant & quærant Dominum Ieſum Chriſtum qui eſt refectio animarum noſtrarum. De B. Melania inquit S. Hyeron: ad Pau: Hæc calente adhuc mariti corpuſculo nec dum humato, amiſit duos filios. Tam firma in Domino fuit, vt nec guttam lachrymæ emiſerit, ſtetit immobilis, & ad Chriſti pedes aduoluta quaſi illum teneret, arriſit dicens. Expeditius tibi ſeruitura ſum Domine, quia me tanto onere liberaſti. Perfectæ virtutis indicium eſt, renunciare ſubitò voluptati, fugere notas carnis illecebras, & calentis adhuc ætatis flammas, fidei vigore extinguere. Et quantò plura ſunt quæ pudicitiam impugnant, tantò victricis maiora ſunt præmia.

Pro hydropſi, luxuria. Nota. Nullus fætor tantus poteſt eſſe quantus fætor eſt animæ inquinatæ peccatis, & præcipuè peccator carnis. Fætorem hîc in terra nullum animal diſcernit niſi ipſe homo, agnoſcit fætorem carnis, cancri, cadaueris, fætorem tamen non ſentit animæ luxurijs & carnalibus deditæ, licet in medio fæditatum iaceat. Sed tantus fætor eſt, quod Deo Angelis & ſanctis intollerabilis eſt fætor peccati carnis. Hydropiſis anhelitum facit fætidum inquit Beda, & addit. Myſtice, Hydropicus comparatur ei, quem fluxus carnalium voluptatum exuberans aggrauat. Fætet aqua lutoſa, infecta, putrida, hydropici morbus ab aquoſo humore trahit vocabulum, vndè ſordida & fætida erit infirmitas, nec diſſimilis eſt luxuria & carnalis concupiſcentia, in ipſo enim fætore & ſordibus moratur. Hinc D. Ambr: Mater omnium vitiorum incontinẽtia, quæ etiam licita vertit in vitium, ideoq; Apoſtolus non ſolùm à fornicatione nos retrahit, verùm etiam in ipſis coniugijs modum quendam docet & tempora præſcribit orandi. Intemperans enim in coniugio, quid aliud niſi adulter quidam vxoris eſt? Multis extollenda eſt vidua quàm etiam D. Greg: Dial: 4. cap: 13. effert quæ eſt continens. Inquit ille. Galla vidua cum medici dicerent ei quòd niſi ad amplexus viriles rediret fœda corpore fieret, illa reſpondit. Nîl timeo deformitatem exteriorem quæ interiùs ſponſi cœleſtis ſpeciem amaui, nec vereor, ſi hoc in me fædabitur, quod à cœleſti ſpõſo in me non amatur. Imitentur igitur carnales deuotas & Sanctas fœminas, turpe etenim eſt viro à muliere vinci. Audiant luxurioſi & carnales, quid ſap: Eccl: 19. dicat.

Intemperans in coniugio adulter eſt.

Fæditas corporis minor fæditate animæ.

Qui ſe iungit fornicarijs, erit nequam, putredo & vermes hæreditabunt illum, & extolletur in exemplum maius, & tolletur de numero anima eius. Quod malum peius accidere poteſt homini ſi hæc ipſum maneant? Nec ea quæ habuit in terra, nec quæ ſibi promiſſa ſunt, ſine continuo maledicto erunt. Lamentabitur filius in patrem, filia in matrem, vt pœnis illorum æternis adhuc accidentales addantur pœnæ Mouebuntur ad hoc nequitia parentum cuius relicti ſunt teſtes.

Pro hydropiſi, acedia, Nota. Recte hydropicus acedioſum ſignificat, ille grauis tardus & tædioſus, eſt ad ambulandum, ſedendum, iacendum Acedia verò laborans ad omnem pietatem grauis, ad pœnitendum tardus, ad orandum ignauus, ad remedia animæ tædioſus. Hinc ſapiens Prou: 6. monet ipſum: *Vadè ad formicam ò piger, & conſidera vias eius & diſce ſapientiam, quæ cum non habeat ducem nec præceptorem, nec Principem parat in æſtate, cibum ſibi & congregat in meſſe quod comedat.* Quaſi diceret. Tu homo tam piger es ad virtutem & pietatem quibus mereri debes vitam æternam, & non es tam ſolicitus de aſſequenda tali vita, ſicut ſolicita eſt formica pro vita ſua breuiuſcula; Illa non habet ducem ad hoc, tu habes paſtorem animæ ſpiritualem, illa non habet præceptorem, tu habes & legem, & prædicatorem & confeſſorem; illa non habet ad hoc principem, te verò tot principes præceſſerunt, monuerunt, duxerunt, inuitarunt. Idcircò tu fame & inedia peribis, frigore conſumeris, triſtitia exſiccaberis, quæres panē & non inuenies, petes & nullus dabit, laborare tunc velles, ſed tempus conceſſum tranſiuit. Vigilantibus & orantibus conceduntur gratiæ. Igitur vigila operando, orate humiliādo. Ita enim D. Auguſtinus Serm: 2. de Aſcenſ: ſoliciti eramus de ipſa anima, & ille nobis reſurgendo de carnis reſurrectione fiduciam dedit. Non ſolùm præmiat ſolicitos de anima dando animæ in retributionem gloriam in cælis, ſed etiam corpora eorū quæ informabant animæ vigiles in bono & ſolicitæ in opere, præmiabit Dominus in gloria cœleſti, dum vnitas corporibus perfundet gloria qua animæ erunt decoratæ, in æuum. Igitur. *Labora vt bonus miles.* Cedet libido laboribus, cedet operi cedet induſtriæ, cedet labori. Quapropter præcare inquit B. Iſid: de Contemp: mundi, otium non diligas, ocium non ducas, corpus laboribus exerce quære tibi opus vtile quo animæ tuæ implicetur intentio dum operatur.

Acedia ſi mala.

Solicitiſſimi de anima.

Qualiter hydropicus à Ieſu ſanetur.

AD hoc, quòd Hydropicus à Domino curetur tria requiruntur. Primum, eſt quod hydropicus ante Dominum appareat. Secundum eſt quod eum Dominus apprehendat Terti-

Vt ſanetur à Domino tria requiruntur

Tertium eſt, quod ſanet eum, ac dimittat. Primum igitur eſt, quod hydropicus ſit & appareat ante Dominum, quando videl: Dominus peccatorem reſpicit oculis miſericordiæ ſuæ. Sic Dominus Petrum qui eum ter negauerat oculis miſericordiæ clementer reſpexit, vnde dicitur Luc. 22. *Et conuerſus Dominus reſpexit Petrum, & egreſſus Petrus foras fleuit amare.* Secundò ad curationem hydropici neceſſe eſt vt Dominus eum duplici manu apprehendat, id eſt, ad ſe prendat, videl: manu miſericordiæ, & manu iuſtitiæ, quæ libet iſtarum manuum quinq; digitos habet.

Digiti manu miſericordiæ Dei

In manu verò miſericordiæ primus digitus eſt, quod Dominus nos ſuo ſanguine de poteſtate Diaboli liberauit, ſecundus digitus eſt, quòd Dominus baptiſmati viuos reſeruauit. Tertius eſt, quod peccata noſtra diutiſſimè tollerauit. Quartus eſt quòd inſuper nobis neceſſitates corporis ſatis largiter adminiſtrauit. Quintus digitus, quòd ſe ad hoc, quod nos ad pænitentiam libentiſſimè ſuſcipiet, obligauit. Et verè hæc quinq; diligenter conſiderata de iure peccatorem mouere debent ad pænitentiam. Cùm autem peccator hæc quinq; fideliter conſiderans ad pænitentiam compungitur, tunc eũ Dominus manu miſericordiæ ſuæ apprehendit ad ſalutem.

Digiti iuſtitiæ manus Dei

Altera manus Domini eſt iuſtitiæ Quinq; verò digiti manus iſtius eſt quintuplex Conſideratio circa diuinam iuſtitiam. Primò enim rationem reddituri ſumus coram diuina iuſtitia, de anima & corpore noſtro, quæ ab ipſo vt per hoc ei ſeruiremus, accepimus. Secundò rationem reddemus de ſanguine Vnigeniti Filij Dei, cui debitas vices ſeruitutis non rependimus. Tertiò ratio à nobis requiretur de omni tempore, & de vniuerſis, quæ cum tempore de manu Domini ſuſcepimus. Quartò rationē reddemus de omni peccato, quòd vel cogitatione, vel locutione, vel operatione cōmiſimꝰ. Quintò rationē reddemus, de omni bono opere, quod poteramus feciſſe, & non fecimus. Quiſquis hæc quinq; bene conſiderans, etiãſi ſaxeus vel ferreus fuerit non trepidabit.

Quemcunq; ergò Dominus hac duplici manu per ſpem & metum verè apprehendet, ſine dubio ſanabit eum per veram pænitentiam, & ſic ſanatum dimittet in pace, ac requie ſempiterna. Rogate ergò Dominum, vt ſic nos ſanare dignetur, vt ad æternam requiem pertingere mereamur. Quod. &c.

ANNOTATIONES.

Cur peccator apparere ante Deum hic non debet refugere.

PRo primo requiſito Nota. Apparere peccatori ante Dominum qui ob commiſſum peccatum potius eſt judex quàm amicus, horrendum certè eſt; at quia hæc peregrinorum vita tempus eſt miſerationis, requiritur principaliter, vt coram Domino appareat, in eum mentem & oculos dirigat, oret miſericordiam corde, ore

de, ore, manibus, oculis. Sunt qui obſtant, qui non ſabbatum, ſed in dignitatem tibi objicient. Sed quia in Sabbato quoq; malo ſubuenire hominis non erat criminoſum Domino, etiam obijcientibus indignitatem tuam dicet Dominus. *Qui ſine peccato eſt mittat lapidem in eum.* Defendet te, ſolùm accedere velis. Lampridius dicebat. Tollerabilior eſt Reip: ſtatus vbi Princeps malus & boni conſiliarij ſunt, quàm vbi bonus princeps & mali conſiliarij ſunt, & dabat rationem, quia vnus malus à pluribus corrigi poteſt, multi autem ab vno, non. Apparens ratio, at non verà. Vnus enim bonus princeps totum regnum efficit bonum, quomodo igitur conſiliarios non conſtituet rectos? Chriſtus IESVS incidit in conſilium malum, dum vocatus Sabbato ad manducandum panem & ipſi obſeruabant eum, ſi aliquo modo reuerentiam legis contemneret, vel quid prohibitorum faceret die Sabbati, & forte fortuna Hydropicus ſtetit ante eum, quo gauiſi, reprehendere ipſum volebant, ſed Dominus propoſita re certa & obſeruata apud eos, deridet eos vt amentes, inquit Theophil: DEO enim benedicente Sabbatum ipſi prohibent bona operari in eo, dies autem quæ bonorum opera non admittit maledicta eſt. Nam cùm omnia ad curam hominis facta ſint & propter hominem, & curare hunc hydropicum non erat opus ſeruile, ſed ſpirituale, nec potuit fieri niſi virtute diuina, & facta eſt curatio ipſo imperio, fruſtra reprehendere ipſum cogitabant. Accedere igitur & apparere ante Dominum oportet peccatorem, non curando, an ſint qui te reprehendant, irrideãt, obloquantur, ſed ſi noſti te eſſe hydropicum, curre ad faciem miſericordis Domini. Pſ: 9. *Tibi derelictus eſt pauper orphano tu eris adjutor.* De DEO ſunt hæc & ad DEVM dicta. DEVS enim eſt qui pauperem ditat & ſubleuat, ille eſt ſub cuius protectione ſunt omnia, at ſpecialius de Chriſto Saluatore intelligi poſſunt. Tibi Chriſte derelictus eſt pauper, qui dignatus es fieri pauper pro homine. Pauper ſum ego à juuentute mea. Tibi derelictus eſt orphanus, qui voluiſti & quaſi orphanus eſſe ſub protectione & tutela Ioſephi Sponſi Mariæ Virginis. Pauperibus igitur miſerere peccatoribus, orphanis & ſine gratia & protectione exiſtentibus ſis adjutor. Apprehende & ſana.

Princeps vnus bonus rectos facere poteſt.

Chriſtus derelictus eſt pauper

Pro 2. requiſito. Nota. Apprehenſio hæc, cum non tactus ſed conſtrictio fuerit per manus; & repulſam ſtulte ſcandaliſatorum Phariſæorum arguit, & multam miſericordiam in hydropicum, conſequenter in peccatorem cùm ex peccato infirmitates veniant, declarat. Vndè B: Alb: Mag: in Lucam. Apprehendit charitate & miſericordiâ. Ita enim Ier: 31. *In charitate perpetua dilexi te, ideò attraxi te miſerans*: Manibus autem apprehendit, vt oſtenderet quòd virtus deitatis exiret de carne propter

Signũ miſericordiæ Chriſti in peccatores

pter nos aſſūpta. Quocircà cum tali manu apprehenſus eſt hydropicus, non mirum quod ad ſanitatem redierit, vndè ſi eadem manu peccatorem apprehenderit, nedum ſanus erit in corpore ſed anima quoq; ſanata, vitam recipiet in ſæcula ſæculorum. Dicebat illa mulier infirma. *Si tetigero tantum fimbriam veſtimenti eius ſalua ero.* Quid igitur de hac manu Domini ſuſpicabimur? Manus regum Angliæ id ſacri ferebant dicunt Hiſtorici, quod ſi aliquem tetigerint qui t rgentia ab aquis crudis guttura deferebant, ſanabantur. Dicebant illi tangendo Rex te tangit & Devs ſanet, & breui euaneſcebat craſſus humor & ſanabatur infirmus. Qualis igitur erit illius manus, qui dedit ſacerdotibus ſuæ legis, vt ſuper quem manus ſuas impoſuerint, ſanitatem corporis & benedictionem diuinam recipiant? Cyrillus. Dominus non poſtulat ab eo ſi vellet ſal uus fieri, ſed protinùs, de aſino propoſita re, apprehenſum ſanauit, dimiſit. Fabulantur manum Midæ, quòd quæ tetigerit, in aurum omnia verterentur, at Chriſti manus, imò veſtis, & vmbra eius, non terrenum bonum quo arceatur mors, ſed ſanitatem confert. Apprehendit & ſanauit. Mirabilis & fortis manus erat illa, quæ in pariete ſcribebat *Diſpone Domui quia morieris.* Conſtabat hæc manus ex quinq; digitis. Poteſtatis, juſtitiæ, vitæ, Mortis & ordinationis Nam alteri regnum datum, nec ſine pœna ablatum, ablata & vita ſubſecuta & mors. Manus qua Chriſtus apprehendit hydropicum miraculoſa quoq; fuit, vt oſtendit B: Alb: Magnus. Sed quia illam ſcribentem miſit hæc manus diuina quæ apprehendit ægrotum, multò miraculoſiorem hac dicimus, Apprehendit enim & ſubitò hydropiſim ſanauit. Ad tactum igitur Chriſti peccator ſanabitur, nam niſi tetigerit Dominus peccatorem per manum ſacerdotis in confeſſione, à peccato liberari non poterit. Manus enim ſacerdotis eſt inſtrumentum & manus Chriſti.

Manus Regum Angl:

Manus Midæ.

Manus in Pariete.

Manus ſacerdotis inſtrumẽtum Chriſti

Pro 3. requiſito. Nota. Oportet vt peccatorem ſanet & dimittat. Oportet vt ſanet, quia nullus peccata ſanare poteſt niſi Devs. Infinitum enim malum non tollitur niſi per infinitum bonum. Cùm verò qui peccat mortaliter infinite Devm offendat, non poteſt habere nec facere tale bonum, quo tantum malum tollat, reſtat igitur quòd ſolus Devs qui eſt offenſus tanto malo & offenſæ remediare poteſt. Vndè dicebant de Chriſto. *Quis eſt hic, qui etiam peccata dimittit?* Ier: 17. *Sana me Domine & ſanabor.* Quaſi diceret. Sunt quæ me ſanant, eſt dolor de peccato, quo & Dauid ſanatus eſt. *Tota die contriſtatus ingrediebar.* Pſal: 37. *Eſt jeiunium, cinerem tanquam panem manducabam & potum cum fletu miſcebam.* Pſal: 101. Eſt amor. Nam de S. Magdalena dictū Lucæ 7. *Dimiſſa ſunt ei peccata multa quia dilexit multum.* Eſt ſatisfactio, quia Zachæo dicitur. Lucæ 10. *Hodie huic Domui ſalus facta eſt.* At hæc & alia nîl proſunt, niſi gra-

Multa ſanãt ſed Deus verius.

ſi gratia & miſericordia Dei miſerentis acceſſerit, ille ſanat & perfectè ſanat. Vndè Oſeæ 14. *Sanabo contritiones eorum, diligam eos ſpontanee, quia auerſus eſt furor meus ab eis.* Sed mirandum in tam opere excelſo Chriſti, quod dicat Euang: *Sanauit, & dimiſit.* Quid myſterij in hac dimiſſione. B: Alb: Mag: conſiderando dicit in Luc: Docet vt pro bonis ſpiritualibus nil requíramus. Gratis accepiſtis, gratis date. Nam ſi Heliſæus dimiſit Naaman 4. Reg: 5 nil requirendo ab eo, majoris perfectionis eſſe debent diſpenſatores myſteriorum Chriſti. Verùm quia charitas defecit populorum in ſeruos Eccleſiæ, meritò nunc de altari viuunt qui altari ſeruiunt. Alteram ponit rationem B: Alb: Magnus. Dimiſit eum liberum, vt mente libera confiteretur, crederet, & gratias ageret Deo. At ſi ad peccatorem conuerterimus rem, dicendum erit, quod ſanatum à peccatis hominem dimittit liberum, id eſt libertati ipſius permittit, vt qua Deum offenderat, eadem poſſit mereri ſibi ampliora charismata. Ita enim D. Paulus ante perſecutor Chriſtianorum poſt prædicator nominis Chriſtiani factus. Ita Petrus negans Dominum, poſtmodum confitens Deum & moriens pro nomine ipſius. Ita plurimi peccatores, poſt lapſum feruentiùs Domino ſeruire non deſtiterunt.

De altari viuat q̃ ſeruit altario

DOMINICA XV. POST OCT: TRINIT:

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. *Matth:* 22.

QVALITER DOMINVS DILIGI PRÆCIPIATVR?

Dilige Deum ex corde animã rẽ ꝛs quod

Diligendus ex toto corde. Nam cor eſt principium omnis ſenſus & motus, & omnia membra virtutem à corde recipiunt. 1. Diligendus ergò ex toto corde, id eſt, ex omni motu & ſenſu noſtro, ſcilicet ex omnibus verbis, operibus, ex omni viſu, auditu, guſtu, odoratu, tactu, vt videlicet verba linguæ noſtræ & opera manuum noſtrarum & omnes ſenſus noſtros exteriores & interiores ad dilectionem Dei conuertamus. 2. Diligendus ex tota anima, Anima habet tres potentias, rationabilitatem, concupiſcibilitatem & iraſcibilitatem, per rationalem diſcernit inter bonum & malum: per concupiſcibilem diligit bonum; per iraſcibilem reſpuit malum.

ſum. Ex tota ergò anima, Id eſt ex omnibus potentijs debemus diligere Devm. 3. Et tota mente, Id eſt ex omni memoria. Sicut enim ille nunquam obliuiſcitur noſtri miſereri, ſic dignum eſt vt nos quoq; reminiſcamur amoris ſui.

NOTATIO.

Amo- rem non timore vult Deus. CHryſoſt: Non vult vt timeatur ab hominibus, quia timere ſeruorum eſt, diligere filiorum. Vndè diligendus vt pater, non timendus vt Dominus. Alium amorem cordis alium animæ poſuit. Amor cordis carnalis eſt, qualiter Devm amare non poſſumus, niſi recedamus ab amore mundialium rerum. Sic Apoſt. Gal: 2. *Viuo ego jam non ego viuit autem in me Chriſtus.* Cordis etiam amor ſentitur in corde, patet in his qui ſtigmata Domini Iesv portabant in corde amor verò animæ intelligitur quia in judicio intellectus conſiſtit.

Amor animæ & cordis. Ex toto corde diligere, vt non ſit inclinatum magis quàm ad Devm diligendum, ex tota anima diligendus eſt, certiſſimum animum habere in veritate, & firmum eſſe in fide. Ita Apoſt: Rom. 8 *Quis nos ſeparabit à charitate* Dei *an anguſtia, fames, gladius, &c.* Ex tota mente diligere, vt ſenſus omnes Deo vacent. Concludit Chryſoſt: Cuius intellectus Deo miniſtrat, ſapientia circa Devm eſt, cogitatio quæ Dei ſunt tractat, memoria quæ bona ſunt recordatur, tota mente diligit Devm. Iſidorus de ſum: lib: 3. cap: 28. Antiqui dixerunt de ſocietate duorum, vnam eſſe animam in duobus corporibus, propter vim ſcilicet amoris. Ita etiam in Actibus Apoſt. Leg. 4. *Erat illis cor vnum & anima vna*, quia igne charitatis conjuncti vnum omnes ſine diſſenſione ſentiebant. Idem quoq; ab homine concupiſcit Devs, vt non ex neceſſitate ſed ex libertate dicat. *Tu mihi & ego tibi effundite coram eo corda.* Legem amicitiæ Cic: poſuit. Non expectare vt rogemur, ſed ſtudium ſemper adſit, cunctatio abſit. Profectò ſi tantus repertus fuerat amor ſocij Tib: Gracchi, vt interrogatus. An faces ſubderet templo Iouis ſi illi Gracchus juſſiſſet, reſpondit ſi Gracchus mandaſſet feciſſem. Graue tentat amor verus. Ecce id quod facillimum eſt & leue mandat Ieſus. Dilige Devm ex toto corde, anima & mente, qui te dilexit prior, creauit, redemit, gloriæ deſtinauit. Fælix D. Aug: qui de amore Dei hæc de ſe reliquit. Iam dixi & dicam, Amore amoris tui facio iſtud. ſcilicet vt te diligam ex toto corde, anima, mente. D. Paul: 1. ad Corinth: 2. *Nec oculus vidit, nec in cor hominis aſcendit, quanta præparauit* Devs *diligentibus ſe.* Beatus qui amat te, & amicum in te, & inimicum propter te. Tali enim amore vt ametur à Deo meretur. Amor verus hominis erga hominem.

Quæ cauſæ propter quas homo tenetur Devm *diligere.*

1. Quia nos ad imaginem ſuam creauit. Eccl: 12. *De terra creauit & ſecundum imaginem fecit illum.* Aug: in lib: de ſpiritu & anima. Miſer ego quan- Cur diligere debes Deum.

tum deberem diligere Dominum Devm meum qui fecit me cum non eram. Non eram de nihilo me fecit non lapidem, arborem, auem, vel aliquid de animalibus, ſed voluit me eſſe hominem dedit mihi viuere, ſentire & diſcernere.

Creator. 2. Quia nos de poteſtate Diaboli per ſuum ſanguinem liberauit. Ad Tit: 2. *Dedit ſemetipſum pro nobis vt nos redimeret ab omni iniquitate.* Omnis iniquitas Diabolus eſt, quia in iniquitate delectatur & eam perſuadet, à Diabolo nos ſanguine Filij Devs liberauit. Aug: in eodem libro, miſer ego quantum deberem diligere Devm meum qui me redemit cum perieram, ad mortalitatem deſcendit, eam ſuſcepit, mortem vicit, & ſic me reſtaurauit. Perieram, venit ille poſt me, vt redimeret me, & tantum dilexit me vt ſanguinis ſui pretium appenderet pro me. *Redemptor.*

Iuſtificator. 3. Quia peccata noſtra diſſimulauit. Sap: 11. *Miſereris omnium quoniam omnia potes & diſſimulas, peccata hominum propter pœnitentiam. Diligis enim omnia quæ ſunt & nihil odiſti eorum quæ feciſti, parcis autem omnibus quoniam omnia tua ſunt Domine qui amas animas valde.* Diligendus ergò quia exceſſus graues & multiplices tam diu tollerauit. Quomodo filium prodigum ſuſcipiebat lætus pater, ita & magis beneuolè ſuſcipit hominem peccatorem Devs.

Prouiſor. 4. Quia corporales neceſſitates largiter miniſtrauit nobis. Matth: 6. *Nolite ſoliciti eſſe dicentes quid manducemus.* Luc: 12. *Scit pater veſter cæleſtis quia his indigetis.* Gloſſa. Indecorum eſt homini curare de cibo & veſte qui militat regno. Non prohibet tamen prouidentiam per quam in ſudore vultus panis præparatur, ſed vetatur ſollicitudo. *Nolite ſoliciti eſſe.*

Retributor gloriæ. 5. Quia nobis regnum copioſiſſimum præparauit. Petrus 1. Can: 1. Nobis per Ieſum Chriſtum hæreditas incorruptibilis, incontaminata, immarceſcibilis in cœlis eſt conſeruata. Matth: 25. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.*

NOTATIO.

Creatio hominis tria habet. Pro prima Cauſa. Magnum eſt quia nos rationales creauit, maius quia ad imaginem ſuam, maximum quia ad ſe & propter ſe creauit. Exod: 17. *Scribe hoc ob monimentum in libro & trade auribus Ioſue.* Vnam victoriam ſcribere & referre voluit. Quid igitur nobis reſtat faciendum. Niſi in corde, anima & mente ſcribere creationem noſtram & imaginem Dei. Terribile auditu Deut: 31. *Generatio praua & peruerſa hæccine reddis Domino popule ſtulte & inſipiens! Nunquid ipſe eſt pater tuus qui poſſedit te, & fecit te, & creauit te!* Et quod ſummum eſt creatio hominis & imago Dei in homine, ſunt quædam ſigna maioris gloriæ hominis. Nudi enim quaſi minerua hæc efformauit Dominus in homine, ſed in cœleſti gloria, nitorem, elegantiam, pulchritudinem adminiſtrabit & admouebit. Quapropter & dilige

lige Deum qui te ad imaginem fecit, & gratias quotieſcunq; reſpiras, operaris, cogitas, loqueris, moueris, Domino Deo age. Aug: ſoliloq; cap: 31. Tu factor meus, ego opus tuum. Gratias tibi ago per quem viuo ego & per quem viuunt omnia, Gratias tibi plaſmator mi quia manus tuæ fecerunt me & plaſmauerunt me. Gratias tibi lux mea, quia illuminiſti me, & inueni te & me.

Gratiæ Deo agendæ.

Leo Andronidæ.

Aulus Gel: lib: 15. cap: 14. Refert, pro beneficio leone collato ab Andronido Daco. Seruo cuiuſdam cõſularis viri Romani, (Leonẽ illi in pede curauerat) liberaſſe à morte Andronidum & obſequutum fuiſſe Andronido ceu domeſticum canem. Cur igitur homo pro tot beneficijs in creatione conceſſis & præſignatis tibi, non tu magis Dei gratias agere, Deumq; toto corde amare non deſiderabis? Conuerte igitur homo in amorem Dei tuum eſſe, poſſe & operari.

Pro 2. Cauſa. Deut: 1. Dicit Moyſes Iudicibus. *Si quid difficile vobis viſum fuerit referte ad me, & ego audiam.* Profectò nil difficiliùs & impoſſibiliùs alienis à Chriſto auditur, quàm quòd Deus nos ſanguine ſuo liberauerit à diabolo & pro nobis naſci dignatus ſit. Sed nos confitentes tantum donum, audit libenter Deus, atq; pro tanto munere gratos & diligentes ſe, diligit. Fulgentius ad Probam de oratione cap: 4. Non eſt aliquod vitæ tempus in quo non hominibus muſcipulam tendat inimicus, nec aliquis viribus ſuis poteſt euadere niſi quem gratia ſua Deus dignatus fuerit liberare. Ad Rom: 7. *Infœlix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Ieſum Chriſtum.* Et Pſal: 122, *Oculi mei ſemper ad Dominum quia ipſe euellet de laqueo pedes meos.* Quocirca ſi fortitudo eſt Deus, ſicut ſapienter vt ſapientia, dulciter vt dulcedo, ardenter vt amor, fortiter vt fortitudo noſtra, diligendus erit Deus. Bernard: de Dil: Deo. Dilectionis aculeus Ieſus eſt & hic crucifixus. Cimonis amor in parentem à Val: Max: lib: 5. Extollitur, quòd pro parentis ſepultura carcerem ab hoſte ſuſtinuiſſet, tanta enim virtus non ſolùm admirationem, ſed etiam quia pietas erat, amorem hunc, vt Ciuis & Dux fieret poſtmodum, promeruit, En Chriſtus Deus ſanguine ſuo liberauit nos à Diabolo. Quem ergò referes theſaurum, ſi Deum liberatorem tuum amaueris? Chryſoſt: iſtum inquit. Quià dilectionis flammas Sathan ferre non poterit, Bern: ſer: 70. in cantica. Qui Deum ardenter diligit, ſignum is habet a Deo, diligi. Greg: 5. Moral: ſuperna amare iam ſurſum eſt ire: Conſidera theſaurum & ama liberatorem in Egypto, præcedebat ſanguis in oſtijs domorum, & ſequebatur ſalus.

Semp: inimicus inſtat, ſemper Deus iuuat.

Dilectionis aculeꝰ Ieſus crucifixus.

Pro 3. Cauſa: Peccator non ſolùm eſt equus diaboli vt dicit Chryſoſt: aduerſ: Iud: Orat: 3. Fortè quia abutitur ipſis, ſed etiam pec-

Peccator equus diaboli imò dæmon.

catum ipſius eſt magnus dæmon vt idem dicit ſup. Matth: 5. hom: 16. Cruciat enim peccatorem & in æternum damnat: Dum ergò diſſimulat peccata hominum Deus nec permittit ſeuire diabolum in hominem, ſed expectat donec rogum peccatorum lachrymis extinguat, maximè pro tanto beneficio diligendus erit. Occultauerat Dominum ſuum ſeruus optimus habet Val: Max: lib: 6. cap: 8. Cognito periculo Domini ſui, commutauit veſtem cum illo & annulum, emiſſo latenter Domino poſuit ſe ſuper lectum Domini, & pro Domino occiſus ſeruus. Gratus Dominus Panopion optimo ſeruo amplum fecit monumentum ac teſtimonium pietatis grato titulo confeſſus eſt. Chriſtus, ſimulauit tegitq; hominum peccata, quid requirit ab homine? *Dilige & ama.* Profectò ſeruat peccata hominum pænitentiam ex commiſeratione expectando à nobis, magis quam ſi eſſet centum clauibus ſeruata. Plange ergò peccator, & dum amaueris amantem te Deum non deſinas cum Magdalena & Petro redamare. Iſidorus lib: 3. de ſum: cap: 30. Illa vera eſt amicitia quæ nihil quærit ex rebus amici niſi ſolam beneuolentiam, ſcilicet vt gratis amat amantem. Tali amicitia amauit Deus peccatorem inopem & indignum, nil ab eo vult ſed omnia illi donat. Negantem ſe Petrum obumbrauit cum inſtituit paſtorem ouiũ. Te verò teget ſi pœniteris gloria Angelorum.

Seruũ tegit Dominum & moritur.

Pro 4. Cauſa. Differentia magna inter largientem corporalia bona hominem & Deum, cum homo dat obſtringit hominem ſibi & obligat licet id taceat. Vndè Ariſt: Polit: 2. Qui beneficium inuenit, compedes inuenit. Da & aliquid accipito. Apud Stob: Deus verò cum dat nil requirit ab homine niſi vt iterum & quoties voluerit accipiat. Nam plùs amat beneficio affectos, quàm contra. Id eſt quam illi ament Deum. Ariſt: Ethnic: 9. Dat enim non mærentibus, & quandoq; in neſcios beneficia collocat inquit Chryſoſt: Hom. 46. in Geneſ: Quandoq; inuitos multis afficit beneficijs, vt idem dicit hom: 10. in Epiſt: ad Coloſ: Experire igitur homo illud Ier: Tren: 2. *Bonus es Domine ſperantibus in te, animæ quærenti te.*

Beneficium compedes aliquid.

Pro 5. cauſa. S. Fulgentius ad Probam de oratione cap: 8. Gemamus & fleamus ante Dominum, qui fecit nos, vt à concupiſcentia carnis, & à concupiſcentia oculorum, & ſuperbia ſæculi, quæ non eſt ex cælo, ſed ex mundo eſt, liberet nos, & ad illam nos ſubiectionem perducat, in qua nobis nihil repugnet ex mortalitatis vitio, ſed ex immortalitatis dono totum, quicquid in nobis eſt fiat ſubditum Deo. Tunc enim erit in nobis vera, perfecta, & excelſa humilitas, cum & in carne, & in mente noſtra, nulla remanſerit praua cupiditas, nec cogitationibus fatigabitur ſpiritus, nec laboribus

bus macerabitur corpus, nulla erit ſolicitudo certaminis, ſed perfecta erit ſecuritas pacis, nulla nobis erit iuſtitiæ indigentia, ſed cum delectatione ſaturitas plena. Ibi erimus enim perfecta celſitudine Beati, quia perfecta erimus Deo carnis & ſpiritus humilitate ſubiecti. Ibi nec minor erit laudatione noſtra dilectio. nec inferior dilectione laudatio, Erit enim plena noſtra laudatio, quia tunc in nobis erit Dei proximiq; perfecta dilectio. Tunc laudabimus & habebimus, tunc habebimus & amabimus, tunc ſatiabimur cum delectatione, & delectabimur cum ſatietate. Saul. cum nullum filium iudicioſum altum, grauem, non vnxit oleo niſi Dauid docuit quod nullum hominen à regno cæli vult priuare Deus.

Quæ ſigna tria an diligamus Deum.

Signa an diligamus Deum, tria.

1. Mandatorum obſeruatio, Io: 14. *Si diligitis me mandata mea ſeruate.* Io: 15. *Manebitis in dilectione mea ſi præcepta ſeruaueritis.* Gloſſa Dilectio præcedit obſeruantiam mandatorum. 1. Io: 5. *Hæc eſt charitas Dei in nobis vt mandata eius cuſtodiamus.*

2. Eleemoſynarum in pauperes erogatio. Io. 20. *Simon Ioannis diligis me? Paſce agnos meos.* Per agnos intelliguntur pauperes Dominus enim agnoſcit eos. Pſal: 9. *Domino derelictus eſt pauper.* Diligens ergò libenter paſcit.

3. Nulla de die iudicij trepidatio 1. Io: 4. In hoc perfecta eſt charitas Dei nobiſcum vt fiduciam habeamus in die iudicij. Perfecta charitas foras mittit timorem. Verè qui diligit Dominum vt patrem chariſſimum, non timebit eum vt iudicem ſeueriſſimum.

NOTATIO.

PRo 1. Signo. Ioan: 14. *Qui habet mandata mea & ſeruat ea, ille eſt qui diligit me, & diligetur à Patre meo, & ego diligã eum, & manifeſtabo ei me ipſum.* Aug: Tract: 75. Qui habet mandata in memoria & ſeruat in vita habet in ſermonibus, ſeruat in operibus, habet audiendo, ſeruat faciendo, habet faciendo, ſeruat perſeuerando. Opere eſt demonſtranda dilectio ne ſit infructuoſa nominis appellatio, Eiuſmodi quoq; dilectionis ſignum Theophil: ponit, Prærogatiua gaudebit illa quod dilectus diligetur à Chriſto obſeruator mandatorum Dei, donec viſionem ipſam, mercedem fidei, capiat. Videatq; & diligat videndo quòd credendo diligebat. Dilectio ſita in opere.

Pro 2. Signo. Dicitur Mich: 6. *Indicabo tibi O homo quid ſit bonum & quid Dominus requirat à te. Vtiq; facere judicium, & diligere miſericordiam & ſolicitum ambulare cum DEO.* Requirit miſericordiam à nobis tum quia ipſe miſericors eſt, tum quia ſignum eſt miſericordia an diligamus DEVM. Bern: ſuper Pſ: Non meliùs nec decentiùs quàm per dilectionem rependi poteſt quòd per dile- Dilectio dilectione rependatur.

per dilectionem datum eſt. In tali ſigno fundauerat Hieron: ſuum, dictum dum inquit. Non memini me legiſſe mala morte mortuum, qui libenter opera charitatis exercuit, habet enim multos interceſſores, & impoſſibile eſt multorum preces non exaudiri. Sicut enim inter opera ſatisfactoria miſericordia eſt magis ſatisfactoria ſicut D. T. Sent: diſt: 15. docet. & Tob: 4. Legitur ab omni peccato & à morte liberat, ita in ſignum, an diligamus DEVM, illam eſſe DEVS poſuit. Gregorius in Regiſtro quicquid tribuitur pauperi, ſi ſubtili conſideratione penſatur, non eſt donum ſed mutuum, quia quod datur, ſine dubio multiplicato fructu recipitur. Fructus igitur & hîc erit, quia qui diligit proximum, ſignum eſt quòd à DEO quoq; ille diligatur. Hinc veſtem qua S. Martinus texit pauperem vidit ea tectum Chriſtum & audiuit dicentem. Martinus hac me veſte contexit.

Datũ pauperi eſt mutuũ

Pro 3. Signo. Numen colenti, cuncta numen diriget puta, in bonum. In die illa, quia diligit DEVM non trepidabit, quia reſurget ad gloriam. Sicut enim fruſtra nititur vis agentis in patientem in diſpoſitum, ita diſpoſito patiente per gratiam DEI, omnia illi cooperabuntur in bonum. Dicet hîc. *In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum ſicut in omnibus diuitijs.* Pſal: 118. Dicet. *Iudicia Domini vera iuſtificata in ſemetipſa, Deſiderabilia ſuper aurum & lapidem precioſum multum & dulciora ſuper mel & fauum.* Et Dominus dicet ad eum Eſa: 41. *Ne timeas quia ego tecum ſum, ne declines quia ego DEVS tuus, confortaui te & auxiliatus ſum tibi & ſuſcepit te dextera iuſti mei.* Ecce confundentur & erubeſcent omnes qui pugnant aduerſum te erunt quaſi non ſint, & peribunt viri qui contradicunt tibi. Quære eos & non inuenies viros rebelles tuos erunt quaſi non ſint, & velut conſumptio hominis bellantis aduerſum te. Quia ego Dominus DEVS tuus apprehendens manum tuam dicenſq; tibi. Ne timeas, ego adiuui te.

Patiẽs diſpoſitum & indiſpoſitum.

Bona tria conſequitur ex hoc quia diligit Deum.

PRimùm. Quia à Patre & Filio & Spiritu S. amabitur.

Secundùm. Quia ei omnis gloria filij manifeſtabitur. De his duobus Io: 14. *Qui diligit me diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei me ipſum.*

Tertiùm quod à SS. Trinitate ſemper inhabitabitur Io: 14. *Si quis diligit me ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum & ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus.* Verèglorioſum eſt animam boni hominis palatium eſſe ſanctæ ac indiuiduæ Trinitatis.

NOTATIONES.

PRo Primo bono. Diligentes diligendi ſunt inquit Chryſoſt: ſuper Epiſt: ad Corinth: hom: 26. Ergò qui diligit ſine modo, ſine modo quoq;

quoq; reciproce rediligendus eſt. Ergò qui ex ſe toto diligit, ita quoq; rediligendus erit. Tales ſunt qui toto corde, anima, virtute diligunt Devm, quocirca à Patre & Filio mediante Spiritu S. qui Amor eſt horum diliguntur. S. Fulgent: Attende quid cogitas ita fiet vt theſaurum ex tuo amore cognoſcas, & amorem tuum ex judicio tuæ cogitationis intelligas. Duo ceu extrema ponuntur in hominis ſtimulum ad bonum Amor & Timor. Sed bonis Amor, malis timor. Quocircà ſuos amore trahit Dominus ad amorem. Vndè D. Aug: de verbis Dom: Dilige, & fac, quicquid voles, nihil tam facile bonæ voluntati quàm ipſa ſibi, & hoc ſufficit Deo. Malos verò trahit timore. Bern: ſi Amor Dei te terrere non poteſt, ſaltim terreat te timor judicij, metus gehennæ, laquei mortis, dolores inferni, ignis vrens, vermis corrodens.

Pro 2. bono. Seneca bonum amici exprimendo ait. Quantum bonum eſt vbi ſunt præparata pectora in quæ tutò ſecretum omne deſcendat, quorum conſcientiam minùs quàm tuam timeas, quorum ſermo ſolicitudinem leniat, ſententia conſilium expediat, hilaritas triſtitiam diſſipet, aſpectus ipſe delectet. Magna hæc ſunt bona boni amici. Sed quid hæc ſunt ad bonum hoc, dum verus amicus Iesvs Chriſtus manifeſtabit gloriam ſuam amantibus ſe? Quid dulciùs, deſiderabiliùs, jucundiùs eſſe poteſt? Nihil. Summa hæc dulcedo, ſumma jucunditas, ſummum bonum. Dicitur Iſa: 53. *Qui excutit manus ſuas ab omni munere, iſte in excelſis habitabit & Regem in decore ſuo videbit.* Grandis promiſſio pro judicio incorrupto, major profectò fieri debuit ei qui diligeret toto corde, animo & mente Devm. Erit hæc. Manifeſtabo ei me ipſum, non ſolùm me in decore videbit, ſed decorem ipſum contemplabitur, illoq; perfruetur. Et quoniam ex ipſo & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, ipſi gloria in ſæcula.

Pro 3. bono. Greg: Venit in aliquorum corda & manſionem non facit, quia tempore tentationis à Deo recedunt. Verè autem amans ſemper amat, ideò venient & manſionem facient. Neq; deerit ab eis Spiritus ſanctus nec à venientibus recedet licet hîc non nominetur, tū quia de Spiritus miſſione dictum erat, vt maneat vobiſcum in æternum, tum quia vbi aliæ perſonæ nominantur Trinitatis, non poſſunt non intelligi niſi omnes tres ob eſſentiam vnam. Trinitas ergò manſionem faciet. Legimus Leuit: 15. *Comedetis veteres fruges, vſq; ad nouum annum.* Quaſi diceret. aduenientibus nouis frugibus veteres abijcite. Me hercule in cujus corde manſionem Trinitatis conſpicimus, illum nouis frugibus, quos nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec guſtus perſenſit, nec cor cogitare potuit, veſci & delectari clarum eſt. Facit diſcurſum Iſid: de ſummo bono lib: 1.

cap: 14. Vita corporis anima: vita animæ Deus. Et ſicut corpus mortuum eſt ſine anima, ita anima mortua eſt ſine Deo. Quod ſi manſionē fecerit Deus trinus & vnus in anima. Viget ille in æternum & videbit Filium Dei manifeſtatū ſibi in gloria.

DOMINICA XVI. POST OCT: TRINIT:

Offerebant ei paralyticum iacentem in lecto.

QVID PER PARALYTICVM INTELLIGITVR?

PEccator maximè qui ſubiacet ſuperbiæ, auaritiæ, gulæ, Luxuriæ, Acediæ. Hæc enim quinq; ſunt quaſi digiti diaboli per quam trahit penè totum genus humanum. Paralyſis eſt leſio partis corporis cum priuatione ſenſus vel motus vel vtriuſq; Fit autem ex quatuor cauſis, Ex inciſione vel vulneratione graui, ex frigiditate conſtringente, ex humore oppilante, ex ſuperfluitate cibi & potus.

Peralyſis ex inciſione ſignificat ſuperbiam, eſt enim ſuperbia gladius diaboli quo etiam altiſſimum impugnauit, & nunc membra Chriſti impugnat, & qui vulnus ab eo accipiunt, amittunt Spiritum S. Eccl: 10. *Odibilis coram Deo & hominibus eſt ſuperbia.* Filiæ ſuperbiæ Ira & inuidia. Hugo de S. Victore. Superbia auſert mihi Deum, inuidia proximum, ira me ipſum.

Paralyſis ex frigiditate ſignificat auaritiam, nam ſtringit poros cordis, ne poſſit ad illud peruenire ſpiritus charitatis, pietatis. Eccl: 43. *Frigidus ventus aquilo ſlauit & gelauit cryſtallus ab aqua.* Diabolus flat auaritiam ad cor hominis, & ſic, ſi quid aqueum. Id eſt compaſſionis erat in corde, conuertitur in durum cryſtallum ſunt enim diuites qui non iuuant pauperes ſed tantum dicunt: *ite comedite.* Iacob: 2. Si frater & ſoror nudi ſint & indigeant victu quotidiano dicat autem aliquis de vobis, illis ite in pace, calefacimini & ſaturamini, non deberis autem eis quæ neceſſaria ſunt corpori, quid proderit?

Paralyſis ex groſſo humore ſignificat luxuriam, præcludit enim viam ſpiritui ſancto, qui non habitat in corpore ſubdito peccatis, id eſt luxuriæ. 1. Cor: 6. *Fugite fornicationem.* Peccat enim fornicator in corpus ſuum. quia ſe inquinat & priuat ſe Spiritu S. Sequitur enim *An neſcitis quia membra veſtra ſunt templum Spiritus Sancti.*

Paralyſis ex ſuperfluitate cibi & potus ſignificat gulam. Eccl: 31.

Sanitas

Sanitas eſt corporis & animæ ſobrius potus. Vinum multum potatum irritationem & iram & ruinas multas facit, amaritudo animæ vinum multum potatum.

Nota quod paralyſis eſt duplex. Vniuerſalis quæ mediam partem corporis occupat, Particularis quæ tantum aliquam partem. Quam ergò occupauerit partem paralyſis, inutilem reddit. Significantur per hoc Acedoſi, habent enim linguam, pedes, &c. nec mouent ea in obſequium Chriſti Pſal: 113. *Os habent & non loquentur, oculos hab: &c.* Non vident pauperum afflictionē, Chriſti paſſionem, Non audiunt Chriſtū æterna præmia pollicentem, ſupplicia prædicantem. Non odorant regni odorem, gehennæ fœtorem. Non palpant pro Chriſto laborem. Non ambulant vbi Chriſti Corpore cibantur, verba populo pronunciantur.

NOTATIONES.

Superbia. PRo paralyſi ex inciſione. Paralyſis & iſte paralyticus peccatum & peccatorem ſignificare, ex eo maximè patet, quod ipſi Dominus dixerit. *Confide fili remittuntur tibi peccata tua.* Et quia ſuperbia eſt initium omnis peccati vt dicit Anſelm ſup: Epiſt: ad Tim: & vitiorum regina & quæ principium hæreſis. Vt refert Greg: ſcinditq; corpus Eccleſiæ, vt inquit Chryſoſt: Ser: 22. Sup: Epiſt: Rom: rectè paralyſis ex inciſione, ſuperbiam ſignificabit. De quali ſuperbia Iſid: de ſum: lib: 2. cap: 38. Superbia ſicut origo eſt omnium criminum ita ruina cunctarum virtutum, ipſa eſt enim in peccato prima, ipſa in conflictu poſtrema. Hæc enim aut in exordio mentem per peccatum proſternit, aut nouiſſimè de virtutibus deijcit. Vndè & omnium peccatorum eſt maxima, quia tam per virtutes quam per vitia humanam mentem exterminat. De Mar: Antonio Val: Max: refert lib: 9. Cùm ad eum Triumuiri Ceſetij Rufi Senatoris caput allatum eſſet, propius admoueri iuſſit, & diu diligenterq; conſiderando dixit Hunc ego notum non habui. Fecit hic ex iniquitate, ſed Deus faciet ex ſola iuſtitia ſuperbis cum dicet illis. *Neſcio vos.* Cum enim ſuperbia fidei reſiſtat, & maximè ſeparat à Deo vt inquit Aug: merito ſuperbum Deus notum non habet.

Auaritia. Pro paralyſi ex frigiditate quæ auaritiam ſignificat. Nota. Sicut rigor ex frigore tenet facitq; paralyticum, ita auarus non ſubſtantiam poſſidet ſed ab ea poſſidetur inquit Bion: apud Diog: Hinc filiæ ipſius perhibentur ab Ariſt: de vitijs & virt: Turpis quæſtus, Tenacitas, Illiberalitas. In dè Democritus apud Stob: Auaritiam omnis improbitatis Metropolim, dixit. Rectè igitur per paralyſim ſignificatur auaritiæ peccatum quando quidem omnis in iuſtitiæ fomes & vt dicebat Chryſoſt: hom: 26. ſup: Act: Ap: & crudelis tyrannus vt alibi dixerat.

xerat. Qua propter Greg: Bonorum autori aliter inhærere non poſſumus, niſi cupiditatem à nobis quæ omnium malorum radix eſt abſcindamus. Vt verò probemus ex frigiditate prouenire auaritiam, L. Septi Mulcij Clientis C. Gracchi factum ponamus. Hic Patroni ſui & Domini oblitus, omnem collatum in ſe ipſius amorem extinxit ob auaritiam. Cùm enim Opinius Conſul au o repenſurum caput Gracchi edixiſſet, Cliens illius caput eius abſcidit & per vrbem pilo fixum ferrum ſuſtinuit. *Val: Max: lib: 9.* Accipe inde lector, cum auaris diabolus iuſtitiæ Dei miniſter an ſceleſtiora non excogitabit?

Luxuria. Pro paralyſi quæ luxuriam ſignificat. Claudianus de luxuria. Luxuries prædulce malum, quæ dedita ſemper corporis arbitrijs, hebetat caligine mentes. Luxuria enim tàm carnis quàm cordis ex ſuperbia & ventris ingluuiæ naſcens, vt dicit Greg: plùs quàm cætera vitia diffamat, ſup: 1. Reg: idem addit. Pius ſecundus de illa. Luxuria ætatem omnem fœdat, ſenectutem extinguit. Vide ergo quàm groſſo humore oppilauit luxuria meatus vitæ temporalis & æternæ. Catilina veſano amore Aureliæ Oreſtillæ corruptus, cum filium ſuum impedimentum videret ne iungeretur nuptijs illum veneno ſuſtulit, protinuſq; ex rogo eius maritalem facem accendit ac nouæ martæ loco muneris erogauit. Me hercule luxuria eſt quædam paralyſis. Inquiunt de terra. Quod ſola terrarum non nouit vices temporum nec de cœlo aliquid accipit quam hyemem ſempiternam. Verè luxurioſus eſt terra fætida, nec habebit aliquid è cœlo niſi frigorem nimium, quo calor in damnato diſſipetur. Et ſi ſæua eſt libido in luxuriantem, ſeuior erit vindex iudexq; Deus in peccantem. Ambr: lib: de Abel & Cain, ſæuus criminum ſtimulus eſt libido quæ nunquam quietum affectum manere patitur, nocte feruet, die anhelat. Neſcit libido modum inquit Chryſoſt: neſciet quoq; Deus finire pœnam & damnationem.

Pro paralyſi quæ gulam ſignificat: Et temulentum quæ mala non cadunt in hominem? Superbia, luxuria, homicidium, contemptus principis, religionis & animæ, cæteraq; nefanda ebrium concomitantur. Et ſi terribilibus inſomnijs in vita afficiuntur vt inquit B. Nilus Martyr. Inquit enim. In Tropologicis ſententijs. Qui dediti ſunt ebrietati & gulæ, illi ſomnium genuinum ſyncerumq; non capiunt & terribilibus ſomnijs & inſomnijs afficiuntur. Collige igitur lector quam terribiliſſimis inſomnijs potatores afficientur. S. Fulgentius lib: de Fide ad Petr: cap: 29. Firmiſſimè tene Diabolum & Angelos eius in ignem æternum eſſe mittendos, vbi nunquam carebunt pæna quam eis præparauit diuina iuſtitia, cum ipſo etiam diabolo impios & iniquos *Temulentia.*

iniquos homines vt Sapientiæ ſecundò dicitur. Quia eum in malis operibus imitati ſunt, & ante finem præſentis vitæ congruam pænitentiam non egerunt, reſumptis corporibus ſupplicio æternæ confuſionis arſuros. Quocirca Chryſoſt: hom: 59. in Matth: Ebrioſo aſinus melior.

Acedia. Pro paralyſi quæ Acediam ſignificat. Contra Acediam Prou: 10. dicitur. *Egeſtatem operata eſt manus remiſſa, manus autem fortium diuitias parat.* Matth. 7. *Omnis arbor quæ non facit fructus bonos excidetur & in ignem mittetur.* Et ſi Chriſtus tantos labores, moleſtias, vigilias ſuſtinuit pro te, quanto magis æquum eſt, vt tu pro propria aliquid facias & patiaris. Conſidera labores ſanctorum, quorum laboribus fides dilatata & conſeruata eſt. Et ſi ignauiam apes, aues & cætera animalia exaſperantur, te rationis capacem pudeat ignauiæ, ſi eam creaturæ inſtinctu naturæ deteſtantur. Iulius Cæſar nunquam dicebat militibus. Ite, ſed Eamus; facite, ſed faciamus. Præiuit Chriſtus, vt tu ſequaris. Attendite, vigilate, & orate, neſcitis enim qua hora Dominus veſter venturus ſit. Mater vitiorum eſt ſegnities, quæ enim poſſides auferre ſolet, quæ non poſſides ne conſequaris prohibet.

Quid intelligitur per offerentes paralyticum Domino.

DVo intelliguntur 1. Diuina miſericordia. Per eam enim quaſi nolentes ad Deum trahuntur. Compellit enim per infirmitatum & aduerſitatum flagella intrare. qui niſi infirmi eſſent non quærerent ſalutem. 2. Orationes iuſtorum. Saluantur enim dum offeruntur Chriſto per orantes Sic Stephanus Paulum obtulit Chriſto. Et B. V. MARIA Theophilum gratiæ reformauit. Sic per orationes bonorum ad Chriſtum conuertuntur plurimi.

ADNOTATIONES.

PRo miſericordia diuina. Vidit enim Ieſus fidem illorum qui offerebant. Hieron: vidit fidem non eius quem offerebant. Et quia magna illorum erat fides, Chriſtus quoq; monſtrauit ſuam magnam virtutem cum omni poteſtate, ſoluens peccata *Confide fili &c.* Ecce ſummam miſericordiam Dei. Conſiderauit hominum genia Chriſtus. Nempè. Qui flagitioſum miſeratur, non mores miſeratur, ſed hominem. Quia non eſt quo fugiat quis à Deo irato niſi ad Deum placatum, cuius miſericordia nequitiam hominis vincit, vt dixit Chryſoſt: hom: 80. ad Pop: Antioch: Refert Menander. Dux Abarorum miſerat ad Sclauinorum Ducem cui tributa ſoluebant Abari, vt illorum dicto audientes eſſent, eorumq; numero ſeſe adſcribant. Cui Dux. Aliorum regionis dominatum acquirere ſolemus, qui nos certò *Miſericordia diuina.*

certò manent donec erunt bella & enſes. Eodem nos modo dicere licebit Altæ regionis cœli hæredes erimus, donec diuina miſericordia ſuper nos requieuerit.

Pro orationibus cunctorum Pſal: 131. *Propter Dauid ſeruum tuum non auertas faciem Chriſti tui.* Licebit ergò ſanctos regnantes cum Chriſto inuocare, & ſpem in illorum interceſſione habere. Et in Euang: hoc offerentium fidem & orationem reſpexit Dominus, vt Hieron: dicit. Viuentes ergò pro viuentibus orant Chriſti ſuffulti interceſſione, orant etiam mortui regnantes in cœlis pro viuis, quia maiori charitate ſunt præditi nunc in patria, quam cum verſarentur in via, & in nixi orationi Chriſti dum per Chriſtum pro nobis petunt, orant, B. Franciſcus Borgias Soc: IESV, Nouitios Religionis ſuæ perquirebat, quoſnam ſibi patronos delegiſſent ſanctos, & cum reperit nullum ex illis aſſumpſiſſe B. V. MARIAM admiratus eſt dixitq; illorum Magiſtro. Inuigiles horum ſaluti, vereor enim ne perſeuerent in religione, quòd & accidit. Ne igitur deſit tibi qui te offerat Deo & commendet ſanctorum Dei opem implorando, fige ſpem in Domino. Ezechiel. 14. *Si fuerint Noë Daniel & Iob ipſi iuſtitia ſua liberabunt animas ſuas.* Quis negabit quod aliorum quoq; animas liberarent, niſi diuinum decretum ob demerita quorundam latum, obſtarent? D. Aug: quæſt: 149. In Exod: cum recogitat illud Dan: 3. *Ne auferas miſericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Iſaac ſeruum tuum, & Iſraël ſanctum tuum.* (Inquit ille) Admonemur cum demerita noſtra nos grauant ne diligamur à Deo, releuari nos apud Deum illorũ meritis poſſe quos Deus diligit. De his etiam vide infra notationẽ primam.

Oratio nes Sanctorum

Quatuor neceſsaria ad ſaluationem peccatoris.

QVatuor concurrerunt ad curationem paralytici. Remiſſio peccatorum: ſurrectio: lecti portatio: in domum receſſio. Eadem requiruntur ad ſalutem animæ. 1. Remiſſ: peccatorum, quod fit per veram contritionem, quam rogare ſemper à Deo dandam neceſſum erit. 2. Vt ſurgat, per contemptum terreſtrium, amorem cœleſtium. 3. Tollat lectum: Animæ lectus corpus Tollitur, cum à ſpiritu in ſeruitio Dei exercetur ieiunando, orando, plorando &c. 4. Vt vadat. Si in domum paradiſi per iuge deſiderium. Sumus enim aduenæ & peregrini ſuper terram.

Ad ſalutem peccatoris 4 ſunt neceſſ.

NOTATIONES.

PRo Remiſſione peccatorum. 1. Reg: 2. *Si peccauerit vir in virum placari ei poteſt Deus, ſi autem in DEVM, quis orabit pro eo?* Ambr: lib: 1. de Pœn: cap: 8. Quærendus erit aliquis amicus DEI qui oret, qualis fuit Moyſes qui exauditus pro idolatris. Rari enim ſũt

Peccatorum remiſſio.

qui orent pro eo qui in Principem peccat. Neceſſaria ergo primum remiſſio peccati ad ſalutem peccatori. Petrus Apoſt: & Maria Magd: ſint in exemplum. Conuertere igitur & reuertere ad Dominũ, & audi inſpirationem & intus ſecretè loquentem DEVM. Bern: ſerm: 30. ſuper Cant: Lachrymas pœnitentium vocat vinum Angelorum, quia in illis eſt odor vitæ, ſapor gratiæ, guſtus indulgentiæ, ſanitas redeuntis innocentiæ, reconciliationis jucunditas, & ſerenæ conſcientiæ ſuauitas. Aquam ex odoriferis herbis diſtillatam, Angelicam vocabis, Aqua lachrymarum ex fide, ſpe, amore, dolore & deuotione perfluens, atq; charitatis igne diſtillata per oculos eſt angelica aqua, magis odorifera quàm aliqua ex herbis, ideò ſupernorum Spirituum vinum dicetur, ora igitur Dominum pectus tundendo *DEVS propitius eſto peccatori.* De Auguſto inquit Suetonius Nunquam thoro cubuiſſe, niſi humili & modicè ſtrato, veſte non alia quàm domeſtica vſus eſt. Vbi es peccator? Dauidis pœnitentia te moueat. *Panem meum cum fletu miſcebam*, Pſal: 101.

Lachrymæ Angelorũ vinũ.

Pro neceſſitate ad ſalutem ſecunda, Nota. Rabanus, ſurgere eſt à carnalibus deſiderijs animam abſtrahere. Vt reſurgeret à peccato Dauid Pſal: 37. dicit. *Dominè ante te omne deſiderium meum & gemitus meus à te non eſt abſconditus.* Et ſurrexit à terra, & direxit oculos in cœlum. Hieron: in Epiſt: 1. Initium reſurrectionis à malo lachrymas deſcribit. O lachryma humilis tua eſt potentia, tuum regnum, tu tribunal judicis non vereris, tu amicorum tuorum accuſatoribus ſilentium imponis, non eſt qui te accedere vetet, ſi ſola intraueris vacua non redibis, magis crucias Diabolum quàm pœna infernalis. Quid plura? Vincis inuincibilem, ligas omnipotentem, Virginis filij, animum ad miſericordiam inclinas. Ex his verbis S. Hieron: ad ſurgendum à peccato lachrymas pœnitentis, initium eſſe conſidero, medium, dilectio DEI, finis perſeuerantia. Sic enim ſuper niuem dealbabitur. Hoc eſt inter innocentes & ſupra innocentes, collocabitur. *Delectare in Domino & dabit tibi petitiones cordis tui*, Pſal: 36.

Lachrymarũ dignitas.

Grad. reſurgendi à peccatis.

Pro neceſſitate 3. Nota. Lectum tollere, eſt carnem à terrenis deſiderijs ad voluptatem ſpiritualem attollere. Greg: Moral: 22. Per lectum voluptas corporis deſignatur. Legitur Iob 33. *Increpat per dolorem in lectulo, & omnia oſſa eius marceſcere facit.* Dicebat ex parte DEI Eliu ad Iob. Si ergò in carne voluptates & in voluptatibus mundi immerſos ita increpat in lecto punitq; DEVS, dum jam ſubleuat inopem & de ſtercore eleuat pauperem, ad ſummam voluptatem ſpiritus, ipſum quoq; attollit. Vt igitur à peccato liberari perfectè poſſis, tolle lectum, hoc eſt recollige te à deſiderijs terrenis, voluptatibus & carne abſtine, & affectus mortifica. Platonici Philoſophi perfectionem

Lectũ voluptates corporis ſignificat.

hominis

Perfectio, in mortificatione corporis.

hominis audi in quo ſtatuebant, ſcilicet. In mortificando, quantum fieri poteſt partem brutam quæ in ipſo eſt (fugiendo & contemnendo voluptates & appetitus malos, omnia bona terrena & materialia in quibus luxuriatur iſta pars, non accipiendo plus de illis quàm extrema requirit viuendi neceſſitas) & in viuendo ſecundum præſcriptum alterius partis, nimirum ſpiritualis & diuinæ quæ ſimiliter in homine eſt. Audi O Chriſtiane & reſponde. Quem magis decet ſic viuere? te, an illum?

Deus magis deſideret nos quam illum nos.

Pro neceſſitate 4. Rabanus. Domum ire, eſt ad Paradiſum redire, vel ad internam ſui cuſtodiam, ne iterum peccet. Deſiderium ſalutis humanæ dum in Deo & in homine conſiderabimus, cogimur dicere, magis deſiderare Devm noſtram ſalutem quàm nos. Mouent me Canticorum vocationes cap: 6. & 2. vbi ſponſus vocat ſponſam, & ſponſa ſponſum. Illa ſemel tantum vocat, *Reuertere, ſimilis eſto dilecte mi capreæ hinnuloq; ſeruorum ſuper montes Bethel.* Ille verò ſponſam quater vocat. *Reuertere, reuertere Sunamitis, reuertere, reuertere vt intueamur te.*

Vocatio ſponſæ vicibus 4. ſponſa ſemel ſolum vocat ſponſum.

Paratus eſt ergò te peccatorem recipere Devs dum tu modo volueris, nam qui creauit te ſine te & tuo medio atq; adiutorio, non poteſt te ſaluare ſine te, id eſt tuo velle, quia liberam tibi conceſſit voluntatem, velle ſcilicet & non velle.

DOMINICA XVII. POST OCT: TRINIT:

Simile eſt regnum cœlorum homini Regi qui fecit nupt: filio ſuo. *Matth: 22.*

QVID INTELLIGITVR PER HOMINEM REGEM?

Homo dicitur Deus Pater.

INtelligitur Devs Pater. Licet enim Pater in diuinis humanitatem non aſſumpſerit, tamen dicitur Pater homo, ob humanitatem id eſt pietatem qua filiorum ſuorum. Id eſt quos creauit in hac vita miſeretur. Proprium enim eſt Dei miſereri & parcere.

Rex dicitur Deus Pater.

Rex quoq; dicitur Devs Pater, quia electos ſuos regit. Pſal: 22. *Dominus regit me & nihil mihi deerit.* Et de ſe dicit Malach: 1. *Rex magnus ego ſum.* Dequo Danielis primis capitibus Nabuchodonoſor teſtatur. *Verè Deus cœli Deus Deorum eſt & Dominus regum, regnum eius regnum ſempiternum, & poteſtas eius poteſtas ſempiterna, juxta voluntatem ſuam facit tam in virtutibus cœli quàm in habitatoribus terræ, & non eſt qui reſiſtat manui eius & dicat ei. Quare hoc feciſti.*

ANNO-

NOTATIO.

CVm ſermo ſit de perſonis diuinis, per Patrem non intelligendum neceſſariò, niſi primam in diuinis perſonā, ſicut per Filium non niſi ſecundam perſonam, Verbum Patris. Clarè tamen Greg: hom:38. de hoc. Tunc autem DEVS Pater DEO Filio nuptias fecit, &c.

Dicitur verò DEVS Pater homo licet perſona ipſius non eſt incarnata quadam diſpenſatione, vt ad homines ceu homo loqueretur, inquit Origenes! Impropria quidem hæc eſt locutio vt quis ex ea homo diceretur, ſed maximi affectus erga hominem DEI Patris imò ſummi amoris eſt ſignum. Ponit Ælianus fabulam lib:16: cap.5. Quomodo nata ſit vpupa & in ſummas delicias veniſſet Regibus Indorum. Erat (inquit) Regi Indorum filius minimus natu quē fratres improbi contempſerant. Cùm verò parentes ſenectute graues contumelioſè ab eis tractarentur, vt improbitatem eorum declinarent, aſſumpto filio minimo diſceſſerunt & fugerunt, ſed laboribus in itinere conſumpti, mortui ſunt. Cineres defunctorum filius ſui capitis in vulnere quod enſe ſibi inflixerat, ſepeliuit. Inſignem hanc filij pietatem conſpicatus & admiratus eſt ſol, puerum in auem formoſam & viuacem conuertit criſta ſuper caput eius erecta. *Hæc ille.* Si fabula partem veri habet, fieri potuit, quòd tanta pietas filij in parentem teſtata permanſerit. Comparando DEI noſtri affectum & amorem erga humanum genus, extincta eſt quæcunq; pietas filiorum in parentes. DEVS enim noſter cum delitias habeat eſſe cum filijs hominum, nedum nos in cerebro id eſt viridi prouidentia ſua conſeruat, ſed vt humano more loquar, in corde, oculis, manibus conſcripſit in perpetuum monumentum. Quocircà & DEVS Pater hominem ſe, ob hominis deſiderium, in Euangelio nominauit. Noſtro igitur modo loquendi, ſicut in DEO eſt latitudo Charitatis quia nos ab errore colligit & continet in veritate: eſt longitudo, quia nos longanimiter malos portat donec emendatos patriæ futuræ reſtituat, eſt altitudo per quam omnem ſenſum ſuæ ſcientiæ immenſitate exuperat, eſt profundum quo damnandos infernis juxta æquitatem diſponens præordinat. Iſidorus de ſummo bono lib: 1. cap: 2. Ita quoq; DEVS Pater diſpenſatiuè & noſtro modo loquendi, homo Rex dicitur.

Deus Pater quomodo homo.

Cineres defuncti in capite.

In Deo noſtro modo loquēdi ſūt lōgitudo &c.

Quid intelligitur per nuptias.

INtelligitur gaudium & glorioſa copula, qua DEI Filius Ieſus Chriſtus Eccleſiæ ſuæ, id eſt congregationi omnium juſtorum quos redemit vnietur in patria. Hæc enim eſt ſponſa filij DEI, quàm ſibi in cruce deſponſauit, qui inclinato capite emiſit ſpiritum quaſi amabile oſculum

Nuptiæ Filii Dei cū Eccleſia.

ſponſæ porrigendo. Hanc copulabit vniuerſaliter & intergraliter finito mundi ſpatio, tunc enim corpora electorum gloria & honore mirabiliter veſtientur. Quis explanabit, quale tunc electi cum Chriſto gaudium habituri ſunt? Apoc: 19. *Vox de throno exiuit ex dixit mihi. Scribe, beati qui ad cænam nuptiarum agni ſunt vocati.*

ADNOTATIONES.

GReg: 38. in Euang: Nuptias fecit, quando filium in vtero Virginis humanæ naturæ copulauit. Sed quia ex duabus perſonis fieri ſolet nuptiarum conjunctio, abſit, vt redemptoris perſonam ex duabus perſonis vnitam eſſe credamus. Securius ergò dicendum, quod ei per Incarnationem S. Eccleſiam ſociauit. Quarum nuptiarum thalamus vterus B: V: fuit. Origenes Coniunctionem Chriſti ad animam per verbi ſuſceptionem intelligit, partus autem ſunt opera. Nuptiæ per patrem factæ, quia talis deſponſatio & coniunctio jam perfecta ſunt in Chriſto.

Nuptiæ tum naturæ & Eccleſiæ & animæ.

Hilarius D: Bern: Non eſt quicquam DEO ſublimius, non eſt vilius luto, ex quo formatus homo. Nihilominùs tanta cum humilitate deſcendit DEVS ad hominem, & cum tanta ſublimitate terra aſcendit ad DEVM, vt quicquid DEVS fecit, id terra feciſſe, & quicquid terra pertulit, id DEVS pertuliſſe dicatur. Quis dixiſſet homini cum nudus erat eiectus è paradiſo maledictus, tempus fore quo hæc vilis ſubſtantia vnietur DEO in vna eademq; perſona? Dicebat omnis. Factus eſt Diabolo ſocius in peccato, eiuſdem erit ſocius in ſupplicio. Dicebat Heliſeus 4. Reg: 5. Accepiſti Giezi argentum & veſtes à Naaman, lepra Naaman adhærebit tibi & ſemini tuo vſq; in ſempiternum. Affectauit quoq; opes Luciferi puta ſuperbiam & ambitionem homo, æquum erat, vt lepra Luciferi id eſt pœna ſuperbiæ inficeretur. Sed reconciliauit nos DEVS ſibi per Filium, vt non ſolum culpam homini ignouerit, in gratiam receperit, ſed tantum ſibi conjunxit, vt nulla major in creatis inueniretur conformitas, nulla major vnitas, quàm ſunt Deitas & humanitas, ſunt enim vnum, nedum in amore & gratia, ſed etiam in Perſona diuina, vt ſicut duo erant ſummè contraria DEVS & peccator, ita ſint ſummè vna, DEVS & homo. Referunt de Antiocho Rege illud laudatum. Cùm vidit ſcipionis Africani à quo ſæpius à finibus imperij pulſus fuerat filium à ſuis interceptum, eum honoratiſſimè excepit, regijsq; muneribus donatum vltrò & celeriter patri remiſit. Verè factum ingens Regis. Majora & inexplicabilia fecit DEVS Pater, cum naturam humanam orbam, damnatam ad pœnas, nedum vltro dimiſit, ſed in perſona verbi vniri voluit & vniuit.

Summa vnitas Dei & hominis.

Quomodo nos vocat ad nuptias.

INuitat per intrinſecam admonitionem; vocat per extrinſecam prædi-

Vocat ad nuptias dupliciter. prædicationem. Dicit ſeruis id eſt prædicatoribus. Dicite inuitatis ecce prandium meum paratum tauri mei & altilia mea occiſa ſunt, & omnia ſunt parata venite ad nuptias. Gaudium ſupernæ patriæ hîc prandium appellat, propter ardentem appetitum quem electi ibi habebunt. Ardentior enim appetitus eſt hominis ad prandium quàm ad cœnam. Si alibi cœna vocatur tale gaudium, hoc finalitas & perpetuitas ſignificatur. Omnibus enim gaudijs elapſis, ſequetur illud quod ſemper permanebit.

ADNOTATIONES.

PRius inuitati quàm vocati, inuitati à tempore Abrahæ cui Chriſti Incarnatio promittebatur. Chry: *Serui vocantur.* Miſit etiam ſeruum Moyſen per quē legem dedit. Miſit ſeruos Prophætas, miſit Apoſtolos, miſit viros Apoſtolicos. *Greg: & Hilarius.* Tanta verò neceſſitas eſt vocationis diuinæ, vt aliter nec per liberum arbitrium, nec per vires humanæ naturæ, & ex filio maledictionis fieri Filius Dei, nec reſurgere ad vitam, nec effugere tyrannidem Diaboli, & multo minùs ad gratiam cum Deo peruenire non poterit. Ioan: 6. *Nemo poteſt venire ad me niſi Pater meus traxerit illum.* Hoc eſt diuinæ potentiæ brachium ſuppoſuerit. D. Thom: in hæc Ioan: verba. Quemadmodum lapis ſua natura ſemper cadit deorſum nec poteſt ſurſum tendere ſine auxilio externo, ſic & homo propter peccati corruptelam quantum in illo eſt, ſemper tendit deorſum, ſcilicet in amorem terrenarum ſi verò eſt eleuandus ad ſupernaturale deſiderium, opus eſt dextera & auxilio cœleſti. *Dei auxilium* Tantùm ergò de neceſſitate vocationis diuinæ tene, quantum malum vides dum te non vocat Deus, vel tu vocatus contemnis venire. Optimè Ariſtot. Tantò rem meliorem & neceſſariam puta, quantò peius eſt illius contrarium. Audi igitur ſuadentem D. Hieron: qui ſuper verba ad Galat: 6. Dum tempus habemus operemur bonum, ait. Dum viuunt homines poſſunt fieri juſti, poſt mortem verò nulla datur boni operis occaſio. *Homo dũ viuit me retur.* Fælix in hoc Zachæus cum Matthæo.

Cur venire debeamus ad nuptias.

RAtio. Quia tauri & altilia ſunt occiſa & quia parata ſunt omnia. Tauri, ſunt Apoſtoli & Mart: qui iugum Domini portauerunt, & aratrum crucis Dominicæ traxerunt, occiſi ſunt & viam nobis ſanguine ad nuptias parauerunt. Altilia ſeu aues domi nutriti, ſunt virgines. Teneræ erant, & tamen pro Domino fortiter paſſæ ſunt. Omnia parata eſſe, nobis SS Confeſſores vita & doctrina ſufficienter oſtenderunt. Sed heu pauci veniunt. *Cur veniendũ ad nuptias.*

ADNOTATIONES.

HIeron: ex carnalibus ſpiritualia intellige, & dogmatum magnitudi- *Tauri & altilia q̃d.*

tudinem. Chryſoſt: Apoſtolis dicendo prædicate, appropinquauit regnum cœlorum. Hoc eſt prandium paraui, menſas ornaui & lege & Prophætarum ſcripturis. Tauri occiſi, Patrum præcedentium morteſaſpicite, & remedia vitæ veſtræ cogitate. Greg: hom: 36. In priori vocatione nîl de tauris dicitur ſed in ſecunda, quia Deus poſt verba adiungit exempla, vt impoſſibile facilius aliorum exemplo tentemus. Omnia parata. Quidquid ad ſalutem quæritur adimpletum eſt, introitus regni paratus per fidem Incarnationis eſt. Pſal: 118. dicit Dauid. *In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum ſicut in omnibus diuitiis.* Si enim parata ſunt omnia à Deo patre, omnes iam ſunt diuitiæ. De ſpiritu S. dicitur quod non ſedet otioſus in anima inquam intrauerit, non ſolum eam ornat, ſanctificat, operatur in illa & cum illa, ſalutem hominis, ſed ſedet ibi vt pater familias in domo ſua, illam gubernans, ſedet vt præceptor in ſchola adminiſtrans illam, ſed ethortulanus in horto colens illa, ſedet vt Rex in regno, regens illum; ſedet tanquam ſol in mundo, illuminans illam, deniq; ſedet tanquam anima in corpore ſuo, dans illi vitam, ſenſum & motum, non quidem vt forma in materia, ſed vt pater familias in domo ſua. Maiora de Deo Patre intelligenda ſunt cum ad nuptias vocat hominem filij ſui, & omnia iam præparauerit, quòd venientes donis maioribus replebit & cum ſacietate ſemper deſiderabili æternis locupletabit delicijs. Animabat Darius quondam ſuos milites. Quàm gloriam accepiſtis à maioribus poſteris relinquatis. In dextris veſtris iam libertatem, opem, ſpem futuri temporis geritis, effugit mortem quisquis contempſerit, timidiſſimum quemq; conſequitur. Et veſtigijs Ducis ſui inſtitit miles. Ecce Deus Pater non ad bellum ſed ad conuiuium; non ad pugnam ſed perpetuam pacem: non ad mortem ſed ad vitam, delicias, æternitatem nos vocat, venite & nolite non venire.

Spirit: S. quid facit in anima.

Ducis ad milites ſer mo.

Quatuor genera hominũ ab his nuptijs recluduntur?

PRimi qui ſimpliciter noluerunt venire. Significantur Gentiles Iudæi & Hæretici. Qui errore perfidiæ obſtinati ſunt, aut qui inexorabiliter alios oderunt. Dicunt, magis volo eſſe in inferno quàm parcere ei.

Secundi & tertij, quia venire neglexerunt vnus in villam abijt, & ſignificat ſuperbum. Hi enim Dominium ſæculi præponunt regno. Alter qui ad negotiationem abijt ſignificat auarum qui propter negotiationes & lucra amittunt poſſeſſionem æterni boni.

Quarti qui ſeruos tenuerunt contumelijs affectos occiderunt, ſignificantur luxurioſi, nam ſi poſſent

prædi-

prædicatores tenerent, occiderent. Luxurioſi enim propria corpora contumelijs afficiunt. ad Rom: 1. *Tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum in immunditiam vt contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis.* Perdet homicidas qui Deum, Animas occiderunt, ciuitatem. id eſt corpus igne ſuccendet.

ADNOTATIONES.

Obſtinati. PRo primis. Clarè de illis Matthæus non habet. Vndè ſequitur *Illi neglexerunt.* quare, ſubditur, *alius iuit ad villam &c.* Tamen clarum eſt aliquos fuiſſe qui noluerunt. Ita enim obſtinati faciunt. Hinc de infidelibus Gregor: 9. Mor: In fideles Chriſtum contumelijs laceſſere non ceſſant. Et Aug: in Sent: Infidelium vita omnis, peccatum eſt. Illorum enim pater Diabolus, mater Babylon: Idem ſap: Pſal: 26. De Iudæis vere Iſidorus de ſum: lib: 1. c. 20. ait: Iudæi ſecundum carnem ſunt filij Abrahæ, ſecundum conuerſationem filij diaboli nuncupantur. Apocal: 2. dicitur. *Eccleſiæ Pergami ſcribe. Habes tenentes doctrinam Balaam & Izabel.* Doctrinam Balaam dicitur habere propter imitationem, non propter præſentiam corporalem. De Hæreticis Lactantius lib: inſtit: 4. c. 30. Nouatiani, Valentiniani, Ariani ſeu quilibet alij nominantur, Chriſtiani eſſe deſierunt, & Chriſti nomine amiſſo, externa vocabula induerunt.

Pro ſecundis. Hilar: Ambitione ſæculi tanquam villa homines occupantur, Tob: 4. *Superbiam nunquam in tuo ſenſu aut in tuo verbo dominari permittas, in ipſo enim initium ſumpſit omnis perditio.* Aug: ad quendam comitem. Humilitas homines ſanctis Angelis ſimiles fecit, & ſuperbia ex Angelis dæmones facit. Chryſoſt: Intuere ſepulchra mortuorum & quære inter illos magnificentiæ iudicia, diuitias, mundi ſolatia, vbi ornamenta, veſtes, deliciæ, voluptates, comitatus familiæ, tranſierunt omnia, & nihil inuenies, niſi cineres, vermes & oſſa putrida. Rectè ſuperbiæ filia vana gloria, monſtrat enim cuiusq; Regis & Monarchæ mors & buſtum omnia vana fuiſſe. Ambitio.

Pro tertijs. Prou: 11. *Non proderunt diuitiæ in die vltionis, iuſtitia autem liberabit à morte.* Greg: hom: 38. in Euang: O miſerrimus mundus & miſeri qui eum ſequuntur. ſemper enim mundalia opera homines excluſerunt à vita. Audite Sacerdotes qui lucri obtentu ad miniſteria templi venitis. Auaritia vos ſeparabit à Deo. 1. Timot: 6. *Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem diaboli & in laqueum, & deſideria multa & inutilia & nociua, quæ mergunt hominem in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas.* Aug: de verbis Domini. Quæ (inquit) eſt iſta auiditas concupiſcentiæ, cum & ipſæ belluæ habeant modum. Tunc enim rapiunt quando eſuriunt, parcunt Auaritia.

cunt verò prædæ cum ſacietatem ſentiunt, ſola auaritia diuitum inſatiabilis eſt, ſemper rapit, & nunquam ſatiatur, neq; Deum timet, neq; hominem reueretur, neque patri parcit, neq; matrem agnoſcit, nec fratri obtemperat, nec amico fidem ſeruat.

Pro vltimis nota. Chryſoſt: ſup: Matth: De ſua morte Chriſtus in ſuperiori parabola dixerat, hîc de morte ſeruorum ſuorum Stephano & Iacobo Alphei, dicit. Luxuriam verò occiſorem nominat, quia peccatum hoc ſine ſcandalo & præ iudicio multorum non committitur. Aug: Experto crede, expertus loquor coram Dei non mentior, cædros Libani, duces gregum ſub hac peſte luxuriæ cecidiſſe reperi, de quorum caſu non magis ſuſpicabar quàm de Ambroſij & Hieron: impudica turpitudine. Ergò benignus lector fugiat omnem ſuſpectam ſocietatem fæminarum, videre enim illas, obeſt cordi; audire inflammat animum; tangere ſtimulat carnem, omne deniq; quod cum fæminis agitur, laqueus eſt homini cum illis conuerſanti. Concludam. Omne animi vitium tantò conſpectius in ſe crimen habet, quantò maior qui peccat habetur.

Luxuria.

Qui ſunt illi in exitibus viarum qui ad Nuptias venerunt.

QVi ſe credunt quotidie morituros. Tales enim digni Nuptijs, nam mori cogitantes ſunt continentes, patientes, obedientes, nituntur ſeipſos per veram contritionem, confeſſionem, à peccatorum maculis expiare, non negligunt Eleemoſynas, orationes, bona opera quæ veſtis Nuptialis ſunt.

Mortis cogitatio.

ADNOTATIO.

CVm homine Chriſtiano loquitur B. Alb: Mag: ideò mortis cogitationem ponit. Hieron: Gentilem populum non fuiſſe in vijs dicit. Chryſoſt: ſuper Matth, profeſſiones mundi Philoſophiam, militiam exitus viarum vocat. Greg: Defectus actionem vocat. Quod verò ad memoriam mortis ſpectat, habet Iſidorus lib: 3. cap: 66. de ſum: Solicite debet vnusquiſq; viuere & ſemper terminum vitæ ſuæ conſiderare, vt de contemplatione illius, animus ſe ſemper ad alta ſuſtollat, & huius ſæculi blanditias cum timore caueat. Scriptum eſt enim. *In omnibus operibus tuis memorare nouiſſima tua & in æternum non peccabis.* Frater Silueſter Ordinis prædic: eximius Theolog: die quadam in ſacro tribunali pænitentiæ ob crimen grauius arguebat pænitentem, compunctus mortem animæ recogitabat, & mox ad pedes confeſſoris vt mortuus corruit. Orauit pro illo confeſſor, adfuit Angelus viſibiliter & cœleſtem liquorem in os adoleſcentis immiſit, & vitæ reſtituit. Vndè confeſſionem proſecutus eſt, ac vitam ſanctiſſime duxit.

Pænitentiæ vires.

Adnu-

Ad nuptias Filij Dei qui nō venerit mala quinq; patietur?

PRimò manuum & pedum colligationē. *Ligatis Manibus &c.* Secūdò præcipitationē. *Mittite eum.* Id eſt proijcite Tertiò. Tenebrarum horrorem. In tenebras exteriores vbi viſio terribilis dæmonum. Quartò, ſuſtinebit æternum fletum, propter ignis acerbitatem. Quintò patietur dentium ſtridorem, ob frigiditatem intollerabilem.

ANNOTATIONES.

PRo Primò malo. Hieron. ſuper verba *ligatis manibus & pedibus.* Per metaphoram membrorum corporalium, Magnitudo oſtenditur tormentorum. Greg: hom: 30. Ligantur manus per diſtrictionem ſententiæ, qui à prauis operibus ligari noluerunt per meliorationem vitæ. Ligat pæna, quos ligauit culpa Ierem: 17. *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor eius, erit enim quaſi myrica in deſerto, & non videbit cum venerit bonum, ſed habitabit in ſiccitate in deſerto, in terra ſalſuginis & inhabitabili.* Baſilius Præcipua arma quibus nos oppugnat diabolus, ſunt noſtra deſideria. Vehemens enim affectio rerum quas concupiſcimus, quærit eas habere ſiue per fas ſiue per nefas, nec quicquam intuetur etiam ſi lege diuina prohibitum ſit, atq; ex tali affectu peccata naſcuntur. Cogita quomodo Iacob primogenita ſua vendiderit, Gen: 27.

Ligna. tio ma[...] nus. *Deſideriorum malū.*

Pro ſecundò malo. Præter hoc quod proijcitur ligatus & in tenebras exteriores, diſcute quomodo proiectus cadit, alliditur, immergitur, recipitur à damnatis & deducitur ad Luciperum contumelioſe ad adorandum & conuiciandum hominem peccatorem. Eccl: 23. ne in manus tanti Tyranni & carnificis traderetur, *Animæ irreuerenti & infrunitæ ne trades me.* Sedebit peccator in tenebris & in vmbra mortis vinctus in mendicitate & ferro. B. Nilus Martyr. Omne opus malum contra nos diabolū armat, armatus verò grauiter cōtra armātes inſurgit.

Proijci in infern.

Pro tertiò malo. Greg: Interiores tenebræ cæcitas cordis, exteriores æternæ noctis damnatio. Chryſoſt: ſunt nouiſſima loci. B. Nilus in ſent: Tropol: Beatus qui voluptates calcat nam coram illo dæmones trement. Videntur enim in vita ceu roſæ auari. voluptuarij &c. verum parumper ſuſtine, & gramen videbis conculcatum. Audi Senecam licet Ethnicum, Maior ſum & ad maiores natus quàm vt ſim carnis meæ mancipium. An non magis te Chriſti ſanguine redemptum & fidelem corpore Chriſti refectum non debere eſſe mancipium carnis & diaboli. Meritò igitur tam duriter detruſus eris B. Iſidorus. In inferno obſcura quædam erit claritas per quā damnati videbuntur, non vt in ea læten-

Tenebræ interiores. *Cur diaboli mancipium eſſe nō debemus.*

lætentur, ſed magis crucientur dum vnus videt alium. Tunc videbunt mali ſecum in pænis cruciari quos in hoc ſæculo amore inordinato dilexerunt, vt luant pænas, & amor carnalis qui amori diuino præferebatur, æquali vindicta in oculis eorum puniatur.

Quomodo pœnitendum. Pro quarto & quinto malo. Hieron: Per fletum oculorum & ſtridorem dentiū per Metaphoram membrorum corporalium, magnitudo oſtenditur tormentorum. Greg: Dentes ſtrideant qui de edacitate gaudebant, oculi defleant qui in illicitis verſabantur, ſingula membra ſupplicio ſubiaceant, quæ ſingulis vitijs ſubiecta ſeruiebant. Erit ibi frigus intollerabile, ignis inextinguibilis, vermis immortalis, fætor intollerabilis, tenebræ palpabiles, flagella cædentium, horrida viſio dæmonum, confuſio peccatorum, habebunt in oculis lachrymas, in dentibus ſtridorem, in naribus fætorem, in ore eiulatus, in gula gemitus, in auribus timores, in manibus & pedibus catenas, in omnibus membris, æternos ignis ardores. *Pænæ inferni.* Apoc: 15. *Manducauerunt linguas ſuas præ dolore, & blaſphemauerunt Deum cœli præ doloribus & vulneribus ſuis.* Miſer ille qui ſua ſe culpa indignum facit iſta gloria.

DOMINICA XVIII. POST OCT: TRINIT:

Domine deſcende priuſquam moriatur filius meus.

QVID INTELLIGITVR PER REGVLVM?

Regulus homo. HOmo intelligitur quilibet enim homo ſub magno & æterno Rege, regulus eſt. ſuſcepit de manu Domini Regnum cordis & quinq; ſenſus ad gubernandum quaſi ſex ciuitates. Populus, ſunt cogitationes, locutiones, operationes. Vndè ad rectè gubernandum ſedere debet in ſolio judicij & diſcutere ſi cogitationes &c. Dignæ cæleſti prœmio vel ſupplicio inferi. Vt illa amplectetur, iſta abijciat. Prou: 20. *Rex qui ſedet in ſolio judicij diſſipat omne malum intuitu ſuo.*

ADNOTATIO.

CHryſoſt: Regulus dicitur, quia exiſtit generis regalis, aut dignitatem aliquam Principatus habet, aut quia ſic vocabatur. Origen: dignitas & officium oſtenditur ipſius, quia ſeruientes illi occurrerunt.

Cur homo regulus. Intelligitur homo per regulum. Nam & inferius in Euang: dicitur, credidit

credidit homo, ſermoni quem illi Iesvs dixit. Regulus profectò homo eſt juxta Theophil: quia ſub orbe lunari digniſſima creatura, & Dominus qui præſit alijs creaturis conſtitutus eſt, & attingit intellectu infimum Angelum. Supremum enim infimi attingit infimum ſupremi. Regulus & in gratia, juxta Pſal: 8. *Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis*, puta non in natura quia Angeli ſunt Spiritus, ſed in gratia, Filij enim Dei nominamur & erimus. Regulus & in gloria, quia Angelorum deiectorum è cœlo occupauit loca homo, imò in quocunq; ordine Angelorum locum obtinet conceſſum, juxta quantitatem fidei & charitatis ſuæ. Aug: Pondus meum amor meus, illo feror quocunq; feror. Hinc Seraphici dicuntur S. Franciſcus & S. Catharina Senenſis, &c. Et in vita S. Thomæ Aquin: legimus S. Aug: dixiſſe. *Thomas mihi par eſt in gloria, Virginali præſtans munditia.* In quo gradus in præmio denotatur.

Pondus hominis amor.

Gubernatio ſenſuum eſt regimen regale. Opera enim illorum ſequentur illos. Iob: 11. *Quaſi meridianus fulgor conſurget tibi ad veſperam, & cum te conſumptum putaris, orieris vt Lucifer.* Explicat Greg: 10. Mor: quanta ſibi claritas maneat, cùm jam occumbere cæperit, agnoſcit. Recogita igitur quòd non eſt ſapientia, non eſt prudentia in hac vita præſtantior, quàm ita omnia ſua diſponere, vt finis lætus ſit & beatus. Ariſt: in Meth: Officium ſapientis eſt, media conuenienter ad finem ſuum dirigere atq; ordinare. Greg: hom: 15. in Euang: ſeruulum pauperem à primena ætate paralyticum refert: qui morti proximus pſalmos pro expectatione exitus decantabat cum alijs. Tandem magno clamore tacere illos jubet dicens. Nunquid non auditis quantæ reſonant laudes in cœlo! Cum aures cordis ad illas laudes intenderet, ſancta anima è carne ſoluta eſt odore ſuauiſſimo carnem replendo. Erat Rex profectò & ſenſus adminiſtrauit digne & ſanctè. Vide etiam annotationem infra.

Gubernatio ſenſuum.

Morti proximus Pſalmos cantat.

Quid per filium intelligitur reguli.

INtell: Spiritus hominis. Cui occaſio & cauſa infirmitatis eſt, ager pinguis quomodo Capharnaum interpretatur. Puta abundantia ſæcularis, & voluptas carnis. De primò Prou: 30. *Diuitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo neceſſaria, ne fortè ſatiatus illiciar ad negandum, & dicam quis eſt Dominus?* Diuites enim in vanitatem cordis incidunt & obliuionem Dei. Apoc: 3. *Diues ſum & locupletatus, & nullius egeo, & neſcit quia ille eſt miſer & pauper, & cæcus & nudus.* Voluptas etiam per peccatum luxuriæ infirmatur. Pſal: 72. *Prodijt quaſi ex adipe iniquitas eius.* Deut: 32. *Incraſſatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit DEVM factorem ſuum, & receſſit à DEO ſalutari ſuo.* Vndè currere debes ad Ieſum & dicere. *Domine deſcende priusquam moriatur filius meus.* Deſcende

ſcende per compaſſionem & miſericordiam.

ADNOTATIO.

ORigenes. Regulus, Abraham filius Iſraëliticum genus qui poſt plenitudinem gentium accedet ſaluandus in fine. Theophil: Regulus eſt omnis homo, non ſolùm quia regi vniuerſorum propinquus ſecundum animam, ſed quia etiam ſuper omnia principatum ſumpſit. Filius eſt mens, febricitat voluptatibus prauis & deſiderijs. Exod: 8. Ægyptij habuerunt pro dijs animalia bruta eaq; adorabant, quod Iſraëlitæ abominationem nominabant, & talia animalia occidebant & verò Deo ſuo immolabant. Eodem modo juſti vocant abominationem Deos huius mundi honores, voluptates, diuitias, & occidunt. 2. Cor: 4. *In omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur; aporiamur ſed non deſtituimur; perſecutionem patimur ſed non derelinquimur, humiliamur ſed non confundimur, deiicimur, ſed non perimus.* Talibus enim eſt Dominus ſolatio. Qui ſperant in Domino aſſument fortitudinem. Aug: lib Confeſſ: cap: 1. Quis ego & qualis ego? Quid non mali ego? Tu autem Domine bonus es & miſericors & dextera tua reſpiciens profunditatem mortis meæ & à fundo cordis mei exhauriens abiſſum corruptionis.

Regulus homo.

Homo malus Deus bonus.

Ad curationem animæ ſeptem horæ requiruntur.

PRima. Hora. Vt recognoſcat quod à Deo ſit creatus.

Secunda. Sciat ad quid ſit creatus.

Tertia. Recolat quæ mandata à ſuò creatore acceperit.

Ad curationẽ animæ.

Quarta. Videat ſi contra aliquod mandatum peccauerit.

Quinta. Peccata deteſtetur.

Sexta. Iudicij futuri memor ſit attente.

Septima. Pro peccatis intimè doleat.

Pro primo Pſal: 99. *Scitote quoniam Dominus ipſe eſt Deus, ipſe fecit nos & non ipſi nos* Deut: 25. *Deum qui te genuit dereliquiſti & oblitus es Domini creatoris tui.* Pro ſecundo. Creatus eſt vt creatori ſuo ſeruiat. Deut: 10. *Iſrael quid Dominus Deus tuus petit à te, niſi vt timeas Dominum Deum & ambules in viis eius & diligas & ſeruias Domino Deo tuo in toto corde tuo & in tota anima tua!* *Pro tertio,* Deut: 4. *Scito & cogita in corde tuo quod Dominus ipſe ſit Deus in cælo ſurſum & non ſit alius. Cuſtodi præcepta eius & mandata, vt bene ſit tibi & filiis tuis poſt te, & permaneas multo tempore ſuper terram quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi.* Et cap: 5. *Non habebis Deos alienos &c.* Pro quarto. *Quicunq; offendit in vno factus eſt omnium reus.* Iacob: 2. Pro quinto: Seneca. Si ſcirem Deos ignoſcituros, homines autem ignoraturos, adeò vile eſt peccatum, quod peccatum dedignaret. Pro Sexto. *Quomodo confunditur fur quando deprehenditur, ſic confuſi ſunt domus Iſraël.* Ierem: 2. De ſeptimo in hodierno Euang. *Hora ſeptima reliquit eum febris.* Si auaritiæ &c

tiæ & luxuriæ. Per auaritiam enim ſpiritus patitur frigus inordinatum, per luxuriam calorem, contritum verò reliquit febris.

ANNOTATIONES.

AD horam 1. Aug: in ſoliloq; cap: 31. Redij ad me, & intraui in me, & aio ad me. Tu quis es? & reſpondi mihi, homo rationalis, mortalis, & incepi dicere. Vndè hoc tale animal & dixi. Tu feciſti me Domine & non ego ipſe me, tu per quem viuo ego & viuunt omnia, & ſine te nihil viuit. Gratias tibi ago per quem viuo ego & omnia. Gratias tibi Plaſmator mi, quia manus tuæ fecerunt me & plaſmauerunt me; Gratias tibi lux mea quia illuminaſti me & inueni te & me. Rectè igitur arguitur Pharao Ezech: 19. *Ecce ego ad te Pharao Rex Ægypti draco magne qui cubas in medio fluminum tuorum & dicis, meus eſt fluuius & ego feci meipſum.* Vniuerſus enim clamitat orbis. Me amore tui creauit, & voluit, vt ego tibi ſeruirem, & tu viciſſim ſeruires illi, qui me tibi & te ſibi creauit. Ergò accipe, redde, caue. Accipe beneficium, redde debitum, caue niſi reddideris ſupplicium.

Deus eſt creator omnium gratia ei refe rendæ.

Ad horam 2. Nota. Tibi non ſolum ea donauit quæ ſuper terram ſunt ſed etiam quæ ſuper cœlos ſunt, imò ſeipſum Dominum cœlorum mille modis ſe donauit. Ipſe tibi datur vt Pater vt tutor, vt ſaluator, vt magiſter, ipſe tuus medicus, ipſe pretium tuæ redemptionis, eſt tibi exemplum, adiutorium, remedium & cuſtodia. Quomodo igitur non ſeruiendum creatori? Oſeæ 11. *Ego quaſi nutritius Ephraim portabam eos in brachijs meis.* Sed heu fortè homo arguetur maximè ingratitudinis. Seneca enumerat gradus ingratitudinis. 1. Beneficia beneficijs non recompenſare. 2. Benefactoris obliuiſci. 3. Malefacere huic qui tibi benefacit. 4: Benefactorem iis ipſis beneficijs quæ accepit offendere, & in iniuriam conuertere. Penſa & reprehende.

Dona Dei homines.

Ad horam 3. *Si vis ad vitam ingredi ſeruata Dei mandata.* Iſa: 3. *Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient verbum poſt tergum, monentis. Hæc eſt via, ambulate in ea & non declinetis neq; ad dexteram neq; ad ſiniſtram.* Hieron: Cibus animæ eſt, die ac nocte in lege Domini meditari, hoc enim exercitio paſcitur intellectus cognitione veritatis, & voluntas dulcedine eius. *Mandata Dei ſeruanda.*

Ad horam 4. Contra præuaricatores dicitur Amos: 9. *Ponam oculos meos ſuper eos in malum & non in bonum.* Et Ezech: 11. *Non paſcã vos, quod moritur moriatur; & quod ſuccidi tur, ſuccidatur & reliqui deuorent vnuſquiſq; carnem proximi ſui.* Obſeruatio mandatorum obedientiam Deo, & perſeuerantiam in bono tribuit. Vnde Pſal: 72. *Vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum.* Si vero de mandatis quis quærit & ea non ſeruat, nunquam cum Deo ſed contra Deum eſt. *Oculi Dei in malũ.*

Gen. 3. *Cur præcepit vobis Deus ne comederetis ex omni ligno paradiſi!* Cuius ſunt verba! inimici Dei. *Gloria, honor & pax omni operanti bonum.* Rom: 2.

Ad horam 5. Nota. Iſa: 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Scilicet deteſtando peccata per quæ offendi & perdidi Deum. Aug: de Medic: Pænitent: Non ſufficere mores in melius commutare & à malefactis recedere, niſi & de his quæ facta ſunt ſatis facias Deo per pænitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium, cooperantibus eleemoſynis. Quæ ſi ſunt pænitenti neceſſaria, conuenienter deteſtatio peccati maximè peccatorem decebit, Deus odit peccatum & peccatorem, tu ergò deteſtare illud & propoſitum habe ampliùs nos peccandi. *Domine reddo quadruplum.* Dicebat Zachæus Luc: 19. Nilus in ſententijs Tropalog: Væ iniuſto ad iudicem enim auſterum & iuſtum legis latorem perget. Væ ſuperbo, nam cum ſepulchrum ingredietur quis nam ſit intelliget. Væ ſcortatori quoniam ſtolla eius nuptialis ſordebit & ex regijs nuptijs turpiter, eijcietur. Propè eſt finis ô piger accingere ad iudicium.

Comu- gare & ſatisfacere de peccatis.

Pro hora 6. Nota. Iſidor: de ſum: lib: 2. c. 13. Benè ſe iudicat iuſtus in hac vita, ne iudicetur à Deo damnatione perpetua. Tunc enim iudicium quiſq; de ſe ſumit quando per dignam pænitentiam ſua praua facta condemnat. *Conuertimini* ergò *& videte, quid ſit inter iuſtum & impium, & inter ſeruientem Deo & non ſeruientem ei.* Malachiæ 3.

Iudicium ſui

Pro hora 7. Nota. ad Hæbr: 10. *Filium Dei conculcauit & ſanguinem teſtamenti pollutum ducit in quo ſanctificatus eſt.* Ille qui toties illum crucifixit operibus ſuis ipſorum Ethnicorum peioribus, quid illi expectandum eſt aliud, quàm cum hora reddendæ rationis venerit, honorem Deo reſtituat, aut tantas det pænas quanta fuit iniuria qua Deum affecit. Quocirca intimè dolendum peccatori, dum maieſtatem Dei offendit vt peccata dimittat; & condemnandum, ex iuſtitia ſaluet, ex miſericordia. Plange igitur paululum in hoc mundo, ne poſtea plangas ſine fine: Humiliare hîc paululum, ne poſtea humilieris vſq; ad tenebras exteriores & flammas gehennæ ſempiternas, quia peccaſti in ſummè Omnipotentem, in ſumme bonum & maximè iuſtum. Cogita quod plurimi pro ſimilibus peccatis quibus tu Deum offendiſti condemnati gemunt in inferis in æternum, & tibi data hæc gratia donec pæniteas & conuertaris, vt redire ad Dominum valeas.

Dolendum de peccatis.

DOMI-

DOMINICA XIX. POST OCT: TRINIT:

Cum cæpiſſet homo Rex rationem ponere cum ſeruis ſuis, oblatus eſt ei vnus qui debebat decem millia talenta. *Matth*: 18.

QVID INTELLIGITVR PER HOMINEM REGEM?

Chriſtus homo Rex. INtelligitur DEI Filius, ſi Ieſus Chriſtus. Io: 11. *Expedit vobis vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat.* Quod ſim Rex Io: 18. Regnum meum non eſt de hoc mundo. In cœlo ergò eſt regnum Ieſu.

ADNOTATIO.

ORigen: Filius DEI ſicut eſt ſapientia, juſtitia, veritas, ita & regnum, non quæ ſunt deorſum, ſed quæ ſurſum, in quorum ſenſibus juſtitia & virtutes regnant, qui facti ſunt cœli; quòd portant imaginem cæleſtis. Quando factus eſt in ſimilitudinem carnis peccati, tunc ſimilis factus eſt homini regi vniens hominem ſibi.

Hic rationem ponet. Vndè Fulg: de Fide ad Pet: Firmiſſimè tene & nullatenus dubites, ideò Chriſtum Filium DEI ad judicandos viuos & mortuos venturum, vt homines quos hîc dono ſuæ gratiæ juſtificat, & perſeuerantiam donat, in ſuo aduentu reſuſtitet & glorificet. Diabolum verò & Angelos eius in ignem æternum à Chriſto eſſe mittendos, vbi nunquam carebunt pœna cum ipſo etiam Diabolos impios & iniquos homines, vt Sap: 2. dicitur. *Imitantur autem eum qui ſunt ex parte illius*. Remig: Etiam Patrem intelligit. Vterq; enim DEVS & Rex.

Cur ad iudicium veniet Deus.

Quid per rationem accipitur.

REſp: Examinatio meritorum. Hanc particulariter facit in morte generaliter faciet in die judicij. Pſal: 16. *Probaſti cor meum & viſitaſti nocte.* Et Sap: 1. *In cogitationibus impij interrogatio eius.* Mætth: 12. *Ex verbis tuis juſtificaberis & condemnaberis* Seneca. Ergo certè velut ille laturus ſententiã de omnibus annis meis, dies venerit, ita me obſeruo & alloquor.

Examé conſcientiæ.

ADNOTATIO.

ORigenes Tract: 6. in 18. cap: Matth: Omnis vitæ noſtræ ratio ponenda eſt à rege, quando nos omnes ante tribunal oportet præſentari.

tari. Nec neceſſarium longum tempus ſuſpiceris, nam volens DEVS ventilare omnium mentes citò omnia, ab omnibus, omni tempore geſta ſingulis quibuscumq; facietin mētē venire, ineffabili quadam virtute. Loquebatur de Babylone Ioan: Apoc: 10. *In vno die venient plagæ eius, mors, & luctus, & fames & igne comburetur, quia fortis eſt Dominus DEVS qui judicabit illam.* Ego exiſtimo plus mali venturum peccatori, cum ſtabit ante judicem ſuum, dum quicquid latet apparebit nec inultum remanebit.

Mala ante iudicē qua veniunt.

Quid exprimitur per illum qui decem millia talenta debebat.

RESP: Transgreſſor decem mandatorum DEI. Cuiuslibet enim transgreſſio pondus habet mille demergens in infernum. Exod: 15. *Submerſi quaſi plumbum in aquis vehementibus*, ſi infernalibus, væ æternum habentibus. Iſa: 24. *Grauat eam iniquitas ſua, & corruet & non adjiciet vt reſurgat.*

Transgreſſor mandatorum Dei.

Primum præceptum. *Non habebis Deos alienos.* Violant qui mulierem, nummum, ventrem cultui & amori DEI præponunt, & qui ſortilegia, incantationes, maleficia faciunt, & qui in eis confidunt.

Secundùm *Non aſſumes*, violant qui periuria committunt & ſine cauſa jurant.

Tertiùm. *Memento.* Violant qui ſine neceſſitate in curribus vadunt, horeas ducunt, ventri, ebrietatibus ..dent.

Quartùm. *Honora.* Qui contra parentes proterui, qui deſpiciunt.

Quintùm. *Non occides.* Violant occiſores, detractores, qui mortem, damnationēm proximo imprecantur.

Sextùm. *Non mechaberis.* Violant fornicatores, adulteri, inceſtuoſi, Sodomitæ.

Septimùm. *Non furtum* Fures, raptores, incendiarij theolonarij, vſurarij, falſarij.

Octauùm. *Non falſum teſtimon:* Violant mali aduocati, innocenter accuſantes, çalumniatores.

Nonùm. *Non concupiſces.* Qui in cogitationibus luxurioſis delectantur, licet non peccent carnaliter.

Decimùm. *Non deſideres.* Violant qui bona proximi contra legem juſtitiæ acquierere deſiderant. Venumdabuntur, id eſt damnabuntur, vxor, id eſt conſcientia, filij, opera, vt perſoluat in pœna commiſit in culpa.

ADNOTATIONES.

AVg: de Verbis Dom: Quia lex in decem præceptis commendatur, ille decem millia debebat talentorum, peccata ſunt. Remigius. Homo ſua voluntate & ſponte peccans, ſuo conatu ſurgere non valet, non habet vndè reddat, nil in ſe inuenit per quod ſe à peççato ſoluat. Subſcripſerat quidam diamento. *NIL NASCI OBFVIT LVTO.* Hoc eſt in luto. Si tam ſplendidum & pretioſum eſt. Me hercule nil obfuit homini licet de limo terræ creatus fuerat, ſi in me-

ſi in medio paradiſi conſtitutus, ſi ſocius Angelorum, ſi amicus Dei fuiſſet, ſed obfuit inobedientia, gula, mendacium. Ita data præcepta non obſtabant homini, ſed admonebant ſerio, imò coadjutorem Devm & cooperatorem promittebant, ſed obſtitit voluntas mala, praui affectus, obliuio mandatorum Dei. Cùm ad paradiſum eiectis primis parentibus noſtris poſuerit Dominus Angelum cum gladio vt cuſtodiret illum, dic quæſo rationem? Non propter hominem, quia vſq; modo nullus illuc intrauit hominum, imò & locus ignoratur; non propter primos parentes, nam eiecti & nudi, vmbram ſuam nedum minantem Dominum & paradiſum exhorrebant. Quid ergò? inſinuabat Dominus, vt homo per naturale lumen & legem ſcriptũ paradiſum in cœlis quæreret, & non in terra delicias appeteret. Omnis enim dulcedo carnis in amaritudinem finit. Vndè in Euang: Matth: 6. *Nolite vobis theſauriſare theſaurum in terra: theſauriſate autem vobis theſauros in cœlo.* Climacus deſcripſit media vitæ optimæ. Amare Devm. Illè autem verè amat, qui voluntatem eius ſequitur, pro ipſa mala pati non recuſat, areſcit quando vultum eius non videt, in domus cuſtodia aſſiduus permanet, amicos eius obſeruat, & generoſo animo nihil à Domino ſuo adeò celatum & ſeiunctum habet, quod eius eſſe nolit. Quod homo naſcatur ſine vſu rationis, inquit Seneca, ſtratagema naturæ eſſe. Quod? An quia tēdit de imperfecto ad perfectum, an vt non noſcat miſerias mundi ad quas natus eſt? Non, nam & anima perfecta infuſa in embrionem, nullam perfectionem acquirit ſuam per corpus, niſi exercitium per inſtrumentum corporis; & natus homo, ſtatim miſerias perſentit, dum in fletum mouetur, ſed ſtratagema eſt naturæ naturarum Dei, vt ſicut colligatis affectibus nemini noces ligatis ſenſibus, nullum offendis, vſu rationis conſtrictò ſuperba non meditaris; ita te viuere ſemper in mundo neceſſe eſt, vt nec tibi nec proximo nec Deo poſt ſacrum baptiſma tuum, nocere valeas. Iſidorus de Sum: bono lib: 1. cap: 10. Fieri neceſſe eſt, quod Devs naturis inſeruit, fieri impoſſibile, quod extra curſum inditum naturarum. Mandata Dei ſeruare neceſſe eſt homini, non ex natura, nam homini benefacere his qui ſe oderunt, vel orare pro inimicis, graue ex natura eſt, ſed neceſſe eſt ex præcepto diuino, tanquam creaturæ, filio & ſeruo, Creator Pater & Dominus mandauit. Nec graue amanti Devm. *Omnia poſſum in eo qui me confortat,* dicebat Apoſtolus, Philip: 4.

Homo cur ſine vſu rationis naſcitur.

Quid facere debet debitor, vt illi debitum dimittatur.

Reſp: Tria. 1. Vt coram Domino ſe proſternat. *Procidens ſeruus &c.* 2. Vt neglecta & facta corrigat. *Rogabat*

Debitur dimittitur propter tria.

bat dicens, Patientiam &c. 3. Vt proximo ſuo & corde dimittat. Procidere eſt pronus cadere, corpus, caput, manus, pedes proſternere, & hoc fit per veram contritionem, nam totum corpus offert ad pœnitentiam. Promittere, eſt mala emendare per ſatisfactionem. *Reddam.* Si permiſeris me viuere. Dimittere proximo ita neceſſarium, vt iſte debitor per hoc ſuccubuerit. *Sic pater cæleſtis faciet ſi non remiſeritis.*

ADNOTATIONES.

CHryſoſt: Durè loquebatur contra debitorem, vt illum commoueret ad petendum. Vbi autem ſupplex petijt dilationem temporis, ille ex ſuperabundantia pietatis dimiſit illi totum debitum. Remig: Larga miſericordia & clementia eſt DEI erga peccatores conuerſos, quia ipſe ſemper paratus eſt per baptiſmum aut per pœnitentiam peccata dimittere. Ezech: 34. *Et ſcient quia ego Dominus, cùm contriuero catenas jugi eorum, & eruero eos de manu imperantium ſibi.* Ergò procide ante Dominum, & pete. Vide quid dicat Boet: ſi ab homine bonitatem auferas, erit beſtia. Ariſt: addit. Eſt beſtia peior. Et Pſal: 48. *Comparatus eſt jumentis & ſimilis factus eſt illis.* Si allata ab homine bonitate naturali homo eſt beſtia quid dicendum, ſi ab illo bonitas eſſentialis DEVS ablatus erit? Verè peior erit beſtia. *Noluit intelligere vt benè ageret*, Pſal: 35. Ergò procide ante Dominum. *Vtinam attendiſſes mandata mea, facta fuiſſet vt flumen pax tua & juſtitia tua ſicut gurgites maris*, Iſaiæ 48. Proſtratis ante Dominum cum veritate & humilitate, reſtituitur tale promiſſum. Pſal: 144. *Prope eſt Dominus inuocantibus eum, inuocantibus eum in veritate.*

Bonitas ab homine ſepar quod malum

Pro: 2. *Repleatur os meum laude vt cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam.* Pſal: 70. Vbi D. Aug: Tota die id eſt, ſine intermiſſione, in proſperis, quia conſolaris; in aduerſis, quia corrigis; antequam eſſem, quia feciſti; cum eſſem, quia ſalutem dediſti; cum peccaſſem, quia ignouiſti; cum conuerſus eſſem, quia adiuuiſti; cum perſeueraſſem, quia coronaſti. Sciebat hîc corrigere facta, reparare neglecta. Eccl: 18. *Ante languorem adhibe medicinam.* Si ad præſeruationem ſalutis medicina oportuna, diſſoluit enim humores temperat qualitates, multò magis neceſſaria in languore & poſt languorem, nam reſtitutio ſanitatis ſequitur, debilitatio arcetur. Quid igitur de peccato, languore animæ, periculo mortis cogitandum venit, niſi adhibueris citò medicinam & medicum vitæ, morte æterna morieris. Accipe cautellam ab Iſid: lib: 2. cap: 13. Ille pœnitentiam digne agit qui ſic præterita mala deplorat, vt futura iterum non committat. Nam qui plangit peccatum & iterum committit peccatum, quaſi quis lauet laterem crudum, quem quantò magis lauerit, tantò amplius lutum fecit.

Laudādus Deus ſine interm

Pœnitentia

Pro 3. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur*, Matth: 5. Adoni

doni Iebech digiti ab hoſte abſciſi. Et ille ſicut alijs feci, ita mihi factum Judic: 6. Maximè verò non dignus miſericordiâ qui nec in proximum habet, nec in ſeipſum. Bern: in ſerm: paruis. Devs duos pedes habet, miſericordiam & judicium, & neutrum ſolùm apprehendere debemus, juſtitia ſiquidem ſine miſericordia non ita facit timere, quàm miſericordia ſine juſtitia facit homines in mala vita perſeuerare. Sed arguitur vita illius mala ex hoc quia erat immiſericors, nam Iſid: lib: 3. cap: 64. dicit. Nullus in alio miſericors eſſe poteſt,

Miſeri cordia miſeri. cordis.

qui praue viuendo in ſe miſericors non eſt. Socrates cum animaduertiſſet quendam nobilem juuenem diuitem ſed indoctum exſculptum ſuper lapidem dixit illi. Tu vt tibi lapis ſimilis fieret curaſti, at ipſe ne lapidi ſimilis fieres, non curas. Voluit nos Devs habere ſimiles ſibi, quibus & imaginem impreſſit. Vult Eccleſia habere ſimiles quoq; ſibi, ſanctos & miſericordes, itaq; non in tapide ſed in corde, non in verbis, ſed in re, affectu & effectu miſericordes & ſancti curemus & eſſe & fieri.

Lapis ſimilis hominis.

DOMINICA XX. POST OCT: TRINIT:

Magiſter ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo. *Matth: 22.*

QVIS SIT ISTE MAGISTER?

Reſp. Ieſus Chriſtus Io: 11. *Magiſter adeſt & vocat te*, Io: 13. *Vos vocatis me magiſter & Domine & bene dicitis ſum etenim.* Appellatur Magiſter quia nos docet quadrupliciter. 1. Docet per internam inſpirationem. Eccl: 3. *Sapientia.* Id eſt Chriſtus. *Filijs ſuis.* Id eſt eos quos creauit. *Vitam inſpirat.* Id eſt æternam, *& ſuſcipit exquirentes ſe.* Cauete igitur, ne, cum vocem audierimus obduremus corda noſtra. 2. Docet per Angelos. Zach: 4. *Angelus qui loquebatur in me, ſuſcitauit me, quaſi virum qui ſuſcitatur à ſomno.* Vt cuſtodes de ſomno pigritiæ nos ſuſcitant ad ſeruitium creatoris. 3. Docet per homines. Id eſt Sacerdotes, Prædicatores &c. Luc: 10. *Qui vos audit me audit, qui vos ſpernit me ſpernit.* 4. Docet per creaturas. Iob 12. *Interoga jumenta, & docebunt te & volatilia cœli & judicabunt tibi. Loquere terræ & reſpondebit tibi & narrabunt piſces maris.* Iumenta quaſi iuuamenta, quia nos in laboribus adiuuant, monent nos vt in noſtris neceſſitatibus nobis ſubueniamus. Ad Gal: 1. *Alter alterius onera*

Magiſter Chriſtus quadruplex.

onera portate & ſic adimplebitis legem Chriſti. Volatilia quæ volatu petunt ſublimia, docent deſiderij ſublimitatem. Ad Coloſſ: 3. *Quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt, &c.* Terra quæ etiam pecudum teritur pedibus, docent humilitatem & obedientiam. 1. Pet: 2. *Serui ſubditi eſtote in omni timore Dominis veſtris.* Piſces in amaro mari qui tunduntur fluctibus, docent patientiam. Iacob: 1. *Omne gaudium exiſtimate cum intentiones varias incideritis ſcientes, quod probatio fidei veſtræ patientiam operatur. Patientia autem opus perfectum habet.*

ANNOTATIO.

GLoſa. Aliquis veritatem non docet, quia veritatem non nouit, non amat. Sed Chriſtus Magiſter verax nouit, aliqui norunt ſed non pure anunciant. Sed Chriſtus in veritate docet, aliqui tacent: ex timore vel amore alicuius, non ſic Chriſtus, non reſpicit perſonam. *Veritatem q. non docent.* Iſidorus de ſum: lib: 3. cap: 36. Omnis vtilis doctor plebibus ſubiectis, ita ſe præſtare debet atq; inſiſtere doctrinæ, vt quantò claret verbo, tanto clareſcat & merito. Nedum igitur Chriſtus bonus Magiſter, ſed per ſe, per Angelos, per creaturas docet, vt probet homo ſuum proprium eſſe verumq; Magiſtrum. Voluit nedum vtiter doctrinam proferre, ſed etiam efficaciter adimplere. Idcirco per ſe & alios docuit. Liuius Dec: 1. lib: 1. Romulus in Capitalio ſtatuam Iouis ſtatoris poſito in manum regimento, erexerat, vt ſcilicet Romanum orbem nouum fulciret, Sempronius Conſul conſequentibus annis ad latus ipſius Vulcani poſuit quoq; figuram qui Iouis ſceptrum in inſignia Neptuni tridentem, in clauam Herculis in Martis inſigne, in Mercurij Virgini transformabat, & ſubſcripſit. ET VOS FVLCIVNTO. Gentilis conſideratio, idcirca vana. Fulcrum Eccleſiæ militantis, totaq; ratio ſpei Chriſtianæ, vera & in fallibilis eſt doctrina Ieſu Chriſti, Magiſtri æterni, qui viam Dei in veritate docet. Et eo magis fulcrum, quia ille qui docet eſt via, veritas & vita, eſt iuſtitia, fortitudo & retributio noſtra. De illius doctrina. *Fulcrum regni nostri.* Prou: 24. *Comede fili mi mel quia bonum eſt, & fauum dulciſſimum gutturi tuo.* Sic & doctrina ſapientiæ animæ tuæ, quàm cum inueneris, habebis in nouiſſimis ſpem, & ſpes tua non peribit,

Quæ veritas ab eo diſcitur.

PRima. Quod non ſuperbus, ſed humiles intraturus ſit in regno cœlorum. Matth: 23. *Niſi conuerſi fueritis* ſcilicet à ſuperbia, *ſicut paruuli* ſi citaret humiles, *non intrabitis in regnum cœlorum.* Marito. Complexans eos & imponens manus ſuper eos benedicebat eos. Impoſuit manus benedicendo vt ſint Reges & Sacerdotes in regno ſuo. *Intrabunt in cœlum*

Secunda.

Secunda. Quod pauperes intrabunt in regnum cœlorum, diuites difficilem imò impoſſibilem introitum habent. Matth: 10. Filioli quam difficile eſt confidentes in pecunijs in regnum cœlorum introire. *Facilius eſt per foramen acus camelum tranſire.* Nota Diues qui male acquiſiuit diuitias, vel ex illicitis habet, plùs in illis quàm in Deo fidit, vel tenaciter tenet.

Tertia. Tantum mundus intrabit in regnum cœlorum, Matth: 19 *Sunt Eunuchi qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum Dei. Qui poteſt capere capiat.* Caſtrare eſt ſe caſtitati conſecrare. Caſtitatis verò gradus tres, coniugalitatis, vidualitatis & virginitatis. Sap: 7. *Nil coinquinatum introibit in illam.*

ANNOTATIO.
Ad 1. veritatem.

DEVS *ſuperbis reſiſtit humilibus autem dat gratiam.* Iacob: 4. *Qui ſe exaltauerit humiliabitur.* Luc: 14. Et è contra, Caſſidorus ſuper Miſere. Tunc incipit adeſſe virtus diuina, quando incipit deficere præſumptio humana. Nam abominatio Domini eſt omnis arrogans: Vide ſuperbiam Domitiani, Suetonius dicit Dominum & Deum ſe in literis ponebat. Vide Calligulæ, inter medios Deos ſtabat ad adorandum, quid de Herode Antiocho dicemus? Suſtulit hanc abominationem Dominis diris ſupplicijs è vita, durioribus afflicturis malis in æuiternum & æternum. *Arrogantia tua decepit te & ſuperbia cordis tui.* Ierem: 40. De Rege Parthorum habet Poſſidonius quòd tanta ſuperbia elatus fuerit, vt amicos vocaſſet ad cænam, humi ſedere neceſſum ipſos Rex verò in ſublimi in lecto recumbebat, vbi dum cænabat, proijciebatur ab eo vt canibus cõuiuis & amicis, & ſæpè ob leuem cauſam virgis cædebantur, qui cruore obliti tanquam beneficio accepto gratias agebant & Regem proni adorabant. Graue id pati ad menſam & amico. Verum ſi iuſtitiam diuinã ſpectes, eos, quos ſuperbiæ ante ſignano ob ſuperbiam tradat, maioribus in comparabiliter afficientur pænis. Merito enim qui in vita oblitus fuerat Dei, poſt mortem obliuiſcatur à Deo. Et qui ſe ipſum neſciebat in vita, poſt mortem ſciat ſemetipſum in condemnatione. Humilis igitur accipit cœlum, ſuperbus infernum, illi dicitur. *Amice aſcende ſuperius*, huic verò, ſtulte, deſcende inferius. Iſid: de ſum: lib: 2. cap: 38. Omnis ſuperbia tantò in imò iacet, quantò in altum ſe erigit, tantoq; profundiùs labitur, quantò excelſiùs eleuatur. Qui enim per propriam ſuperbiam, attollitur per Dei iuſtitiam inclinatur.

Ad Secundam veritatem. Nota. Confirmauit hoc Lazarus pauper ad Abrahæ ſinum, diues autem ſepultus in inferno. Et Pauperibus ſpiritu mundano in Euang: regnum cœlorum adſcribitur. Luc: 6. Hinc B. Ni-

B. Nilus. Paupertatem incuſare noli, immobilem legis athletam conſtituit: Fit ex paupertate mundanorum, indigena Angelorum & ſpirituum. P.al: 16. *Propter verba labiorum tuorum, ego cuſtodiui vias duras.* Dic velim quæ durior via, diuitis an pauperis? Nulla eſt durior via quàm diuitum, qui ob opes vitam amittunt & fortunam, ſitim, famem pericula ſubeunt, pauper verò ægeſtatem ipſam patitur, panis, veſtis, domus. Vnde Menander, ſi negligens ſis diues, euades inops. Sed attende duplicem paupertatē de qua D. Thō: Opuſc: 19. cap: 17. Mendicitas eſt duplex, coacta & voluntaria. Coacta mendicitas quia contra voluntatem eſt, periculum impatientiæ habet annexum. Voluntaria autem, quæ non excupiditate procedit, humilitatis meritum habet adiunctum. Voluntarij igitur pauperis jugum durum; viæ duræ. Nam facultates licet habeat, viuit tamen quaſi non habens, laborat enim non vt ipſe vtatur illis, ſed vt in pauperes eroget, & ipſe egeat, pro quali progreſſu, ſi irridetur ægens factus, improperatur, non ægrè fert nec maledicit ſed pro illis orat & benè præcatur. Exequitur illud Pſal: *Propter verba labiorum tuorum, ego cuſtodiui vias duras,* Pſalm: 16. Præcepta ſcilicet & conſilia. Duras vocant vias pauperes voluntarij non ratione gratiæ, quia ſic dulces & leuiſſimæ illis viæ ſunt; *Ero eis quaſi exaltans jugum ſuper maxillas eorum,* Oſeæ 11. Exaltans (inquit) id eſt alleuians, ſuſtinens, eleuans. Duræ verò ſunt, ratione naturæ, quæ pati refugit.

Mendicitas duplex

Ad Tertiam veritatem Nota. Si vtilitatem non vniuerſi, ſed propriam hominis ſpectabimus, dicet Apoſt: 1. Cor: 7. *Bonum eſt homini mulierem non tangere: & beatior erit ſi ſic permanſerit.* Indè conſtat quod vtilitas hæc ſit ad conſecutionem cœli, ad quod nullus coinquinatus intrabit. Aug: Epiſt: 89: q: 2. Iubet DEVS continentiam, & dat continentiam, jubet per legem dat per gratiam, jubet per litteram dat per ſpiritum. Et lib: 6. Confeſſ: Putabam me miſerum forè nimis ſi fæminæ priuarer amplexibus, & medicinam miſericordiæ tuæ, ad eandem infirmitatem ſatiandam non cogitabam, quia expertus non eram & propriarum virium credebam eſſe continentiam quarum mihi non eram conſcius, cum tam ſtultus eſſem & neſcirem ſicut ſcriptum eſt, neminem poſſe eſſe continentem, niſi dederis. Vtique dares, ſi gemitu interno pulſaſem aures tuas. Orauit pro caſtitate S. Thom: Aqui, & cingulo continentiæ præcinctus fuit. Euphemia Nobilis, Virgo caſtitatem DEo vouerat, ſed parentes inuitam matrimonio jungebant, illa capellam ingreſſa naſum & labia ſibi præſcidit, poſt ſeptennium nocte Natiuitatis Domini oranti naſus & labia reſtituta ſunt. Et ſtabulum in quo orabat in Monaſterium Monialium conuerſum fuit. Spec: exemplorum diſt: 9. Num: 22.

Continentia à Deo

Caſtitas

Quæ via

Quæ via Dei à Chriſto docetur.

Iuſtitiæ via. RESp: Via iuſtitiæ. Reddite quæ ſunt Ceſaris Ceſori & quæ Dei Deo. Ad Rom: 13 *Reddite omnibus debita cui tributū tributum, cui vectigal vectigal, cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.* Aug: Non remittitur peccatum niſi reſtituatur ablatum; Deo verò reddere debemus omnium poſſeſſionū noſtrarum decimam, & corpus & animum. Ab illo enim hæc data ſunt nobis.

ANNOTATIO.

Initiū viæ bonæ. INitium viæ bonæ, facere iuſtitiam, accepta eſt autem apud Deum magis, quam imolare hoſtias. Prou: 16. Intelligitur per iuſtitiam pietas & honeſtas in vniuerſum, aut miſericordia & Eleemoſyna. Euripides. Iuſtitiæ eſt diſtributiuum eſſe eius, quòd ſecundum cuiuſq; dignitatem eſt, & tueri patrias conſuetudines & inſtituta, & ſeruare ſcripras, leges, & veridicum eſſe in controuerſijs, & ſtare conuentionibus, ſectatur autem iuſtitiam, & ſanctitas & veritas, & vitiorum odium. Multa pulchra & neceſſaria poſuit de iuſtitia, ſed non attigit ſcopum. Audi Chriſtum dicentem, *Reddite quæ ſunt Ceſaris Ceſari & quæ Dei Deo.* Hæc eſt vera via, & via DEI. Quia radix vitæ, inquit Chryſoſt: Et ab ipſa iuſtitia DEO, eſt explicata dicta via iuſtitiæ. Iuſtitiam Pittaci Mitylenæi perluſtrare licebit. Hic dum ciuium amore imperium ſuſcepit Mitylenæum, poſtquàm bellum de Sygæo cum Athenienſibus finiuit, & pacem genti reddidit, refert Val: Max: lib: 6. cap: 5. Depoſuit Dominium, nec ablatam partem recuperati agri voluit recipere, ſed dicebat. Deforme eſt virtutis gloriam magnitudine prædæ minuere. Ponderata ſententia, ſeu adiungenda dignè hæc altera ipſi. Iuſtitiæ præmiū, Deus.

Victor laude dignus.

De quo cura eſt Deo, & quam reſpicit perſonam.

Pauperis vita ſua à Deo. NOn dat abundantiam temporalem & potentiam ſæcularem eo magis gratiam & gloriam, ad reſpectum perſonæ, ſed ad merita, quæ ſcilicet ex humilitate ſunt. *Ad quem reſpiciam niſi ad pauperculum & contritum ſpiritu & trementem ſermones meos.* Iſa: 66.

ANNOTATIO.

QVos curet reſpiciatq; DEVS inſinuatur Prou: 4. *Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos & omnes viæ tuæ ſtabilientur.* Cum enim oculi indices ſint animi, conſequenter iuſtitiæ morum & pietatis erunt. Baſilius, Dux præuius, & prænuntius animi oculorum iactus eſt, Si ergò oculi recta videant, non inficientur obliquis, mundanis, & tetris coloribus, ſed cæleſtia & diuina contemplabuntur, vndè magna in animo emolumenta ſuccreſcent, Palpebræ cuſtodes ſint greſſus tui, Oculi indices animi.

vt Dominum aſpicias & Deus te videat. Dulce lumen & delectabile eſt oculis videre ſolem. Ecl: 11. Quam verius videre Deum. Videbis ſi te videbit, videbit verò, ſi tu ipſum videre deſideraueris, tunc verò deſiderabis, ſi pauperculus, contritus ſpiritu, & tremens ad ſermones ipſius fueris, Eccl: 35. *Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit & non diſcedet donec altiſſimus aſpiciat.* Tirannes Armenorum Rex deuictus à Pompeio, ad pedes victoris coronam regalem & gladium depoſuit humilis, & Pompeius. Non triſteris, eris amicus Senatus Populiq; Romani. Reſperit contritum & humilem, Benigniores ſunt oculi Dei ad pauperculum & trementem Dei ſermones, quia ipſe eſt miſericordia & conſolatio pauperum, non verbo, ſed affectu. Iupiter mihi auxiliator, non metuo. Dicebat Eurip: *Corona regalis ante vi ctoris.*

DOMINICA XXI. POST OCT: TRINIT:

Hic B. Albertus Mag: inſtituit ſermonem de quinq; panibus hordeaceis & duobus piſcibus De quo Ioan: 6. & Marci 6. Sed quia nunc Eccleſia S. legit Euang: de Principe adorante pro filia Chriſtum, de quo Matth: 9. illud autem Euang: de quinq; panibus legit Dominica 4. Quadrageſ loco iſto, dicemus de Principe, & ſic conſequenter Euãg: quæ nunc in Eccleſia Dominicis diebus leguntur proſequemur, alligãdo nos ad modum diſpoſitionis B. Alberti magni.

Acceſſit, adorabat eum dicens: Filia mea mortua, veni impone manum, ſurrexit & ſequebatur eum. *Matth: 9.*

QVIS ERAT ISTE PRINCEPS?

TRia de Perſona hominis ad quæſtionem quis eſt reſpondenda veniunt. Nomen perſonæ, religio & officium. Si nomen quærimus Principis, erat Iairus. Lucæ 9. Auguſt: Quando iſte Iairus è domo receſſit iam erat filia in extremis. Si religionem inueſtigamus, erat Synagogæ obſeruans, imò erat in Synagoga primus. Et Archiſynagogus vt idem S. Aug: dicit, Si officium Princeps erat, & in ſynagoga & extra Synagogam fortè. Sed in ſynagoga quia erat ſummus ſacerdos ſicut Epiſcopus vel Archiepiſcopus, *Quod nomen principis.*

Princeps

Princeps dicebatur. Ita B. Albertus Magnus ſuper 8. caput Matth: exponit. Inde Archiſynagogus à S S. Patribus vocatur.

ANNOTATIO.

GEn: 23. *Princeps Dei es.* Locuti ſunt Filij Heth ad Abracham in terra Chanaan. Profectò Iairus Princeps Dei fuit. Nam & nomē eius interpretatur illuminans vel illuminatus. Dabat lumen alijs. Principis enim eſt iura & cōdere & alijs præcipere & alios per verba & exēpla ad honeſta ducere. Accipiebat verò lumē à Chriſto, iam tanquā ſupremus Princeps in ſynagoga, cognoſcebat quod in ſacrificijs & Sacramentis ſynagogæ ceſſauerat virtus curationū, *Nihil ad perfectum adduxit lex.* Heb: 7. ideò ad Chriſtum curatorem mirandum Sanctumq; acceſſit. Erat Princeps Dei & ex officio, quia Synagogæ ſummus Princeps, & verè ſeſe per adorationem ſubdiderat Chriſto, ita quod dicerent famuli. Noli vexare Magiſtrum, ille verò puram intentionem exponebat in fide & petitione Clarum eſt quod ille Archiſynagogus de quo Matth: 13. dicitur, quòd indignans dixerit Chriſto, quòd Sabbato curaſſet. *Sex dies ſunt in quibus oportet operari, in his venite & curamini, & non in die Sabbati,* Calumniatorem & Hypocritam fuiſſe. At hunc virum ſapientem & illuminatum conſtat extitiſſe. Non poteſt de illo dici Amos 6. *Væ vobis qui opulenti eſtis in Syon optimates capita populorum, ingredientes pompatice domum Iſrael.* Tam enim hîc ad pedes ſeſe inclinauit curatoris animæ ſuæ & ſalutis filiæ. Vndè inquit Lucas cecidit ad pedes Ieſu. & audiuit. *Noli timere crede tantum & ſalua erit.* Aug: Tract: 3. in 1. Ioan: Magnum Sacramentum, ſonus verborum aures percutit magiſter intus eſt, Cathedram in cælo habet, qui corda docet. Cauſinus in Symb: de herba Chryſopole creſcente in Pactolo refert, quod aurum purum ab adulterino illius medio incolæ diſcernant. Cum enim aurum conflatur admouent herbam & folia ſi adulterinum non fuerit aurum inaurantur. Penes autorem fides. Sed quod ad virtutem Chriſti attinet, vbi homo ad verba illius inclinauerit purum cor atq; voluntatem ſinceram, ſentiet intus Magiſtrum. *Neſcit enim tarda molumina Spiritus Sancti gratia.* Figuram verò fuiſſe hunc Archiſynagogum, Archiepiſcoporum & Epiſcoporum, nullus eſt qui ambiget, illorum enim eſt: eſſe illuminantes & illuminatos, quibusquoq; dudum eſt manus imponere infirmis vt bene habeant, & viuant, fide illorum ſcilicet accedente, crede tantum & ſalua erit.

Margin notes: Princeps Dei. — Cathedra in cælo. — Figura Epiſcoporum.

Cur venire & imponere manum petijt. Vt viuat.

GEn: 24. *Rebecca petiuit. Ingredere benedicte Domini, cur foris ſtas?* Myſterium Ioan: expoſuit. Verbum caro factum eſt & tabernaculo manſit in nobis,

nobis, vt addidit B: Alb: Magnus ſuper octauum Lucæ. Impoſitio verò manus Pſalmo 143. adducitur. *Emitte manum tuam de alto & eripe me de aquis multis & de manu filiorum alienorum.* Aquæ ſunt tribulationes, manus alienorum ſunt manus mortis. Petijt ergo vt veniat, manum imponat, & reſuſcitet. Scio quia viuet, ſi hæc feceris. Cui Dominus. Noli timere, timore diffidentiæ, ſed crede tantum & viuet. *Credidit Abraham DEO & reputatum eſt illi ad juſtitiam,* Gal: 3. Ergo oſtende te tanti Patriarchæ eſſe filium, & crede. Rom: 6. *DEVS eſt qui viuificat mortuos & vocat ea quæ non ſunt tanquam ea quæ ſunt.*

Aquæ ſunt tribulationes.

ANNOTATIO.

NOluit Abraham ſepelire Saram vxorem in aliquo ſepulchrorum ſibi conceſſo Riſi in ſpelunca duplici, & hac non in data vltrò, ſed niſi precio comparata, non alia profectò illorum pietati contra dixit ratione, niſi myſterij diuini cauſa. Quod etiam Jairus petierit duo vt veniat & ponat manum ſuper mortuam ad reſuſcitandam, præter myſterium, eſt quoq; infidelitas commixta fidelitati. Nam credebat poſſe reſuſcitare, ſed abſente & non ponente manum non credebat. Qua in re ſimilis Naaman Syro dicenti. *Putabam quod Prophæta egrederetur ad me, & ſtans inuocaret nomen Domini DEI ſui & tangeret manu ſua locum lepræ & curaret me.* 4. Reg: 1. Myſterium verò eſt, Patrum antiquorum deſiderium qui credebant in Chriſtum venturum, vt ſcilicet veniat & imponat manum ſuam. *Emitte manum tuam,* Pſal: 143. *Veni Domine relaxa facinora plebis tuæ Iſraël.* Philippus Galliarum Rex vocatus ab exercitu ſuo ad ſoluendam ab ipſis obſidionem Northmanicam, reſcripſerat. Adueniet vobis breui magnetica manus. Mox copijs auctis venit, liberauit, pacem compoſuit. Si cui adſcribendum manui dictum, certè Chriſti. Manus enim eius attraxit ad ſe vt magnes credentium corda, atq; ex duriſſimis, mollia effecit. Manus enim illius plenæ Hyacinctis, id eſt Hyacinctinis floribus. Vndè Iſa: 9. *Lætabuntur coram te ſicut qui lætantur in meſſe, ſicut exultant victores capta præda quando diuidunt ſpolia.* Iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, & ſceptrum exactoris eius ſuperaſti. Eſt myſterium quoq; quia ſacerdotes nouæ legis venientes ad infirmos, maleficiatos, obſeſſos, per impoſitionem manus liberare illos à dæmonijs & peccatis debuerant. Vndè pius V. Pont. Max: cum dæmoniacum cruce facta non ſanauerat vt ſolebat, ſtollam ſuper poſuit capiti, & cum abij repudiârunt tantum medium, manum ponebat ſuper verticem, aliquando proteruis, digittos quibus Sanctiſſimum Sacramentum attrectatur, in os immittebat, nulluſq, malignorum ſpirituum reſiſtebat, ſed recedebant. Petijt igitur impoſitionem manus, vt ceu ſummus nouæ legis ſacerdos, tanta impoſitione manus reuocaret animam filię

Manus impoſitio.

Dæmoniaci ſtolla impoſita ſanantur.

ab in feris & reuniret corpori. Quocirca tenuit manum puellæ Chriſtus & dixit. *Puella ſurge.*

Quare Chriſtus ſurrexit ſtatim & ſequebatur principem.

TRiplex ratio eſt. Prima. Compaſſionis, maximè enim erat triſtis audito verbo quod filia mortua Principis. Quocirca dedit ſiceram merenti & vinum habenti amarum cor vt obliuiſcatur doloris, conſolatus eſt ipſum & ſtatim à menſa ſurrexit & ſequebatur illum. Erat enim filia pignus naturæ, vnicum ſolatium vitæ, quia vnica erat, & in annis duodecim, in ipſo flore ætatis, mortua fuit. Et eo compatiebatur & conſolabatur eum, quia ſerui eius dicebant. Nolite vexare Magiſtrum, conſolationem accipe quàm poteris, quia non redibit ad vitam. Sap: 2. *Non eſt agnitus qui reuerſus ſit ab inferis.* Secunda ratio. Miſericordia Chriſti. Iſa: 30. *Statim vt audierit, reſpondebit tibi Dominus.* Tertia ratio. Vt daret exemplum Prælatis vt ſint ſoliciti de ſubditorum ſubleuandis peccatis. Major enim eſt mors animæ quám corporis. Nam corporis mors, eſt priuatio vitæ corruptio principiorum naturæ, expiratio ſpiritus vehentis virtutes vitales in corpore, deſtructio organicorum inſtrumentorum animæ. Mors verò animæ per peccatum, eſt deſcendere in abyſſum terræ & ſepeliri in inferno.

Cur Chriſtus ſurrexit & ſtatim ſequebatur Principem.

NOTATIO

Pro prima ratione.

DAuid mortuo filio conſolatus eſt dicens. 2. Reg: 12. *Propter infantem cùm adhuc viueret, jejunaui & fleui. Quis ſcit ſi fortè eum donet mihi Dominus, & viuat infans. Nunc autem quia mortuus eſt quare jejuno? Nunquid potero eum reuocare amplius? Ego vadam magis ad eum ille non reuertetur ad me.* Aliter conſolatus eſt Chriſtus Principem. 2. Paralip: 20. *Nolite timere neq; paueatis, ſed tantum modo confidenter ſtate & Dominus erit vobiſcum.* Crede tantum, & ſalua erit.

Conſolatio afflictorum.

Pro ſecunda ratione. Remig: Miranda eſt pariter atq; imitanda Domini humilitas & manſuetudo, nam mox vt rogatus rogantem cœpit ſequi. Chryſoſt: Craſſe adhuc diſpoſitus erat, quia duo rogauit, venire & manum imponere, ſequitur tamen. *Eſtote miſericordes ſicut & Pater veſter cœleſtis miſericors eſt.* Priùs ipſe fecit, quàm hoc docuit.

Chriſti miſericordia.

Pro tertia ratione. Tob: 12 Quando ſurgebas à menſa ad ſepeliendum mortuos deferebam orationem tuã ad Dominum, dicebat Angelus. Trenorum 3. *Lapſa eſt in lacum vita mea & poſuerunt lapidem ſuper me.* Non eſt imaginabile homini quàm lacus terribilis eſt in quem peccator deſcendit. Concludo Hieron: verbis. Eſto ſit in te ſapientia Salomonis, Abſalonis pulchritudo, Samſonis fortitudo, anni Enoch promiſſi, habeas Cræſi diuitias, Octauiani potentiam, quid

Inferi lacus.

proderunt, ſi corpus vermibus eſca detur, & anima ad inferos rapta cruciatibus tradetur. Et prælati reſpondebunt pro anima tua.

DOMIN: VLTIMA POST TRINITATIS

Cum videritis abominationē deſolationis. *Math:* 24.

De hoc Euangelio non tractauit B. Albertus Magnus ſed addimus.

QVALIS EST HÆC ABOMINATIO.

SIcut oriente ſole, varij reſpondent radij, ita occidente ſole plurimi ſubſequuntur tenebrarum tumultus. Abominationem & deſolationem cum ex Daniele infert S. Euangeliſta, non poteſt intelligi bonum, ſed flebile horrendū & tremendum. Alij tamen abominationem deſolationis intelligunt Hieroſolymæ deſtructionem. Ita enim D. Aug: Epiſtola 80. ad Eſic: Vt oſtenderet tum factam eſſe abominationem deſolationis, quæ à Daniele prædicta eſt quando expugnata eſt Hieruſalem, eodem loco Dominus hæc verba commemorat. Cùm videritis circumdari ab exercitu Hieruſalem, tunc ſcitote quia appropinquauit deſolatio eius. Quod exponendo D. Chryſoſtomus in op: ſup: hom: 49. dicit. Abominationem deſolationis videtur mihi exercitum dicere, quo ſcilicet deſolata eſt Ciuitas Sancta Hieruſalem. Equidem, cum tam ſplendidam ciuitatem, tam Sanctam, tam iuſtam, tam celebrem mente contemplabimur, & altera ex parte ita annihilatam, vt lapis ſupra lapidem non eſſet, vt non Prophætæ & viri ac Reges, ipſam inhabitarent; ſed vulpes, ſerpentes & nociuæ beſtiæ, ſpeculabimur, non aliter quam deſolatam abominationem, illam nuncupabimus. Si ſale conſperſa maneret, ſi ſanguine fædata, adhuc tollerabilior abominatio fuiſſet, at in hanc deſolationem & abominationem peruenit, vt nunquam reparari, nunquam in priſtinum reduci honorem poſſit. Vndè Chryſoſt. Quia multoties contigerat in grauibus prælijs Iudæos reſtauratos fuiſſe, ſicut temporibus Sennacherib & Antiochi, ne aliquis ſuſpicetur tale aliquid futurum, ſuis fugiendum eſſe præcepit, dicens. *Tunc qui in Iudæa ſunt fugiant ad montes* Auguſtus Cæſar in Pollionem ſcripſerat Feſcininos ludibrij cauſa. Tum Pollio.

Abominatio flebilis.

Abominatio eſt ruinatio Hieroſolymæ.

Grauior abominatio quam ſale, ſanguine, conſperſio.

Pollio. Ego, (inquit) taceo. Non enim eſt facilè in eum ſcribere, qui poteſt proſcribere. Me herculè, cùm exercitus hoſtilis miſſus erat à Domino exercituum contra Hieruſalem, non aliud ſperandum reſtabat, niſi proſcriptio abominabilis, extirpatio implacabilis. *Scito quam malum eſt, te dereliquiſſe Dominum Deum tuum* Pſal: 10. *Pluet ſuper peccatores laqueos.* Non dicit, imbrem vehementem, lapides, ſanguinem, vel quid ſimile, ſed pluet laqueos. Id enim meruerant incolæ Hieruſalem, vt vltimo ſupplicio punirentur. Vndè laqueos pluit, ne aliquod remedium ſpei ſibi pollicerentur, ſed omnino colla ſubducerent laqueis, gladijs, morti.

Non ſcribe in eum qui proſcribere poteſt.

Pluere laqueos.

Alij verò deuaſtationem templi per abominationẽ deſolationis intellexerunt. Nam ſicut templum excellebat omnia pretioſa Hieroſolymæ, ita abominatio, ipſius templi deſtructio ſummopere deſolata & ruinata, intelligi poteſt. Quocirca D. Hier: ſuper hoc Euang: dicit. Legimus in Daniele. *Et in dimidio Hebdomadis auferent ſacrificium & libamina, & in templo, deſolationum abominatio erit vſque ad conſumationem temporis, & conſumatio* dabitur ſuper ſolitudinem. Magna hæc eſt abominatio apud intelligentem quid ſit religio & Sacrificium, quid ſit Dei donum & ira. Sed alias quoq; abominationes templi commemorat D. Hieron: Intelligi etiam poteſt abominatio templi, cum Pilatus poſuit in illo templo imò extullit imaginem Cæſaris. Aut cum Adrianus Cæſar ſtatuam equeſtrem in Sancta Sanctorum introduxit & collocauit, quæ vſq; in finem ibi permanſit. Abominatio enim ſecundum veterem ſcripturam idolum nuncupatur, & additur deſolationis quod in deſolato templo atq; deſerto idolum poſitum ſit. Sed non abſurde abominationem quoq; dicemus quia illius templi modo ſunt tutores & cuſtodes abominabiles Turcæ, quia nomen Iudæorum & religionem, ipſam abominationem reputant. Sunt profectò vulpes Samſonicæ fætidæ & caudis colligatæ. Nam Turcæ illic excubias agentes aſtuti & vafri ad corrumpendam veritatem. *Sepulchrum patens eſt guttur eorum.* Pſal: 80. Nàm non niſi fœdas & fætidas blaſphemias ac calumnias exhalant, ligatas caudas tenent, nam in libidine omnes conſentiunt, & non eſt inuenire facilè vt aliquis diligat caſtitatem. Quis non conſentiet, maximum peccatum commiſſos fuiſſe huius templi ſacerdotes, cum tanto ſupplicio ſancta Sanctorum & inſpecioſa templi ornamenta, punita fuiſſent? Hadrianus Cæſar cùm ſuum Senatorem Seuerianum nonagenatium innocuè occidi iuſiſſet, ille iugulandus, popoſcebat ignem, & incenſo thure dixit. *Vos, Dij teſtor, me nihil ſceleris commiſiſſe.* Magnum innocentiæ ſignum. At Pontifices ſummi Hieroſolymæ atq; illorum Sacer-

Deuaſtatio templi abominatio eſt.

Imago Cæſaris in templo eſt abominatio.

Idolũ in templo abominatio.

Vulpes Samſonis.

Turcarum fœditas.

Incenſio thuris in innocentia.

Sacerdotes, cùm vna cum populo conſpirârunt contra innocentem Dominum Ieſum, atq; ipſum verum Meſſiam reſpuerunt, dicentes, Recede à nobis viam & ſcientiam tuam nolumus, iam id proteſtari quòd fuerat Seuerianus proteſtatus non potuerunt. *Sanguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros.*

Peccatum Pontific: Iud:

Alij verò abominationem deſolationis, intellexerunt Antichriſtum. Ita D. Hilar: 25. in Math: De Antichriſti temporibus hæc locutus eſt. Abominatio ex eo dictus quod aduerſus Deum veniens honorem ſibi Dei vendicet. Deſolationis autem abominatio, quia bellis & cædibus terram cum piaculo deſolaturus eſt. Quòd Ioſephus qui Hiſtoriam Iudaicam ſcripſit, talia mala illi populo tunc accidiſſe, vt vix credibilia videantur. Et non immeritò dictum eſt, *Talem tribulationem nec fuiſſe ab initio creaturæ nec futuram eſſe.* Quam, cum D. Aug: ſcribendo de triplici perſecutione conſiderat, in Pſal: 9. dicit. Prima perſecutio Eccleſiæ violenta fuit, cum proſcriptionibus, tormentis, cædibus ad ſacrificandum Chrriſtiani cogerentur. Altera fraudulenta eſt, quæ nunc per Hæreticos vt falſos fratres agitur. Tertia ſupereſt per Antichriſtum ventura qua nihil eſt periculoſius, quia & violenta & fraudulenta erit, vim habebit in Imperio, dolum in miraculis. Illam perſecutionem Hieroſolymitanam non tetigiſſet Chriſtianos at ſolùm Iudæos refert B. Remigius ex Hiſt: Eccleſiaſtica dicens. Appropinquante Romano exercitu omnes Chriſtiani qui in Prouincia erant diuino miraculo moniti, longiùs receſſerunt: tranſeuntes Iordanem venerunt in Pellam ciuitatem & ibi ſub tutela Agrippæ Regis cuius mentio eſt in Actibus Apoſtolorum, aliquanto tempore manſerunt. Ipſe autem Agrippa cum parte Iudæorum quæ ſibi obtemperabat, Romano ſubditus erat imperio. Iſta verò perſecutio Antichriſti tanta erit vt nemini parcere velit, attamen illa magis non præmet Iudæos. Nam vt dicit S. Aug: Epiſt: 80. Si Antichriſtum illi primitus & præcipuè recepturi ſunt, facturus eſt tunc idem populus tribulationem potiùs, quàm paſſurus. Talis autem perſecutio Chriſtianorum, veritatem fidei in Eccleſia non tollet, quia dictum Petro. *Non deficiet fides tua.* Math: 16. Et. *Portæ Inferi non præualebunt aduerſus eam.* Et *ego vobiſcum ſum vſq; ad conſumationem ſæculi.* D. Hilarius. Magna eſt vis veritatis, quæ cum per ſe intelligi non poſſit, per ea tamen ipſa quæ ei aduerſantur elucet: vt natura ſua immobilis manens, firmitatem naturæ ſuæ dum attentatur, acquirat. Ita B. Laur: Tyranno. Iam aſſatum eſt, verſa & mandata. Abrumpantur hinc blaſphemiæ ſectariorum, qui ex verbis Chriſti cùm videritis abominationem deſolationis conuertunt

Abominatio deſolationis eſt Antichriſtus.

Triplex perſecutio Eccleſiæ.

Chriſtiani diuino monitu liberati à perſecutione Hieroſolymitana.

Perſecutio Chriſtianorum fidem non tollit ſed accedit.

Blaſphemia Hæreticorũ de ſede Romana.

tunt in ſolium Romanorum Pontificum,&attribuunt quod Sedes Romana deſolabitur per Antichriſtum. Clare enim additur quod de illa deſolatione & abominatione loquatur Chriſtus Dominus. de qua Daniel 9. cap: locutus fuerat. Loquebatur autem ille de abominatione & deſolatione templi Hieroſolymitani, non Romana ſede. De qua veteres paſſim loquebanrur vt Irenæus Hieronymus, Chryſoſtomus & Theodoretus. Neque permittit Eccleſiam ſuam cadere, qui cum ea eſt, eiuſq; caput eſt, in conſumationem ſæculi.

Quomodo cognoſcendus eſt Chriſtus adeſſe.

Ecce hîc Chriſtus. Nolite credere.

Dicitur in Euangelio *Tunc ſiquis vobis dixerit, ecce hîc eſt Chriſtus aut illic. Nolite credere.* Quis igitur erit modus cognoſcendi verus, quod ſit hîc Chriſtus? Non tollitur hîc fides, cùm dicitur. Nolite credere, ſed cauetur modus fidei. In ſecundo etenim aduentu aliter multò apparebit Chriſtus quàm apparuerat in primo ſuo aduentu. Vndè Hieron: in verba. *Sicut fulgur exit in oriente & apparet in occidente, dicit.* Oſtendit quod ſecundus aduentus non in humilitate vt primus, ſed in gloria demonſtrandus eſt. Stultum eſt itaq; eum in paruo loco & in abſcondito quærere qui totius mundi lumen eſt. Non enim in primo aduentu in Bethlehem apparuit & in paruulo angulo orbis terrarum, ita & tunc erit; ſed manifeſte veniet, ita quod non indigeat quod aliquis eius aduentum annunciet. Ideò dicit. *Si quis vobis dixerit, ecce hîc eſt Chriſtus aut illîc. Nolite credere.* Erunt enim tales miniſtri non Chriſti, ſed antichriſti, qui in famulatum depreſſos vexatosq; deducere contendent, ſed aduerſarij fidei retorquent locum, ne credamus hîc eſſe Chriſtum. puta ſub ſpeciebus panis & vini in Sacramento altaris. Dicunt: Si quis vobis diexrit. Hîc eſt vel illîc Chriſtus. Nolite credere. Poſt Aſcenſionem nec eſt in cruce nec in terra præſens ſed in cœlo eſt ſedetq; ad dexteram Patris. Sed cum grano ſalis tractanda ſunt hæc illis. Refert Ælianus lib: 12. cap: 37. Alexander cùm Beſſum perſequeretur, redactus ad ciborum penuriam de camelis & alijs iumentis tam eſſe quàm ſocijs comedere cœperunt. Cumque eis ligna deficerent, crudas carnes deuorabant, ſed tamen ſilphium quod ibi copioſum eſt, adiumentum ad concoctionem præſtabunr. Ita illi ad tam rigidam propoſitionem adhibere debebant: Eſt Chriſtus in cœlo præſens corpore realiter, & in Euchariſtia ſacramentaliter. Hoc eſt corpus meum, dicebat in vltima cœna. Quocirca Chryſoſt: hom: 77. Loquitur hic de Antichriſto & quibuſdam eius miniſtris, quos Pſeudochriſtos & Pſeudoprophætas appellat, quales & tempore Apoſtolorum multi fuerunt: ſed

Aduentus Chriſti primus & vltimus aliter poteſt.

Hæretici occaſione hac non eſſe Chriſtum in Sacramento dicit.

Alexander carnes crudas uorabat

ante ſecundum aduentum Chriſti erunt multò prioribus amariores. Sed fortè te retrahent miracula quæ faciet Antichriſtus & miniſtri? Audi D. Aug: lib: 83. quæſt: 79. queſt: *Aliter faciunt miracula Magi aliter boni Chriſtiani, aliter mali Chriſtiani. Magi per priuatos contractus, boni Chriſtiani per publicam iuſtitiam, mali Chriſtiani per ſigna publicæ iuſtitiæ: nec hoc etiam oportet mirari, quia omnia quæ viſibiliter fiunt, etiam per inferiores poteſtates aëris huius non abſurde fieri poſſe creduntur.*

Miracula diuerſi diuerſimode faciunt.

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

SERMO PRIMVS.

Hunc Sermonem addit poſt Feſta Compenſteinus in Sermonibus B. Alberti Magni.

Dominus in templo Sancto ſuo, lætetur à facie eius omnis terra Abbacuc 2.

Templum quadruplex.

Nota, quod quadruplex eſt templum Domini. Primum. Vterus virginalis in quo Dominus fuit per carnis aſſumptionem. Secundum. Eccleſia materialis, in qua Dominus fuit per paſſionis ſuæ repreſentationem. Tertium. Anima fidelis, in qua Dominus per gratiæ infuſionem. Quartum. Manſio ſuper naturalis in qua eſt per piam Sanctorum glorificationem.

Vterus B. V. Mariæ templum.

De primo templo. Verè iure lætari debuiſſet, qui Dominum vidiſſet in templo vteri virginis. Eliſabeth & Ioannes paruulus nec dum natus, lætantur, quia Dominum in hoc templo recognouerunt. D. Bern: *Valde quidem Domine humiliaris, nimis abſconderis, ſed Ioannem latere non patiaris. Non ne ipſe eſt qui per maternum vterum te nondum natus agnouit? Non ne ipſe eſt qui vtriuſque parentes materni vteri agnouit.* Sed quia vrebis clamare non potuit, ſaltem matrem ſuam exultans edocuit. Vndè Luc: 2. *Vndè hoc mihi vt veniat Mater Domini mei ad me.* Hoc templum fuit factum per omnimodam puritatem. Bern: Quæ Angelica puritas illi virginitati audeat comparari, quæ digna fuit S. Spiritus ſacrarium fieri Dei & habitaculum Filij? De hoc templo loquitur Pater ad filium Malach: 1. *Ecce ego mitto Angelum meum, id eſt Gabrielem. qui præparabit viam ante faciem tuam.* id eſt. qui Virginis requiret conſenſum. Et conuertendo ſermonem ad Patriarchas

Puritas B. V. Mariæ ſumma.

archas & Prophætas dicit. *Et ſtatim veniet ad templum ſanctum ſuum.* id eſt in Virginem Mariam dominator, quem vos quæritis, vt carnem veſtram induat. Vndè Iſa. 16. *Emitte agnum Domine Dominatorem terræ de petra deſerti.* id eſt de eminentia paterni ſinus, ad montem filiæ Sion, id eſt. Eccleſiæ militantis. Sequitur. Et Angelus taſtamenti quem vos vultis, vt videlicet intercedat pro vobis. Iob. *Si fuerit Angelus pro eo loquens vnus ex ſimilibus, vt anunciet hominis æquitatem, miſerebitur eius.*

ANNOTATIO.

Templa eriguntur ad tria.

TEmpla eriguntur & dedicantur ob tria, vt in illis ſacrificemus. Immola Deo ſacrificium laudis & redde altiſſimo vota tua 49. Pſal. 2. vt in illis oretur. Si quid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis. Magis verò dabit, ſi in domo orationis petamus. 2. Actor: 3. *Aſcendebant in templum ad horam orationis nonam.* 3. vt in eis verbum Dei audiatur. Pſal. 81. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus quoniam loquetur pacem in plebem ſuam.* Quocirca inſtituit Numa Pont: inquit Plutarch: vt ſacra faciente ſacerdote, clamaret Præco. *Hoc age.* Id eſt. Huic tantum attende, & ſtude talia agere. Commendabat ſacrificia. Antiqui verò profani in templis ſuis per præconem clamabant. *Fauete linguis.* Commendabāt hoc modo attentam orationem. Alij ſonabant tubis. inquit Plin: lib: 18. cap: 2. Ne quid aliud exaudiretur. Puta, quam Deorum vox. Quod ſi ad templum noſtrum B. Virg: Mariam intentum conuerterimus, illius erat ſemper Deo ſacrificare in corde, ſemper orare & meditari Deum, ſœpè audire & legere verba Domini. Vndè ad meditantem verba Iſa. 7. Ecce Virgo concipiet & pariet Filium, acceſſit nuncius à Deo dicens: *Aue gratia plena Dominus tecum.* Puta & conſtituat te ſibi in cælum & templum, tabernaculum & regiam. In cuius fortè intentum dicebat. Pſalm. 131. *Si dedero ſomnum oculis meis & palpebris meis dormitationem, donec inueniam locum Domino & tabernaculum Dei Iacob.* Non cadet ſomnus in oculos & memoriam meam, donec dono tuæ gratiæ & illuminatione cognouero, & quod ſollicite quæro inuenero locum requietionis Domini naſcituri, & tabernaculum Dei videro in ſpiritu, quem Deum Iacob Patriarcha fide & ſpiritu vidit. Quodquidem non aliud eſt quam Beata Virgo Maria quam templum Domini ob dignitatem ſummam meritò nominamus. Heroici animi ſignum, qui poſt fortes victorias & actus nobiles plurimos laude & triumphis abundabant, tali elogio atq; ſymbolo antiqui donabant. Formabant virum bellatorem & pium haſta draconem ferientem & occidentem. Aut Draco terribilis vorabat pullos cum matre numeroſos. Et ſupponebant legendum. *ARDVA PER PRÆCEPS GLORIA VADIT ITER.* Heroicum & pium

Antiquorū in templis obſeruatio.

Templum ſemetipſam ædificabat DEO B. M. Virg:

Heroicum animi ſymbolum.

& pium Virginis Sanctiſſimæ B. Mariæ nullo ſymbolo, nullo lemmate, delineare poſſumus. Exceſſerunt enim illius curæ, meditationes, orationes, virtutes mentis & corporis, omnem ornatum cæli, omne meritum populi. Ardua via, diſpoſuit ſemetipſam, vt ſit Mater Filij Dei, ſit filia Patris, ſit ſponſa Spiritusſancti. Inquit. *Ecce ancilla Domini.* In Dominam mundi, reginam cœli, Matrem verbi æterni electa prænunciata & conſtituta fuit, illa tamen ancillam ſe verè & ſincerè reputauit, tenuit. Quocirca S. Leo pie ſpeculando B. V. Mariæ ante conceptum verbi in vtero. Serm: de Nat: Chriſti primo, dicit. *Virgo regia Dauidicæ ſtirpis eligitur, quæ ſacro grauidanda fœtu Diuinam humanamq; prolem prius conceperat mente, quàm corpore.* Et ne ſuperni ignara conſilij ad inuſitatos paueret affatus, quod in ea operandum erat, à Spiritu ſancto colloquio diſcit Angelico. nec damnum credit pudoris, Dei Genitrix mox futura. Theodoſius Imp: vt ait Niceph: filijs pro teſtamento vnicum reliquerat ſed grauiſſimum verbum. *Pietatem.* Sciebat enim prudentiſſimus Princeps quod timentes Deũ, Deus ipſe defendit; imò ad eorum tutelam, quaſi ſcutum ſe opponit, idcircò filijs pietatem colendam, prout omni teſtamentorum legenda, reliquit. Crediderim B. Virg: Mariæ à pijs & ſanctis Parentibus non abſimile quid teſtamento accepiſſe. Pietas enim & humilitas, ceu

Exceſſit B. V. M. omnem heroicum animũ.

Prius concepit mẽte quã corpore B: V. Mar:

Teſtamentũ vno verbo pietas.

virtutum & pietatis in B. V. M. excel.

ſol & luna in illa elucebant, at ſingulare elegit & proprium, vt eſſet illud templum altiſſimi Dei, quod magnificentia & ſplendor Salomonis templi præfigurabat. Ne aurum vel argentum, margarithæ & precioſi lapides qui de terra originẽ habent, ſint ornamenta ampliùs templi Dei viui, ſed cor viuum, charitate fulgens, obedientia nitens, humilitate ſplendens, fide vera formatum lucens, ornatum peragat tabernaculi Domini. Oſeæ 11. *Deus ego & non homo, & non ingrediar ciuitatem.* Quæ ratio non introitus? Expectabat, vt fieret homo, & ita ingrederetur cor Beatæ Virginis & vterum ſacrum. Malach 23. *Statim veniet ad templum ſanctum ſuum Dominator Dominus.* Et in hoc B. Alb: Mag: fundauit ſuum ſermonem.

Deus ingredi noluit ciuitatem vt ingrederetur cor B. V. Mar:

De ſecundo templo: Nempè Eccleſia Materiali, in quo eſt per paſſionis ſuæ repreſentationem. De quo. *Hoc quotieſcunq; feceritis in mei memoriam facietis.* Lætetur ergò à facie velaminis eius omnis terrra. Si pannos Domini, quibus velatus fuit, & tectus, dum iaceret in cunis homines deſiderant intueri, quare formam illam panis, ſub qua tegitur ipſe Dei filius, manens in ſinu Patris libentius non intueretur? Vndè Greg: *Quis fidelium dubium habere poſſit in ipſa immolationis hora ad Sacerdotis Vocem cælos aperiri, in illo* IESV CHRISTI *miniſterio Angelorum Choros adeſſe ima ſummis ſociari, terram cæleſtibus iungi, vnum quid de Viſibilibus & inuiſibilibus fieri?*

Chriſtus per repreſentationem in B. V. M.

Chriſtus ſub velamine faſciũ & pannus ſacram.

AN-

ANNOTATIO.

Eccleſia materialis.

DEut: 12. *Non facietis ita Domino Deo veſtro, ſed ad locum quem elegerit Dominus Deus veſter venietis, & offeretis in loco illo victimas & holocauſta.* Aperta eſt hîc de templo materiali locutio, licet ab Eccleſia ad Eccleſiam, ſicut de lege veteri ad legem nouam, non ſit limitatio. Locus enim in Nouo Teſtamento Eccleſiæ, licet ſit totus mundus; attamen Sedes Chriſti & Vicariorum eius eſt Roma, vt erat inueteri lege Hieroſolyma. Vndè ſicut in illa Eccleſia erant offerendæ victimæ & holocauſta, ita in hac offerenda ſunt, ſed iam non tauri & hirci, ſed agnus immaculatus & ſanguis Chriſti, vt adoremus Deum in ſpiritu & veritate. De hoc templo terreſtri, quæ imago eſt cæleſtis templi dicitur. Apoc: 27. *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens & mendacium.* In quibus verbis nedum ſanctitas innuitur, Eccleſiæ materialis, ſed dignitas quoq; oſtenditur quod Eccleſia materialis ſit Regia cœli & quoddam terreſtre cælum vt dicit D. Chryſoſt: hom: 36. in 1. ad Cor: In quo, nedum repreſentantur Chriſti & Sanctorum ſplēdidæ imagines qui in cælo ſunt ſed etiam præſens Chriſtus ſub velaminibus ſpecierum panis & vini poſt conſecrationem peractam à Sacerdote verò adoratur. Hoc docuit B. Albertus Magnus in hoc ſermone ſuo. Habet Ariſtot: lib: 2. Phyſic: Fruſtra & vanum eſt id, quod ordinatum eſt ad aliquem finem, quem non conſequitur. Quod ſi id, ex natura eſt reprehenſibile ob non conſecutionem ſui finis, quomodo id quod ſupernaturaliter ordinatur ad aliquem finem, non magis vituperabile erit? Eccleſia itaq; materialis ſeu terreſtris aut militans, cum ordinata ſit à DEO, & adminiſtrata à Chriſto Domino, vt ſit templum repreſentatiuum Paſſionis Chriſti, atq; vt in eo velatus maneret donec manebit Eccleſia militans, non poteſt non conſequi finem ſibi ordinatum ab æterno. Calamis & vocibus laudatur: Serui Imper: vltima ordinatio. Hic moriendo dicebat. Firmum imperium filijs meis relinquo, ſi erunt boni; ſi mali in becillum. Ita & Dominus IESVS in ſua Eccleſia reliquit firmum Imperium fidei, ſpei & charitatis bonis, imbecillum malis. Præſentem Chriſtum hominem & Deum ſub velaminibus Sacramenti Euchariſtiæ ſentiunt boni, & beatificantem iuſtificati videbunt. Præſentem quoq; ſentient mali, ſed condemnantem audient. Vndè D. Paulus 1. Cor: 11. *Qui manducat indigne, iudicium ſibi manducat.*

Victima & holocauſta in v. teſtamento.

Eccleſiæ militantis dignitas.

Vanū eſt quod non conſequitur finem.

Firmū imperium bonis.

Pro tertio templo nempè anima fideli in qua eſt Dominus per gratiæ infuſionem. Si recepiſſes diuitem & benignum hoſpitem in domum aſſerum tuorum, meritò lætareris

tareris, quare potiùs non lætaris, cum recipis Dominum in domum cordis tui, qui eſt benigniſſimus, & omnium gratiarum affluentiſſimus? Vndè dicit Dominus ad Auguſtinum Cibus ſum grandium, creſce & manducabis me, nec tu me mutabis in te, ſicut cibum carnis tuæ, Sed tu mutaberis in me. Cùm cibus quem comedo in me mutatur, caro & ſanguis efficitur: Ergò hîc comedens panem & Vinum, in ipſum commutor, Deus quodammodo efficior. Ad recipiendum in hoc templum, neceſſe eſt eſſe mundum. Vndè 1. ad Corinth: 3. *Quicunq; violauerit templum Dei, diſperdet illum Deus*, diſperdet, id eſt, diuerſimodè perdet, vel in diuerſa perdet. Sed quomodo debet Sanctificari? certè per aquam reconciliationis, hoc eſt, per lachrymoſam Confeſſionem, & humilem; Vndè in Pſal: 50. *Aſperges me Domine Hyſopo.* bene dicis lauabis me, quia vt dicitur, ius nouum ab alio non poteſt reconciliari, niſi ab ipſo.

ANNOTATIO.

PRou: 9: *Sapientia ædificauit ſibi domum.* Quæ eſt hæc domus? Sapientiæ locus cùm ſit in capite, non iam id quod ſapientia dicitur ædificabit domum niſi in mente, quod non domum potiùs, ſed rectiùs mentem & Eccleſiam nominabimus. Ad quem ſenſum. *Io: 2. Ipſe autem dicebat de templo Corporis ſui.* Si ergò quod corpus eſt Chriſti templum eſt Chriſti, nos quoque templum eius ſumus, quos corpus eius eſſe confirmat Apoſtolus dicens. 1. Cor: 6. *Vos eſtis Corpus Chriſti & membra.* Quam ſimus homines templa ſpecioſa DEI declarauit S. Fulgentius lib: 3. ad Tranſimundum Regem cap: 35. Sumus templum Patris, ſumus templum Filij, ſumus templum Spiritus Sancti. Templum Patris. Nam 1. ad Cor: 6. Vos enim eſtis templum Dei viui. Et 1. ad Cor: 3. *Siquis templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus. Templum enim Dei Sanctum eſt quod eſtis vos* In hoc vero nomine Deus quod commune eſt toti Trinitatis, Principalius ſemper intelligimus Deum Patrem principium & originem aliarum in diuinis Perſonarum. Filij quoq; templum ſumus, cuius domus ſumus. Coincidunt enim templum & domus. Vndè Io: 2. *Cum aſcendit Ieſus Hieroſolymam & inuenit in templo vendentes & ementes boues oues &c. protinus eiecit dicens. Auferte iſta hinc & nolite facere Dominum Patris mei domum negotiationis.* Cùm ergo hoc quod eſt templum Dei, ſit domus Dei, dum nos ſimus domus Chriſti, templum quoq; Chriſti ſumus. Ad Heb: 3. *Chriſtus autem tanquam filius in domo ſua, quæ domus nos ſumus, fiduciam & gloriam ſpei vſq; ad finem firmam retineamus.* Templum etiam Spiritus S. nos eſſe, manifeſte commendat Apoſtolus. 1. Cor. 6. *Neſcitis quia membra veſtra templum ſunt Spiritus Sancti qui in vobis eſt, quem habetis à Deo.* Et hoc templum Spiri-

Filij Dei ſumus templum.

Templum & domus coincidunt.

Spirit: S. ſumus templum.

Spiritus Sancti membra Chriſti eſſe teſtatur. *Neſcitis quia corpora veſtra membra Chriſti ſunt?* Hæc S. Fulgentius, ò Sanctum & fæliciſſimum templum, in quo Dominus habitat per gratiam ſuam. Vnicum adducam, in corde Venceſlai Bohemorum Ducis erectum & ſapienter ædificatum templum. Arma in Venceſlaum Ducem, Radiſlaus Princeps Ganienſium mouerat, & vtrinq; exercitus ſtabat, at Bohemiæ Dux inſontem vtrinq; populum miſeratus, Radiſlaum ad ſingulare prouocat certamen, lætus ille conditionem accipit. Prodit Venceſlaus cilicio tectus cui locum iniecerat, dexteram gladius (at magis crux cuius ſigno ſe munierat) armauerat. Radiſlaus autem Cataphractus, armis viribuſq; fidens præualidam haſtam cominus toto corpore intorquebat, tunc ſubitò cælo vox data. Ne ferias. Stetit attonitus Radiſlaus, inde arma proijcit, pedibus Venceſlai prouoluitur, victorem agnoſcit, audaciæ veniam deprecatur. Tunc Venceſlaus cum ingenti vtriuſq; exercitus gaudio, irruit in ſupplicis ex hoſte amici amplexus. Quid in hac pugna ægit triumphum? an arma? an miles? an robur? plùs hîc cilicium quàm arma valuerunt, at plùs quod corpus ſuum in domum, animam in templum Dei conſecrarat. Scitè admodum ſapientiſſimus Rex Salomon ô quam magnus qui inuenit ſapientiam & ſcientiam, ſed non eſt ſuper timentem Dominum, quoniam nihil deeſt timentibus eum. 2 Paral: 2. dicitur. Quis poterit præualere vt ædificet ei dignam domum? Si præcioſi lapides, gemmæ, aurum, argentum & quicquid pretioſum habet terra & mare non ſufficiunt ad ædificandam Domino domum, quomodo ei in corde ſuo poterit ædificare homo templum? Excuſabat ſemetipſum ſapiens Salomon 3. Reg: 8. *Cæli cælorum te capere non poſſunt* quomodo ædificabo ego tibi domum. Et ſubiungit. Ad hoc tantum ædificaui vt adoleatur in cenſum coram te. Ad hoc, vt reſpicias orationem ſerui tui & obſeruationem eius Domine Deus. Ita licet non ſimus tanti vt cor noſtrum in templum Deo ædificemus, id tamen faciamus vt quomodo poſſimus illud Domino aptemus, præparemus, nunc charitate, nunc oratione, nunc fide nunc mortificatione, nunc humilitate, Vndè Exod: 25. Facient mihi Sanctuarium, & habitabo in medio eorum. Et ad hoc induxit B. Albertus Magnus aquam reconciliationis.

Singulare certamen duorum Principum.

Deus tuetur pium Principem.

Timenti nil deeſt.

Ad quid Salomon erexit Eccleſiam Domino.

Cor noſtrum aptandum in Eccleſiam Domino.

De Quarto nempè templo ſupercæleſti dicitur Exod: 33. à Moyſe. *Oſtende mihi gloriam tuam, cui reſpondit Dominus. Ego oſtendam tibi omne bonum.* Quaſi diceret. Ego oſtendam tibi faciem meam in qua omne quod bonum eſt inuenies. Et Iacob exultans clamat Gen: 32. *Vidi Dominum facie ad faciem & ſalua facta*

Eccleſia Domini in cælo.

facta eſt anima mea. De hoc templo etiam in Pſal: 28. *In templo eius omnes dicent gloriam.* Nota quod quatuor genera hominum meritò poſſunt lætari à facie Domini. Primi ſunt qui eum non offenderunt. Secundi ſuut qui eum intime diligunt Tertij ſunt qui eum filialiter timent. Quarti ſunt qui ei diligēter ſeruiunt.

A facie Domini 4. genera hominum lætent.

ANNOTATIONES.

Militans Eccleſia honoranda & frequentanda Triumphans amanda & deſideranda.

ECcleſia militans vt ſummè eſt honoranda, & frequentanda ita Triumphans ſummè amanda & deſideranda Chriſtianis. Nam de militanti dicitur Act: 1. *Quia domus mea deſerta eſt, & vos feſtinaſtis vnuſquiſq; in domum ſuam, propter hoc ſuper vos prohibiti ſunt cæli ne darent rorem, & terra prohibita eſt, ne daret germen ſuum.* De triumphanti verò dicitur Pſal: 64. *Sanctum eſt templum tuum, mirabile in æquitate.* Eſt igitur quod ames, eſt quod deſideres, qui enim ſunt præſentes in illo templo, habent ſanctitatem incommutabilem, mirabilia vident continuò in Deo, equitas verò, non minuetur ab illis. Mirabilis fabrica templi, mirabilis & ſanctitas, mirabilis quoq; requitur in eo æquitas qui tale templum ingredi deſiderat. Rectè de hoc Pſal: 23. *Quis aſcendet in montem Domini?* Literaliter, in illum montem in quo fuit templum Salomonis, montem Moria. Aut in montem Syon, in quo erant tabernaculum & arca, quæ templum efficiebant & domum Dei. Myſtice. In Eccleſias & templa Chriſtiana quis aſcendet? Et reſpondet. Pſal: 23. *Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vano animam ſuam.* Vbi Theodoretus. Huiusmodi hominem decet nullam rem fluxam & caducam concupiſcere. *Nec iurauit in dolo proximo ſuo.* Theodoretus. Tranſgreſſio iuriſiurandi, auaritiæ coniuncta eſt. Quodſi templa militantis vitæ talem requirunt ad ingreſſum innocentiam, quantam quæſo requirit innocentiam vitæ ingreſſus in Eccleſiam cæleſtem? Optimè Iſaias 33. *Qui ambulat in iuſtitijs & loquitur veritatem, qui proijcit auaritiam ex calumnia, iſte in excelſis habitabit; munimenta ſaxorum ſublimitas eius: panis ei datus eſt, aquæ eius fideles ſunt, regem in decore ſuo videbunt, oculi eius cernent terram de longè.* Habet Cic: lib: 2. de Legibus. Requirebant antiqui ab ingreſſuris templum iſtud. *Ad diuos adeunto caſtè. Pietatem adhibento. Opes amouento. Qui ſecus faxit, Deus ipſe vindex erit.* Quod ſi hæc inſipida antiquitas de ſuis templis reliquerunt populo religionis gratiâ, obſecro, quæ erunt à fidelibus populis & Deum per fidem ſcientibus Chriſtianis & Catholicis obſeruanda, dum ingrediuntur templũ militans, aut cum ingredi templum triumphans ſeſe per vitæ vltimum punctum diſponere curabunt? Dicitur Eccleſ: 30. *Miſerere animæ tuæ placens* DEO. Quem textum in Inſtitut: Oecanomicis lib: 2: cap: 4. Steph: Menochius ita expoſuit. Tibi ipſi parce, & animo ita compoſito eſſe ſtude vt

Quis aſcendet in montẽ Domini.

Innocentia vitæ ad templum requiritur.

Inſcriptiones templi antiqua.

Placendo DEO tu: mi ferendo.

de vt nihil plane ſit qnod conſcientiam tuam fodiat ac proinde animi tui quietem perturbet. Contine etiam & congrega cor tuum, ne in varias partes diffluat, & per deſideria, triſtitiam, & inuidentiam, erũpat. Non incommoda expoſitio. At addam expoſitioni huic: Miſerere animæ tuæ, cum Deus miſereatur tui per gratiam. Pſal: 15. *Homines & iumenta ſaluabis.* Quanta miſericordia, quæ gratia. Caſſiodorus in Pſal: 13. ſuper verba. *Extende cælum ſicut pellam ait.* Quia meretrices & publicanos conſtat admittere in cælum & cum cæli ſint per iuſtitiã iuſtorum facti ſunt per gratiam peccatorum.

Cæli extenſi ad peccatores.

Pro quatuor generibus qui lætabuntur à facie Domini. Nota. Meritò letatur filius ante parentem, qui eum in nullo offendit, & ante Deum meritò gaudet, qui eum peccato non læſit. Si enim Deus ipſe gaudet plurimum in tali, vt patet in Ioanne Apoſtolo qui recubuit propter innocentiam & puritatem in pectore Chriſti, etiam ille gaudere debet quod amaro corde & toruis oculis non aſpexit in via Deum. Vnum adhibeo ex tali ordine virum. B. Iacobus Picenus Minorita qui obijt 1476. Hic cum à nefando viro quod in prædicatione in libidinoſos acriter argueret, occidi debuit, at imago Beata Virgo Maria quam aſpexerat horribilis ei apparuit, ita vt territus corruet, & tantiſper Frater Beatus tranſijt Vicini ad Xenodophium detulerunt, qui poſt tres Menſes ſanus factus veniam à Iacobo petijt & caſte vixit. Ad Nomen Ieſu & Mariæ ab eo prolatum dæmones fugiebant cum de Incarnatione Romæ in cubiculo Cardinalis Sauonenſis diſſereret, Imago B. M. V. quaſi approbando dicta, caput inclinauit. Et vt ſuperiora de illo dicamus. Cum mater illum geſtaret vtero, & periculum incurriſſet ne reuertens à prædiolo, à prædonibus ſpoliaretur, audiuit infantem in vtero clauſum ſonora voce monentem, ne timeret neue gradum accelerarent, futurum, ne ei hoſtes nocerent. Factum vt oppidum ab hoſtibus direptum fuerit, & domus eius intacta fuit. Mar: Vliſip: lib: 6. p. 3. Hiſt: minorum. Rectè 1. Io. 1. *Omnis qui natus eſt ex* DEO, *peccatum non facit. Qui vero facit peccatum ex diabolo eſt.* 1. Io 3.

Rectè aſpicit Parentem filius bonus.

B. Iacobus Minorita.

B. V. Maria defendit ſuum ſeruum.

In vtero loquitur mali filius.

Pro his qui Deum diligunt intime. Nota. Meritò diligitur, qui diligit quoq; Deum. Redde quod debes. Sunt verba in debitorem. Plurimum debemus DEO, ſed quid reddamus non habemus. Ergò ad minus Deum qui nos prius dilexit diligamus. D. Bern. lib: de diligendo Deo. Si totum me debeo pro eo quia me fecit, quid addam pro me iam refecto? Nec enim tam facilè refectus ſum, quàm factus. In primo opere mihi dedit me, in ſecundo mihi dedit ſe; & vbi ſe mihi dedit, me mihi reddidit. Datus ergo

Debitores Dei ſumus.

Non habemus quod DEO pro beneficiis reddamus niſi vt eum amemus.

ergo & redemptus, bis me debeo. Sed quid Domino pro ſe retribuam? Nam & ſi me millies rependere poſſem, & quid ſum ad Deum meum? Profectò nil eſt homo ante Deum, ſed munitus & ornatus charitate, & hoſtem animæ frangit, & Deo dilectus efficitur. Hinc D. Aug: de Laude Charit: Charitas eſt actio rectitudinis, oculos habens ad Deum, glutinum animarum, ſocietas fidelium, actio non frigida, actio non fracta, non fugax. Et tantæ dilectionis DEI extat documentum ſub velamine: Leuit: 6. Præcepit Dominus. *Ignis ſemper in altari meo ardebit, quem nutriet Sacerdos, ſubminiſtrans ligna.* Spiritualiter. Altare Dei eſt cor humanum, Sacerdos qui dicitur ſacra dans, memoriam denotat, ligna memoria præparabit, recordatione Crucis & Paſſionis proferendo Cordi, accenſum cor, inextinguibilem Charitatem Chriſti conſeruabit. Aug: 18. cap: Soliloq: O ignis qui ſemper ardes & nunquam extingueris, ô amor qui ſemper ferues & nunquam tepeſcis. Fælicem hac in parte Alphonſum Rodrigue 2. numerabo è Soc: IESV. Hic in tantum diligebat Dominum Ieſum & B. V. M. vt ſuos lepores amores & delicias vocaret. Roſarium tam ſæpè recitabat vt digitti eius callos contraxerint. Deſiderium præcipuum eius hoc. [Ieſus Maria dulciſſimi amores mei, ô vtinam patiar, vtinam amore veſtri moriar, vtinam deſinam eſſe meus & totus veſter fiam] Viginti quatuor Sanctos Patronos habebat, quos omni fere hora compellabat. Satis clarè D. Greg: in Paſtor: Sicut nihil eſt prætioſius Deo, ratione dilectionis, ita nihil eſt deſiderabilius diabolo extinctione Charitatis. Vt quiſquis ſeminando iurgia dilectionem proximorum perimit, hoſti Dei familiarius ſeruit.

Charitatis Vigor.

Ignis in corde altaris nutriendus

Alph: Rodrigue 2. Dilectio Ieſus & Mariæ.

Patroni ſancti.

Dilectio Dei & proximi Deo gratiſſima.

Pro tertio genere qui lætantur in Deo, Nempè qui Deum filialiter timent. Nota. Diſtinguit timorem filialem, ſicut Filius timet Patrem, à ſeruili, vt captiuus timet Dominum. De filiali timore Malach: 4. *Orietur vobis timentibus nomen meum, ſol iuſtitiæ & ſanitas in pennis eius, & egrediemini & ſalietis ſicut vituli de armento.* Et de timore ſeruili dicitur Iſa: 51. Quis tu vt timeas ab homine mortali & à filio hominis, qui quaſi fænum ita areſcet. In hoc enim differunt timor filialis à ſeruili, quia ille reſpicit reuerentiam ideò timet, iſte reſpicit culpam idcircò veretur. Hinc Petr: Chriſol: Serm: 80. *Seruite DOMINO cum timore & exultate ei cum tremore quia timor DOMINI Sanctus permanet in ſæculum ſæculi.* In Sanctitate enim manet, qui Dei permanet in timore. Habet Ælianus lib: 9. cap: 33. Adoleſcens Zenonis Scholam longo tempore frequentauerat. Reuerſum Pater interrogauit quid nam ſapientiæ didiciſſet? qui cum ſe oſtenſurum

Timor duplex

Quomodo differunt timor filialis à ſeruili.

dixiſſet

dixiſſet, indignatus Pater verbera ipſi inflixit. At ille modeſte patienterq; ferens, hoc ipſum inquit didici vt iram Patris moderate ferrem. Ita facit timens Deum in aduerſis.

In ſchola didicit iram Patris ferre.

Pro his qui Deo diligenter ſeruiuit, & ita Dei faciem merentur videre. Nota. Non ſine recto iudicio S. Antoninus Arch: Flor: dicebat ſeruire Deo regnare eſt. Talis namq; ſeruus efficitur hæres regni cæleſtis, & adoptione Filius Dei. Sed quæres, cur ex tali ſeruitio tam bonũ ſuperexcedens merita, ſperandum eſt? Audi Eccl: cap: 2. Fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Si hæc in initio ſeruitutis requiſita ſunt, timor & iuſtitia, & in progreſſu ſeruitutis hæc fortitudo indeficienter conſeruanda, vt ſis victor tentationum & triumphator de hoſtibus, nullum dubium quod inter electos & Sanctos computabitur, & conſequenter hæres cæli & Filius Dei merebitur ex congruo vocari & eſſe. In quem ſenſum de merito ſeruorum in nuebat Pſaltes 101. Filij ſeruorum tuorum habitabunt, & ſemen eorum in ſæculum dirigetur. Vbi nedum ſeruis, ſed filijs quoq; & ſemini illorum retributio promittitur. Da mihi intellectum Domine vt ſeruus tuum ſim. Orabat non ſine guſtu ſpei ex ſeruitio Dauid Pſal: 118. Refret Ælianus lib: 9. cap: 36. Apud Antigonum Pſaltes quidam artis ſuæ ſpecimen edebat. Cum verò ſæpiùs Antigonus diceret. Conſtringe chordam infimam. Et rurſus, mediam conſtringe, indignatus dixit. *Auertant ô Rex à te Dij malum hoc, vt me melius atq; exquiſitius hanc artem teneas.* Non ſimus nos impatientes in ſeruitio: ſed inquiramus voluntatem Domini & faciamus quod ſeruos eius decet & conuenit.

Seruire Deo regnare eſt.

In ſeruitute quæ obſeruanda.

Retribuuntur filiis ſeruorum & ſemini.

Citharedi impatientia contra regem.

ITEM DE EADEM DEDICATIONE.

Et dixit, qui ſedebat in Throno: Ecce noua facio omnia. *Apoc: 21.*

Thronus Chriſti quadruplex.

NOta quod quadruplex eſt thronus. Thronus gratiæ, miſericordiæ, iuſtitiæ, & gloriæ. In quolibet Dominus ſedens, noua facit omnia. In primo quieuit: in ſecundo tortus eſt: in tertio ſedebit inde iudicij, & in morte cuiuſliber

bet hominis : In quarto regnat.

Thronus gratiæ B. V. M. Primus Thronus gratiæ eſt B. Virgo Maria. Vndè Luc : 1. Aue Maria gratia plena. Vndè Apoſtolus Hæbr : 3. *Adeamus cum fiducia ad Thronum eius gratiæ ſcilicet* Beatæ Mariæ quæ ſtc Thronus Salomonis eburneus. Cum fiducia : quia propter nos Regina facta eſt. Item introducta eſt in cellam vinariam. Tamen dicebat: vinum non habent, tanquã ad eam pertineret. *Noua in B. V. M.* Hic fecit Dominus noua, ſcilicet quod filia eſt Mater Patris, quod Mater permanſit Virgo, quod Deus factus eſt homo.

Thronus miſericordiæ Crux. Secundus Thronus miſericordiæ eſt beata Crux. Ibi miſericordia ſuperexaltauit iudiciũ. Vndè Bern: Viſcera Domini miſericordia affluunt, nec deſunt foramina, per quæ effluant. Ibi enim miſertus eſt latroni Ioanni, Matri Ioanni cui talem dedit Matrem & toti generi humano. Hic ſi fecit noua ſcilicet quod pauper pauperem ditauit, id eſt, latronem, cui regnum dedit; pro crucifixoribus orauit, moriens mortem ſuperauit.

Thronus iuſtitiæ, dies iudicii Tertius Thronus eſt iuſtitiæ, ſcilicet poteſtas iudiciaria in vltimo aduentu, quando corpora ſuſcitabit, humiles exaltabit, ſemanifeſtabit, ibi iuſtus & iniuſtus apparebunt. Faciet ibi noua, quia omnes malos & bonos à ſe inuicem diuidit, corpora glorioſa & immortalia reſuſcitabit, vnumquemque ſecundum iuſtitiam renumerabit.

Thronus gloriæ in cælo. Quartus Thronus eſt gloriæ. Poſt iudicium ibi ſedebit, quando reformabit corpus humilitatis noſtræ cum corpore humilitatis ſuæ. Ibi etiam noua faciet, ibi in atrijs domus Dei florebunt Sancti : Iſai: in multis loc : ſuper hoc.

ANNOTATIO.

Pro primo Throno. Nota. Pſal: 46. *Sanctificauit tabernaculum ſuum altiſſimus.* Locus pretioſus debetur pretioſo locando. Nullum autem locale pretioſiùs habuit filio Dei nato ex B. V. Maria, vndè tabernaculum vteri ipſius, ita adornari debuit, vt ſit thronus, excedens thronum Salomonis. *Tabernaculum B. V. M.* Oportebat vt ſanctificetur quoq; à Spiritu S. quatenus ſit ſpecioſa inter filias Hieruſalem & inter omnes creaturas. Tantam ſpecioſitatem animæ B. V. Mariæ atq; thronum Chriſti Filij Dei. S. Ignatius Chriſtifer in Epiſtola ſua quam ad B. V. Mariam ſcripſerat, ſicut refert Six: Sen. in ſua Bibl : verbo Maria. Dicit ibi. Valeas. & Neophyti qui mecum ſunt ex te, & per te, & in te confortentur. *B. V. conſortat miniſ.* Quid valeat hoc dictum, ex te, per te, & in te, conſidera, & facile magnificum thronum, ſpecioſiſſimum tribunal fuiſſe B. V. M. conijcies. Iſid: de ſum : bon : cap : 13. ait. Multum ex ſua natura poſſidet anima ſplendorem, ſed fuſcatur commixtione carnis qua detinetur incluſa. *Anima ex ſe ſplendida.* Cùm igitur anima B. V. libera à corruptione peccati originalis ſit, retinuit

nuit naturalem ſplendorem, atque ſupra eundem, à Spiritu S. præparante eam in Matrem Filio Dei, multò altiorem obtinuit ornatum & lumen, vndè ſingulariter thronus Chriſti & gratiarum, dici promeruit. Et hoc eſt quod Exod: 25. præcipitur. *Facies mihi ſanctuarium, & ibi videbor à vobis.* Portatum eſt igitur aurum & argentum & lapides pretioſi & ligna imputribilia, & multiplex pretioſa materia adducta eſt, & inuenti ſunt fabri & operatores lignorum & lapidum. Facto opere, poſita eſt ibi Arca Domini, in qua erant lapideæ tabulæ mandatorum, manna, & virga erant ibi, Duo Cherubin poſiti ſeſe reſpicientes, & in exteriori loco erat candelabrum aureum ad aquilonem, erat etiam menſa propoſitionis panum, & altare holocauſtorum vbi mactabantur hoſtiæ Domino. Hoc explicando Antonius de Rampeolis Ord: Eremitarum dicit. Per tabernaculum, intelligitur B. V. Maria quæ ſuper omnes Sanctos ſanctior eſt, vt etiam Angelos ſuperet per puritatem. Portatum aurum & argentum, quia cæleſtis ſibi miſſa eſt plenitudo gratiæ. Ligna imputribilia ſunt in ea perfecta charitas, humilitas, ſobrietas, prudentia, ſapientia, &c. Faber eſt Spiritus S. qui ita eam ornauit, vt fieret Mater & Virgo. Arca theſauri diuini in ea poſita eſt Filius Dei factus homo. Virga eſt poteſtas diuinitatis. Anima Chriſti in qua Deus ſcripſit amplíſſimam ſapientiam, ſunt tabulæ, Caro in qua apparuit dulcedo beneuolentiæ, eſt manna. Cherubin, ſunt duo teſtamenta, mutuo veritatem de Chriſto & B. V. Maria nunciantia, Altare ad mactandas beſtias eſt exemplar B. Virg. ex ea enim diſcitur, qualiter acta beſtialia occidantur. Nam in hoc altari inuenitur malleus humilitatis ad conterendum leonem ſuperbiæ, aculeus charitatis ad feriendum ſerpentem inuidiæ; ſtimulum paupertatis ad percutiendum lupum auaritiæ: iaculum virginitatis ad occidendum porcum immunditiæ. Et ſic omnia parata inuenies ad omnia peccata fugienda. Eſt in B. V. menſa panum, quia in ipſa eſt tam peccatorum quam iuſtorum refectio. Candelabrum, quia in ea eſt adiutorium & ſubſidiũ contra diabolum in exitu vitæ præſentis. Quocirca Eccl: 24. *In me omnis gratia vitæ & veritatis.* In quem ſenſum D. Bern: Meritò in te reſpiciunt oculi creaturæ totius, quia in te de te & propter te benigna manus omnipotentis, quicquid creauit, recreauit.

Pro throno Miſericordiæ, Nempè cruce. Nota. Iſa: 53. *Diſciplina pacis noſtræ ſupſr eum, & liuore eius ſanati ſumus.* Quis non intelliget, hîc ſermonem eſſe de Chriſto Domino qui dorſum ſuum ad diſciplinam inimicis expoſuit propter pacem animarum noſtrarum cum Deo, & tali liuore ſanitas inchoata, perfecta fuit in cruce vbi dictum erat

Sanctuarium Domini eſt B. V. Maria

Expoſitio Sanctuarij mirifica.

Arca in B. V. M.

Cherubin duo Teſtamenta duo.

Altare ad beſtia mactā das eſt exemplaris vita B. V. Mariæ

Mundũ recreauit per Mariã Deus.

Diſciplina pacis & ſanitas in cruce Chriſti.

Conſumatum eſt. Vnde S. Leo Serm: de Reſur: Domini, conuertendo ſe ad Crucifixum Dominum & Crucifixum Latronem dicit. *O mira rerum conuerſio, Latro credidit, Latro de cruce impetum fecit, & intrauit Paradiſum trophæa framea circumdatus. O violentus Latro, ô artificioſus effractor, ipſum cubicularium tenuit, & per ipſum ad Paradiſi interiora peruenit.* Sed quæres cur alteri Latroni hic miſericordiarum Thronus non ſubuenit? Qui inter ignem verſatur, vndiq; calefit. Chriſtus miſericordiarum Pater in medio Latronum pendens, vni calorem, alteri ſtridorem donauit. Cur non vtriuſq; æqualiter miſericors fuit? Sed reſpondetur, quod æqualem miſericordiam vtriſq; paratus fuit donare, ſed non erat vterq; diſpoſitus ad recipiendam. Illi qui erat diſpoſitus ad recipiendam medicinam, donauit, & ſanatus eſt à peccatis; qui verò impietate & iniquitate recuſauit eam ſumere, in peccatis ſuis perijt: Vndè S. Leo in Serm: de Reſur: Vnus erat Latro mente & corpore proximus alteri, alteri vicinus, ſed multum corde diuiſus. *Pendebat Chriſtus in medio, tanquam ſol fulgebat. Confitebatur vnus & honorificabat, alter incredulus blaſphemabat. Iudex mox dictat vni ſententiam, alteri verò porrigit indulgentiam.* Quid iuſtius? quid decentius? quàm iuxta voluntatem propriam cuiq; tribuere. Chriſtus vtriſq; tribuere voluit bonum, at vnus magis elegit malum. Fertur de Flauio Veſpaſiano, quòd cum admoneretur ab amicis vt caueret à Metio Pompoſianno quod de hoc rumor increbuerat, fore vt aliquando regnaret, non ſolùm ſibi non metuit ab illo, ſed & conſulem fecit. Et admirantibus amicis. *Erit inquit memor tanti beneficij.* Quod ſi intentum Chriſti & ſcientiam eius ſpeculabimur, non alio fine diſpoſuit vt ſecum à latere penderet malus latro, niſi vt ſicut ſolium ad crucem ita quoque Senatorem faceret in cælo, at ille beneficij illius quo tangebat ipſius oculos & mentem, immemor magis blaſphemabat eum. Idcircò ſibi ipſi cauſa mali factus eſt. Quam concinnè Iſidorus lib: 2. de Sum: cap: 36. *Nihil prodeſt admixto malo agere aliquid bonum, ſed prius eſt cohibendum à malo deinde exercendum bonum.* Hoc indicat Propheta, Iſa: 1. dicens. *Quieſcite agere peruerſe, diſcite benefacere.* Si verò nil boni facies ſed omnia mala, iam iudicium prolatum eſt. Huc ſpectabit illud D. Aug: in Medit: Creare te potui ſine te, ſaluare non poſſum te ſine te.

Latro bonus cubicularium tenuit ad cælum.

Latro vnus cur ſaluatur alter perit

Sententia Chriſti in cruce.

Hoſti fecit bene.

Chriſti Latrones voluit ſolur.

Bonum agere ni malo ad mixto

Nos nõ ſaluat ſine nobis

Pro trono iuſtitiæ. Nota. Ioel: 3. *Conſurgant & aſcendant gentes in vallem Ioſaphat, quia ibi ſedebo vt iudicem omnes gentes in circuitu.* Thronum iuſtitiæ Chriſtus collocabit, vt omnes iudicet, nedum viuos ſed & mortuos omnes. Ita enim Apoc: 20. *Mare dedit mortuos ſuos, & mors at infernus mortuos ſuos qui in ipſis erant.* Nullus igitur erit, qui ad Tribunal ipſius vocatus, coram illius throno vt

Throno iudicij Chriſti vallis Ioſaphat.

iudi-

Tuba terribilis & magna

iudicetur non appareret. Vndè D. Chryſoſt: ſup: 1. ad Cor: 15. Verè vox magna tubæ terribilis, cui omnia obediunt elementa, quæ petras ſcindit, inferos aperit, portas æreas frangit, vincula mortuorum diſrupit, & de profundo abyſſi animas liberatas corporibus ſuis reddit. Hæc autem citius conſumabuntur in corpore, quàm ſagitta tranſeat in àére, dicente Apoſt: 2. Cor: 15. *In monte, in ictu oculi, in nouiſſima tuba, mortui reſurgent.* Quid igitur faciendum nobis vt in hoc iudicio lenius nobiſcum fiat ſicut Deut: 32. dicitur. *Iudicabit Dominus populum ſuum & in ſeruis ſuis miſerebitur.*

Iudex placandus & orandus.

Vnicum reſtat ſerui ipſius vt ſimus, & Dominũ oremus. Seruis etenim miſeratio promiſſa, & officium ſeruorum eſt, orare Dominum. Ita faciebat D. Aug: & in lib: Confeſ: cap: 36. dicit. Porto Domine iugum tuum, & leue eſt mihi; quoniam ſic promiſiſti & feciſti, & verè ſic erat, & neſciebam cum id ſubire metuebam. De oratione & obſecratione docuit nos ille Henricus Auceps Imperator, cùm Vngaros acerrimos hoſtes, non ſine detrimento debellaret, tandem inclamante ante pugnam vniuerſo exercitu Kyrie eleiſon hoſtes deuicit, & conſueta hoſtibus pendi vectigalia vertit in pauperes, quo teſtatius Orbi eſſet, cuius dextera victoria ſtetiſſet.|Vt verò recipiaris in ſeruũ & obſecratio tua exaudiatur, audi. D. Cypr: tractat de Lapſis. *Dixi*

In bello Kyrie eleiſon

Vectigalia in pauperes.

Quid faciẽdum vt recipiaris in ſeruũ & exaudiaris.

confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino inquit Pſal: 31. Confiteantur ergò ſinguli delictum ſuum, dum adhuc qui deliquit in ſæculo eſt, dum admitti confeſſio eius poteſt.

Throno gloriæ cælum.

Pro throno gloriæ. Nota. Iſa: 65. *Ecce ego creo nouos cælos & terram nouam, & non erunt in memoriam priora & non aſcendent ſuper cor, ſed gaudebitis & exultabitis in ſempiternum in his, quæ ego creo.* Stante hoc ſæculo, cum nouum cælum paratur & terra, & ſtante hoc ſæculo, incipient gaudere homines vt gaudeant in ſempiternum in hoc nouo cælo, iam illud non erit aliud, niſi gloriæ Thronus Dei & Chriſti. Superius enim apud eundem Prophætam cap: 33. ita animabat populum Deus. *Reſpice Syon Ciuitatem ſolennitatis noſtræ, oculi tui videant Hieruſalem habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit.* Clarè manifeſtauit Deus Thronum ſuum gloriæ, cælum. Quis negabit quod thronum gloriæ etiam propter fideles conſeruauerit Chriſtus? Dicitur Iſa: 32. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, in requie opulenta.* Sed heu dixit in Spiritu Eſdras 3. cap: 8. Hoc ſæculum fecit altiſſimus propter multos, futurum autem propter paucos. Nec defectus ex Domino ſed ex creatura, quæ magis dilexit tenebras quàm lucem. Vnde D. Cyrill: lib: 12. in Ioan: dicit; Olim diaconus in Eccleſia clamare ſolebat ad populum. *Sancta Sanctis.* Hinc præmittit ibidem lib: 4. cap: 17. Nos ſi vitam æternam

Nouũ cælum & terra eſt gloria cæli hominibus data.

Sæculum hoc propter multos futurũ propter paucos

Sancta Sanctis

Ad gloriã conſequendã duo requirunt ur. nam conſequi volumus, ſi largitorem immortalitatis in nobis habere deſideramus, ad recipiendam benedictionem libenter concurramus. Diſpoſitio noſtra & benedictio Dei requiritur in nobis ſi ad Thronum gloriæ Chriſti anhelamus. Fertur de Cluuio Hiſtoriographo quod Virginium cuius res geſtas attigerat ſic affatus eſſet. Scis Virgini quæ fides Hiſtoriæ debeatur. Proindè ſi quid in Hiſtorijs meis aliter legis quam velles, rogo ignoſcas. *Hiſtoria vera debet eſſe* Ad hæc Virginius. Tu ô Cluui, *an ignoras ideò me feciſſe quod feci, vt eſſet liberum vobis ſcribere quæ libuiſſet?* Vox excelſi animi teſtis, & rectè factorum conſcientia, contenta. Thronum gloriæ noſtræ, præcedit liber vitæ, in quo inſcribuntur omnes viuentes candido lapillo, & cubile mortis præcedit liber culpæ in quo inſcribuntur atro lapillo, damnandi. *Thronum gloriæ præcedit liber vitæ.* Qui igitur inſcriptus eſt in libro vitæ, ille Throni gloriæ Chriſti particeps erit. Quocirca Iſidorus à throno iuſtitiæ Chriſti, argumentatur ad thronum gloriæ in cælo, lib: de Summ: 1. cap: 30. *In iudicio reprobi humanitatem Chriſti in qua iudicaturus eſt videbunt, vt doleant: diuinitatem autem eius non videbunt, ne gaudeant.* *In iudicio humanitas & diuinitas à diuerſis videbitur.* Quibus enim diuinitas eius oſtenditur, vtique & gaudium demonſtratur. Et in his thronis ſedens Chriſtus, noua fecit omnia, vt Beatus Albertus Magnus deducebat.

ITEM IN EADEM DEDICATIONE.

Egreſſus Iacob. Vidit ſcalam cuius cacumen tangebat cælum, & Angelos deſcendentes & aſcendentes & Dominum innixum ſcalæ. *Gen: 28.*

QVIS SIT IACOB A QVO SCALA VIDETVR?

Iacob ſupplantator colubri. Reſp: Quilibet fidelis qui ſaluari deſiderat. Iacob enim ſupplantator interpretatur. Vt ſcilicet ſupplantet illum colubrum tortuoſum, qui nauigantes in hoc magno mari, id eſt, in hoc mundo ſcilicet nititur deglutire, & qui eum ſupplantabit certe, vt egrediatur Barſabee, & pergat Haram. Barſabee interpretatur puteus ſatians ſicut dicitur hoc ſæculum mundus, quaſi minimè mundus. *Puteus non ſatians.* Hic eſt puteus de quo Pſal. 68. deplorat liberari dicens: *Non ne demergat tempeſtas aquæ, nec abſorbeat me profundum, neque*

vrgeat

Mons montium cælum. *vrgeat ſuper me puteus os ſuum.* Aqua huius putei non ſatiat, quia qui bibit ex hac aqua, ſitiet iterum. Haram interpretatur Mons, vel ſublimitas, & exprimit nobis patriam æternæ lucis, quæ eſt in monte omnium montium conſtituta. De Barſabee igitur perigit Haram, qui gaudium mundi pernitioſè ſatians contemnit, & hæreditatem patriæ cæleſtis deſiderat adipiſci, ſed talibus neceſſe eſt, vt ad montem illum per ſcalam aſcendant.

ANNOTATIO.

Alta & ſublimis viſio, altum & ſublimem virum requirit, ſancta autem viſio, ſanctum hominem oſtendit. Viſio Iacob ſublimis & ſancta, cùm Angelos & Deum videt. Qui ſalutem deſiderauit & ſupplantauerat hoſtem animæ, luctatorem cum diabolo & carne & mundo nedum ſignficat, ſed victorem quoq́; commendat. Iſa. 40. dicitur. *Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas vt aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* Vide quæ victoria promiſſa eſt fideli Chriſtiano pugnanti cum hoſte animæ ſuæ. Sed heu, deplorat D. Aug: in Soliloq: fatum noſtrum dicens. Peſſima infamia noſtra, qui cum continuè videamus contra nos draconem ore aperto paratum ad deuorandum nihilominùs dormimus & laſciuimus in pigritijs noſtris tanquam ſecuri ante eum qui nihil aliud deſiderat quàm vt nos perdat inimicus iſte & occidat, ſemper vigilat abſq; ſomno, & vt nos cuſtodiamus, nolumus nos euigilare à ſomno. Profectò tam piger videbit ſcalam ſed ad infernum, videbit Angelos, ſed malos & damnatos, videbit luciperum innixum in profundo ſcalæ, ad ſuam contumeliam. Deſcendent in profundum inferi vt lapis. Cito & velociter deſcendent, ſed nunquam aſcendent. Quod malum ignauorum ad pugnã cum hoſte cùm aduerteret ille nobilis Romanorum & omnium gentium Doctor D. Paul: 1. ad Cor: 16. admonet. *Vigilate, ſtate, in fide, viriliter agite, confortamini, omnia veſtra in charitate fiant.* Quis negabit, quod nullus cum diabolo amicitiam velit? Horrenda enim amicitia eius, ſi in tenebris, ſi in gemitibus, ſi in pænis nunquam alleuiandis, ſunt tamen qui cum carnem & libidinẽ amant, qui tyrannidem & iram fouent, diaboli amicitiam quærunt, & aliquando pactis, ſortilegijs maleficijs, in cantationibus ſeſe in fædam amicitiam illi obligant. Sed quis finis horum? perpetua ignominia & pæna. Habet Heraclides in Politijs. In Cephalonia filius Promneſi regnauit, homo immitis & aſper, qui ciuibus ſuis non niſi duo conceſſit feſta, neq; de Vrbe degere, niſi ad dies decem in Menſe. Puellas antequam nuptui darentur, ipſe cognouit. Ecce amicitiam cum diabolo. Audi igitur quæ ignominia ~~ſubſe~~cuta eſt. Antenor quidam *Tyrannus occiſus ignominioſe.*

dam ſumpto gladio veſtem induit muliebrem atq; ita in lecto eum necauit. Collige, quod hanc ignominiam ſubſecuta eſt maior in barathro. Malos male perdet. Omnia igitur facienda ſunt in charitate Dei, qui hoſtem ſupplantare & ſalutem inuenire deſiderat. Amicitia cum proximo reſpectu Dei ita proficua eſt, vt ſymbolo efformaretur Myrthi & Oliuæ mutuis amplexibus innodatis, addita nota. *NOSTRA VEL IN TVMVLO.* Amicitia cum Deo infinitè homini neceſſaria peregrinanti in patriam cæleſtem, aliter enim greſſum non habebit. Inuitat ad ſuam amicitiam Deus Iſa: 43. *Noli timere quia redemi te & vocaui te nomine tuo. Meus es tu. Cum pertranſieris per aquas tecum ero, in igne non combureris, ego Saluator tuus.* Viſio Iacob dedicatæ Eccleſiæ vim exprimit.

Amicitiæ Symb:

Amicitia cũ Deo

Quæ ſit ſcala quam vidit?

SCala iſta, per quam ſcandendum eſt ſunt præcepta decem Moyſi data: latera ſunt dilectio Dei & proximi. Primum mandatum eſt: *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo ſeruitutis. Non habebis Deos alienos coram me corde, neq; adorabis eos ore, neq; coles eos opere. Ego enim ſum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, viſitans iniquitates patrum in filios vſq; in tertiam generationem, & quartam eorum, qui oderunt me, & faciens miſericordiam in multis his, qui diligunt & cuſtodiunt præcepta mea.* Secundum eſt: *Non aſumes nomen Dei tui in vanum, nec enim habebit eum inſontem Dominus, qui aſſumpſerit nomen Dei fruſtra.* Tertium eſt: *Memento, vt diem ſabbati ſanctifices; Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua, ſeptimo autem die ſabbati Domini Dei tui non facies omne opus tuum, & filius tuus, & filia tua, & ſeruus tuus, & ancilla tua, & iumentum tuum, & aduena qui eſt intra portam tuam.* Quartum eſt: *Honora Patrem tuum & Matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terram quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi.* Quintum eſt: *Non occides manu vel dente vel conſenſu.* Sextum eſt: *Non mæchaberis, id eſt, non commiſcearis alicui excepto Matrimonio.* Septimum eſt: *Non furtum facies, nec rapies.* Octauum eſt: *Non loqueris contra fratrem tuum falſum teſtimonium, vel omne mendacium.* Nonum eſt: *Non concupiſces domum proximi tui*, ſecundum Aug: hîc prohibet concupiſcentiam rei alienæ immobilis. Decimum eſt: *Non deſiderabis vxorem eius, non ſeruum, non ancillam, non bouem, non aſinum, nec omnia, quæ illius ſunt.*

Scala ſunt præcepta Dei

Expoſitio decalogi.

ANNOTATIO.

VEritatate nîl verius. Veritas etenim ſumma eſt, Decalogus, ſeu decem ſermones Dei ad populum, quo docebatur, viam vitæ, & ſalutis terminum aſſequendum. Vndè de lege Dei B. Nilus Mart: in ſét: Trop: Nemini contra legem Dei auxilium ſeu præſidium feras: abſurdum enim eſt, quempiam, hac digniorem cenſere. Hac ſcala ingreſſa eſt cælum B. V. Maria. Non habuit niſi vnum Deum cui intendebat.

Decalogus quid.

Nemini contra legem Dei auxiliare

Scala in cælũ B. V. M. præcepta decem.

debat. Nec nomen inuanum habuit, quod ſemper inuocauit. Quietem ſabbati cordis nunquam interrupit, ſed continuò feſto, Deo celebrauit, ſacrauit. Parenti ſemper honorem exhibuit. Nullum verbo vel exemplo occidit, quæ omnes viuificauit, ſuper verum animæ ſponſum, adulterinam dilectionem non admiſit. Nulli nocuit, omnibus indigentibus larga miſericordiæ manu ſua porrexit. Veritate ſic linguam ditauit quod omnibus dolis relegatis, diffuſam gratiam in labijs protulit. Nullius bona concupiuit, quæ charitate perfecta quod ſuum erat non quæſiuit. Et ſcit omnis Iſrael, quòd fuerit virtutis virgo. At non omnis hanc ſcalam amplectitur, ſed certior, verior non inuenietur, niſi talia inueniat media conſequendi cœlum, quæ innituntur in præceptis Dei vt eſt Martyrium. Quocirca B. Iſid: lib: 2. cap: 7. lib: de ſummo bono. *Nemo perpendere poteſt quanti ſit ponderis iniuſtitia, vel quanti fulgoris radio iniuſtitia clareat, niſi qui priùs toto mentis niſu conuertatur ad Deum, quatenùs ipſo lumine quo illuſtratur, & ſuam fælicitatem agnoſcat, & lumen quod cæco corde non intelligebatur, intelligat.* Hanc ſcalam in cælum hominibus propoſitam & expoſitam amplectamur, nam licet non deſint varij modi Deo trahendi ad cælum, iſte tamen iam eſt homini propoſitus, vt qui deuiauerit ab hac ſcala, Deum non videat in æternum placabilem.

Præceptorum ſcala certa ſed non ab omnibꝰ perpenditur.

Deuiare à præceptis eſt in æternum perire.

Habet D. Iſidorus loco ſuperius nominato varios trahendi in cælum modos. Multis (inquit) modis terret Deus homines vt vel ſero conuertantur, atq; ex inde magis erubeſcant quod tam diu expectati ſunt vt redirent. Nam nunc minis, nunc plagis, nunc reuelationibus quoſdam concutit, vt qui voluntate conuerti deſpiciunt, commoti terroribus corrigantur. Iuxta illud Pſal. 31. *In fræno & chamo maxillas eorum conſtringe qui non approximant ad te.* Vnum tractum à Deo ad præcepta & cælum in Hiſtoria S. Dominici à Claudio à Rota conſcripta quod etiam refert S. Antoninus referam. Erat Bononiæ quidam vitæ lubricæ deditus, qui tali viſione erat commonefactus. Videbatur ſibi dum in ſomnis exiſteret quod dum per quendam agrum nimis ſpatioſum gradiebatur, ſubita mox & inſperata oriebatur vehemens tempeſtas nec modicum periculoſa, quam cum ille euadere vellet, accurrit & magno labore contendit ad vnam domum. Hanc pulſans intromitti rogat, vt tempeſtatis periculum & malum effugiat. Sed reſpondetur illi. Iuſtitia hic habitat, quam quia tu factis non noſti, hic minimè recipi potes. Mæſtus indè abijt & ad aliam caſulam accurrit, ſupplicat. Sed audit, Hic veritatis domicilium eſt, & interdictum tibi, eò quod veritate contempta ſemper fueras ſecutus mendacia. Ad aliam domum mox cõtendit properè, in qua

etſi

etſi multis fletibus refugium habere petit, obtinere non poteſt. Reſpondetur enim illi, quod ibi Sancta pax inhabitet, quæ quoniam impijs eſſe non poterat, procul abire mandatur. Salutare tamen illi donatur conſilium quod progrediatur ad domum quam pacis ſoror miſericordia colebat, quia ea ſolebat miſeris ſubſidio eſſe. Proceſſit itaq; tempeſtatis vim & itineris difficultatem ſuperante auiditate qua tenebratur ſalutis conquirendæ, & pulſat miſericordiæ fores, deflens miſerias & perpetrata peccata, & remedium poſcit à tam ſeua tempeſtate. Qui ire Bononiam iubetur ad domum fratrum Prædicatorum, & quod ibi inueniret pænitentiæ ſtabulum, præſepe continentiæ & doctrinæ pabulum. Qui euigilans, ne ſpiritui reſiſteret, mundi luxui & illecebris vale faciẽs ſanctæ conuerſationis habitum aſſumpſit. Quam recte B. Iſidorus. *Plerique ex ſola mentis deuotione conuertuntur, non nulli vero ſecretè conuertuntur.* Scalam igitur hanc cogita eſſe Eccleſiam dedicatam, in qua orationes aſcendunt ad cælum & beneficia deſcendnnt.

Quare Angeli per ipſam aſcendere & deſcendere videantur.

PEr hanc ſcalam videntur Angeli deſcendere, homines in ipſam eleuando, aſcendere etiam dicuntur homines per ipſam oportunius deuehendo. Angeli enim hominem ad bonum excitant, & eleuant, & in bono eleuatum de virtute in virtutem deducunt Spiritus. Vndè Propheta in Pſal: 142. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam, propter nomen tuum viuificabis me in æquitate tua.*

ANNOTATIO.

Gaudent Angeli ſup bonis & conuerſis.

GAudium eſt Angelis ſuper peccatore pænitentiam agente, quomodo igitur non gaudebunt ſuper hominem Angelicam vitam ducentem? Iſido: lib: 3. de Sum: c. 17. Bonum eſt corporaliter remotum eſſe à mudo, ſed multo melius remotum eſſe voluntate. vtrumq; vero perfectum. Ille ergo perfectus eſt, qui à ſæculo & corpore & corde diſiunctus eſt. Hunc vt dicit B. Abertus Mag: eleuant Angeli in cælum & deducunt. Sicut viſa fuit eleuari & deduci in cælum anima S. Dominici Ord: Præd: per ſimilem ſcalam. Ita enim in officio de illo legimus. *Scala ſurſum prominens fratri reuelatur, per quam Pater tranſiens ſurſum ferebatur.* Fidiſſima amicitia eſt, inter Angelos & homines pios, vt maior imaginari non poſſit. vndè mirum non eſt, quod à Spiritu bono cum gaudio deducantur in terram rectam & in æternum viuificentur. Refert Cic: lib: 3. Offic: Erant duo legis amicitiæ cuſtodes Damon & Phitias mutuo amore ita ſe proſequentes vt alter pro altero paratus eſſet mori. Contingit quod alter illorum capite damnatus cuſtodi-

Remotus à mundo corp: & volunt.

Fidiſſima amicitia inter homines.

ſtoditur in carcere iuſſu Dionyſij Tyranni Siciliæ Regis ſuſpicione proditionis commoti qui iam diem necis deſtinauerat. Tunc ille miſer qui morti addictus erat paucos ſibi dies poſtulat pro rebus ſibi componendis, mox alter hoc audito ſponte ſe ipſum obtulit pro obſide in carceribus cuſtodiendum, annuit Rex conditione, vt ſi ille ad diem condictum non rediret ad carcerem pænas ipſe lueret, libenti animo conditionem ſuſcepit. Cùm autem adeſſet hora morti deſtinata & iam obſes eſſet proximus ſupplicio, vnuſquiſq; damnabat ſponſorem temeritatis nota. At is intrepidus nihil de amici fide dubitans conſtanter prædicabat ſocium procul dubio venturum. O factum memoria dignum. Eodem propè momento quo Tyrannus ſupplicium indixerat, ecce qui aberat, aduenit, ſe præſentem exhibuit ne quicquam detrimenti pateretur amicus Quod factum conſiderans Tyrannus admirans eorum fidem, reum impunè dimiſit, obnixe rogans vt ſe quoq; tertium in amicitiam adſcriberent. Equidem rectè Euripides. *Non eſt amicus qui amare deſijt.* Multò fortior eſt amicitia inter homines bonos & Angelos aſſiſtentes Deo. Illi enim ex quo amant nos ſempiterne amant. Quocirca ad flagellandos homines non deſcendunt Angeli boni, ſed id permittitur apoſtatis Angelis Ita enim B. Iſid: lib: 1. de Sum: cap: 12. *Quoties Deus*

Amicitia fortior inter Angelos & homines, quam inter homines.

quocunq; flagello huic mundo iraſcitur, ad miniſterium vindictæ apoſtatæ Angeli mittuntur: qui tamen diuinâ poteſtate coërcentur ne tantum noceant quantum cupiunt. Boni autem Angeli ad miniſterium ſalutis deputati ſunt vt curas adminiſtrent mundi & regant animas & omnia iuſſu Dei, teſtante Apoſt: Nonne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis? Quod ad Eccleſiæ dedicationem ſpectat. Angeli deſcendunt & aſcendunt in Eccleſias tales: nam ſunt aſſiſtentes ad ſacroſanctum & incruentum ſacrificium altaris. Et qui ſunt Angeli cuſtodes hominum orantium in Eccleſia accellerant nedum obſecratione pro homine, ſed etiam adorant Deum in ſacramento exiſtentem. Vnde Ven: Beda in cap: 22. Lucæ Finitis Paſchæ veteris ſolennijs, quæ in commemorationem antiquæ de Ægypto liberationis agebantur, tranſijt ad nouum quod in ſuæ redemptionis memoriam Eccleſia frequentare deſiderat. Vt videlicet pro carne agni & ſanguine, ſuæ carnis ſanguiniſq; Sacramentum in panis ac vini figura ſubſtituens, ipſum ſe eſſe monſtraret, cui iurauit Dominus & non penitebit eum. Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.

Angeli boni in bonum, mali in malum mittũtur.

Angeli aſſiſtunt altari.

Chriſtus Sacerdos & verè hoſtia.

Chriſtus verus in Sacrã:

Cur Dominus ſcalæ innixus videatur.

INnixus. Vt aſcendentes per virtutes, tanquam pius Pater hilariter recipiat, & receptos pro mercede laboris

Cur Deus innixꝰ Scalæ.

laboris glorioſiſſime coronet corona æternæ gloriæ.

ANNOTATIO.

Alacrius Deus ſuſcipit in cælum quam fidelis Abrahæ obedientiam in filio offerendo.

SVſcepit Devs Abrahæ obedientiam gratioſè, dum extendit manum in Filium vt offerat ipſum Deo. Id teſtatur Angelus retinens gladium, id teſtatur agnus ad offerendum paratus. Multò alacrius ſuſcipit ingredientes cælum per fidem, charitatẽ & cæteras virtutes. Nam non iam probam fidei, ſed meritum ſuſcipit. Plato in Timæo. Anima eſt coniuncta corpori, vt fruatur ſcientijs & virtutibus. Si enim cum feruore magno eam inuenerit, benignè à ſuo creatore recipietur, ſi verò contrarium, relegabitur ad inferna

De feruore animæ in vir: Plato.

Laudatur ab Æliano lib: 3. cap: 28. Socrates qui curam & faſtum retudit Alcibiadis. Socrates cùm vidit eum ob diuitias clarum animum gerere & ob agrorum multitudinem ſuperbiæ, adduxit eum ad locum in quo tabula quædam deſcriptionem terræ complectens ſuſpenſa erat, & rogauit eum vt Atticam ibi quæreret. Quã cum inueniſſet, ſuos fundos iuſſit eum inquirere, & cum reſponderet nuſquam ibi pictos eſſe. Horum (inquit) poſſeſſione te effers qui nulla pars ſunt terræ. Docuit non caducis & labentibus delectari debere, ſed perennibus & magnis, quæ nec marceſcere nec flacceſcere nec demoliri nec ruinari poſſunt. Talia ergo ſunt illa bona, quæ cum gaudio cum poſſeſſoribus ſuis recipiuntur à Deo in æterna tabernacula.

Superbus Alcibiades confunditur.

Peren- nis de- lectat...

In Hiſt: Soc: Iesv habetur Londini Henricus Walpol Cum in ſumma ſcala conſtitutus iam iam Strangulandus pro fide Sacra eſſet, recitauit cum pietate Orationem Dominicam, qua finita, cum ſalutationem Angelicam orſus eſſet, impij iudices non paſſi ſunt eam finire, at iuſſerunt, vt eum è ſcala deijceret iuſtitiæ adminiſter. Quid in hoc progreſſu iuſtitia vera conſtituiſſet, non aliud ſuſpicor, quàm, vt pius Pater ex iniqua ſcala trãsferat greſſum in Scalam Iacob & tranſcendat ad eum, pro cuius fide mori paratus erat ac libenti animo Spiritum reddebat.

Pater Societatis ſtrangulatur pro fide.

Rectè B. Iſidorus: Venturi exitus ignorantia incerta eſt, & dum mori quis non exiſtimat tollitur. Vndè vnuſquiſq; feſtinet, ne in iniquitatibus ſuis rapiatur, ſimulq; finiatur vita cum culpa.

Ex ſcala ſcalam in cælum aſcendit

Iniquitas cauenda

Sermonum Beati Alberti Magni de Tempore,

FINIS.

INSTYTUT OSSOLINSKIEGO.

INDEX.

INDEX.

SERMONVM B. ALBERTI MAGNI De Tempore. In quo paginarum columnæ ſectantur per literas alphabeti a b c d. ita quod Prima pars columnæ, ſignificatur per a. Secunda pars, per b. Tertia per c. Quarta per literam d. Et hoc commodioris inuentionis gratiâ, pro lectore gratioſo.

ABſinthium ſtella. 738. c.
Abominatio Hieroſol: 786. a.
Abominatio Antichriſtus. 788. a.
Abominatio imago Ceſaris. 785 c.
Abominatio falſa. 789. a.
Abſolon, Patris amaricatio. 41. b.
Abraham diem dom. vidit 273. b.
Abrahæ imolatio. 272. b.
Abrahæ ſinus. 321.
Abrahæ viſio Chriſti. 271.
Abundantia virtutum 607. a.
Abuſus rerum. 617. b.
Abſtinentia à cibo. 116. a.
Acedia 942. a.
Acediæ mala. 56. c. 417. c. 723. b.
Actionis rectitudo. 19. c.
Acuſabunt hominem omnia. 65. b.
Acuſatores peccatoris. 319. b. 616. d.
Accipe, redde, caue, 77. d.
Adequabit nigrus 578. a.
Aduerſa verò. 689. d.
Adam cur á DEO quæſitus. 430. d.
Aduenit dominator dom. 6. d.
Abominatio animæ 9. b.
Adamas Chriſtus. 36. b.
Aduentus Chriſti dupl: 789. b.
Adulterium. 152. c.
Adam & Eua fratric: ſpir. 41. b.
Adamas ſemper, 395. d.
Adoratio regum. 105. c.
Beatus Andreas Carmel: 122. a.
Adiutorium recto cordi. 160. d.
Adfui vidi pænitentiam. 264. a.
Affer affer. 516 a.
Africani ſtatua in Iouis cella. 631. a.
Age vt Epiſc: non iudex. 521. d.
Agnus Dei ecce. 542. d.
Agnus Dei ſcel: pecc: tolle. 616. d. 648. a.
Agnus Dei circa Imag: B. V. 663. b.
Agnus & Leo Henricus. 207. b.
Agni typici eſus. 289. d.
Agnus manifeſtatur paſt: 29. d.
Agathonis oculi. 22. c. 187. a.
Agathonis lapis. 35. d.
Agricolam ſpin: ignis 38. a.
Alo te vt pugnes. 711. c.
Alexandri dolor mort: 686. b.
Altari aſſiſtunt Angeli. 809. c.
Alphabetum conſilium ſanum. 25. c.
Alcibiadis ſuperbia. 810. a.
Altari ſerui moritur, ſanctus. 59. c.
Alba veſtis baptiſandi. 140. a.
Altare fides. 557. a.
Altare eſt Crux. 109. d.
Altare Chriſtus. 541. a. d.
Altare cor iuſti. 541. c.
Altare primum Noë fec: 541. d.
Albigenſes compulſi. 170. d.
Altum & profundum diff: 197. a.
Alexander filius ſufficit. 112. c.
Alexandri imago ſigill: 520. b.
Amicitiæ Symbolum. 806. a
Amici fideles rari. 74. b.
Amici tenebrarum. 688. d.
Amici duo. 366. a.
Amicum ne decipe. 366. a.
Amicitia cum DEO. 74. d.
Amicitia non pecunia. 78. c.

I N D E X.

Amor triplex B. V. M. 18. a.
Amor erga DEVM. 59. c. 80 b.
Amatoris mundi poculus. 161. a.
A malo malum. 204. c.
Amore langueo. 160. a.
Antiu: Reſtro Domin: lib: 5. c.
Angeli in äere intonant. 6. d.
Angelus Verus app: paſtor. 28. b.
Angeli lætantur nobiſcum. 29. a.
Angeli S. Dominicum ducunt. 30. b.
Angelus gladio drac: ferit. 293. d.
Angeli dirigebant Chriſtum 89. d.
Angelus conſolator Chriſti. 90. a.
Angeli placide conuerſ: 90. a.
Angelus à ſomno excitat. 90. d.
Angelica ſubtilitas. 187. a.
Angeli ſeruiunt Beatæ Claræ. 192. c.
Angeli B. V. Imaginem pinxerunt 552. c.
Angeli. Os iuſti, mort: Can: 694. a.
Anima Vel ſponſa Vel adult. 9. a.
Anima maledicit corpori. 64. d.
Anima, Vbi animat. 69. d.
Animas da mihi. 74. b.
Animæ Vires tres. 307. b.
Anima emundata. 339. b.
Anima moriatur ang: morte. 80. a.
Anima regnum hominis 93. a.
Anima gratia ornata. 97. d.
Animæ fætor, raucedo. 234. c.
Anima poſt baptiſmum. 136. a.
Anima repetita à dæm: 136. b.
Animæ pulchritudo. 136 d.
Anima mort: peccatis. 137. c.
Animæ dænominatio. 139. c.
Animæ bonæ tituli. 139. d.
Animæ piæ characteres. 161. b.
Animæ naturalis ſplend: 183. a.
Anima pro cælo ferat. 186. d.
Anima pauimento adhæſit. 190. d.
Animæ irriguum duplex. 121. b.
Anima poſt Deum nil melius. 538. b.
Anima Deo attribuitur. 563. d.
Animus Regius & Sacerdot: 376 d.
Anguis ex ara. 96. d.
Anguis ſignum Victoriæ. 96. d.
Annulus eſt Ieſus. 106. a.
Annulus ſignum nobilium. 107. 4.
Annulus fidei. 107. a.
Andronici interitus. 219. b.
Ante fugam fuit. 593. d.
Apoſtoli ſtellæ. 2. a.
Apoſtoli figurant Eccleſiam. 3. c.
Apoſtolorum Epiſcopus. 317. d.
Apparitio dupliciter. 20. b.
Approximatio DEI. 674. b.
Apem expectat. 405 d.
Aquilæ cum Drac: pugna. 349. c.
Aquila oculos eruit. 159. c.
Arundineus homo. 12. c.
Aries cum Syrena in ſep. 711. b.
Arundo quis. 13. a.
Ara mentis & Verit: 713. a.
Arctam ambulare Viam. 422. c.
Archangelus paſtor app: 29. a.
Arca Beata Virgo Maria. 801 b.
Arma cum paſtorali. 292. a.
Aromata Mariarum. 310. b.
Aromata miſtica. 310. c.
Argui de iuſtitia. 347.
Arboris Perſicæ fructus. 113. d.
Arca Capitolini ſtator. 556. c.
Arbor ſub qua dæmon. 591. d.
Argus. 615. b.
Aranea tela murus. 634. b.
Arma hoſtis inualida. 696. a.
Aſuerus ſignificat Chriſtum. 32. b.
Aſcenſus Chriſti in cælum. 352. d.
Aſcendit ita deſcendet. 403. a.
Aſellus populus gentium. 279. b.
Aſumptio Chriſti in cælum. 388. b. 391. b.
Aſinas plus dilig: quam animas. 93. c.
Aſperſum flammeſcit. 441. c.
Aſumptio eſt protectio. 245. a.
Aſtrologi inuiſi. 610. c.
Auaritia claudos facit. 7. b.
Auaro nil ſceleſtius. 9. d.
Auaritiam omnia ſequuntur. 9. d.
Auaritia Ieroboam. 10. a.
Auarus offendit ſe Deum prox. 10. b.
Auarorum ignis duplex. 51. d.
Auarus non ſatiatur. 52.
Auaritia mala. 57. a. 578. d.
Auaritia improb: metrop: 57. a. 740. c.
Auris corporis & animæ. 7. d.
Aures magnæ ſtultorum. 71. a.
Aure mors intrauit. 71. a.

Auricula

INDEX.

Auricula tauri. 71. *b.*
Aures cum cathenis. 71. *c.*
Aurium obturatio. 680. *a.*
Aures claudendæ. 652. *a.*
Aula ſine ſeruili ſacco. 300. *d.*
Aues crucis. 334. *d.*
Auxilium Sibillæ. 95. *d.*
Aurum charitatis. 110. *a.*

B

Baptiſma ſuſcipiendo aſpicit. 156. *c.*
Baptiſma Chriſti ſang: rubr. 41. *d.*
Baptiſmi corona. 140. *c.*
Baptiſma Catholic: & hæret: 139. *d.*
Baptiſmo Chriſtus ſtupendus. 116. *c.*
Baptiſma reddit puritatem. 140. *a.*
Babilon, confuſio. 626. *b.*
Barba honeſtas. 103. *b.*
Balneum oratio lachrym: 31. *a.*
Baſiliſcus. 499. *d.*
Beatitudo & fælicitas. 40. *b.*
Beatitudo in duobus. 40. *c.*
Beatitudo finalis Deus. 40. *c.*
Beatitudo cœli. 321. *d.*
Beata es Baſiliſſa. 414. *a.*
Beatorum charitas. 567. *c.*
Benedictio Dei. 247. *b.*
Benedicendus Pater Fil: Spirit: 500. *a.*
Benedictio Chriſti. 728. *d.*
Beneficij memoria. 551. *a.*
Beneficij Symbolum. 551. *c.*
Bello reuictus, Eremita. 515. *a.*
Bellum ſolutum capto reddito 551. *a.*
Bella & enſes. 757. *d.*
Bellum cum diabolo. 74. *c.*
Belli dies. 104. *a.*
Beſtia pro beſtia donum. 550. *a.*
Bellant Sacerdotes. 226. *d.*
Bibendo pſallere. 151. *a.*
Biſſina verba. 707. *b.*
Beata Birgitta. 246. *b.*
Bonitas in quo conſiſtit. 539. *a.*
Bonus bona operis. 597.
Bona cauſa triumphat. 602. *a.*
Bonum verum commodior. 39. *a.*
Bonis gaudium vbiq;. 141. *b.*
Bonitatis nomen Deus. 163. *c.*
Boni conatus ſalutaris. 223. *d.*
Bona mundi amara. 39. *b.*
Butirum & mel. 591. *c.*

C

Caſtitas Deum placat. 206. *c.*
Caluaria. 51. *a.*
Caput malum legati. 429. *b.*
Caro noſtra vilis. 110. *d.*
Caput cum radijs. 431. *d.*
Caput occiſi neſcit Tyran: 745. *c.*
Caput meum doleo. 25. *c.*
Caput Imago B. V. inclinat. 797. *c.*
Capita cæſorum ad equos. 164. *c.*
Calumnia. 480. *a.*
Caluaria. 51. *a.*
Calicem propinat Chriſtus. 62. *a.*
Capiam donec. 638. *c.*
Catholicus plùs punietur q. infid: 47. *a.*
Cathena cordis ad Deum. 714. *a.*
Carnis fomit: plus expell: q. dam: 47. *c.*
Cameri curſus ſpiritualis. 3. *c.*
Canes, ſunt infideles. 476. *a.*
Calceamentum hum: Chriſt: 22. *c.*
Carnes crudæ cum Selſio. 789. *c.*
Caſeus cum vermibus. 633. *d.*
Canes foras. 485. *c.*
Carnem ſubijce ſpui. 575. *d.* 576. *a.*
Caluus. 140. *c.*
Catholica Eccleſia qua 182. *c.*
Calcare locum. 187. *b.*
Capra ad feſtum. 257. *c.*
Candidatorum reuiſio. 281. *d.*
Calceamenta pro Phaſæ. 295. *b.*
Caſtitatem ſex ſeruant. 311. *a.*
Caluini interitus. 617. *d.*
Capiſtraui ſtella. 48. *b.*
B. Catharina S. Clara. 602. *d.*
Cælorum virt. tenebr: 2. *b.*
Cæli diuitiæ. 322. *b.*
Cerua alba- 378. *a.*
Cecitatem Chriſt: ſan: pecc: 9. *c.*
Cælum aſcendere. 493. *c.*
Cæna magna. 506. *b.*
Cæſar vnde dictus. 159. *d.*
Cæſar ex vtroq;. 159. *a.*
Cæcus Theologus. 198. *d.*
Cæcus oblatus ſuſc: 200. *b.*
Cæcitas Spiritualis. 200. *a.*

INDEX.

Cælum pulch: non pro Luth 200. a.
Cælum habetur virtute: 261. a.
Cælum extenditur. 314. a.
Cæna infelix. 319. c.
Cæli lumen non vid: 339. c.
Cælum & terra non coher: 321. a.
Cænam qui intrant. 510. a
A Cæna repelluntur. 514. a.
Cæcum ſanat Peregr: 512. b.
Ciues boni. 704. c.
Cinis in cælum proiectus. 328. b.
Cibus natur: & ſpir: 298. b.
Cingi ad pugnam. 294. d.
Ciuis Reſpub: bonus. 270. a.
Cineres parentum. 761. b.
Cineres manducare. 265. c.
Cinis cur capiti Imp: 210. b.
Cytarus piſcis. 143. a.
Cyfræ tres. 44. d.
Circumciſiones octo. 68. d.
Circumciſio cordis. 69. b.
Cimbriæ hilaritas. 46. d.
Circumcidenda quinq. 67. b.
Circumciſus cur Chriſt: 68. c.
Cicatrices Chriſti. 412. b.
Cicatrices relictæ 355. a.
Conuerſatio cum Deo. 380. d.
Contemni à Deo. 43. b.
Cordis corroboratio. 43. d:
Corporis ſuſtentatio. 53. a.
Conſilium Dei & noſtri. 56. c.
Compedes beneficij. 75. c.
Contritio vera. 69. b.
Cor momento Mach: Max: 69. c.
Corporis fragilitas. 73. d.
Corona ſignum ſanctit: 107. c.
Coruus Æſopi. 111. c.
Cordis pax. 114. a.
Cordi crucifixus. 69. d.
Conſcientiæ examen. 456. b.
Continentia Scipionis. 47. d.
Conuiuiorum ſuperfl: 53. b.
Columbæ ſeq. mortuum. 707. a.
Compaſsio ſerui in dom. 5. c. 384. d.
Cor & Crux. 711. d.
Confidentia vitæ longæ. 8. d,
Concordia bonum. 333. b.
Concordia Auguſti. 569. c.

Concubinarum filij. 11. b.
Corporis propria recip: 21. c.
Confeſsionis requiſita. 692. a.
Conſolator Chriſtus. 31. c.
Conſolatio vana hum: 33. d.
Conſolatio Chriſti. 33. d.
Conſolatio Socratis. 33. d.
Corona ante victorem. 782. c.
Conſcientiæ puritas. 37. d.
Conſcientiæ bonæ laus. 37. d.
Conuerſio neceſſaria. 644. c.
Cor Chriſto offerrè. 645. b.
Corporum turpium, animus. 380. c.
Cordis theſaurus. 468. a.
Contemplationis tituli. 489: c.
Confeſsio totum requirit. 121. c.
Confeſsio quid. 122. b.
Confeſsio fidei & peccat: 121. d.
Compunctio cordis. 123. a.
Coniugium non ne peccat. 124. d.
Coniugium non omnibus indict: 125. a.
Conformitas Beatorum ad Deum. 184. d.
B. Conſaluus Ord: Prædic: 156. b.
Cor piſcis Cytari. 143. a.
Conuerſionem tria monent. 310. a
Conuerſionem Deus requirit. 209. a.
Conuerſio toto corde. 214. a.
Confeſsio porta paradiſi. 215. c.
Conuerſio in duobus. 216. b.
Cor lapideum & carneum. 216. b.
Conſilium D. Athanaſij. 226. a.
Confeſſus ope B. V. M. 238. d.
Coniugio pax firmata. 248. c.
Confeſsionis Cyfra. 353. c.
Coralus firmior extract: 265.
Cordis ſemina. 265.
Cophini & panes. 269. a.
Cor non ad eſum. 286. b.
Cor cum lapidibus. 467. d.
Concubinarum auſus. 294. b.
Cornucopia cum corona. 295. d.
Comedere feſtinanter. 297. b.
Cor cum oculo. 300. a.
Cor vel eſt vel non. 302. d.
Conſilium res ſacra. 305. a.
Contraria contrarijs. 602. b.
Cogitare de Deo. 547. b.
Cogitanda homini. 567. d.

Corona

I N D E X.

Corona poſt mortem. 602. b.
Condonare offenſam pietas. 583. d.
Conſilium Spiritus ſancti. 560. c.
Coniugio Virg: prat: 517. b.
Cor drachmis ſignif: 525. b.
B. Columba Ord: Prædic: 526.
Compaſſionis attributio. 548. a.
Columba Vidua Symb: 626. d.
Confeſſio. 646. d
Controuerſiæ infames. 648. d.
Colonus Dei. 649. b
Cordi ſilex. 676.
Cor duplex. 683. d.
Cubile Genitricis Dei. 730. b.
Culter ad caduceum. 701. d.
Cutis dura. 690. c.
Cultus diuinus in quo. 704 a.
Cuſtos Chriſtus. 671. d.
Currum ouis & leo trahit. 441. a.
Currum cauere. 276. a.
Curſum intedere alis. 277. c.
Cupido Venerem def: 615. c.
Cura religioſi boni. 609. c.
Crucifixus ictum declinat. 49. c.
Crucis adoratio. 447. c.
Crudelitas Herodis. 91. c.
Crucifigitur Deus duobus modis 73. b.
Crucifixus D. Thomæ. 459. c.
Crux tribunal fugit. 19. b.
Crux non erubeſcen: 368. c.
Crux ſuper Hieruſal. 215. d.
Crux eſt aſellus. 278. d
Crucis aues. 334. d.
Crudelitatis res. 604. a.
Cruce diab: verberatus. 553. d
Charitas virt: Princeps. 38. d.
Charitatem ſtellæ ornant. 48. b
Charitas Deo iuncta. 8. a.
Charitas tria monet. 493. a.
Charitas hydria Chriſti. 128. b.
Charitas laus. 268. c.
Charitas ex Deo. 312. b.
Charitate cælum aſcenditur. 31. d.
Chriſti vita morum diſcip: 42. c.
Chriſtus eſt nobis omnia. 42. d.
Chriſtus in templo interrogatus. 116. b.
Chriſtus in mundum. 351. b. 353. a.
Chriſtus omnium ſufficienter. 54. b.
Chriſtus circumciſus. 68. c.
Chriſtus ſator. 195. b.
Chriſtus ex cruce vicat. 198.
Chriſtus orbis vniuerſus. 2. b.
Chriſtus vas admirabile. 2. c.
Chriſtus omnia. 2. d.
Chriſtus ad Patrem redit. 355. a.
Chriſti aduentus ſigna. 2. d.
Chriſti redemptor. 4. c.
Chriſtus peccatum ſuſcep: 5. b.
Chriſtus ſol. 10. c.
Chriſtus medius tripl: 15. a.
Chriſtus in ſtabulo. 17. a.
Chriſti nati bonitas. 17. b.
Chriſtus in Eccl: 17. d.
Chriſtus inter latrones. 18. d.
Chriſtus ſcripſit Priuilegium. 19. b.
Chriſtus amb: in Eccl: 20. d.
Chriſtus prece victus docet. 116. b.
Chriſtus vnctus. 21. d.
Chriſti fortitudo. 21. b.
Chriſtus oſtiarius. 476. c.
Chriſtus cur dicitur. 31. b.
Chriſtus coniunctionem ſignif: 33. b.
Chriſtus ſanctificatio. 33. b.
Chriſtus vnitatem perſonæ. 33. c.
Chriſtus ab vnctione. 34.
Chriſtus Dominus quando. 34. a.
Chriſtus in forma ſerui ſeruus. 34. c.
Chriſti nati ſigna. 35. d.
Chriſti ſcapulæ. 254. a.
Chriſti vagitus mirabilis. 36. d.
Chriſtus venit à tribus. 195. a.
Chriſtus legiſlator. 316. c.
Chriſtus ex Virgine natus. 527. a.
Chriſtus generatur in matre. 656. a.
Chriſti beneficia. 276. a.
Chriſtiano 5. neceſſ: 93. a.
Chriſtiani pietas. 73. d.
Chriſtiana ſerenitas. 46. d.
Chriſtianus ad opera Chriſti. 62. d.
Chriſtiani liberati Ieroſol: 778. d.
Chriſtiana doctrina in tribus. 351. b.
Chriſtiani boni, oues. 20. d.
Chriſtianus malus. 432. a.
Chriſtianum facta coronant. 25. d.
Chriſtianus iam ſum. 451. a.
Chriſtianus à Chriſto. 125. a.

Chriſtia-

I N D E X.

Chriſtianis imperabis. 212. a.
Chriſtianorum inſtructio. 217. d.
Chriſtianus quis. 225. a.
Chriſtianum nomen ſanct: 225. d.
Chriſtianus victor diaboli. 232. a.
Chriſtianus 5. milli repreſ: 261. a.
Chriſtianus deſcribitur. 261. c.
Chriſtianus Nazarenus Crucifixus. 302. a.
Clypeus Romanus. 347. b.
Clareſcere vtroq; pulchrum. 62. b.
Clamat in Cruce Chriſtus. 85. d.
Clamare ad Deum. 65. c.
S. Clara Ord: Prædic: 462. c.
Clientis ingratitudo. 756. a.
Creſce & videbis B. V. 180. b.
Creſcere malis. 227 c.
Creatura non à malo Deo. 263.
Credenda Chriſtiano. 315. b
Crocodili obruta vir. 627. c

D

Dauid Chriſtus. 32. a.
Da & accipe. 45. a.
Da mihi reddam tibi. 122. c.
Dauid pecc: pænitet. 253. c.
Deus poſſeſſor noſter. 11. a.
Deus vetuſtiſſ: pulcher. 700. b.
Deus ignis. 380. a.
Deus oculos duos dedit. 21. c.
Deus victor. 737. d.
Deus ſoluit quem diab: lig: 32. d.
Deus & Chriſtus ſuauitas. 39. d.
Deus finem in laud: 40. a.
Deus pugnat pro Eccl: 27.
Deus ecce. 41. a.
Deus mala immittit. 43. b.
Deus expectat, donat. 43. b.
Deus offenſus à nobis. 556 b.
Dei coadiutores ſumus. 24. d.
Dei bonitas. 43. c.
Deo quid retribuendum. 45. b.
Deum non fugies. 351. c.
Dei cognitio & ſui. 55. c.
Deo ſeruire non labor. 111. d.
Deus oratione plac: 135. b.
Deus in inferno non patit. 188. b.
Deus falſus. 191. a.
Deum ſecum habere. 191. b.
Deus ſanat ſermone. 214. a.
Deos inter computari. 280. b.
Deus liberaliſſimus. 379. a.
Deo optima danda. 548. b.
Deo ſumus præſentes. 569. a.
Deificatio noſtra. 42. b.
Deſperatio periculoſa. 8. d. 695. c.
Deſiderat hominem Deus. 11. a.
Deceptio vndè. 314. c.
Dentes deæ. 351. a.
Deſponſatio. 26. a.
Deſponſationis modi. 26. a.
Deſponſatæ in domo vir. 26. b.
Dextera Dei. 402. a.
Decima. 205. a. 554. c.
Decimæ reddendæ. 76. d.
Deuotionis ſinceritas. 108. d.
Dexteræ tactus. 143. c.
Decalogi expoſitio. 806. b.
Deorſum nunquam. 373. d.
Deſertum latronum. 228. a.
Deliberata exequi. 513. d.
Dæmones ad menſam. 557. d.
Diabolo non ſeruiend. 700. d.
Diabolus crudeliſſimus. 701. a.
Dæmonum atrocitates. 32. b.
Diabolus morienti. 577. c.
Diabolus ſciuit ſalui veniſſe. 32. d.
Diabolus ſang: redemp: ignor. 32. d.
Diaboli flatus. 52.
Diabolus ſpoliator. 453. d.
Diaboli equus. 749. d.
Diabolus quom: vinc: 77. d.
Diabolum qui portant. 738. d.
Diabolus homicida. 151. c.
Diabolus inimicus homo. 164. a.
Diabolus lumen tenet 145. a.
Diabolus conculc: à Virg: 165. a.
Diabolo ſerui iniuſtum. 197. c.
Diaboli ſagittæ. 234. b.
Diabolus Spir: immundus. 251. a.
Diaboli variæ decept: 252. d.
Diabolus eijcitur. 253. a.
Diligendus Deus. 747. d.
Diuitiæ punitæ. 51. c.
Diſcipulis calcar. frenum. 459. b.
Dilectio vt mors. 63. a.
Digiti hominis. 385. c.

Digiti

INDEX

Digiti Dei. 743. b.
Dies Martis. 74. b.
Dies Dominicus. 73. b.
Dies lunæ. 73. d.
Dies Mercurij. 74. c.
Dies Iouis. 74. d.
Dies Veneris. 74. d.
Dies Solis. 75. a.
Dies Imago vitæ. 75. d.
Ditare & Diteſcere. 691. c.
Diſce, fac, quieſce. 457. c.
Dilecte mi veni. 714. d.
Diligentia. 636. b.
Diuiſio, Ciuitatis malum. 76. a.
Dies prior Magiſter ſecundi. 78. c.
Dies omnis & vltimus. 76. d.
Dies natur: & artiſic: 78. d.
Dies requietionis. 80. c.
Diem abreuiat dulc: 81. a.
Dies tres habemus. 126. a.
Dilectio dilectione recomp: 751. d.
Dilectio Dei in Petro. 111. a.
Diſcordia. 632. c.
Diſcus cum puero ſecto. 137. a.
Diſcipuli orbis athletæ. 146. d.
Diuino numine paſcor. 280. d.
Diuitiæ mundi inſtabiles. 378. d.
Diuus ſis non viuus. 631. d.
Diuitiæ poſſ: auaros. 516. a.
Diſciplina in quo conſ: 539. a.
Doctrina Chriſti in Eccl: 18. a.
Doctrina B. Nili. 22. b.
Donec accipiat. 396. c.
Dominus, Chriſtus. 698. a.
Domino Chriſto quid tenemur. 31. d.
Dominium diaboli. 690. c.
Dormire ad malum. 444. d.
Dominij mundani finis. 34. b.
Domina venit. 446. c.
Dominium Chriſti vita. 34. b.
Dominus ex ſeruo laud: 34. c.
Dominus ecce. 40. d.
Domino non illudas. 66. d.
Dominium duplex. 698. c.
Dormitorium. 636. c.
Dominus videt. 221. d.
Domini Symbolum. 631. a.
Dominia in vitia. 630. c.
Dolor non color. 626. d.
Dolor pro Chriſto. 512. a.
Dominium tollunt plura. 606. a.
Dotes animæ & corp: 588. d.
Dominus laudetur non domus. 616.
Dulcedo Chriſtus. 542. d.
Draco. 252. b.
Drachma quid. 524. a.
Ducit & deducit. 392. a.
Duellum. 695. a.

E

Eamus faciamus. 757. b.
Æternitas. 471. b.
Ebrius abſorbitur à vino. 53. b.
Ebrioſi mala. 53. b.
Æternum quod cruciat. 65. d.
Eccleſiæ alienus. 464. a.
Eccleſia eſt regina. 94. b.
Eccleſiæ curatores. 115. a.
Eccleſiæ primatus. 311.
Eccleſia frequentanda. 115. a.
Eccleſia eſt nauicula. 146. a.
Eccleſia vnitas. 180. c.
Eccleſia Mater authorit: 317. c.
Eccleſia domus Principis. 732.
Eccleſiam docet Chriſtus. 539.
Eccleſia non defenſa. 631. d.
Eccleſia S. Othonis à B. V. M. 705.
Eccleſiæ perſecutio. 788. b.
Eccleſia militans. 793. a.
Effluxit. 226. b.
Eclypſim quæ faciunt. 621.
Electio Imperat. 34 c.
Elephantis gratitudo. 276. d.
Eleemoſyna. 304. a. 283. c.
Eleemoſynæ figura. 94. b.
Eleemoſyna pauperibus fictis. 583. b.
Echino aſperior. 198. a.
Echinus mollis. 198. d.
Echinus duplex. 199.
Elementa 4 ſig: quid. 717. c.
Epilepticus panis. 266.
Epicurus. 325.
Expectatus à Deo peior. 168.
Exempla Chriſti. 240. a.
Exactor durus. 259. a.
Exaudiri pro reuerent: 106.

Excommunicatio. 293.
Examen conſcientiæ veſp: 547.
Examen vitæ. 580.
Exilium quid dat. 618.
Euchariſtiæ panis. 41.
Euchariſtia pueris. 301.
Euchariſtiam dat Angelus. 677.
Euchariſtiam in auro fert. 712.
Equus pictus. 396.
Equi pretioſitas. 399.
Error ab alto ingenio. 149.
Extinguere ſueta. 237. c.
Emendanda vita. 320. a.
Epitaphium ſuperbum. 695. a.
Epaminondæ paupertas. 619.

F

Faſtus mundi. 515. c.
Facere recte neſcit. 632. b.
Fratrum S. Domin: comm: 540. d.
Frater á fratre perit. 361. d.
Fallit imago ſui. 382.
Facile geſtare Pedum. 14. b.
B Falconeria. 448. c.
Factio mala. 442. a.
Faſciculus mirrhæ. 737.
Famam opibus anteponit: 51. b.
Facies ſanctorum. 63.
Famem S. Dominic: curat. 154.
Fames miſerum mortis genus. 154.
Flammas alit. 413. c.
Fames animæ. 154
Fracta magis feriunt. 400. c.
Frater viuit fratrem. 701. c.
Fato ſortem non deſpice. 317. b.
Fraus non excuſatur. 431.
Fæmina vix quæ non fallat. 27.
Fæminæ Salomonem peruert: 27.
Felicitas viuere bene & mori. 84.
Fæditas corporis. 741.
Ferrum à maioribus relictum. 318. d.
Fermentum tria ſig: 176.
Fermenti propri. 177.
Fermentum fidei. 178.
Feci & fregi. 260.
Feſtiuitas communis. 270.
Frangitur in molli. 420.
Fæmina fax Sathanæ. 579.
Felicitatis tempora. 590.
Fleas vt videas. 335. b.
Flenda in Ciuitate. 629.
Fletus ploratus diff: 337.
Fel infernus. 200. c.
Filius ante patrem. 306. c.
Filius Dei cur tanta paſſus. 5. b.
Fides eſt fudam. honor. 46. c.
Fides Catholica honos. 46. d.
Fili præbe mihi cor. 62. c.
Fideliores corp: q. anim: 95. c.
Fides vt abijt non redijt. 96. a.
Fibulus ſeruorum, cognator. 107. b.
Filium adite. 495. a.
Filius á victore remiſſus. 762.
Filius Alexand: ſufficit. 112.
Filius ad muros obruit. 117. c.
Fides Romana tenenda. 316. d.
Finis vitæ querendus. 310.
Filios Dei quæ fac. 130. a.
Fidei plus quam argenti. 158.
Filium Pater coronat. 371.
Filius hominis cur dicitur. 164.
Fides ſine labe. 202. c.
Fidei deſertor Iulianus. 221.
Fili adoptiui. 604. c.
Fili Dei ſoli tentantur. 235.
Fides Romanorum. 263. b.
Filius accuſat Patrem. 267. a.
Filij Dei & Diaboli diff: 721. d.
Filium ob tria dedit. 500. a.
Filium docet eſſe mariti. 115. d.
Filij matri clades. 579. b.
Fide Deum, aquam pedibus. 587. b.
Fides piſcis. 587. a.
Filij ornamenta domus. 596. d.
Filiorum educatio mala. 597. a.
Filij amor magnus. 719. d.
Fortitudinis clauus. 573.
Fortitudo vita regia. 34. d.
Fortitudo pauperi Deus. 34. d.
Fortitudinis diſciplina. 34. d.
Fortitudini Dei ſim: nullus. 35.
Fortitudinis Chriſtianæ meta. 35. a.
Formicæ ſapientia. 83. d.
Frondes ſtrati Chriſto. 282. b.
Fornicator Rex. 487. c.
Fortia agere & pati. 236. b.

I N D E X.

Fontanalia. 277. a.
Fundamenta Virtutum. 36. d.
Furor animam prodit. 55. b.
Fulciunto Vos. 778. c.
Furtum extirpandum. 152. b.
Fuga ſæcularium. 159. c. 371.
Fugere ante fugam. 218. d.
Funera digna. 241. a.
Fuſtibus Parentes occid: 685. b.
Funiculus Trinitatis. 501
Fumos Vendere. 438.
Flagella culpæ prouocantia. 147.

G

Gaudium de penit: pecc: 59. a.
Gaudia. 12. 109. b.
Galilea rota peccati. 121. a.
Gaudens gaudebo in Ieſu. 190.
Gula tria mala facit. 228.
Gladius eſt peccatum. 338. b.
Gaudium Sanctorum. 340.
Gaudent flore Vmbra. 372.
Galla Vidua. 552. c.
Galli cantando excit. 570. b.
Gallus cum ſtella. 577.
Glaciem Vulp: prob: 376.
Gallus hordeo Imp: elegit. 713.
Gladius Romanorum. 647.
Gladius quem feciſti. 722.
Gratia 6. operatur. 7.
Gratiæ receptæ ſignum. 12.
Gratiarum actio. 329. 45.
Gratitudo elephantis. 276.
Genuflexiones Virg: S. 59. d.
Greſſus ſapientum. 159. c.
Gemitus quid. 383.
Gemma ex Vermæ. 548. c.
Gemitus ante Deum. 750. d.
Goes miles. 723. b.
Gulæ decretum. 52. d.
Guloſorum ſomnia. 63. a.
Gula Vitium nobilium. 53. b.
Guloſorum pena. 57. c.
Guloſus ſe dicat diab: 57. d.
Gloriam incumbere. 684.
Gloria eſſentialis. 185. d.
Gloria cæli Viuent, terra. 186.
Gloria meta. 198.
Gloriæ plus quam cruoris. 505.
Gloria per ardua. 284.
Gloria ſæculi Vana. 310.
Glorioſum corpus. 404.
Gloriæ plus quam ſang: 524.
Gloria in excelſis. 526.
Gloria inte delebitur. 603.
Gloria Deo Victori. 638.

H

Habitauit in excelſis. 483.
Hædi, mali Chriſtiani. 21.
Herculis imago. 71.
Herodis pæna. 92.
Hereticus ſaluus. 168.
Heretici ad fidem comp: 169.
Heretici falſa Veris miſ: 592.
Hiſtoriæ fides. 804.
Hilaritas Cimbria. 46.
Hyeme floret. 379.
Hidropiſis ſpecies. 739.
Hidriæ ſex. 127.
Hirundo contemplatiui. 200. c.
Horologij Index. 392.
Hominus genus Deus. 4.
Homo apoſtata. 9.
Homo ſibi prophetat. 13.
Homo iumentum. 13.
Homo ſecundum naturam. 487.
Homo ouis errans. 41.
Homo tria habet in Chriſto. 45.
Hoc eſt omnis homo. 49.
Homo homini lupus. 380.
Homo magnum miraculum. 709.
Homo per ſeptem cadit. 53.
Homini quæ facienda. 115.
Homo de limo. 218.
Hominum neceſſ: perſec: 180. b.
Homo mercenarius. 183.
Homo impaſſibilis. 188.
Homines dij. 313.
Homines tria mala app: 204.
Homo cænam fecit. 505.
Hominis initia. 877.
Homo arbor. 592.
Horæ beneficiorum Dei. 491. c.
Honeſtas in Chriſtiano. 82.
Honeſtatis conditiones. 86.

I N D E X.

Honeſtatis regula. 86.
Honeſtas angelica. 86.
Hora ad curandam animam. 770.
Hoſtis quis tollerabilior. 114.
Hora ad conuerſionem omnis. 135.
Hoſtis in domo formidab: 155.
Hoſtem in principio Vince. 156.
Hara Vita hominis. 178.
Hora dua. 579.
Hoſpes magnus. 596.
Homo ſiluaticus. 680.
Humilitas Vera Virtutis. 38 b
Humilitate celſitudo cap. 83. c.
Humilitatis fundamentum. 311.
Humilitatis Deus memor. 48. c.
Humilitatem tria nutr: 49. a.
Humilis Margaretha. 438. d.
Humilitas noſtra reparat. 96. c.
Humilitas diſcip: Chriſtia. 96. c.
Humilitas Vbi ſapientia. 96. d.
Humilitas ex Dei timore. 97.
Humilitas etiam magno ſeru: 117.

I

B. Iacobus Minorita. 91. b.
B Iacincti mors. 530. d.
Ieſus Saluator tripliciter. 145. b.
Ieſus Saluator Vniuerſalis. 145. c.
Ieſus iacuit, ſedit, ſtetit, ambul: 16.
Ieſus recte ſalus. 33. b. 34. a.
Ieſus Nazarenus. 436. a.
Ieſus in hoc incolatu ſalus. 35. b.
Ieſus dulcis in cælis. 35 c.
Ieſus, mel melos. 40. c.
Ieſus Chriſtus laudetur. 454. a.
Ieſum ſcire felicitas. 40. b.
Ieſus, annulus, fibula, corona. 106.
Ieſus pretioſis æſtimandus. 106.
Ieſus literarum ſex. 81. b.
Ieſus littere quid ſignif: 81. b.
Ieſus ſapientiſſimus. 83. a.
Ieſus Veraciſſimus. 83. c.
Ieſus ſuperlatiuus Virtutum. 84. d.
Ieſus qualis homo. 85. a.
Ieſus ipſa iuſtitia. 85. b.
Ieſus imperf: ſe motis pulch: 876.
Ieſus aculeus dilectionis. 88.
Ieſus centies recitatum. 670. a.
Ieſus orandus. 145 a.
Ieſum diſcere ſcibile ſalub. 87. c.
Ieſus non fruſt: inuocat. 89.
Ieſu & Moyſi pulchritudo. 87.
Ie houa. 684. d.
Io literis aur. in ſcuto. 638. a.
Ieiunij Vis. 217.
Ieiunium contra hæreſes. 483.
Ieiunium duplex. 214. b.
Ieiunij laus. 217. c.
Ieiunij lucra. 207. a.
Ieiunium bonum. 227. b.
Ieiunio liberata conſtant. 231. b.
Ieiunandum tribus de cauſis 233.
Ieiunij profectus. 235. b.
Ieiunia magna non bona. 236. d.
Ieiunium non interump: 236. d.
Ieiunium ad Veſperum. 236. b.
Ieiunium ieiunio redimit. 137. b.
Ionathas columba. 7. c.
Ionathas ex brahijs cadit. 7. d.
Iouis ſine auribus. 71. a.
Iob. pugna. 646. a.
Iob in ſterquil: Beatus. 605. b.
Iuſtitia hidria Noë. 127. b.
Iuſtitia Vniuer: ad Virtutem. 180.
Iuſti fulgebunt Vt ſol. 186. b.
Iuſtitia Chriſti ex tribus. 81. d.
Iuſtitia colenda. 92. a.
Iuſtitia reſtit: prox: 349.
Iuſtitia actus Deo ferre. 350. b.
Iuſtitia melle linita. 268. a.
Iudex non accuſator. 468.
Iudicium meditandum. 179. c.
Iudicis ſimb: 481. b.
Iudex tria habeat. 21. b.
Iudicium ſine excuſatione. 21. d.
Iudicium Dei & hominis. 22. c.
Iudicium Dei euadere. 65. c.
Iudicia in turribus. 25.
Iudicium Cambiſis. 65. c.
Iudicij dies. 79. a.
Iudices duplices. 79. b.
Iudex Deus miſeric: 29.
Iudas non nominat ſaluat. 601. a.
Iupiter auxiliator. 372. a.
Iudæi ob fidem non occid: 170.
Iura rubeo charactere. 19.

Iudam deſperatio perdit. 11. c.
Iudex iuxta conſcient. 15. a.
Iuſtus mores habet vt leges. 85.
Iudæus Chriſtianus ope S. Nic: 256.
Iudæ oratio. 550.
Iudæorum vclamen. 625.
Iuramentum militum. 655. b.
Iupiter cui temp: ſeru: 662
Innocentia hidria Abel. 127.
Innocentiæ triumphus. 158.
Innocentia ſemita ſpir: 29.
Innocentis accuſatio. 319.
Innocentia propalata. 480.
Innocens liberatus. 258.
Ingrediatur. 479.
Infans in faſc: vt ſepul. 108.
Infirmitas ſanctis bona. 118.
Inferni deſcriptio. 141. 319.
Interceſſio. SS. 184.
Inuidi ſymb: 738.
Iniuria obliuiſc: 69.
Infirmitatis ratio. 45.
Infernus non ſatiatur. 488.
Infernus terra. 321.
Infidelitas. 344. 348.
Intrare in conſp: Dei. 34.
Inuidia. 416.
Inimica non fide. 396.
Initatio ad Chriſtum. 730 d.
In ducia. 430.
Incorruptio carnis. 47.
Intrare lutum calcare. 48.
Infamia Chriſtiana. 805.
Infernus durus. 61. 66.
Intellectum fac ducent. 55. c.
Ingrato præcognoſcenda. 457.
Incarnatio Chriſti. 194. d.
Infans patrem dicit. 232. a.
Incredulus mult: perit. 368.
Ingreſſus ad regnum Dei. 473.
Ingenium hebetum. 564.
Inimicum Deo commenda. 549.
Intellectus facientibus eum. 614.
In faſtum volenti. 620.
Inter regnum Romuli. 638. d.
Inimicitiæ oratione ſedant. 663.
Inſignijs Chriſti nobilitati. 710.
Inuidia oſſium putredo. 718.
Indulgentia Auguſti. 261. d.
Impios Deus non creat. 281. c.
Impedimentum in duobus. 444. a.
Imago regis in pecunia. 258.
Imago B. V. M. pro Euchariſtia. 575.
Imperator bene ſe habet. 580.
Idolatris pœna. 597. d.
Idolorum ruina. 50. a.
Idola mundi. 50.
Ignis inferi lucet in malum. 141. d.
Ira quid operatur. 205. 417.
Iratus non caſtigat ſeruum. 43.
Iurgia mala. 333.
Ira ſe necat. 558.
Iratus nulli parcit. 616. b.
Ira bona & mala. 721. c.
Iram patris fer. 798.

K

Kyrie eleiſon in bello. 803. b.

L

Lac ex oculis Chriſti. 732.
Lapis pro lucerna. 287.
Labores finire renouare. 415.
Lauda & benedic. 495.
Labore virtus niteſcit. 320. b.
Labirinthus. 385.
Latitudo & profun: in Deo. 455.
Latroni donatio. 370. c.
Lachryma amoris. 38.
Lapidem puer 12. ann: 216. c.
Lata via ad interitum. 424.
Laudis amor ad nos. 60. c.
Lapideus puer. 777. c.
Labia & naſum virgo amp: 133.
Lauda Deum intermiſſe. 776.
Lachryma hic proficua. 141.
Lachrymæ veniam meren. 218.
Lachrymas Deus abſtergit. 218.
Lachryma ſordida. 239. b.
Lapides locuti. 269.
Laquei mundi. 561. 579.
Latruncatorum vſus. 579.
Latrones dæmones. 664.
Latro cur vnus ſalu: 802.
Lepra memb: cor dup: 8. b.
Lepra ſpecies. 8.

Lepra in facie. 8.
Lepra virt: & mult: 8.
Lepra in veſtibus. 8. c.
Lepra in thalamis. 8.
Leproſus 4. offer: 692.
Leo Andronidis. 799.
Læto læthum. 260.
Lepra 4. mala imp: 134.
Lepra 7. pecc: ſignif: 234.
Leproſorum 5. in comm: 139.
Lepra animæ. 143.
Leproſi ſanatio. 564.
Leproſi ſunt violat decal: 681.
Læticia Chriſti drachma. 530.
Lectulus Dauidis. 547.
Legatio cauta ſit.
Legati annorum. 50. 689.
Legatus in pacem. 148.
Lidius Politicus. 332.
Licentioſa mancipia. 466.
Librum accipe, ſcribe. 326.
Lingua formatur fætus. 719.
Limbus Patrum. 321.
Linguæ adulatorum. 25.
Lingua inſtrum: malo. 37. 71.
Lingua ferrea. 433.
Lingua cum manu. 71. d.
Linguæ ſignaculum. 72. a.
Lingua quo vadis. 72. a.
Lingua ceu Dingua. 72.
Lingua ſecta Mercurij. 72.
Linguæ dominium. 482.
Lingua circumcidend. 72.
Liber ſub capite. 581.
Libertatis pop: vind: 593.
Libera à pœnis. 586.
Litaniæ. 296. c.
Ligatus Chriſt: irrid: 101.
Libertate, ſeruitus mel. 117.
Luna B. V. M. 1. b.
Luna in ſanguine. 1. d. 3. b.
Luna regina cæli. 3. a.
Luna in cancro. 3.
Lumine accep: ſplen: 377.
Luxuria leproſam anim: 8.
Luto de eodem ſumus. 613.
Luxuria inimica Deo. 10.
Luxuriæ pœna. 329.
Luxurioſus plus fætet lepra. 10.
Luxuria nil damnoſius. 10. 58.
Luxuriam incuſat Innoc: 295.
Luxuriæ quadriga. 52.
Luxurioſis vitia, pœnæ. 52.
Luxuria mater malorum. 330.
Luxurioſi arguuntur. 91.
B. Lucia Ordinis Prædic: 97.
Lugendum pecc: ob quinque. 214.
Luxus. 724. c.
Ludum ſecuta mors. 66.
Lucri quæſtio. 226.
Lucet in tenebris.
Loca ſana quæ. 252.
Loca inaquoſa religioſi. 252.
Luce non mutata. 408.
Lira paridis. 450.

M

Maior qui eſt placabilior eſt. 294.
B. Maria Virgo eſt luna. 1.
Magnificat. 466.
B. Maria generabilium genitura. 3.
Mali præſerua. 466.
B. Maria coniunx & ſponſa. 26.
B. Imago in porticu. 244.
B. Maria templi ulciſcitur. 49.
B. Maria ſingularis patrona. 758.
B. Mariæ Virginis gladij. 60. b.
B. Mariæ paſſio in morte. 61.
B. Maria loquitur Beato. 465.
B. Maria defendit prædicat. 91.
B. Maria filium dat B. Luciæ. 97.
B. Maria ſalutatur. 123. b.
B. Maria templum defend: 131. c.
B. Mariæ irreuerentia. 497. d.
B. Mariæ familia Ordo Præd: 155. b.
B. Mariæ ſalutatione hær: ſalu: 159.
B. Mariam videt q creſcit. 180.
B. Maria quo facta Mater. 734. c.
B. Maria Eccleſiæ Princeps. 734.
B. Maria ad Ord: Prædicatorum ducit. 437.
B. Maria filium dat Capucino. 551. d.
Mala anima. 137. c.
Maledicere Deo & rei. 150.
Malis ne cede. 70.
Munus ſacerdotis inſtr: Chriſti. 745.
Manus magnetica. 784.

I N D E X.

Manus pœnitentiæ. 38.
Manus eleuatio. 407.
Manus Abſalonis. 411. *c.*
Manus non effugit Dei. 559.
Martir ex hæretico. 550.
Magnetis oleum. 310.
Mandatorum tranſgreſſor. 374.
Marti ante bellum. 43.
Mali in vita puniti. 310.
Marmura non fallunt. 383.
Manus humana ad prandium. 386.
Martirium cupit S. Dominicus. 399.
Mare ſanguinis. 810.
Magna grauiter. 409.
Macula caret. 445.
Magiſter Ieſus. 284.
Matrimonia caſta. 688.
Manſuetorum prerogatiua. 331.
Manſuetudo chara animæ. 332.
Manna cur ad ſolem euan: 57. *b.*
Mandatorum tranſgreſſ: 774.
Manus circumciſio. 73.
Manus plures ſomniare. 72.
Manus vna ad regnum. 72.
Manus vna forti ſuff: 72.
Manus mutilatæ remed: 72.
Manus dextera & leua. 73.
Manum abſcindere noli: 205.
B. Marci & Marcelliani laus. 87.
Malo loquatur non ad plur: 553.
Medium inter bonum & malum. 9.
Meditatio ruminanda. 328.
Medij miſteria. 69.
Medius Chriſtus. 19.
Media via tenenda. 20.
Media fini proportio nata. 48.
Mnæ decem. 74. *c.*
Mercatura ſpiritualis. 78.
Mel ſume fel funde. 84.
S. Mercurius Iul: occid: 435.
Medicamentum frenetici. 101.
Melchiſedech ſacrificium. 298.
Mendacij ortus. 151.
Memor ſilentia vrget. 279.
Meta gratiæ & gloriæ 198.
Meloni ſubſcriptio. 204. *c.*
Medicinam accip: tria facit. 220.
Merces altera erit. 411.
Memoria memor. 551.
Medicus animæ Chriſtus. 527.
Mechia quid. 687.
M. Litera ſignificat magnos. 25.
Miles ſine indice malus. 730.
Militis merita. 701.
Myrrhæ faſciculus. 100. *a.*
Myrrhæ aſperitas. 107. *d.*
Myrrha vermes arcet. 107.
Mirrha triplex. 108. *a.*
Miracula diuerſimode. 790.
Milites poſt frigas fortes. 108.
Miſer homo ſine Deo. 121.
Miſericordia miſericordis. 777.
Miſericordia prædicata. 127.
Miles ignauus. 148. *b.*
Miſericordia deficiente. 149.
Miles optimus. 569.
Miſericordia in die. 150. *a.*
Miſericordia prior Iudicio. 150. *b.*
Miſerere Domine. 219. *b.*
Miſericordia dat regnum. 92.
Mortuo miſſa. Os iuſti. 6. *d.*
Mortis inuentor. 33.
Mons myrrhæ 63. *b.*
Mortis meditatio. 64. *a.* 179.
Mors temporalis non timenda. 307.
Mors regis Lotaring: 123. *d.*
Mortem quis non timet. 142. *a.*
Morbi grauia tria. 155. *b.*
Mors mala retrahit. 266.
Mortis conſiderationis effec: 266.
Mors in riſu. 256. *a.*
Mors malorum initium pœnarum. 471.
Mors certa modus non. 318.
Mors Canonici recta. 159.
Mors bona optanda. 197. *b.*
Mors Hoſtilij. 318. *b.*
Mortuorum loculi non app: 203.
Mors familiaris. 318.
Mors hominum miſera. 206.
Mors Theodoſij. 213. *d.*
Monitia à fallacia mundi. 224.
Monitio in ſomnis. 224.
Moria mons. 272. *c.*
Mortale nil ſperat. 398.
Morantur non circiter. 440.
Monialis honoranda 404.

Mortale

I N D E X.

Mortale peccatum. 420 a.
Modium aureum: 421.
Mors bona Regis Angl: 509.
Mulieres bonæ. 2.
Mundus opus Dei ſpecioſum. 715
Mundi rectum opus. 36.
Mundus commotio. 715.
Mundus emporium eſt. 78
Mundi res caducæ. 88.
Mundus quid. 128. a.
Mundus noſtra meſsis. 122. b.
Mundus deſertum. 227. b.
Mundi mala. 228.
Mundus ſanctis qualis: 189.
Munera deuotionis. 545.
Munus & donum diff: 545.
Mutare mercedem. 88.
Mutuo nexu. 265.
Mutuum datur pauperi. 752.
Muſicus contemnendus. 128.

N

Naim diſcipuli. 716.
Nazaret, flos. 117.
Natus es B. V. M. 122.
Nauis Eccleſia. 148.
Nazarei à Nazareno. 306.
Nauigantibus lumen è cælo. 661.
Natiuitas Chriſti. 526.
Nauicula quadrupl: 531.
Nauicula ex quatuor. 533.
Nauis Beata Virgo Maria. 533.
Nauis crux Chriſti. 534.
Nauis Eccleſia. 536.
Nauis anima. 537.
Naturæ duæ in chron: 592.
Nec tantum Athenas, 426. c.
Nequiſsimum imago arguit. 91.
Nequam ſpiritus ſeptem. 254.
Nequam ſpir: in Iudeo. 235.
Nec minor fama. 571.
Nil naſci obfuit luto. 774.
Nil præter te Domine. 523.
Nitidius. 617.
Nox imago mortis. 75.
Nominum Dei à Ieſu diſſa: 89.
Non requies non mora. 419.
Nocemus duobus modis. 127.
Naſci Dij Scipion noluerunt. 412.
Non procul ab ictu. 373.
Nomina Ieſu Mariæ. 564.
Noli me tangere. 575.
Nouiſsimorum memoria. 661. c.
Nuptias &c: 458.
Nuptiæ bonæ beatæ. 26.
Nuptiæ inuitæ carnales 26.
Ad nutum. 435.
Nuptiæ ſpirituales. 125.
Nuptiæ Chriſti & Eccl: 124.
Nuptias 4. non guſtab: 164.
Nuptiæ cur die tertia 126.
Nuptiæ ſecundæ. 210.
Nunc ſcito vires. 211.
Numiſma tria habet. 224.

O

Obſeſſus peccat: ſignif: 452
Obedientia hidria Abrahæ. 227.
Obedientia parentibus. 685.
Obedientia dignitas. 130. d.
Obedientia amica ſalutis. 330.
Oblatio regia. 580.
Oculo nil nequius. 69. d.
Oculos bonos de form: homo. 70.
Oculi ſtultorum in finibus terræ. 70.
Oculi ſe ipſos non vident. 70. c.
Oculi mentis. 70. c.
Oculorum perſpicacitas. 416. b.
Oculorum collyrium. 701.
Oculus ad Deum vnus ſuff: 701.
Oculos mortuus aperuit. 241.
Oculus lapideus. 703.
Oculis priuatus vidit. 479.
Oculi vt ſol. 506.
Occiſi innocentes viuunt. 601.
Occidiſti me cur? 687.
Occide, vox de cælo. 486.
S. Odilon. 805. d.
Oratione cælum pulſand: 886. a.
Orbis non ſufficit. 424. d.
Oratio B. Achrimi. 86.
Oratio in toto corde. 109. c.
Oranti dat Deus. 365. b.
Oratio humilium vox infant. 109.
Orationem non iterare. 110.
Orationis vis. 122. d.
Oratione à Ieſu & Maria nomine. 123.

Oratio

I N D E X.

Oratio Dominica, 360.
Oratio actus religionis, 357.
Orationes S. recognoſ: 358.
Orationis ala. 358.
Oratio per Columbam ſig: 359.
Orans loquitur cum Deo, 359.
Oratio 4. habeant. 642.
Oratio ſine impedimento, 649.
Oratio dæmones fugat. 675.
Oriente te fugit, 207. c.
Ori ſigillum, 480.
Operum laus, 25. c.
Opera iuncta mente, manu, 25.
Opes improba, 37.
Opes ex ſe vitium non hab: 51.
Operibus adde opus, 57.
Operandum bene propter tria, 222. b.
Opera miſericordiæ & pietat: 240. c.
Opera prima facere, 253. d.
Opus Dei, 263. b.
Opera ad ſalutem neceſſ: 283. a.
Operationes animæ tres. 309. c.
Oſtium Chriſtus quadrup: 473. c.
Oſtium medica virtuti, 38. b.
Oſtiarius triplex, 477. a.
B. Oſanna Ord: Pred: 496. a.
Oſculum falſum, 114. b.
Oſſa diſſipat Deus, 204. d.
Oſculum terræ nauigant, 404. c.
Oſtium domus, 288. b.
Oſtium clauditur, 483. c.
Omnes non ſufficiunt, 494. c.
Omnes inter, 394. b.
Ouis eſt Chriſtianus, 326. d.
Ouium paſcua, 334. a.
Oues cur Chriſtiani, 518. a.
Oues velleris aurei, 520. a.
Oues baculis tractatæ, 522. c.
Ouicula S. Franciſci. 574. b.
Ouicula Fabius, 520. c.

P

Pauperes excipere, 123.
Pauper Deo derelictus. 744. c.
Pauperes boni & mali, 160. b.
Pauperes fouendi, 160. c.
Pauper ridet ſecurius, 36. a.
Pauper Dei in animo, 37. b.
Paupertatis laus, 37. c.
Paupertas ciuitas parua, 37. c.
Pauper Chriſtus, 58. b.
Paupertas ſpiritualis, 59. b.
Paupertas ſecunda, 59. c.
Paupertas athletam facit, 59. c.
Pauperum oppreſſio, 73. c.
Paupertas non aſpern: 76. c.
Pauper ſpiritu, 511. d.
Paſtores ficti, 293. b.
Paſtoris conditiones, 323. a.
Paſtor Chriſtus, 322. a.
Paſtores ex trib. comm: 29. a.
Paſtor animæ bonus, 29. c.
Paſtor verus nuntiatus paſt: 30.
Paſtores animarum rector, 30. a.
Paſtoralem curam non app: 223. c.
Paſcor diuino numine, 678. c.
Paſſio domini dies belli, 5. d.
Paſſionis miſteria, 105. d.
Paſſus in omnibus membris Chriſtus, 105.
Paſſio Chri meditanda, 710. b.
Parentum iniquitates ſex, 4.
Pater noſter exponit, 360.
Patri non in omnibus obediem: 686.
Parentum contemptus, 420. c.
Parente ex vtroq; ciuis, 64.
Parentum cura habend: 371.
Pater per Filium operat: 138.
Pater quom. redept: 184.
Parentes filia nutrit: 706.
Paratiſis duplex, 755.
B. Paula vita, 613.
Patientia commend: 60. c.
Patria meliores habet, 305.
Parui formoſi, 87. a.
Papiliones Tamerlani, 410.
Panes 12. gaudia, 109.
Pax cordis, 114. a.
Pax triplex, 114. a.
Pacem quæ turbant, 114. d.
Patroni S. 789.
Panes hordeacei, 262. a.
Patria cœli gloria, 502.
Parati ſumus ſemper, 508. c.
Patientia Cimonis, 564.
Pater an ſolus Deus, 463.
Paſcha vnde dicitur, 292.

Mmmmm Pa-

Paſcha inter dies ſanctiſſ: 291.
Panis duplex, 264. d.
Panis pœnitentiæ, 265. d.
Panis ex farina terræ, 264.
Pani Deo, capra off: 264.
Panis non verſatus, 546.
Panis ex lapidibus non hom: 230. c.
Patientia Dei erga pecc: 564.
Pſalmi quinq; 122. c.
Paſſer diabolus, 171. d.
Paſcua in cœlo, 479.
Pſalmi in morte 769.
Placatur Deus duobus, 622.
Platonis apes, 614.
Præſus populus redit ad Deum, 4. b.
Petendum hic nobis, 364.
Pœnitentia ſecurum facit, 364.
Pœnitentia in articulo mort: 12. a.
Pœnitentia in ſolu cælo, 23.
Pœnitentia ſuadetur, 65. b.
Pœnitentia non coinquinanda, 124.
Pœnitentia hydria Dauid, 127.
Pœnitentiam corrob. ang. 170.
Pœnitenti cœli dam: aſſ: 472.
Pœnitentiæ neceſſitas, 131.
Pœnitentia ſine gratia Dei non, 184.
Pœnitentia non differenda, 634.
Pœnitentiæ tres partes, 634.
Pœniteas dum licet, 553. b.
Peccator doleat Deum amiſſ: 336.
Peccata primorum parem 274.
Peccator fortunatus, 121.
Peccator montem non aſcen: 133.
Peccata tecta, 138.
Peccato nil horibilius, 140.
Peccas quare? 196.
Peccator grauat Deum, 527.
Peccator auerte faciem, 278.
Peccator curatur à Deo, 653.
Peccatum in proximum tripl: 555.
Peccator non eſt ſecurus, 598.
Peccator maior blaſphemus ma. 600.
Peccator ab Hier. in Iericho, 660.
Præmia magna rerum mag: 23.
Præceptorum contemptor, 372.
Præſentia minuit famam, 388.
Prædicator cur non proficit, 45.
Peregrini Domini, 336.
Perſecutorum fractus, 92.
Petra Chriſtus, 448.
Preguſtar & pugnat. 375.
Per oppoſita, 267.
Pecudum inteſtina. 668.
Prælijs ſignum Apollinis, 369.
Præſepe Chriſti, 367.
Prælatus ante eat ſine reſſ: 171.
Pecudum inteſtina. 668.
Petrus Apoſt. rector Eccl. 537.
Pœnitentis nox, 645.
Pœnitentia 6. requirit, 640.
Pictura rudis, 667.
Piſciculi fides ſpes char: 586.
Primi & puriſſ: fructus, 660.
Philoſophorum toga, 649.
Philippi 2. Reg: Hiſ. morſ: 631.
Pietas in tribus, 56.
Pietas teſtamentum, 792.
Piſcis iuxta lunam, 144.
Princeps facile condem: 427.
Piſcis diabolus, 200.
Piſtrinum B. V. M. 717.
Princeps vndiq; 249.
Porta ſiluatica, 680.
Prophetiæ dignitas, 14.
Prophetia pluſquam ſignum, 14.
Proximi ſalus curanda, 379.
Prouidenda in poſt: 44.
Portæ titulus. 260.
Proximo vtilis eſſe, 332.
Proximo char: iuratur, 333.
Prouidentia deorum, 712.
Protectio Dei, 367.
Porta cœli anguſta, 442. b.
Portam cœli quis intrab: 442.
Portus iuſtitiæ aperire, 475.
Procurator Chriſtus, 183.
Pons ſuper Rhodum, 216.
Profectus hominis, 454.
Proprius nitar, 230. a.
Pulchritudo Moyſe, 82.
Pulchritudo Chriſti, 82.
Pulchritudo formoſ: eleg: diff: 86.
Pulchritudo in corpore magno, 86.
Pulchritudinis nitrum, 87.
Plus vltra? 579. a.
Pulchritudo vniuerſi, 511.

Plu-

Pluere ſuper peccator. 91.
Puer meus dilectus, 99.
Puteum coronare, 227.
Pugnat Deus pro Ecleſ: 427.
Pulſare efficaciter, 386.
Puer ſectus in diſco, 137.
Puer à B. V. M. in puteo ſeru: 438.

Q

Quadragenarius numerus, 221.
Quadrageſima ieiunanda, 235.
Quadrageſimæ acceſſus ad Deum, 224.
Quadrag: ieiunium mons, 221.
Quadrag: diebus ſeruiendum ſeru: 223.
Quærendus Ieſus, 113.
Quærere Deum in cœli patria, 313.
Quærendus Deus in locis tribus, 366.
Quis nobiſcum, 634.

R

Raucus ob impedimentum, 138. *b.*
Rationem redde filio, 140. *d.*
Ratio de tribus reddenda, 611. *a.*
Recordatus mei Deus, 245. *c.*
Regem facit virtus, 13. *d.*
Regnum venale, 315.
Regales deliciæ peric: 61.
Regulus homo, 768.
Regum vigilia, 635.
S. Reges tres Hebraice, 93 (3)
Regum electio in anno, 93.
Regum relegatio, 93.
S. Regum dies primitiæ, 94.
Reges regem quærunt, 94.
Rex tangit, Chriſtus ſanat, 747.
Reges curnatum regem quær: 98.
Reges trinitatem in vnit: ven: 105.
Regnans ſeruo, 224.
Recta facere quom: 297.
Reſuſcitatio noſtra, 42.
Rebelles diabolus odit, 311.
Reſpub: quæ bona, 704.
Reſuſcitatio ſpiritualij, 54.
Reſurrectio dies, 75.
Reclinatorium dominæ, 557.
Recipiet amplius, 384.
Retinet ad vſum, 373.
Res ſunt triplices, 709.
Reſpiratio hominis, 338.
Reliquiæ volunt efferri, 729.
Regreſſus ad veniam, 374.
Redi domum & narra: 453.
Recordatio domini, 208.
Refugij monaſterium, 679.
Religioſi affectus, 213.
Religionis typus, 213.
Reſice, 480.
Riſus ſardonicus, 256.
Rhodus inſula, 625.
B. Romaus Ord: Præd: 89.
Roſarium infans loquitur, 223. *d.*
Roſæ quinq; pro Pſalmis, 122. *d.*
Roſarij dignitas, 140. *d.*
Ruina occaſio impij, 50.

S

Sacerdoti oſtenſio ſui, 143. *c.*
Sacerdotu honor, 143. *d.*
Sacerd: antiqui ſigna non, 144. *b.*
Sacerdos legem ſciat, 150. *d.*
Sacerdotum cura ſollic: 30.
Sacerdotum neglig: mala, 30. *c.*
Sacerdotum admonitio, 30. *d.*
Salix dulcis, 416.
Sator ſexdupl: 192. *b.*
Sanguis ſignum redemp: 212.
Sanguine ſignati ſumus, 307.
Sanguis Sanctorum, 168.
Sanguinis effuſio Chriſti, 104.
Sanguis Chriſti chirog: dele 572.
Sanctum Domino, 620.
Saporem in tua perdidimus, 415.
Sacrilegium, 351.
Saladini diuitiæ, 442.
Scandali ſauit me, 439.
Stabulum Cathedra Chriſti, 17. *c.*
Sanitas corp: & animæ, 32. *d.*
Salutare tuum expectabo, 35.
Sanguis Chriſti emundat, 43.
Salomonis oratio, 55. *a.*
Stare coram Deo, 160.
Status Plebeij & Philoſ: 704.
Sapient: perfectæ requiſ: 55.
Sapientia in tribus conſ: 83. 93.
Sapientia cana, 275.
Sapientia prima quæ. 92. *c.*

INDEX.

Sapiens iuxta Deum, 150.
Sapientia in vultu, 95.
Sapientia quærend: 191.
Sapientia tripl: indig: 492.
Sapientiam à B. V. M. petit, 242. c.
Sapientia panis, 562. b.
Sanctum Domino, 620. d.
Sanctitatis cauſa ſeru: 239. d.
Sanctorum certamina, 669.
Sancti regnab. perpetuo, 320.
Sancti renunc: mundo. 13.
Satis domine ſatis, 189.
Salus æterna promitt: 158.
Saluator Chriſtus cur Deus, 31.
Salus à ſolo Deo, 32.
Strangulatus Soc: Ieſu, 810.
Sal: prudentiam ſig: 58.
Sabbathum ex Sabb: 75.
Sanctorum ſtatua, 557.
Sanguis ex crucifixo, 477.
Samaritana octo bona facta, 670.
Sacrificium dat victoriam, 232.
Sardonicus riſus, 235.
Sanitas animæ, 469.
Saluare animas, 345.
Sagitta in corde, 512. a.
Statuam æream amplexare, 607.
Seruus B. V. M. 122. a.
Seruus curre eodem, 239.
Seruus Dom: à morte lib: 750.
Serui deuoti labor, 168.
Seruitor Chriſti infimus Io: 23.(4)
Seruos remunerat Chriſtus, 32.
Seruiendum Deo ob ſex, 707.
Seruitus Dei in 4. conſiſ: 702.
Seruij flama ad caput, 94.
Seruius filius regis, 94.
Secretum meum mihi, 133. c.
Sexus vterq; ad cœlum, 177.
Sero eſt finis mundi, 178. b.
Seruiſti 80. annis Deo, 180.
Sententiam Deus differt: 168.
Seminare in lachrymis, 175.
Seruare & ſeruari meum eſt, 350.
Seruat & defendit, 599. b.
Seculum triplex, 27. c.
Seruus Præd: Ordo: 509.
Seruat & defendit. 599.
Serpentes ſanitatem ſeruant. 31. e.
Sepulchrum virtus condidit, 720. c.
Senectus non accuſata, 81.
Seruius filius regis, 94. b.
Sepultura par: carcerem dat, 749. c.
Sepulchra beſtiis ornata, 615. c.
Sepulchra coronata, 618. d.
Sepultura è captiuitate liber, 621.
Splendorem & vigorem, 369.
Stella canis, 207.
Spes in Deo & B. V. M. 161. d.
Spes hinc, 235.
Spes in Deo. 572. b.
Spes in dextra non ſiniſtra, 639.
Spes publica, 622.
Species decipit, 385.
Specioſiſſimus Chriſtus, 379.
Sera pœnitentia nulla. 387.
Seſſio Dei, 402. a. d.
Stella ſuper prædicat: 48. d.
Stella magnorum qualis, 97. e.
Steriles filios gra gen: 425.
Stellarum comp: ad ficum, 4.
Stellæ pugnant cont: ſiſaram, 3. d.
Stella figura corp: 3.
Stella Apoſtol: 2.
Secure viuit qui metuit, 631.
Septem anni ex multis, 663.
Spiritualia propha: antep: 116.
Spiritus aquas exſic: 428.
Spiritus S. paracl: 342.
Spir: S. à Patre & Filio, 343.
Spir: S. aduocatus, 343.
Spir: S. conſolator; 344.
Spir: S. arguet mund: 345. 346.
Sinapis granum, 172. b. c.
Sinapis arbor & ſcala, 173. d.
Spina quid, 167.
Siſara, interp: hirundo, 3. d.
Sitit Chriſtus, 372.
Simplicitas Chriſti, 331.
Siccine remp: admin: 20.
Siſtoles cordis, 113. b.
Silentium corona viri, 36.
Signum è ſepulchro. 470.
Simeon, audiens metorem, 105.
Sphinx ſigillum. 520.
Simplicitate manſuetud: 520.

Sci-

Scipio ſtiuâ, 511.
Siclum arietis, 316.
Sine te quid moliar, 267.
Sponſalia repudiat virgo, 133. d.
Sponſa Chriſti B. Cathar: 131.
Stella innocentia laceratur, 140.
Scelopis piſcis, 144. c.
Solis ladius pro fune: 118.
Sol in Chriſti facie, 248.
Sol in tenebras, 1.
Sol Filius Dei, 1.
Sol vas admirabile, 2.
Sol in leone curſu incip: 3.
Soli cedit vmbra, 412.
Sol quomodo aſtrum, 16.
Sol quaſi ſolus, 57.
Sol diffundit in dominia. 75.
Sol timentibus Deum oritur, 75.
Sol iterum me videbis, 527.
Solem ne facit videre,
Sponſæ duo curant, 124.
Sobrius victor, 415.
Sponſus Filius Dei. 797.
Stella S. Dominici, 784.
Stella prima, 341.
Surdus eſt peccator, 650.
Surdos facit vanitas, 8.
Superbus ad menſam, 779.
Superbus idolum, 51.
Superbia fugienda, 229. (5)
Superbia in recte factis, 220.
Superbia Pharaonis, 328.
Superborum ſupplicia, 578. c.
Sub tuum præſid: conf. 486.
Suggerere & docere, 421.
Superbia Druſ: Trib: 9. c.
Superbia nobilium malum, 51.
Suauis Ieſus quibus, 84.
Sputum Chriſti, 657. d.
Suſpirare ante comeſtion: 267.
Sudor hyeme in oratione. 512.

T

Tau ſignum, 448
Tabernacula germinabunt, 475.
Tactus leproſi prohibetur, 142. d.
Tancredus Palatinus Dominicanus. 155.
Tangentem vro, 393. d.
Tabor & Hermon exultab: 246.
Tantum aſcende, 513. d.
Tangit manu Deus, 526.
Tramitem rectum non amitte, 29.
Trahuntur in cœlum, 490. d.
Taciturnitas non omnis laud: 725.
Trahi ad Chriſtum, 495. c.
Tempus ſume, 580. b.
Tempus agnoſcere prodeſt, 377. c.
Temporalium inſtabilitas, 74.
Templum B. V. ſig: flammeolo. 91.
Templum quæ ædificant, 159.
Tempus oportunum, 220.
Temporis breuitas, 222.
Tempus conſeruare pietati, 222.
Tempori te aptes, 311.
Theſauri cameræ tres, 543.
Templum Spir: S. 794.
Templum quadrupl: 790.
Templa eriguntur ad tria, 791.
Teſtis falſies, 689.
Timentibus firmamentum dom: 49.
Timui te nunquam, 51. a.
Timor lux ad fructus, 58.
Timor mortis in Arſenio. 65.
Timor duplex, 159.
Timor corrigit delictum, 200. b.
Timor vanus, 484.
Timor cum malitia, 483.
Timendus Deus ob tria, 584.
Time ne beatitudinem amittas, 589.
Tyrannus occiſus, 805.
Time gehennam, 589.
Timendi pallidi non rubic: 600.
Trinitas contempland: 500. d.
Trinit: diabolus impug: 538. d.
Trinitas non inueſtig: 590. c.
Trinitatem fides Cath: conf. 593.
Trinitatem ſuper tria, 591.
Trinitatis præſentia, 467.
Titulus falſus, 280.
Tribunal Chriſti, 269.
Tonitrui dies, 59.
Thronus quadrupl: 799. d.
Troie murus adamant. 405. a.
Turturum par: 142.
Tutor filij regis, 308.
Turtur gemens, 353.

Tu

INDEX.

Tu perficis, 675.d.
Tu ad liber: ſuſc: hom: 508.d.
Turris fortis, 536.d.
Tugurta pereg: monent, 566.
Turcica ira, 608.c.
Tentator diab: vini 164.d.
Tentatio duplex, 229.
Tentat nos Deus, 147.
Tentatos conſolatur, 147.
Timenda tria, 562.

V

Validi erimus, fuimus, ſumus, 690.
Vas honoris, 546.c.
Vas aureum, argenteum, 566.
Verbum caro factum, 41.a.
Verbum habitat in nobis, 45.
Veritatis laus, 479.c.
Veritas, 433.d.
Veritas ex tribus comm: 84.
Veritas Chriſtiana, 88.
Veritatis fons Ieſus, 88.
Veritas diſcenda, 778.d.
Veritate victi Philoſ: 88.c.
Vera virtus, 615.
Veritas fortiſſima, 149.c.
Veritas Deus. 149.c.
Veſtis ad morb: animæ, 10.d.
Veſtis animæ mollis, 13.d.
Veſtis teſtis quantum eſtis, 13.d.
Veſtimenta quando maled: 14.
Vexillum in vallum proie: 406.
Veni vidi Deus dicit, 771.
Veneno herba remed: 488.
Venus felix, 204.
Venas incidit Aurel: 209.
Venire in caligine nubis, 14.
Verbum dicere & facere diff: 23.
Viuere viuentibus eſt eſſe, 314.
Viuentes bene mort: beat: 13.c.
Viuere bene requirit tria, 24.
Vita bene acta, 188.
Viuat in æternum, 407.
Viuat Rex Chriſtus, 17.
Vita hominis duplex, 427.d.
Vita ſordidior & anima, 58.
Vita bona & mala, 366.
Vitæ breuitas, 73. 77.
Vita hæc ſanctis tædium. 180.d.
Vituli aurei Ierob: 10.
Virginitas non cuiq;. 703.d.
Vir oſſitio quærendus. 425.
Viri vituperium, 338.
Vitia arguenda. 18.c.
Virga & bacul: conſol: 20.c.
Viciſti viciſti, 365.c.
Vincere malum bono, 25.
Virtus vnita fortior, 523.
Virginitas admonetur. 27.
Virgo ſine oleo, 27.
Virum proſcriptum vxor ſequi: 27.
Vterus aureus, 318.
Villicus quis. 606.
Vindictam reddere, 667.
Viuimus punctum, 73.d.
Victoria vitiorum, 114.
Victi ſumus, 80.
Victor laude dignus, 701.c.
Via ſalutis oſtend: 86.
Virtus plantanda, 120.
Vita bona & ſcelerata, 617.
Viam Dei relinq: error, 150.
Via in veritate, 156.
Vita animalis infern: 157.
Vi virus tolle, 645.
Vidua anima, 726.
Vinea Synagoga, 182.
Vinea anima, 182.
Vir perfectus, 538.
Vires nunc ſcito, 211.
Virga cum glad: & cad: 222.
Vnio ciuitati bonum, 76.
Vulnera vbera, 573.
Vulnera à diabolo, 646.c.
Vulnera Chriſti honorata, 47.
Vulnus non erubeſcit, 54.
Vulpes multa ſcit. 92.

FINIS.

Konserwację przeprowadził(a): Irena Delimata
Wrocław dnia 12 IV 1995
Oprawę wykonał(a) Henryk Świderski
Wrocław, dnia 4 V 1995